R.P. ANTONII RUVIO ... COMMENTARII IN UNIVERSAM ARISTOTELIS DIALECTICAM: UNA...

Antonio Rubio

R. P. ANTONII RVVIO RODENSIS, DOCTORIS THEOLOGI, SOCIETATIS IESV,

COMMENTARII IN VNIVERSAM ARISTOTELIS DIALECTICAM:

Vnà cum dubijs & quæstionibus hac tempestate agitari solitis.

NVNC PRIMVM IN GERMANIA EDITI, CVM CAPITVM, Dubiorum, Quæstionum & rerum notabilium quæ in ijs continentur, Indice.

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Ioannem Crithium, sub signo galli.
ANNO M. D. CXV.

IOANNES DE RIBERA, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Patriarcha Antiochenus, Archiepiscopus Valentin. Regiusque Consiliarius, &c. Tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus typis mandandi in hac Valentina ciuitate, & diœcesi, librum hunc Commentariorum, in vniuersam Aristotelis Dialecticam, Authore P. Antonio Ruuio Societatis IESV, S. T. D. Cuius examen Patri Hieronymo Villanoua eiusdem Societatis S. T. Professori commisimus; qui nil Religioni Christianæ repugnans in eo cotineri: imò vtilem, ac necessarium omnibus huiusmodi facultati operam dantibus fore iudicauit. Dat. Valentiæ die xxi. mensis Augusti. M.DCVI.

El Patriarcha Arçobispo de Valentia.

De mandato Illustrissimi Domini mei Patriarchæ

Federicus Villarrasa Secret.

IVSSV Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini, Domini Ioannis à Ribera, Patriarchæ Antiocheni, & Archiepiscopi Valentini, perlegi Commentarios hosce Patris Doctoris Antonij Ruuio Societatis IESV, in Aristotelis vniuersam Dialecticam: in quibus non modo nihil doctrinæ Catholicæ inueni repugnans, sed etiam eos doctrina, & Philosophis, & Theologis vtilissima refertos agnoui: & non solùm florentissimæ Complutensis Academiæ alumnis, (quorum precibus hos Commentarios author in lucem nunc iterum profert) verùm etiam doctissimis quibusque perutiles fore iudicaui. Vnde dignos censui, vt in communem scholarum vtilitatem typis mandentur. Valentiæ in nostro Diui Pauli Societatis IESV Collegio. Octauo idus Augusti, 1606.

Hieronymus Villanoua Societatis IESV
Theologiæ professor.

EGO Ludouicus Guzman Prouincialis Societatis Iesu, in prouincia Toletana; potestate ad id mihi facta, à Reuerendo admodum Patre Claudio Aquauiua, Præposito nostro Generali, facultatem concedo, vt typis mandentur Commentarij in vniuersam Aristotelis Logicam, à Patre Antonio Ruuio Doctore Theologo Societatis Iesu, & sacræ Theologiæ professore compositi, & grauium doctorumq; hominum iudicio nostræ Societatis approbati, In cuius rei fidem, has literas manu nostra subscriptas, sigilloq; nostro munitas dedimus. 27. Ianuarij, Anni 1603. in nostro Collegio Complutensi.

Ludouicus Guzman.

FLOREN-

FLORENTISSIMAE, TOTOQVE ORBE CELEBERRIMAE ACADEMIAE Complutensi,

Pater Doctor ANTONIVS RVVIO, *vtramque fælicitatem precatur.*

CVM Logices Commentarios nostros nuper editos, adeò vobis gratos extitisse viderem; Rector dignissime, Doctores, Magistrique grauissimi, & sapientissimi, celebris, multisque nominibus Academia illustris; vt inito consilio, omnium calculo, & sententia probatos, instituendæ iuuentutis gratia, Dialecticæ professoribus, & Magistris discipulis explicandos præscripseritis: cùm denique decretum hoc vestrum auctoritate regia firmatum, stabilitumque sit; vtpotè Scholasticis omnibus perutile, qui germanam huius Academiæ, & Aristotelicæ disciplinæ consonam doctrinam, vestro iudicio in hisce Commentarijs repertam imbibere possent: hoc sanè totum meum animum, huic Vniuersitati iam dudum, nec immeritò, deditissimũ, adeò necessitudinis, amorisque vinculo adstrictum reddidit; vt nihil non aggrediendum, nihil non tentandum putarem; quod huic Academiæ vtile, vel certè gratum fore iudicarem. Cùm autem eiusdem Academiæ viri grauissimi, pariter, & doctissimi; quibus me multis nominibus deuinctum fateor, Commentarios nostros vberius protractos, quàm in eadem vniuersitate inueteratus ferret vsus, viderent: gratum pariter, ac vtile fore arbitrabantur; si eosdem Commentarios in compendium redactos, non sine multorum id iam dudum expetentium acclamatione

iterum proferrem. Cùm ergò communis boni ſtudio tenerentur accenſi, & id à me iterum, ac ſæpiùs poſtularent; eorum præceptis parendum omninò fuit, quorum auctoritas apud me plurimum valens, ad alia properantem animum, extemplo ad hunc laborem ſuſcipiendum conuertit. Suſcepi ſanè, & qua potui diligentia perfeci. Habetis iam viri grauiſſimi compendium hoc; nihilò magis fermè noſtrum: omninò veſtrum: re quidem exiguum, placendi ſtudio maximum. Id certè, vel maximè in eo ſpectandum fuit, vt liberalium artium attingentium limina, iuuarentur ingenia: ne rerum multitudine oppreſſi, vel certè deterriti, ab incepto deſiſterent, aut perfectè rem ſe aſſequi poſſe deſperarent. Hunc ergò æquo certè animo laborem ſuſceptum, grati ergà vos animi monumentum, veſtro maturiori, prudentique iudicio ſubmitto, dignitatique veſtræ ſacratum volo. Quod ſi conatus noſtros ea; qua eſtis benignitate præditi, ſenſero probari, quæ ſuperſunt omnia pari, & (ſi fieri poterit) maiore diligentia proſequar.

AD

AD LIBERALIVM ARTIVM
Studiosos florentissimæ Complutensis Academiæ.

VOS pariter, studiosi adolescentes, quæ vberius antea, & fusius disputauimus, ea nunc paucis contenta suscipite. Quod iam dudum petistis, imò expetistis: quod Academia vestra Complutensis probauit: quod libēs suscepit, & Aristotelicæ, ac diui Thomæ doctrinæ iudicauit consonum offerimus. Nostris vtinam cedat votis; quod susceptis iam, suscipiendisqúe laboribus contendimus. Neq; enim æquè aliud in animo est nostro: atq; omnibus, qua fieri possit maximè (vt professionis nostræ ratio, institutumqúe postulat) continuò prodesse. Hic nostrorum laborum scopus: hic finis. Nostra ergo diligentia, & opera (vtinam vtili) libentes fruimini. Omnia deinceps reliqua; modo diuinum adsit numen, accepturi.

Valete.

FACVL-

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS, PROVINCIAE RHENANAE
Societatis Iesu.

CVM Sacræ Cæsareæ Maiestatis decreto omnibus & singulis Typographis, & Bibliopolis, ac alijs quamcunque Librariam negotiationem exercentibus, seriò firmiterque inhibeatur, ne quisquam vllos Libros à nostris Patribus hactenus editos, vel in posterum edendos, intra sacri Romani Imperij regnorum & dominiorum suæ Cæsareæ Maiestatis hæreditariorum fines simili vel alio characteris genere, aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere, clam seu palam citra iudicium ac testimonium supradictorum Patrum audeat vel præsumat: concedo ego Henricus Scherenus Societatis IESV per Rheni prouinciam Prouincialis, Ioanni Crithio Coloniensi, facultatem excudendi Commentarios P. Antonij Ruuio in vniuersam Aristotelis Dialecticam. In quorum fidem hoc ei testimonium manu nostra subscriptum & sigillo munitum dare voluimus. Coloniæ *31*. Augusti Anno *1609*.

Henricus Scherenus.

QVAESTIONES PROOEMIALES PRO DIALECTICÆ INTRODVCTIONE.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Dialectica sit necessaria.

DIalecticam, vt titulum quęstionis explicemus, in naturalem & acquisitam distinguūt quidam; naturalem vocātes discursus illos, quos solo naturali lumine efficere solent rustici etiam homines; acquisitam verò eam, quam studio, ac labore comparamus. Si tamen propriè loquendum est, non dialecticam, sed quoddam eius initium à natura habemus, nempe naturale lumē intellectus; à quo discursus illi inordinati procedūt, qui satis impropriè dialectica vocantur: propriè verò pro facultate acquisita solū accipitur; de qua inquirimus, an sit necessaria. Sed necessarium dupliciter accipi solet in schola: simpliciter quidem aut sine addito, vel secundum quid, aut ex suppositione. necessarium simpliciter illud vocatur, quod non per ordinem ad aliud, sed ex propria natura necessitatem habet: in qua acceptione solum Deus dicitur ens necessarium, quia absq; ordine, vel dependentia ab alio habet, quod non possit non esse. Necessarium vero ex suppositione vocamus illud, quod ex suppositione alicuius finis consequendi tale est; vt cibū capere necessarium dicimus ad sustentandam vitam. ergo dum titulus quęstionis inquirit, an facultas dialecticę sit necessaria; non de prioris necessitatis modo intelligitur, sed de posterioris: ita vt sensus sit, an sit necessaria ad alias scientias acquirendas. Prima opinio tenet, dialecticam non esse necessariam ad alias scientias, sed posse sine illa acquiri, quamuis non sine magno labore, nec sine errorum admixtione; esse verò vtilem, vt commodiùs ac faciliùs, & sine periculo errandi comparentur: ita tenet Iauellus in compendio suę Logicę tractatu 1. cap. 4. quem sequuntur pauci; & probatur duplici argumento. Primò, quia non est necessaria propter se, nec propter alias scientias, ergo nullo modo. Antecedens probatur, quod non propter se: quia cū Logica sit sciētia simul, & modus sciendi, si ad seipsam esset necessaria, simul acquirenda esset scientia, & modus sciendi, aduersus dictum illud Aristotel. 2. Meta. tex. 1. scientiam simul, & modum sciendi quęrere absurdum est: quod verò propter alias scientias non sit necessaria, probatur; quia quęlibet scientia habet proprias definitiones, ac demonstrationes, ergo est sibi modus sciendi: quare nō indiget dialectica pro modo sciendi. Secūdò, quia duo sunt necessaria, vt aliquis consequatur sciētiam. Primum, vt principia cognoscat. Secundū, vt certò sciat, se aptis

se aptis ratiocinationibus vti, & non fallacibus, in colligendis conclusionibus ex eis. Sed vtrumque potest homo sine Dialectica, per lumen naturale intellectus, vt patet in rusticis, qui vnum ex altero euidenter colligunt in hac, vel illa materia: & de aliis refertur, quod scientias sine Dialectica comparauerint; vt medicinam Hypocrates, & mathematicas disciplinas alij; ergo non erit dialectica ad alias scientias acquirendas necessaria.

Secunda opinio opposita est, quæ affirmat, non posse vllam scientiam vllo modo acquiri sine Logica, quam tenent plures, quos idem Ianellus citat vbi supra, & probant vnico arg. quia vt aliquis acquirat scientiam, certò scire debet reducere conclusionem vsque ad prima principia, vt docet Arist. 1. lib. Posteriorum cap. 2. per euidentes consequentias, sed repugnat absq; dialectica talem reductionem posse efficere, cùm non possit certò cognosci, quod tota conclusionum multitudo ex principiis deriuetur, nisi per artẽ, ergo nec poterit nisi per dialecticam.

Communis sententia media videtur inter has extremas, quam tenent Sotus, & Cardinalis Toletus quæst. 1. proœmiali, quos sequuntur alij, nempè dialecticam esse necessariam ad reliquas scientias perfectè acquirendas. Sed ad comparandas modo imperfecto, non esse necessariam, sed vtilem, ita vt sine illa comparari imperfectè possint.

2 Pro solutione quæstionis tria sunt breuiter notanda. Primum est, duo esse necessaria ad comparandam scientiam: primum, quod conclusio per euidentem consequentiam, ex euidẽti principio deducatur: secundum, quod vtrumque constet euidenter ei, qui scientiam acquirit: nam si non cognoscit euidenter principium, solum erit ei creditum, vel opinatum: & si non cognoscat euidentem esse consequentiam solum erit respectu illius probabilis: & tam ex primo quàm ex secundo sequitur, quod conclusio quam colligit, non sit euidens, sed probabilis, cùm non possit esse certior præmissis, aut consequentia; quare non erit scientifica. Secundò adnotandum est, posse quidem hominem per lumen naturale intellectus, imperfecto quodam modo discurrere, vnumq; ex alio deducere, inordinatè quidem; hoc est, non cognoscendo ordinem, ac dependentiam, quam habet conclusio ex principiis, quod docuit Arist. 1. Rheto. ad Theodectem cap. 1. illis verbis: *Multi hæc temerè & casu, nonnulli exercitatione, ac habitu factitant, &c.* Quia ordo ille nequit sine arte cognosci. Tertiò adnotandum est, habitum scientiæ per vnã demonstrationem generari, propter efficacitatem demonstrationis: sed dum generatur per vnum actum, imperfectam habet rationem habitus, aut sciẽtiæ, quia nondum est radicatus in subiecto; quare nec ipsum denominat talem simpliciter: non enim dicitur acquisisse talem scientiam, quia vnam, aut alteram conclusionem eius acquisiuit; nisi secũdũ quid, hoc est, secundum vnam illam conclusionem.

Ex his duas conclusiones colligo, quibus meam sententiam explico. Prior est; *ad vnam, vel alteram conclusionem alterius scientiæ acquirendam non est necessaria Logica, sed per solum naturale lumen acquiri potest.* Probatur hæc: quia sicut naturale lumen se extendit ad cognoscendã principia, ita etiam ad vnam, aut alteram conclusionem principiis proximã: quia notissima est, per propriam industriam, & laborem hominis potest se extendere: & cum per vnam conclusionem scientia acquiratur, saltem imperfecta, verum est in hoc sensu, quod ad alias scientias imperfectè comparandas dialectica non sit necessaria. Secunda conclusio. *Integra scientia*

entia non potest acquiri sine dialectica, hoc est, secundum omnes conclusiones eius; quam sic probo. Non potest aliquis omnes conclusiones ex principiis colligere per euidentes demonstrationes, nisi cognoscat euidenter ordinem, secundum quem vna deriuatur ab altera vsque ad vltimam, quæ proximè colligitur ex principiis: sed ordo omnium conclusionum inter sese, & cum principiis cognosci nequit sine arte reducendi, aut resoluẽdi eas in principia, ergo non poterit integra scientia acquiri sine dialectica: & hoc est nõ posse perfectè sine illa acquiri: & iuxta has duas conclusiones nostras, intelligenda est tertia opinio communis, quam sic intellectam veram esse dicimus.

Ad primum argumentum primæ opinionis respondet Cardinalis Toletus: Logicam esse necessariam ad seipsam, secũdum diuersas partes, quæ præsupponuntur aliis; vt secundum partem prædicamentorum, ad partem enuntiationis, & secundum hãc, ad syllogismum: sed cùm prima pars non pręsupponat alteram, nõ explicat hæc solutio, quonam modo Logica secundum primam partem possit esse ad se necessaria: propterea alio modo respondeo, Logicam duo habere, nempè esse scientiam, in quantum suas conclusiones demonstrat, & esse modum sciendi, in quantum instrumenta conficit, per quæ scire possimus: & hæc ratio prior est illa secũdum nostram considerationem: quia prius intelligimus instrumenta sciendi; vt definitionem, ac demonstrationem, quã intelligamus conclusiones demonstratas in Logica. dicimus ergo Logicam vt modum sciendi, non solùm secundum diuersas partes, sed etiam secũdum se totam esse necessariã ad seipsam vt scientiam; ad quod satis est, quod vt scientia, præsupponat seipsam, vt modum sciendi. dum autem Aristotel. docuit, absurdum esse simul quærere scientiam, & modum sciendi; per modum sciendi dialecticam intellexit, sed per scientiam, nõ eandem dialecticam, sed quamlibet aliã scientiam, vt docuit D. Thom. in expositione eiusdem loci, quam absurdum esse simul cum dialectica quærere: quasi dicat prius esse addiscendam dialecticam, tanquam necessariam ad alias. Ad secundum respondeo, non posse naturale lumen, nisi perficiatur per artem dialecticæ, cognoscere ordinem omnium conclusionum inter sese, & cum principiis; & ideò nec perfectè alias scientias acquirere, vt iam docuimus. Argumẽtum secundę opinionis solũ probat, sine dialectica non posse scientiam perfecto modo comparari. Ex dictis colligitur; quem locum dialectica obtinere debeat in acquisitione scientiarum: est enim prima, à qua incipiendum est: quia cũ sit modus sciendi, non possunt aliæ sine ea cõparari, nec proinde simul cum ea acquiri; nisi absurdũ illud sequatur, quòd simul scientiam & modum sciendi quæramus.

QVAESTIO II.

Vtr. Dialectica sit scientia.

SCientia hac in parte propriè accipitur, pro certa cognitione per demonstrationẽ comparata, vt docuit Arist. 1. lib. de posteriori resol. cap. 2. sed diuiditur in scientiam actualem, & habitualem; actualis scientia dicitur, assensus cõclusionis, quæ per demõstrationem probatur, vt assensus huius conclusionis, homo est risibilis: habitualis verò scientia est, quę generatur in intellectu ex multis conclusionibus demonstratis: & licet vtraque sit propriẽ scientia, tamẽ in communi modo loquendi pro habituali accipitur: de hac loquitur titulus quæstionis, dum quærimus, an Logica sit scientia.

Et prima opinio negat dialecticam esse scientiam; sed asserit esse facultatem quandam, seu artem scientia inferiorem: & hanc tenuerunt, Ammonius in prologo prædicamentorum, Alexāder in principio Topicorum, Egidius 1.lib. Posteriorum, quæst.1. Magnesius lib. de interpretatione in principio, Petrus Niger quæst. 11. sui Clypei, & alij, quos secutus est Villalpandeus quæst.26. proœmiali: probatur primo duplici testimonio Aristotelis, qui 1.lib. Rhetoricum ad Theodectem cap.2. docet, *Rhetoricam esse particulam quandam dialectica, & neutram esse scientiam, sed facultatem quandam inueniendarum rationum.* 1.lib. Topicorum cap.1. *Dialectici officium esse*, inquit, *ex probabilibus differere.* Secundò, probatur ratione; quia quælibet scientia debet habere materiam particularem ac determinatam, circa quam versetur, tanquam circa proprium obiectum, & per quam distinguatur ab aliis; sed Logica non habet materiam determinatam, sed versatur circa materiam omnium scientiarum; quia in omni materia conficit definitiones, ac syllogismos; ergo non erit scientia. Vnde Arist. 4.lib. Meta. cap.2. textu 5. & 1.lib. de posteriori resolut. cap.8. tex.27. docuit non habere certum genus subiecti, hoc est, certam materiam circa quā versetur.

Secūda opinio est communis, & tenenda, *quod Logica sit vera scientia*; quam sequuntur D. Thom. 4. Meta. lect.4. Scotus lib.1. Elenchorum, quæst.1. & in prædicabilibus, q. etiam 1. Niphus 4. Meta. textu 5. in fine. Sotus, & Card. Toletus, q.2. proœmiali, Fonseca 2.lib. Meta.3. quæst.1. sectio.9. & alij omnes. Probatur vnico arg. ex definitione scientiæ tradita ab Arist. 1.lib. Poster. cap.2. Scientia est habitus per demonstrationem acquisitus; sed dialectica habet plures demonstrationes ex euidentibus principiis procedentes, ergo ex eis generabitur scientia. Probatur minor, nam syllogismum primæ figuræ euidenter concludere, demonstratur ex illis principiis; dici de omni, & dici de nullo; & in singulis partibus dialecticæ fiunt aliæ demonstrationes similes.

Ad primum arg. dicimus, Rhetoricam particulam esse dialecticæ; docuisse Arist. 4 quia sub parte Topica quodammodo cōtinetur, in quantum docet loca inuenire, ex quibus eruantur probabilia arg. & quātum ad hoc neutra est scientia: dialectica verò non solum docet loca inuenire; sed ea probat per demōstrationē. Præterea, quod probabilia arg. generent opinionem, & ex hoc habet veram rationē scientiæ: nihil autem horum Rhetorica facit, & propterea sciētia non est, sed ars quædam scientia inferior. Secundum testimonium Arist. eodem ferè modo declaratur; quia officiū dialectici est, probabiliter differere, nō quomodocunque, sed docendo per veram demonstrationē, ex quibus sit constituendus syllogismus probabilis, & quod probabilem solum generet assensum, & hoc est esse veram scientiam.

Pro solutione secundi arg. distinguenda duplex materia Logicæ; remota, & proxima: remota sunt res omnes mundi, nam circa omnes efficit syllogismos, & definitiones; proxima verò materia sunt operationes intellectus, quas dirigit & ordinat, constituendo ex eis instrumēta arg. ergo probat de materia remota, de qua etiam loquitur Arist. in eo loco; scientia verò debet habere materiam proximam circa quam versetur, & per quam distinguatur ab aliis; & hæc sufficit, vt sit scientia determinata: quod verò materia eius remota nō sit determinata, nullū est inconueniens, quia ex materia remota non sumitur ratio sciētiæ, sed ex proxima.

QVAE-

QVAESTIO III.

V. Logica vtens sit scientia.

PRæsupponit titulus quæstionis, quod Logica diuidatur in docentem, & vtentem; quam diuisionem tradiderũt D.Thom.4. Met.lect.4. & Scotus quæst.1. Elench.& quæst. etiam prima prædicabilium, à quibus eã accepit schola: sed priusquam diuersas opiniones proponamus, declarandum est; an sicut Logica docens, pro tota ipsa scientia accipitur; ita etiam logica vtens pro tota accipiatur, vel solum parte topica. Nam quidam dicunt solam partem topicam esse vtentem, & non demonstratiuam, nec reliquas: quorum fundamentum est autoritas D.Tho. qui id videtur asserere 4.Meta. lect.4. & hoc arg. probare; quia Logica, vt est vsus definiendi, diuidendi, ac demonstrandi in aliis scientiis, non tam dialectica appellanda est, quam Philosophia, aut quælibet altera scientia, circa cuius materiam talis vsus versatur.

Communis tamen modus loquendi, & sentiendi dialecticę scholæ, Logicam pro tota scientia diuidit in docẽtem, & vtentem: ita vt sicut tota ipsa docens est, in quantum tradit præcepta conficiendi enuntiationem, & syllogismum, ac reliqua instrumenta per demonstrationem: ita in quantum vtitur omnibus instrumentis in aliis scientiis, dicatur vtens: & hoc est nobis tenendum tanquam verum & necessarium: & probatur primò: quia tantum se extendit Logica vtens, quantũ vsus Logicæ docentis, sed Logica docens dicitur de tota scientia, & singulis partibus, & non de sola parte topica; ergo Logica vtens de tota & singulis partibus etiam dicetur. Secũda pars topica dicitur Logica vtens, quia probabilibus argumẽtis vtitur in cæteris scientiis; sed etiam vtitur Logica definitionibus, ac demonstrationibus in cæteris scientiis; ergo dicetur vtens quantum ad reliquas partes, præter topicam.

Ad D.Tho. respondeo, hanc esse mentem eius, vt Logica quantum ad partem demõstratiuam, & reliquas, (præter topicam) verè sit vtens; sed quia forma demonstrandi, qua vtitur in aliis scientijs, vniuersalis & quasi generica est; determinatur per materiam earum, quasi per differentiam ad speciem: nõ tã dialectica, quam philosophia vocatur, eo modo, quo genus cuiuscunque rei sub nomine specierum comprehenditur, v.g. animal, quod est in homine, nõ vocamus animal, sed hominem. sed de parte topica diuersa est ratio, quia cum argumenta probabilia non generent sciẽtiam, sed opinionem; potius retinet nomen dialecticæ, vsus huius partis, quam aliarum sciẽtiarum; quia pars est dialecticę, quę vera scientia est; & quia proprium dialectici officium est, probabiliter disputare in qualibet scientia: & differentiam hanc inter partem topicam, & reliquas partes logicæ significauit D.Tho. eodem loco; ex quo colligo, hanc fuisse eius mentem, & non excludere vllam partem Logicæ à vera ratione vtentis.

Supposito ergo, quod Logica vtens pro tota ipsa scientia, & omnibus partibus sumi debeat. Quærimus, an sit scientia, aut saltem distinctus habitus à Logica docente? & prima opinio asserit esse veram scientiam, sed non esse habitum distinctum à docente, sed eundem; ita vt scientia sit, in quantum docens, & etiam in quantum vtens. Hanc videtur sequi Niphus 4.Meta.tex.5. & probatur hoc argumento. Quando aliquis vtitur Logica in aliis scientiis efficiendo demonstrationes, acquirit facilitatem in intellectu ad eas, & alias iterum efficiendi, & hanc faci-

facilitatem acquirit per actus procedentes à Logica docente:quam præsupponit; ergo perficit eandem Logicam docentem. & ideo erit vera scientia : quia scientia non perficitur nisi per scientiam; non tamen distincta,nec distinctus habitus, sed idem,quasi seipsum perficiens.

Secunda opinio, quā sequūtur moderni quidam, asserit; Logicam vtentem esse veram scientiam, & distinctam à docente. vt autem vtrumque probent, distinguunt duo officia vel actus Logicæ. primū, quo docet conficere instrumenta, vt syllogismum, aut definitionem; secundum, quo vtitur præceptis traditis, efficiendo eadem instrumenta in aliis scientiis; & cū per multiplicationem actuum generetur facilitas in potentiis, quam facilitatē vocamus habitum, necesse est ex diuersis actibus diuersos quoque habitus generari in intellectu: ita vt primo reddatur facilis intellectus ad tradenda præcepta; deinde aliam facultatē diuersam acquirat per exercitium eorundem præceptorum efficiendo syllogismos : exemplum assignari potest in musica, in qua duplex facilitas acquiritur : prima in intellectu tradente regulas consonantiarum ; secūda in manibus: & primam vocare solent Theoricam,postremam practicam. Vnde sequitur duplicem etiam facilitatem ponendam esse in Logica;vnā,quæ sit Theorica,seu speculatiua; alia quæ sit practica. & illa erit habitus Logicæ docentis,hæc verò Logicæ vtentis.Probāt primo,quod sint habitus distincti ; quia syllogismus factus in Philosophia naturali non procedit ab habitu eiusdem Philosophiæ: quia non docet quomodo sit componendus syllogismus:sed nec procedit à Logica docente;nam hæc solùm habet tradere præcepta in communi efficiendi instrumenta,non ea efficere in particulari; ergo debet procedere ab illo habitu, qui sit Logicæ vtentis.Deinde probant secūdò quod vterque habitus sit scientia: & de docente manifestum est,sed de vtente probatur ; quia vt actus efficiendi syllogismū perfectus sit , & sine errore procedat , præsupponere debet habitum Logicæ docentis,per quem docemur quomodo efficiendus sit:quod si eum præsupponit,non poterit ab eodem procedere; ergo ab alio habitu distincto, qui etiam est scientia,cùm præsupponat habitum docentis,qui verò est scientia,& modo sciētifico procedat in componendo syllogismo.

Nostra sentētia est ; ***quod dialectica vtens,vt vtens est,non sit scientia, nec habitus distinctus à Logica docente ; sed habitus idem prout ars est singulares syllogismos efficiens:*** itaque idem met habitus logicæ ; prout tradit præcepta in communi componendi syllogismum, & alia instrumenta per demonstrationem,est Logica docens;sed in quantum efficit syllogismos singulares,est ars,& Logica vtens vocatur.Hanc sententiam sequitur D. Thom. 4. Meta. lect.4. sed quia duplicem partem continet; primam,quod Logica vtens non sit scientia;secundam,quòd sit ars, vtraque probanda est.Probatur ergo primò,quòd non sit scientia ; quia conclusio scientifica est actus,quem per demonstrationem colligimus ex principijs per se notis; sed actus Logicę vtentis non est assensus conclusionis , quem per demonstrationem colligimus;sed opus quod efficimus, nēpè syllogismum aut definitionem : ergo Logica vtens,non est scientia.

Secundò , scientia proximè versatur circa vniuersalia , nec de singularibus est ; sed Logica vtens non versatur circa vniuersalia , sed circa actus singulares quos exercet componendo syllogismos, iuxta pręcepta tradita à docente:ergo nō est scientia,sed scientiam præsupponit,

Se-

6 Secunda pars nostræ sciétiæ, quod Logica vtens, vt talis, nó sit habitus distinctus à docente; sed idem prout est ars: præsupponit Logicam esse arté; non mechanicam, quæ versatur circa opera externa, vt fabrilis est; sed liberalem, quæ versatur circa opera intellectus ea dirigendo: hoc docet expresse D. Tho. 1.2. q. 57. art. 3. ad 3. & 1. lib. Posteriorum lect. 1. & colligitur euidenter ex doctrina Arist. 6. Eth. cap. 4. vbi definit artem, quod sit habitus cum ratione factiuus, vel actiuus: per factiuum intelligens artes mechanicas, quibus efficiuntur opera externa; per actiuum verò liberales, quibus non efficitur externum opus; sed opera animæ interna diriguntur. Hoc supposito probatur primò, quia euidens est, habitum Logicæ esse scientiam; cum procedat per demonstrationem: sed est etiá ars, quia est habitus cum ratione actiuus; ná opera intellectus dirigit, efficitque singulares syllogismos ex eis: ergo simul est scientia, & ars, diuersa ratione; ita vt quatenus tradit præcepta efficiendi syllogismum, & alia instrumenta per demonstrationem, sit Logica docens, & vera scientia; vtens verò quatenus est ars, efficiens singulares syllogismos iuxta præcepta à seipsa, vt docente tradita.

Secundò probatur: nam habitus Logicæ docentis per primam demonstrationé acquisitus habet pro obiecto modum sciendi; cuius naturam contemplatur, & opera rationis, ex quib⁹ docet syllogismos conficere; sed eo ipso quòd docet efficere syllogismos, habet virtutem eosdem efficiendi; cum non egeat alio instrumento, per quod eos efficiat; sed per eundem intellectum efficit: ergò eo ipso, quod est Logica docens: est etiam habitus cum ratione actiuus; quod est esse artem liberalem: quare sequitur vtramque rationem habere eundem habitum Logicæ; nempè scientiæ, & artis; sed ratio scientiæ primaria est in eo, atque præcipua, ratio verò artis quasi secundaria, & rationem scientiæ præsupponens. Nam prius intelligimus, quod præcepta per demonstrationé tradat; deinde quod iuxta præcepta tradita, singulares syllogismos efficiat.

Ad arg. primæ opinionis respondeo; Logicam perfici per exercitium efficiendi syllogismos, non vt scientiam; sed vt artem: sicut perficitur in ratione scientiæ per demonstrationes, quibus probat suas conclusiones: quare non sequitur: vt vtétem esse scientiam, sed artem.

Pro solutone argumentorum secundæ opinionis, notanda est differentia inter artes quæ per membra corporis aliquo modo exercentur; quales sunt domificatoria, & musica ex vna parte; & cæteras, quę circa actus purè internos versantur, vt Logica: quod illæ duplicem facilitatem petunt. Vná in intellectu, in quo sunt tanquam in subiecto; alteram in mébro externo per quod exercentur; vt musica, præter facilitatem intellectus, petit aliam in manu, vel lingua, & palato: & cum facilitas sit habitus, includunt duos habitus; quamuis facilitas, quæ est in membris externis non sit propriè habitus. Aliæ verò artes, quæ solum dirigunt operationes intellectus, qualis est dialectica; sicut non exercentur per membra externa: sed per solum intellectum; ita non petunt nisi facilitaté intellectus: quæ habitus est: per quem singulares operationes efficiunt, ac dirigunt: & hæc est vna, & eadem in Logica, vt probatum est: per quam præcepta in communi, & per demonstrationé tradit, vt sciétia: & per quá singulares efficit syllogismos, vt ars. Et ideo vnus est, atque idem habitus scientiæ, & artis. ex quibus sequitur negádá esse illádistinctioné de duplici facilitate in

his

his artibus, quę per membra externa non exercentur.

Iam ergo ad primum arg. eiusdem sententiæ respondeo syllogismum factum in Philosophia naturali, à duplici habitu procedere; nempe ab habitu eiusdem philosophiæ, & simul ab habitu Logicæ; ab illo secundum rationem particularem talis scientiæ; ab habitu verò Logicæ secundum rationem communem formæ syllogisticę, hoc est, modi & figurę: prætærea ab illo, vt scientia; ab habitu verò Logicæ, vt arte. Petit ergo talis syllogismus duplicem facilitatem, & duplicem habitum; non Logicæ, sed vnum Logicæ, alterum Philosophiæ.

Ad secundum, concedo, actum efficiendi syllogismum, præsupponere habitũ Logicæ docentis; sed ex hoc non sequitur, quod generet alterum habitum; sed quod eundem sub ratione artis perficiat. Falsum igitur est, quod ab eodem habitu docentis Logicæ non procedat.

QVAESTIO IV.

V. Logica sit vnus simpex habitus, vnaúe simplex qualitas.

8 TRiplicem possumus cõsiderare vnitatem in sciẽtia, sicut in aliis rebus; numericam, specificam, & quasi genericam: sed de vnitate numerica non procedit quæstio; quia certò constat; dialecticam non esse vnam numero; sed tot esse, quot sunt intellectus diuersi: vt alia numero est dialectica, quam Petrus habet, ab ea quam habet Ioannes: in hoc ergo sensu manifestum est, non esse vnam simplicem qualitatem, sed multiplicem. De vnitate ergo specifica, aut generica inquiritur, quamnam ex his habeat. nam si solum habuerit genericam, non erit vna qualitas simplex, neque vnus habitus; sed plures sub se continebit: sicut animal continet plures species, quę sub eo habẽt vnitatem genericam. verò si habeat vnitatem specificam, erit vna secundum speciem, sicut albedo: quare nec ex multis habitibus, aut qualitatibus erit composita, sed qualitas simplex, simplexque habitus vocabitur.

Iuxta has duas vnitates, genericam, & specificam, duę sunt opiniones. Prima asserit, dialecticam non esse vnum habitum, nec simplicem qualitatem; sed cõpositam ex multis habitibus, & qualitatibus: ita vt tot sint habitus Logicæ distincti, quot sunt conclusiones diuersæ; nempè alius habitus prædicabilium, alius prædicamentorum, sicque pro cæteris partibus distinctos habitus ponendos esse, imò & pro singulis conclusionibus eiusdem partis, si diuersæ sint; ex quibus quasi vnus habitus totalis, & quasi genericus componitur; & vna etiam scientia, in quantum obiecta omnium partium, sub ratione communissima entis rationis, aut modi sciendi continentur. Hanc sententiam tenet Scotus quæst. 3. prologi, dub. 2. Ocham ibidem dub. 8. Marsilius, quæst. 2. art. 4. Greg. eadem quæst. 3. art. 3. Gabriel. quæst. 8. Cardin. Toletus quæst. 3. procemiali. Fonseca 5. Meta. cap. 7. quæst. 1. sect. 2. & probabilem reputat Sotus. quęst. 3. proœmiali. Probaturque duplici ratione. Prima, habitus, & scientiæ sumunt vnitatem, ac distinctionem specificam ex obiectis, atque etiam ex principiis, per quæ probant suas conclusiones, sed partes dialecticæ habent diuersa obiecta, atque principia: ergo petunt distinctos habitus. Probatur minor: quia prædicabile, prædicamentũ, enuntiatio, & syllogismus, quæ sunt obiecta diuersarum partium, specie diuersa sunt. Habent etiam diuersa principia, quia definitiones horum obiectorum principia sunt, per quæ demonstrantur conclusiones in singu-

singulis partibus; & sunt valdè diuersæ: ergò habebunt principia diuersa, & conclusiones diuersas, per quas diuersi generabuntur habitus Logicæ.

Secunda ratio. Videmus sæpè intellectum esse faciliorem circa vnam partem Logicæ, propter frequentiorem vsum eius, quàm circa alteram; vt circa syllogismos probabiles, efficiendos, quam circa demõstrationes: ergò diuersos habet habitus earum. Probatur cõsequentia: quia non potest vnus habitus simul esse facilior, & minus facilis; sicut nec potest idem homo velociter simul, & tardè currere.

Secunda opinio, maiorem vnitatem ponit in Logica; affirmans esse vnam speciem: ita, vt nec plures habeat habitus, circa diuersas conclusiones eiusdem partis, nec circa diuersas partes; sed eundem habitum se extendere ad omnes partes, & ad omnes cõclusiones earum. Hæc est expressa sententia D. Th. 1. Posteriorum, ca. 23. & 12. quæst. 54. art. 4. eam sequuntur Caiet. ibid. Ferra. 2. contra Gent. cap. 4. Sotus quæst. 3. proœmiali, & ex modernis plures; & nobis videtur probabilior. Sed vnde, aut ex quo hanc vnitatem accipiat; nõ est certum apud omnes, qui eam sequuntur. Sed quidam asserunt à materia, aut materiali obiecto habere vnitatem: non ita, vt obiectum materiale sit vnum specie, quia hoc non requiritur; sed satis est quomodocunque; esse vnum; hoc est, vniuocum, vel analogum, genus, aut speciem; vel etiam vniuersalissimum, vt ens, quod est obiectum Meta. à quo etiam si sit analogum, & vniuersalissimum, vnitatẽ specificam sumit Meta. sic ergò Logica habet vnitatẽ specificam ab ente rationis aut modo sciendi vniuersalissimo.

Alij verò ex obiecto etiam sumere vnitatem habitum inquiunt; non materiali, sed formali: distinguunt enim duplicem vnitatem in obiecto cuiuscunq; scientiæ, potentiæ, aut habitus; ita vt altera sit vnitas eius in esse rei, quam materialẽ vocant; altera in esse scibilis, quam vocãt formalem; vt in colore, qui est obiectum visus, vnitas in esse rei est, esse qualitatẽ: quæ genus est ad albedinem, & nigredinem: vnitas in esse visibilis est, quam habet in quantum mouere potest visum: dicunt ergò, scientiam habere vnitatem ex obiecto, non in esse rei; quia sequeretur tot esse scientias, quot sunt res specie, aut genere diuersæ; quod nullus dixit: sed ex eodem obiecto in esse scibili; hoc est, in quantùm per scientiam cognoscibile est. Hæc tamen distinctio obiecti, falsa reputatur à quibusdam modernis; quod probant testimonio Aristot. & ratione. Aristot. enim 5. lib. Meta. cap. 17. docet, *neque scibile per scientiam, neque scientiam per scibile definiendam esse, quia committeretur vitiosus quidam circulus vnum per alterum vicissim explicando, & ex consequenti idem per seipsum*: vt si definias visum per visibile, dicens; visibile est, circa quod versatur visus; & rursus, visum quod sit id, quod versatur circa visibile; nõ est aliud quam visum per seipsum definire. Probatur, nã si visibile definitur per visum; ergò visus definit visibile: & si visibile rursus definitùr per visum; ergò definitur per suam definitionem: quod idem est, ac definire per seipsum; nam definitio, & definitum idem sunt. Ratio eorum est, quia obiectum in esse scibilis, est posterius scientia: cùm ab ea dicatur scibile: ergò non sumit ab eo vnitatem specificam. Probatur consequentia: quia si scientia prior est; ergò prius est vna, quam obiectum intelligatur: ab alio ergò, quod sit prius obiecto in esse scibilis, sumere debet vnitatem.

Nobis tamen, *vera ac necessaria videtur distinctio obiecti in esse rei, aut in esse scibilis. atque etiam, quod ab obiecto in esse scibilis su-* 9

lis sumat scientia vnitatem specificam. quia vtrumque colligitur ex doctrina D. Tho. 1.par.quæ.1.art.4. & 2.2.quæst.1.ar.1. & est communis sententia fere omnium:quod probo 1.quia conclusio eadem in esse rei, pertinet ad duplicem scientiam; quod non potest esse verum, nisi diuersam rationem scibilis in ea consideremus; hæc autem ratio scibilis diuersa, sumitur ex diuerso medio,per quod probatur; nẽpe ex diuersis principijs, diuersaque demõstratione:ergo necessariò talis distinctio, & vnitas specifica sciẽtiæ,ex vnitate obiecti in esse scibilis,& non in esse rei accipienda est. Exemplum sumere possumus in hac conclusione. Terra est rotunda:quæ ad Astrologiam pertinet;in quantũ demonstratur ab ea, per mediũ Mathematicum; & ad Philosophiam naturalẽ, in quantum demonstratur per medium Philosophicum. Secundò, probatur in potentia visiua;quæ colorem percipit, & lumen,adeò diuersa, & quæ non possunt conuenire ad constituendum vnum obiectum visus,sub ratione qualitatis: nam sequeretur,quod visus omnem qualitatẽ perciperet:neque etiam sub ratione qualitatis passibilis; quia sequeretur omnem qualitatem passibilem percipere:& vtrũque est falsum. necessarium igitur est, quod sub alia ratione magis particulari conueniant,vt vtrumque ab eadem potẽtia percipiatur. & hæc ratio non potest esse alia,nisi,quia vtrũque potest mouere visum; & hæc est ratio visibilis. Eadem ergo ratione, omnia obiecta materialia alicuius scientiæ,diuersa quidem in esse rei,cùm sint res diuersę;sub aliqua ratione particulari,conuenire debent; in quãtum ab eadem sciẽtia percipi possunt: & hanc vocat Caiet. rationem scibilis, per quam obiectum tribuit scientiæ vnitatem.

Ad argumẽtum modernorum hac distinctione respõdendum est: denominatio scibilis duplex est;actualis, & relatiua;& virtualis atque absoluta: & prima à scientia ipsa sumitur,& ideò posterior illa est;secunda verò ex natura, & essentia eiusdem obiecti: sicut etiam denominatio intelligibilis,v.g.homo;dicitur intelligibilis denominatione actuali,& relatiua,ab intellectu,& intellectione,per quam intelligitur,aut intelligi potest: & ideo posterius est in esse intelligibilis, intellectu,& intellectione; sed denominationem virtualem,& quasi radicalem; non ab intellectu, sed à propria natura sumit:quia ex propria natura, & entitate,res quęlibet est intelligibilis, quare secundum hanc denominationẽ,non dependet ab intellectu, sed prior est illo. Testimonium verò Arist. tangit modum definiendi vnum relatiuum per alterum; quare nõ potest commodè explicari, vsq; ad prædicamentum ad aliquid.

Sed licet distinctio obiecti in esse rei, & in esse scibilis,à Caie. tradita necessaria sit;non est tamen sufficiens ad explicandam vnitatem specificam, quã in Logica ponimus;nisi amplius explicetur, & ostendatur à quonam sit sumenda vnitas obiecti,in esse scibilis:nam illud tantum erit ratio formalis à qua eandem vnitatẽ accipiet scientia.Explicanda verò est per aliam distinctionem, ita habentem. In quocũque obiecto scientiæ,potentiæ, vel habitus,duo reperimus,nempe rem, quã per scientiam, aut potẽtiam percipimus: & hæc vocatur ratio,Quæ; hoc est ratio, Quæ percipitur: reperitur etiam ratio, Sub qua, potentia versatur circa illam, aut eam percipit:& hæc dicitur ratio,Sub qua,obiecti,per quam determinatur: & ex vtraque ratione; quæ,& sub qua constituitur vnum obiectum completum, atque totale:ex ratione, quæ taquam ex materiali;& ex ratione, sub qua:tanquam

ex.

x formali:vnde contingere potest;quod adem ratio, Quæ, sit obiectum diuersorum habituum,aut potentiarum, propropter diuersas rationes, sub quibus excipitur:& propterea verum est, à ratione,Sub qua;tanquam à formali, & vltima,sumere suam vnitatem, potentias, abitus, & scientias. Hoc exemplo fiet :s manifesta. In obiecto visus; reperimus id,quod videtur, & hoc est color, ut lumen;& vocatur ratio,Quæ obiectiua:reperimus etiam visibilitatē;quæ non st aliud,quam colorē,aut lumen ex propria natura posse mouere potentiam visiuā, & ab ea videri:& ex vtraque ratione,nempè colore,& visibilitate, constituitur obiectū cōpletū potētiæ visiuę, ex olore quidem,vt materia,ex visibilitate verò.vt forma, à qua vnitatem accipit adem potentia.&eodem modo ad obiecta scientiarum applicanda est. distinctio ræ:dicendumq; rationem,Sub qua, esse ationem scibilis, à qua vnitas specifica arum sumenda est.

Sed restat explicandū, id quod in hac difficillimum est; nempè ratio, Sub qua,in obiectis scientiarum: nam ratio, quæ satis est manifesta. est namque materia circa quam versatur scientia;vt ens rationis,in Logica.& ens reale,in Metaphysic.Caiet.& Ferra.vbi supra, rationē scibilis, in obiecto cuiuslibet scientiæ, tali modo abstrahendi à materia accipiendam esse docent;vt ratio,Sub qua,in obiecto Metaph.sit omnimoda abstractio us à materia;hoc est abstractio à materia,non solum sensibili, sed etiam intelligibili:in Philosophia naturali, abstractio à materia singulari,non tamen à materia sensibili.

Hanc tamen sentētiam falsam reputo, quia abstractio à materia nimis vniuersalis est:& propterea non potest esse ratio, sub qua, tribuens scientiæ specificā vnitatem,aut distinctionem:nam sub eadem abstractione continentur plures, ac diuersæ scientiæ; vt sub abstractione à materia singulari,& non sensibili, vtraque Philosophia, naturalis, & moralis; sub abstractione à materia sensibili, vtraque; Mathematica,videlicet Geometria,& Arithmetica.

Veram ergo sentētiam ex doctrina D. Tho.colligo;nempè rationem, Sub qua, in obiectis scientiarum,desumendam esse,ex tali medio assentiendi conclusionibus:sicut in fide sumitur ex testimonio dicentis; medium verò assentiendi conclusionibus,sūt principia disposita in demonstratione, ex quibus colligitur conclusio,v.g.medium assentiendi huic conclusioni,homo est risibilis,sunt illa principia; omne animal rationale est risibile: omnis homo est animal rationale; sic disposita,vt ex eis colligatur, hominem esse risibilem:nam propter illa assentimus conclusioni. materia igitur, circa quam versatur scientia,in quātum sumitur sub talibus principijs eiusdem scientię in demonstratione dispositis, propter quæ assentitur intellectus conclusionibus de eo demonstratis, est obiectum completum; sed principia sic disposita est ratio formalis,Sub qua, obiectiua; à qua scientia sumit suam vnitatem specificam. Et colligitur etiam ex doctrina,quam tradit Arist.de vnitate, ac distinctione scientiarū 1.lib.de posteriori resolutione c. 23. vbi principia scientiarū duobus modis se habere docet,nā vel sic sunt diuersa, vt nec ex alijs fiant, nec ex alterutris; hoc est, nec ex alijs communibus depēdeant, nec necessariā depēdētiam inter se habeāt, & hęc diuersas scientias cōstituūt:sic se habēt principia Philosophiæ,& Mathematicę.& propterea diuersæ sūt tales sciētiæ. Sed principia Philosophię naturalis, ex cōmunib' principiis Physicis, pertinētia ad

ad materiam & formam, fiunt, & intrinsecam dependentiam inter se habent; in quantum principia librorum de cœlo, & mundo præsupponuntur necessariò ad principia librorum de Generatione, & corruptione; & hæc ad libros de anima: propterea eandem scientiam secundum speciem constituunt omnes istę partes. Et ita etiam se habēt principia Logicæ: quia principia particularia omnium partium, præsupponunt communia principia entis rationis, aut modi sciendi, ex quibus fieri dicuntur: & eadem principia partiū Logicæ se præsupponunt: & posteriora habent necessariam connexionem, & dependentiam ex prioribus, vt principium enuntiationis; quod est definitio eius; præsupponit necessariò principia, prædicabilium, & prædicamentorum, quę sunt definitiones eorum: ac tandem principia syllogisticæ artis, præsupponunt, atque dependent ex principiis enuntiationis: & hoc est ex alterutris fieri, hoc est posteriora ex prioribus, propter necessariā dependentiam, quam ab eis habent: & principia, quæ ità se habent, dicuntur eadem formaliter propter intrinsecam cōnexionem, ac dependentiam: & solum materialiter diuersa; quia diuersam continent materiam, simplicem quidem, aut compositam, & compositam quoque diuersam. Vnde sequitur rationem, Sub qua in obiecto Dialecticæ, ex eisdem principiis desumptam, eandem esse, & ideò vnitatem specificam scientiæ tribuere.

11 *Ad primum argumentum primæ opinionis respondetur*; partes Logicæ materialiter quidem, aut in esse rei diuersas esse; sed formaliter, aut in esse scibili, habere vnitatem specificam. Sicut colores specie differūt, vt albedo, & nigredo in esse rei cum sint res, aut qualitates diuersæ speciei: at verò sub ratione formali visibilis eiusdem sunt speciei ? quod efficaciter probatur; quia eundem habent modum mouendi visum: vnde visio albi, & nigri, non sunt diuersæ speciei, sed eiusdem: eadem ergò ratione partes Logicæ, vt prędicabilia, prædicamenta, enuntiatio, ac syllogismus: vt sunt res quædam, diuersaque instrumenta, specie distinguuntur: at sub ratione scibilis, nempè, vt sub eisdem principijs, & per easdem demōstrationes probantur conclusiones earum, eiusdem rationis sunt, quia eundem modū habet logica eas cognoscendi, hoc est, per eadem principia. Et quod in argumento additur; principia esse diuersa, eodem modo soluendum est. Esse quidem diuersas veritates; sed propter intrinsecam connexionem; ac dependentiam, quam habent ex principijs communibus entis rationis, & inter sese; in quantum posteriora præsupponunt necessariò priora, vt principia syllogismi, & principia enūtiationis, principia simpliciū, ex quibus enuntiatio componitur, hoc est, prædicabilium, & prædicamētorum, eadem principia formaliter reputantur; vt Aristot. docuit vbi supra: & propter formalem principiorum identitatem, demonstrationes cuiuslibet partis Logicæ, eiusdem etiam rationis sunt, atque etiam omnes conclusiones, & obiectum quoque idem, propter formalem identitatem principiorum.

Ad secundum respondeo; quod dum intellectus acquisiuit habitum Logicæ per demonstrationem vnius partis, & postea se exercet circa alias partes per nouas demonstrationes; quasdam alias facilitates acquirit, non tamen alios habitus: quia facilitates istæ, eiusdem rationis sunt, propter vnitatem specificam principiorum, & conclusionum, per quas acquirūtur, & solùm distinguuntur materialiter, tanquam partes integrantes eiusdem habitus: qui licet sit qualitas spiritualis, & ideò

ideò non habeat partes integrantes quātitatiuas, atque corporeas; sicut habent corpora: habet tamen spirituales, iuxta propriam naturam, quæ dicuntur partes extensionis: sicut certum est habere partes intensionis, vt suo loco explicabitur. nec propter tales partes desinit esse qualitas simplex; quemadmodum desineret esse, si essent distincti habitus, vt asserit opposita sententia: quia esse simplicem qualitatem, hoc tantum significat; quod non sit composita ex multis qualitatibus aut habitibus formaliter, aut specie diuersis: nam talis compositio tolleret vnitatem specificam eius, quam certum est non tollere partes integrantes; solū materialiter diuersas: sicut non tollit quin albedo Petri sit simplex qualitas, quòd habeat partes integrantes in capite, & pede. Hanc autem cōpositionem partium integrantium, ac materialiū, tribuit sciētiæ D. Tho. 12. quæst. 12. art. 2. etiam si expresse doceat esse simplicem habitum, & qualitatem, vt vidimus: quare non credit repugnare simplicitati eius.

QVAESTIO V.

V. *Dialectica sit scientia practica, vel speculatiua.*

PRæsupponit titulus quæstionis quasdam esse scientias practicas, & alias speculatiuas; quod docet expresse Arist. 2. lib. Meta. & est communis sententia totius scholæ; probaturque hoc argumento. Practicum est, quod sua natura ordinatur ad opus: sed quædam sunt scientiæ de operabilibus à nobis, & quæ ad finem operandi, earum cognitionem ordinant; vt Philosophia moralis agens de virtutibus, & medicina de corpore humano sanabili; aliæ verò quæ circa res verè speculatiuas versantur: ergo necesse est admittere practicas, & speculatiuas scientias. Quo supposito, quærimus, ***an dialectica pertineat ad practicas, vel ad speculatiuas***: sed vt quæstio melius intelligatur, adnotandum est, quid sit praxis, & quid practicum. Praxis idem est quod operatio, & practicum idem, quod operatiuum, vel principium operationis, vel directiuū eiusdem operationis: sed principium operationis duplex est, proximū, & remotum: proximum est illud, à quo operatio procedit, vel dirigitur; remotū verò, quod considerat operationem in communi, tradens præcepta eam faciendi, aut dirigendi: ex quibus sequitur, vt eam in singulari faciat, aut dirigat. Exemplum primi habemus in artibus. Nā ars fabrilis proximum principium est operationis: exemplum secundi in scientijs practicis, nam cum scientia non sit de singularibus, sed de vniuersalibus; & operatio non fiat nisi in singulari: non possunt scientiæ esse proximum principium operationis, sed remotum tātùm; ex eo quod præcepta in communi tradunt, docentes quonam modo efficienda sit, aut dirigenda in singulari. Vnde sequitur practicum, prius ac principalius dici de artibus, quā de scientiis: sed ad veram rationem sciētiæ practicæ satis est, esse principium remotū operationis modo explicato, quia impossibile est esse principium proximū operationis, cùm non in singulari, sed in communi eam consideret. Vtraque acceptio practici continetur in doctrina Aristot. prima quidem, & propria 6. Ethic. c. 3. vsque ad 8. vbi solùm enumerat duos habitus practicos; nempè prudentiam, & artem, quia solùm isti sunt principia proxima factiua, aut directiua operationis. Secunda verò & minus propria 2. li. Met. cap. 1. tex. 3. lib. 6. cap. 1. tex. 1. 2. & 3. & lib. 11. c. 1. quibus locis practicum attribuit scientiis, diuidens eas in speculatiuas, & practicas; sed scientiis non potest conue-

nire primo ac propriissimo modo sumpto; sed solum secundo modo, & minus proprio, sufficienti tamen vt verè, & propriè dicantur scientiæ practicæ: ex quibus intelligitur, quod dum quærimus, an Logica sit sciētia speculatiua, vel practica; non de practico propriissimo loquimur, sed de minus proprio, quod potest conuenire scientiis.

B *Circa quæstionem igitur sic explicatā quatuor sunt opiniones.* Prima tenet, *Logicam esse scientiam speculatiuam, & nō practicam,* quam sequūtur Scotus quæst.4. prol. Duran.quæst.6. Sotus, & Tolet. quæ. 4 procemiali. Soncinas 6. Meta. quæst. 2. Capreolus quæst.2. prol. art.1. Niphus 1. Meta. quæst.1. Canariensis in scriptis primæ partis, quæst.1. art.4. & eiusdem sententiæ videtur esse D.Tho. opusculo 70. fol. 128. pag.1. & 12. quęst.57. ar.3. ad 3. probaturque duob⁹ argū. Primo, quia ex fine colligitur, an scientia sit practica, vel speculatiua, vt docet Arist.2. Meta. tex.3. sed finis Logicæ non est componere syllogismum, aut quodlibet aliud instrumentum, sed naturam eius & proprietates quærere, atque speculari: ergo non est scientia practica, sed speculatiua. Probatur antecedens, quia non dicetur aliquis acquisisse Logicam, ex eo quod syllogismos efficiat, sed quia naturā eius cognoscit per demonstrationem: ergo Logica non est operatiua syllogismi, sed naturā eius speculatur: quare nec erit practica, sed speculatiua.

Secundò probatur, ex modo procedēdi, nam scientia practica procedit modo cōpositorio: quia compositio, operatio quędam est: speculatiua verò modo resolutorio, resoluendo, aut reducendo proprias conclusiones vsque ad prima principia: sed Logica non procedit modo compositorio; sed resolutorio, inquirendo naturam, & proprietates syllogismorum, & aliorum instrumentorum: ergo erit speculatiua. Probatur minor; quia etiam si aliquis nullum componere syllogismum, Logicus verè diceretur; ex eo quod cognosceret naturā, & proprietates eius per demonstrationem: ergo Logica non procedit modo cōpositorio, sed resolutorio.

Secunda opinio, affirmat Logicam esse scientiam practicam: quam tenent Gabriel 11. quęst. prol. Ocham in 1. d.39. quęst. 6. Venetus in principio suæ Logicæ. Albertus Magnus 2. lib. de Anima, cap. 12. Iandunus 6. Meta. quæst.3. & 5. Fonseca 2. Meta. cap.3. quæst.2. sect. 4. & probatur 1. nam illa est scientia practica, quæ operatiua est, aut directiua operationum: sed Logica est directiua operationum intellectus; ergo est practica. Probatur minor 1. ex Aristot.1. Rheto. cap.1. vbi docet Dialecticam inuentam esse ad dirigendas operationes, quæ benè, & malè fieri poterant. deinde ratione, quia operationes intellectus secundum propriam naturam consideratæ, non pertinent ad Logicam, sed ad Philosophiam naturalē: solum ergo cōsiderantur in Logica, quatenus diriguntur, & ordinantur, vt sine errore fiant, & constituatur ex eis syllogismus, aut aliud instrumentum: ergo Logica est directiua earū, quod est esse practicam. Exemplum huius veritatis habemus in arte fabrili perfectè practica; quæ circa ligna versatur: non secundum eorū naturam: nam hoc modo considerata, ad Philosophiam potius pertinent; sed disponendo, ac pręparando, vt fiat ex eis cathedra: ergo logica, quæ versatur circa opera intellectus sic ordinando, vt ex eis possit fieri syllogismus, practica scientia erit.

Secundo. Scientiæ speculatiuæ quærūtur propter se ipsas, vt per eas cognitionem suorum obiectorum consequamur, practicæ verò non propter se, sed propter

ter operationes dirigendas: sed Logicã, non propter se ipsam quærimus, sed propter alias scientias, ad quas consequẽdas ordinatur, tanquam instrumentum earũ; ergo non est speculatiua, sed practica.

Tertia sententia, cum videret vtramque rationem, practicam videlicet, & speculatiuam habere dialecticam, & vtramque rationem non posse conuenire eidem habitui; duplicem habitum in ea distinguit: vnum speculatiuum, quo consideramus naturam syllogismorum, & aliorum instrumentorum; alterum practicum, quo eos componimus. & primum habitum vocat Dialecticam Theoricam, hoc est, cognoscitiuam obiecti: secundum dialecticam practicam, hoc est, directiuam; & vtitur exemplo medicinæ, in qua duplex etiã ponendus est habitus, vnus quo consideratur natura corporis sanabilis, & medicamentorum, & vocatur theorica medicina; alter quo applicantur medicamenta ad curandum corpus, & vocatur practica medicina.

Postrema sententia asserit; Dialecticam nec esse speculatiuam, nec practicam per se, sed instrumentũ potiùs ordinatum ad consequendas speculatiuas scientias, & practicas: & propter vtramq; rationẽ speculatiuam, & practicam, modo quodã accidentali ei conuenire. Ita tenet Petrus Niger quæst. 14. sui clyp. & Græci omnes, asserentes Dialecticam non esse Philosophiæ vniuersaliter acceptæ partẽ, sed instrumentum. Probatur hæc sentẽtia, quorum testimonio Arist. 1. lib. Topicorũ ca. vbi problemata, quæ sunt propositiones in vtramq; partem probabiles, in contemplatiua, actiua, & instrumentaria diuidit, & hæc postrema vocat problema Dialectica; ergo sentit Dialecticã non esse speculatiuam, nec practicam, sed instrumentariam. Deinde ratione; quia Logica dirigit opera intellectus, sed intellectus non est speculatiuus nec practicus; sed vniuersalior quædam potentia, cui vtraque ratio conuenit accidentaliter: idem ergo dicendum erit de Dialectica.

Pro solutione quæstionis, notandum est 1. Logicam duo præstare. *Primum* namque præcepta tradit conficiendi syllogismos & cætera instrumenta, explicans partes, ex quibus componi debent. Probatur hoc ex definitione syllogismi quæ asserit, esse orationem, in qua quibusdã positis, aliud necessariò sequitur, per ea, quæ posita sunt, id est, virtute præmissarum: præmissæ igitur, quæ sunt maior, & minor, dispositæ in modo, & figura, sunt partes quasi materiales syllogismi: dispositio verò in modo, & figura, quasi forma eius est. Aristot. etiã in libris de posteriori resolutione, præcipuè cap. 2. 1. lib. definit demõstrationem, dicens, esse syllogismum cõstantem ex primis, hoc est principiis, & veris quidem: nam ex falso non sequitur vera conclusio, & ex causis conclusionis: quia præmissæ causæ conclusionis sunt. Hæc igitur sunt præcepta efficiendi syllogismum, ac demõstrationem. *Secundũ*, quod præstat, est, probare eadem præcepta per demonstrationem, resoluendo cõclusiones, vsque ad prima principia, quod fecit Aristoteles ibidem, docens non posse aliquam habere scientiam conclusionis, nisi sciat præmissas demonstrare, easque, reducere vsque ad prima principia per se nota, atque indemonstrabilia. 14

Secundò est notandum, idem esse præcepta tradere componendi syllogismum & demonstrationem; quod docere modum, quo componi debeat, vt possit esse instrumentum acquirendi scientiam: & hoc est etiam procedere modo compositorio quemadmodum ars domificatoria, ideo procedere dicitur modo compositorio; quia docet ex lapidibus, & lignis, hoc,

vel

nire primo ac propriissimo modo sumpto;sed solum secundo modo, & minus proprio,sufficienti tamen vt verè,& propriè dicantur scientiæ practicæ: ex quibus intelligitur,quod dum quærimus, an Logica sit sciētia speculatiua, vel practica;non de practico propriissimo loquimur, sed de minus proprio, quod potest conuenire scientiis.

13 ***Circa quæstionem igitur sic explicatā quatuor sunt opiniones.*** Prima tenet, ***Logicam esse scientiam speculatiuam, & nō practicam,*** quam sequūtur Scotus quæst.4. prol. Duran.quæst.6.Sotus,& Tolet. quæ. 4 proœmiali.Soncinas 6.Meta.quæst. 2. Capreolus quæst.2. prol. art.1. Niphus 1 . Meta. quæst.1. Canariensis in scriptis primæ partis, quæst.1.art.4. & eiusdem sententiæ videtur esse D.Tho. opusculo 70. fol. 128.pag.1.& 12.quęst.57.ar.3.ad 3.probaturque duob⁹ argū.Primo, quia ex fine colligitur,an scientia sit practica,vel speculatiua,vt docet Arist.2.Meta. tex.3. sed finis Logicæ non est componere syllogismum , aut quodlibet aliud instrumentum, sed naturam eius & proprietates quærere , atque speculari:ergo non est scientia practica,sed speculatiua. Probatur antecedens, quia non dicetur aliquis acquisisse Logicam, ex eo quod syllogismos efficiat,sed quia naturā eius cognoscit per demonstrationem : ergo Logica non est operatiua syllogismi, sed naturā eius speculatur: quare nec erit practica, sed speculatiua.

Secundò probatur, ex modo procedēdi, nam scientia practica procedit modo cōpositorio:quia compositio,operatio quędam est:speculatiua verò modo resolutorio,resoluendo, aut reducendo proprias conclusiones vsque ad prima principia: sed Logica non procedit modo compositorio;sed resolutorio, inquirendo naturam,& proprietates syllogismorum, & aliorum instrumentorum: ergo erit speculatiua.Probatur minor;quia etiam si aliquis nullum componere syllogismum, Logicus verè diceretur ; ex eo quod cognosceret naturā,& proprietates eius per demonstrationem: ergo Logica non procedit modo cōpositorio, sed resolutorio.

Secunda opinio, affirmat Logicam esse scientiam practicam : quam tenent Gabriel 11.quęst.prol.Ocham in 1.d.39.quęst. 6.Venetus in principio suæ Logicæ. Albertus Magnus 2.lib.de Anima , cap. 12. Iandunus 6.Meta.quæst.3. & 5. Fonseca 2. Meta.cap.3.quæst.2.sect. 4. & probatur 1. nam illa est scientia practica,quæ operatiua est,aut directiua operationum : sed Logica est directiua operationum intellectus;ergo est practica. Probatur minor 1.ex Aristot.1.Rheto.cap.1. vbi docet Dialecticam inuentam esse ad dirigendas operationes,quæ benè , & malè fieri poterant . deinde ratione , quia operationes intellectus secundum propriam naturam consideratæ , non pertinent ad Logicam,sed ad Philosophiam naturalē: solum ergo cōsiderantur in Logica, quatenus diriguntur,& ordinantur , vt sine errore fiant, & constituatur ex eis syllogismus,aut aliud instrumentum:ergo Logica est directiua earū, quod est esse practicam.Exemplum huius veritatis habemus in arte fabrili perfectè practica;quæ circa ligna versatur:non secundum eorū naturam:nam hoc modò considerata , ad Philosophiam potius pertinent; sed disponendo,ac pręparando,vt fiat ex eis cathedra:ergo logica,quæ versatur circa opera intellectus sic ordinando, vt ex eis possit fieri syllogismus, practica scientia erit.

Secundo. Scientiæ speculatiuæ quærū tur propter se ipsas , vt per eas cognitionem suorum obiectorum consequamur, practicæ verò non propter se , sed propter

ter operationes dirigendas: sed Logicã, non propter se ipsam quærimus, sed propter alias scientias, ad quas consequẽdas ordinatur, tanquam instrumentum earũ; ergo non est speculatiua, sed practica.

Tertia sententia, cum videret vtramque rationem, practicam videlicet, & speculatiuam habere dialecticam, & vtramque rationem non posse conuenire eidem habitui; duplicem habitum in ea distinguit: vnum speculatiuum, quo consideramus naturam syllogismorum, & aliorum instrumentorum; alterum practicum, quo eos componimus. & primum habitum vocat Dialecticam Theoricam, hoc est, cognoscitiuam obiecti: secundum dialecticam practicam, hoc est, directiuam; & vtitur exemplo medicinæ, in qua duplex etiã ponendus est habitus, vnus quo consideratur natura corporis sanabilis, & medicamentorum, & vocatur theorica medicina; alter quo applicantur medicamenta ad curandum corpus, & vocatur practica medicina.

Postrema sententia asserit; Dialecticam nec esse speculatiuam, nec practicam per se, sed instrumentũ potiùs ordinatum ad consequendas speculatiuas scientias, & practicas: & propter vtramq; rationẽ speculatiuam, & practicam, modo quodã accidentaliter conuenire. Ita tenet Petrus Niger quæst. 4. sui clyp. & Græci omnes, asserentes Dialecticam non esse Philosophiæ vniuersaliter acceptæ partẽ, sed instrumentum. Probatur hæc sentẽtia, quorum testimonio Arist. 1. lib. Topicorũ ca. vbi problemata, quæ sunt propositiones in vtramq; partem probabiles, in contemplatiua, actiua, & instrumentaria diuidit, & hæc postrema vocat problema Dialectica; ergo sentit Dialecticã non esse speculatiuam, nec practicam, sed instrumentariam. Deinde ratione; quia Logica dirigit opera intellectus, sed intellectus non est speculatiuus nec practicus; sed vniuersalior quædam potentia, cui vtraque ratio conuenit accidentaliter: idem ergo dicendum erit de Dialectica.

Pro solutione quæstionis, notandum est 1. Logicam duo præstare. *Primum* namque præcepta tradit conficiendi syllogismos & cætera instrumenta, explicans partes, ex quibus componi debent. Probatur hoc ex definitione syllogismi quæ asserit, esse orationem, in qua quibusdã positis, aliud necessariò sequitur, per ea, quæ posita sunt, id est, virtute præmissarum: præmissæ igitur, quæ sunt maior, & minor, dispositæ in modo, & figura, sunt partes quasi materiales syllogismi: dispositio verò in modo, & figura, quasi forma eius est. Aristot. etiã in libris de posteriori resolutione, præcipuè cap. 2. 1. lib. definit demõstrationem, dicens, esse syllogismum cõstantem ex primis, hoc est principiis, & veris quidem: nam ex falso non sequitur vera conclusio, & ex causis conclusionis: quia præmissæ causæ conclusionis sunt. Hæc igitur sunt præcepta efficiendi syllogismum, ac demõstrationem. *Secundũ*, quod præstat, est, probare eadem præcepta per demonstrationem, resoluendo cõclusiones, vsque ad prima principia, quod fecit Aristoteles ibidem, docens non posse aliquam habere scientiam conclusionis, nisi sciat præmissas demonstrare, easque, reducere vsque ad prima principia per se nota, atque indemonstrabilia.

Secundò est notandum, idem esse præcepta tradere componendi syllogismum & demonstrationem; quod docere modum, quo componi debeat, vt possit esse instrumentum acquirendi scientiam: & hoc est etiam procedere modo compositorio quemadmodum ars domificatoria, ideo procedere dicitur modo compositorio; quia docet ex lapidibus, & lignis, hoc,

vel

nire primo ac propriissimo modo sumpto;sed solum secundo modo, & minus proprio,sufficienti tamen vt verè,& propriè dicantur scientiæ practicæ: ex quibus intelligitur,quod dum quærimus, an Logica sit sciētia speculatiua, vel practica;non de practico propriissimo loquimur, sed de minus proprio, quod potest conuenire scientiis.

3 *Circa quaestionem igitur sic explicatā quatuor sunt opiniones*.Prima tenet, *Logicam esse scientiam speculatiuam, & nō practicam*, quam sequūtur Scotus quæst.4. prol. Duran.quæst.6.Sotus,& Tolet. quæ. 4 proœmiali.Soncinas 6.Meta.quæst. 2. Capreolus quæst.2. prol. art.1. Niphus 1. Meta. quæst.1. Canariensis in scriptis primæ partis, quæst.1.art.4. & eiusdem sententiæ videtur esse D.Tho. opusculo 70. fol. 128.pag.1.& 12.quęst.57.ar.3.ad 3.probaturque duob° argū.Primo,quia ex fine colligitur,an scientia sit practica,vel speculatiua,vt docet Arist.2.Meta. tex.3. sed finis Logicæ non est componere syllogismum, aut quodlibet aliud instrumentum, sed naturam eius & proprietates quærere, atque speculari:ergo non est scientia practica,sed speculatiua. Probatur antecedens, quia non dicetur aliquis acquisisse Logicam, ex eo quod syllogismos efficiat,sed quia naturā eius cognoscit per demonstrationem : ergo Logica non est operatiua syllogismi, sed naturā eius speculatur: quare nec erit practica, sed speculatiua.

Secundò probatur, ex modo procedēdi, nam scientia practica procedit modo cōpositorio:quia compositio,operatio quędam est:speculatiua verò modo resolutorio,resoluendo, aut reducendo proprias conclusiones vsque ad prima principia: sed Logica non procedit modo compositorio;sed resolutorio, inquirendo naturam,& proprietates syllogismorum, & aliorum instrumentorum: ergo erit speculatiua.Probatur minor;quia etiam si aliquis nullum componere syllogismum, Logicus verè diceretur, ex eo quod cognosceret naturā,& proprietates eius per demonstrationem: ergo Logica non procedit modo cōpositorio, sed resolutorio.

Secunda opinio, affirmat Logicam esse scientiam practicam: quam tenent Gabriel 11.quęst.prol.Ocham in 1.d.39.quęst. 6.Venetus in principio suæ Logicæ. Albertus Magnus 2.lib.de Anima, cap. 12. Iandunus 6.Meta.quæst.3. & 5. Fonseca 2. Meta.cap.3.quæst.2.sect. 4. & probatur 1. nam illa est scientia practica, quæ operatiua est,aut directiua operationum : sed Logica est directiua operationum intellectus;ergo est practica. Probatur minor 1.ex Aristot.1.Rheto.cap.1. vbi docet Dialecticam inuentam esse ad dirigendas operationes,quæ benè, & malè fieri poterant. deinde ratione, quia operationes intellectus secundum propriam naturam consideratæ, non pertinent ad Logicam,sed ad Philosophiam naturalē: solum ergo cōsiderantur in Logica, quatenus diriguntur,& ordinantur, vt sine errore fiant, & constituatur ex eis syllogismus,aut aliud instrumentum:ergo Logica est directiua earū, quod est esse practicam.Exemplum huius veritatis habemus in arte fabrili perfectè practica;quæ circa ligna versatur:non secundum eorū naturam:nam hoc modo considerata, ad Philosophiam potius pertinent; sed disponendo,ac pręparando,vt fiat ex eis cathedra:ergo logica,quæ versatur circa opera intellectus sic ordinando, vt ex eis possit fieri syllogismus, practica scientia erit.

Secundo. Scientiæ speculatiuæ quærūtur propter se ipsas, vt per eas cognitionem suorum obiectorum consequamur, practicæ verò non propter se, sed propter

ter operationes dirigendas: sed Logicā, non propter se ipsam quærimus, sed propter alias scientias, ad quas consequēdas ordinatur, tanquam instrumentum earū; ergo non est speculatiua, sed practica.

Tertia sententia, cum videret vtramque rationem, practicam videlicet, & speculatiuam habere dialecticam, & vtramque rationem non posse conuenire eidem habitui; duplicem habitum in ea distinguit: vnum speculatiuum, quo consideramus naturam syllogismorum, & aliorum instrumentorum; alterum practicum, quo eos componimus. & primum habitum vocat Dialecticam Theoricam, hoc est, cognoscitiuam obiecti: secundum dialecticam practicam, hoc est, directiuam; & vtitur exemplo medicinæ, in qua duplex etiā ponendus est habitus, vnus quo consideratur natura corporis sanabilis, & medicamentorum, & vocatur theorica medicina; alter quo applicantur medicamenta ad curandum corpus, & vocatur practica medicina.

Postrema scientia asserit; Dialecticam nec esse speculatiuam, nec practicam per se, sed instrumentū potiùs ordinatum ad consequendas speculatiuas scientias, & practicas: & propter vtramq; rationē speculatiuam, & practicam, modo quodā accidentali ei conuenire. Ita tenet Petrus Niger quæst. 1. 4. sui clyp. & Græci omnes, afferentes Dialecticam non esse Philosophiæ vniuersaliter acceptæ partē, sed instrumentum. Probatur hæc sentētia, quoniam testimonio Arist. 1. lib. Topicorū ca. vbi problemata, quæ sunt propositiones in vtramq; partem probabiles, in contemplatiua, actiua, & instrumentaria diuidit, & hæc postrema vocat problemata Dialectica; ergo sentit Dialecticā non esse speculatiuam, nec practicam, sed instrumentariam. Deinde ratione; quia Logica dirigit opera intellectus, sed intellectus non est speculatiuus nec practicus; sed vniuersalior quædam potentia, cui vtraque ratio conuenit accidentaliter: idem ergo dicendum erit de Dialectica.

Pro solutione quæstionis, notandum est 1. Logicam duo præstare. *Primum* namque præcepta tradit conficiendi syllogismos & cætera instrumenta, explicans partes, ex quibus componi debent. Probatur hoc ex definitione syllogismi quæ asserit, esse orationem; in qua quibusdā positis, aliud necessariò sequitur, per ea, quæ posita sunt, id est, virtute præmissarum: præmissæ igitur, quæ sunt maior, & minor, dispositæ in modo, & figura, sunt partes quasi materiales syllogismi: dispositio verò in modo, & figura, quasi forma eius est. Aristot. etiā in libris de posteriori resolutione, præcipuè cap. 2. 1. lib. definit demōstrationem, dicens, esse syllogismum cōstantem ex primis, hoc est principiis, & veris quidem: nam ex falso non sequitur vera conclusio, & ex causis conclusionis: quia præmissæ causæ conclusionis sunt. Hæc igitur sunt præcepta efficiendi syllogismum, ac demōstrationem. *Secundū*, quod præstat, est, probare eadem præcepta per demonstrationem, resoluendo cōclusiones, vsque ad prima principia, quod fecit Aristoteles ibidem, docens non posse aliquam habere scientiam conclusionis, nisi sciat præmissas demonstrare, easque, reducere vsque ad prima principia per se nota, atque indemonstrabilia. 14

Secundò est notandum, idem esse præcepta tradere componendi syllogismum & demonstrationem; quod docere modum, quo componi debeat, vt possit esse instrumentum acquirendi scientiam: & hoc est etiam procedere modo compositorio quemadmodum ars domificatoria, ideo procedere dicitur modo compositorio; quia docet ex lapidibus, & lignis, hoc, vel

nire primo ac propriissimo modo sumpto; sed solum secundo modo, & minus proprio, sufficienti tamen vt verè, & propriè dicantur scientiæ practicæ: ex quibus intelligitur, quod dum quærimus, an Logica sit sciētia speculatiua, vel practica; non de practico propriissimo loquimur, sed de minus proprio, quod potest conuenire scientiis.

13 *Circa quæstionem igitur sic explicatā quatuor sunt opiniones.* Prima tenet, *Logicam esse scientiam speculatiuam, & nō practicam,* quam sequūtur Scotus quæst.4. prol. Duran.quæst.6.Sotus, & Tolet. quæ. 4 proœmiali. Soncinas 6.Meta.quæst.2. Capreolus quæst.2. prol. art.1. Niphus 1. Meta. quæst.1. Canariensis in scriptis primæ partis, quæst.1.art.4. & eiusdem sententiæ videtur esse D.Tho. opusculo 70. fol. 128.pag.1.& 12.quęst.57.ar.3.ad 3.probaturque duob9 argū. Primo, quia ex fine colligitur, an scientia sit practica, vel speculatiua, vt docet Arist.2.Meta. tex.3. sed finis Logicæ non est componere syllogismum, aut quodlibet aliud instrumentum, sed naturam eius & proprietates quærere, atque speculari: ergo non est scientia practica, sed speculatiua. Probatur antecedens, quia non dicetur aliquis acquisisse Logicam, ex eo quod syllogismos efficiat, sed quia naturā eius cognoscit per demonstrationem: ergo Logica non est operatiua syllogismi, sed naturā eius speculatur: quare nec erit practica, sed speculatiua.

Secundò probatur, ex modo procedēdi, nam scientia practica procedit modo cōpositorio: quia compositio, operatio quędam est: speculatiua verò modo resolutorio, resoluendo, aut reducendo proprias conclusiones vsque ad prima principia: sed Logica non procedit modo compositorio; sed resolutorio, inquirendo naturam, & proprietates syllogismorum, & aliorum instrumentorum: ergo erit speculatiua. Probatur minor; quia etiam si aliquis nullum componere syllogismum, Logicus verè diceretur; ex eo quod cognosceret naturā, & proprietates eius per demonstrationem: ergo Logica non procedit modo cōpositorio, sed resolutorio.

Secunda opinio, affirmat Logicam esse scientiam practicam: quam tenent Gabriel 11.quęst.prol. Ocham in 1.d.39.quęst. 6. Venetus in principio suæ Logicæ. Albertus Magnus 2.lib.de Anima, cap. 12. Iandunus 6.Meta.quæst.3. & 5. Fonseca 2. Meta.cap.3.quæst.2.sect. 4. & probatur 1. nam illa est scientia practica, quæ operatiua est, aut directiua operationum: sed Logica est directiua operationum intellectus; ergo est practica. Probatur minor 1.ex Aristot.1.Rheto.cap.1. vbi docet Dialecticam inuentam esse ad dirigendas operationes, quæ benè, & malè fieri poterant. deinde ratione, quia operationes intellectus secundum propriam naturam considerata, non pertinent ad Logicam, sed ad Philosophiam naturalē: solum ergo cōsiderantur in Logica, quatenus diriguntur, & ordinantur, vt sine errore fiant, & constituatur ex eis syllogismus, aut aliud instrumentum: ergo Logica est directiua earū, quod est esse practicam. Exemplum huius veritatis habemus in arte fabrili perfectè practica; quæ circa ligna versatur: non secundum eorū naturam: nam hoc modò considerata, ad Philosophiam potius pertinent; sed disponendo, ac pręparando, vt fiat ex eis cathedra: ergo logica, quæ versatur circa opera intellectus sic ordinando, vt ex eis possit fieri syllogismus, practica scientia erit.

Secundo. Scientiæ speculatiuæ quærūtur propter se ipsas, vt per eas cognitionem suorum obiectorum consequamur, practicæ verò non propter se, sed propter

pter operationes dirigendas: sed Logicã, non propter se ipsam quærimus, sed propter alias scientias, ad quas consequẽdas ordinatur, tanquam instrumentum earũ; ergo non est speculatiua, sed practica.

Tertia sententia, cum videret vtramque rationem, practicam videlicet, & speculatiuam habere dialecticam, & vtramque rationem non posse conuenire eidem habitui; duplicem habitum in ea distinguit: vnum speculatiuum, quo consideramus naturam syllogismorum, & aliorum instrumentorum; alterum practicum, quo eos componimus. & primum habitum vocat Dialecticam Theoricam, hoc est, cognoscitiuam obiecti: secundum dialecticam practicam, hoc est, directiuam; & vtitur exemplo medicinæ, in qua duplex etiã ponendus est habitus, vnus quo consideratur natura corporis sanabilis, & medicamentorum, & vocatur theorica medicina; alter quo applicantur medicamenta ad curandum corpus, & vocatur practica medicina.

Postrema scientia asserit; Dialecticam nec esse speculatiuam, nec practicam per se, sed instrumentũ potiùs ordinatum ad consequendas speculatiuas scientias, & practicas: & propter vtramq; rationẽ speculatiuam, & practicam, modo quodã accidentali ei conuenire. Ita tenet Petrus Niger quæst. 1. 4. sui clyp. & Græci omnes, asserentes Dialecticam non esse Philosophiæ vniuersaliter acceptæ partẽ, sed instrumentum. Probatur hæc sentẽtia, quodam testimonio Arist. 1. lib. Topicorũ ca. 9. vbi problemata, quæ sunt propositiones in vtramq; partem probabiles, in cõtemplatiua, actiua, & instrumentaria diuidit, & hæc postrema vocat problemata Dialectica; ergo sentit Dialecticã non esse speculatiuam, nec practicam, sed instrumentariam. Deinde ratione; quia Logica dirigit opera intellectus, sed intellectus non est speculatiuus nec practicus; sed vniuersalior quædam potentia, cui vtraque ratio conuenit accidentaliter: idem ergo dicendum erit de Dialectica.

Pro solutione quæstionis, notandum est 1. Logicam duo præstare. *Primum* namque 24
præcepta tradit conficiendi syllogismos & cætera instrumenta, explicans partes, ex quibus componi debent. Probatur hoc ex definitione syllogismi quæ asserit, esse orationem, in qua quibusdã positis, aliud necessariò sequitur, per ea, quæ posita sunt, id est, virtute præmissarum: præmissæ igitur, quæ sunt maior, & minor, dispositæ in modo, & figura, sunt partes quasi materiales syllogismi: dispositio verò in modo, & figura, quasi forma eius est. Aristot. etiã in libris de posteriori resolutione, præcipuè cap. 2. 1. lib. definit demõstrationem, dicens, esse syllogismum cõstantem ex primis, hoc est principiis, & veris quidem: nam ex falso non sequitur vera conclusio, & ex causis conclusionis: quia præmissæ causæ conclusionis sunt. Hæc igitur sunt præcepta efficiendi syllogismum, ac demõstrationem. *Secundũ*, quod præstat, est, probare eadem præcepta per demonstrationem, resoluendo cõclusiones, vsque ad prima principia, quod fecit Aristoteles ibidem, docens non posse aliquam habere scientiam conclusionis, nisi sciat præmissas demonstrare, easque, reducere vsque ad prima principia per se nota, atque indemonstrabilia.

Secundò est notandum, idem esse præcepta tradere componendi syllogismum & demonstrationem; quod docere modum, quo componi debeat, vt possit esse instrumentum acquirendi scientiam: & hoc est etiam procedere modo compositorio quemadmodum ars domificatoria, ideo procedere dicitur modo compositorio; quia docet ex lapidibus, & lignis, hoc, vel

ad materiam & formam, fiunt, & intrinsecam dependentiam inter se habent; in quantum principia librorum de cœlo, & mundo præsupponuntur necessariò ad principia librorum de Generatione, & corruptione; & hæc ad libros de anima: propterea eandem scientiam secundum speciem constituunt omnes istę partes. Et ita etiam se habēt principia Logicæ: quia principia particularia omnium partium, præsupponunt communia principia entis rationis, aut modi sciendi, ex quibus fieri dicuntur: & eadem principia partiū Logicæ se præsupponunt: & posteriora habent necessariam connexionem, & dependentiam ex prioribus, vt principium enuntiationis; quod est definitio eius; præsupponit necessariò principia, prædicabilium, & prædicamentorum, quę sunt definitiones eorum: ac tandem principia syllogisticæ artis, præsupponunt, atque dependent ex principiis enuntiationis: & hoc est ex alterutris fieri, hoc est posteriora ex prioribus, propter necessariā dependentiam, quam ab eis habent: & principia, quæ ità se habent, dicuntur eadem formaliter propter intrinsecam cōnexionem, ac dependentiam: & solum materialiter diuersa; quia diuersam continent materiam, simplicem quidem, aut compositam, & compositam quoque diuersam. Vnde sequitur rationem, Sub qua in obiecto Dialecticæ, ex eisdem principiis desumptam, eandem esse, & ideò vnitatem specificam scientiæ tribuere.

11 *Ad primum argumentum primæ opinionis respondetur*; partes Logicæ materialiter quidem, aut in esse rei diuersas esse; sed formaliter, aut in esse scibili, habere vnitatem specificam. Sicut colores specie differūt, vt albedo, & nigredo in esse rei cum sint res, aut qualitates diuersæ speciei: at verò sub ratione formali visibilis eiusdem sunt speciei? quod efficaciter probatur; quia eundem habent modum mouendi visum: vnde visio albi, & nigri, non sunt diuersæ speciei, sed eiusdem: eadem ergò ratione partes Logicæ, vt prędicabilia, prædicamenta, enuntiatio, ac syllogismus: vt sunt res quædam, diuersaque instrumenta, specie distinguuntur: at sub ratione scibilis, nempè, vt sub eisdem principijs, & per easdem demōstrationes probantur conclusiones earum, eiusdem rationis sunt, quia eundem modū habet logica eas cognoscendi, hoc est, per eadem principia. Et quod in argumento additur; principia esse diuersa, eodem modo soluendum est. Esse quidem diuersas veritates; sed propter intrinsecam connexionem; ac dependentiam, quam habent ex principijs communibus entis rationis, & inter sese; in quantum posteriora præsupponunt necessariò priora, vt principia syllogismi, & principia enūtiationis, principia simpliciū, ex quibus enuntiatio componitur, hoc est, prædicabilium, & prædicamētorum, eadem principia formaliter reputantur; vt Aristot. docuit vbi supra: & propter formalem principiorum identitatem, demonstrationes cuiuslibet partis Logicæ, eiusdem etiam rationis sunt, atque etiam omnes conclusiones, & obiectum quoque idem, propter formalem identitatem principiorum.

Ad secundum respondeo; quod dum intellectus acquisiuit habitum Logicæ per demonstrationem vnius partis, & postea se exercet circa alias partes per nouas demonstrationes; quasdam alias facilitates acquirit, non tamen alios habitus: quia facilitates istæ, eiusdem rationis sunt, propter vnitatem specificam principiorum, & conclusionum, per quas acquirūtur, & solùm distinguuntur materialiter, tanquam partes integrantes eiusdem habitus: qui licet sit qualitas spiritualis, & ideò

ideò non habeat partes integrantes quãtitatiuas, atque corporeas; sicut habent corpora: habet tamen spirituales, iuxta propriam naturam, quæ dicuntur partes extensionis: sicut certum est habere partes intensionis, vt suo loco explicabitur. nec propter tales partes desinit esse qualitas simplex; quemadmodum desineret esse, si essent distincti habitus, vt asserit opposita sententia: quia esse simplicem qualitatem, hoc tantum significat; quod non sit composita ex multis qualitatibus aut habitibus formaliter, aut specie diuersis: nam talis compositio tolleret vnitatem specificam eius, quam certum est non tollere partes integrantes; solũ materialiter diuersas: sicut non tollit quin albedo Petri sit simplex qualitas, quòd habeat partes integrantes in capite, & pede. Hanc autem cõpositionem partium integrantium, ac materialiũ, tribuit sciẽtiæ D. Tho. 12. quæst. 12. art. 2. etiam si expresse doceat esse simplicem habitum, & qualitatem, vt vidimus: quare non credit repugnare simplicitati eius.

QVAESTIO V.

V. Dialectica sit scientia practica, vel speculatiua.

1 PRæsupponit titulus quæstionis quasdam esse scientias practicas, & alias speculatiuas: quod docet expresse Arist. 2. lib. Meta. & est communis sententia totius scholæ; probaturque hoc argumento. Practicum est, quod sua natura ordinatur ad opus: sed quædam sunt scientiæ de operabilibus à nobis, & quæ ad finem operandi, earum cognitionem ordinant; vt Philosophia moralis agens de virtutibus, & medicina de corpore humano sanabili; aliæ verò quæ circa res purè speculatiuas versantur: ergo necesse est admittere practicas, & speculatiuas scientias. Quo supposito, quærimus, *an dialectica pertineat ad practicas, vel ad speculatiuas?* sed vt quæstio melius intelligatur, adnotandum est, quid sit praxis, & quid practicum. Praxis idem est quod operatio, & practicum idem, quod operatiuum, vel principium operationis, vel directiuũ eiusdem operationis: sed principium operationis duplex est, proximũ, & remotum: proximum est illud, à quo operatio procedit, vel dirigitur; remotũ verò, quod considerat operationem in communi, tradens præcepta eam faciendi, aut dirigendi: ex quibus sequitur, vt eam in singulari faciat, aut dirigat. Exemplum primi habemus in artibus. Nã ars fabrilis proximum principium est operationis: exemplum secundi in scientijs practicis, nam cum scientia non sit de singularibus, sed de vniuersalibus; & operatio non fiat nisi in singulari: non possunt scientiæ esse proximum principium operationis, sed remotum tãtùm; ex eo quod præcepta in communi tradunt, docentes quonam modo efficienda sit, aut dirigenda in singulari. Vnde sequitur practicum, prius ac principalius dici de artibus, quã de scientiis: sed ad veram rationem sciẽtiæ practicæ satis est, esse principium remotũ operationis modo explicato, quia impossibile est esse principium proximũ operationis, cùm non in singulari, sed in communi eam consideret. Vtraque acceptio practici continetur in doctrina Aristot. prima quidem, & propria 6. Ethic. c. 3. vsque ad 8. vbi solùm enumerat duos habitus practicos; nempè prudentiam, & artem, quia solùm isti sunt principia proxima factiua, aut directiua operationis. Secunda verò & minus propria 2. li. Met. cap. 1. tex. 3. lib. 6. cap. 1. tex. 1. 2. & 3. & lib. 11. c. 1. quibus locis practicum attribuit scientiis, diuidens eas in speculatiuas, & practicas; sed scientiis non potest conuenire

ter operationes dirigendas: sed Logicã, on propter se ipsam quærimus, sed propter alias scientias, ad quas consequẽdas rdinatur, tanquam instrumentum earũ; go non est speculatiua, sed practica.

Tertia sententia, cum videret vtramque tionem, practicam videlicet, & specutiuam habere dialecticam, & vtramque tionem non posse conuenire eidem hatui; duplicem habitum in ea distinguit: ium speculatiuum, quo consideramus turam syllogismorum, & aliorum inumentorum; alterum practicum, quo s componimus. & primum habitum ocat Dialecticam Theoricam, hoc est, gnoscitiuam obiecti: secundum dialeicam practicam, hoc est, directiuam; & tur exemplo medicinæ, in qua duplex iã ponendus est habitus, vnus quo conleratur natura corporis sanabilis, & edicamentorum, & vocatur theorica edicina; alter quo applicantur medicaenta ad curandum corpus, & vocatur actica medicina.

Postrema scientia asserit; Dialecticam c esse speculatiuam, nec practicam per sed instrumentũ potius ordinatum ad nsequendas speculatiuas scientias, & acticas: & propter vtramq; rationẽ spelatiuam, & practicam, modo quodã aclentali ei conuenire. Ita tenet Petrus ger quæst. 1. 4. sui clyp. & Græci omnes, erentes Dialecticam non esse Philosoiæ vniuersaliter acceptæ partẽ, sed inimentum. Probatur hæc sentẽtia, quon testimonio Arist. 1. lib. Topicorũ ca. bi problemata, quæ sunt propositioin vtramq; partem probabiles, in cõplatiua, actiua, & instrumentaria dit, & hæc postrema vocat problemaDialectica; ergo sentit Dialecticã non speculatiuam, nec practicam, sed inmentariam. Deinde ratione; quia Lo dirigit opera intellectus, sed intellectus non est speculatiuus nec practicus; sed vniuersalior quædam potentia, cui vtraque ratio conuenit accidentaliter: idem ergo dicendum erit de Dialectica.

Pro solutione quæstionis, notandum est 1. Logicam duo præstare. *Primum* namque præcepta tradit conficiendi syllogismos & cætera instrumenta, explicans partes, ex quibus componi debent. Probatur hoc ex definitione syllogismi quæ asserit, esse orationem, in qua quibusdã positis, aliud necessariò sequitur, per ea, quæ posita sunt, id est, virtute præmissarum: præmissæ igitur, quæ sunt maior, & minor, dispositæ in modo, & figura, sunt partes quasi materiales syllogismi: dispositio verò in modo, & figura, quasi forma eius est. Aristot. etiã in libris de posteriori resolutione, præcipuè cap. 2. 1. lib. definit demõstrationem, dicens, esse syllogismum cõstantem ex primis, hoc est principiis, & veris quidem: nam ex falso non sequitur vera conclusio, & ex causis conclusionis: quia præmissæ causæ conclusionis sunt. Hæc igitur sunt præcepta efficiendi syllogismum, ac demõstrationem. *Secundũ*, quod præstat, est, probare eadem præcepta per demonstrationem, resoluendo cõclusiones, vsque ad prima principia, quod fecit Aristoteles ibidem, docens non posse aliquam habere scientiam conclusionis, nisi sciat præmissas demonstrare, easque, reducere vsque ad prima principia per se nota, atque indemonstrabilia. 14

Secundò est notandum, idem esse præcepta tradere componendi syllogismum & demonstrationem; quod docere modum, quo componi debeat, vt possit esse instrumentum acquirendi scientiam: & hoc est etiam procedere modo compositorio quemadmodum ars domificatoria, ideo procedere dicitur modo compositorio; quia docet ex lapidibus, & lignis, hoc,

vel

vel illo modo dispositis, domum esse cōponendam. Idem est etiam docere per demonstrationem componere syllogismum, resoluendo, aut reducendo conclusiones vsque ad prima principia; quod est procedere modo resolutorio: vnde sequitur euidens esse, quod vtrumque modum procedendi habeat Logica; & intrinsecum quidem: quia non posset perfectam cognitionem modi sciendi tradere, nisi vtroque modo procederet.

Tertiò notandum est; non solum habere Logicam vtrumque modum procedendi sed etiam vtrumque finem; nempe operandi, & speculandi, & componendi syllogismum. quod sic probo; modus cōpositorius sua natura ordinatur ad benè cōponendum syllogismum, & benè componere syllogismum est ordinare, aut dirigere operationes intellectus, ex quibus componitur: ergo Logica habet pro fine dirigere operationes, qui est finis practicus. De fine vero speculationis patet; nam modus procedendi resolutorius ordinatur ex se ad speculandam naturam obiecti; de quo probantur passiones per demonstrationes, quarum conclusiones reducuntur ad prima principia: ergo ex modo resolutorio colligitur euidenter, finis speculandi naturam obiecti.

Postremò notandum, hos modos proce-
25 dendi; resolutorium, & compositorium; atque etiam hos fines dirigendi operationes intellectus, & speculandi naturam modi sciendi, quasi partiales, & inadæquatos esse respectu Logicæ, & contineri sub adæquato, & totali fine eiusdem scientiæ, qui est perfectè cognoscere naturam modi sciendi. Probatur hoc argumēto: nam ad perfectam cognitionem modi sciendi, non sufficit scire modum componendi syllogismum, & alia instrumenta; sed requiritur, quod per demonstrationem cognoscatur: demonstratio verò, vt perfecta sit, petit resolutionem præmissarum vsq; ad prima principia; quod est naturam eiusdem modi speculari: ergo perfecta cognitio modi sciendi, qui est obiectum Logicæ, & finis eius adęquatus, atque totalis, vtrumque finem, quasi partialem cōtinet, & respectu vtriusque superior est. Sed sub eo mutuò sibi correspondent partiales, & inadæquati fines, atque modi procedendi, & vnus ordinatur ad alterum, atque è cōuerso: quia Logica docet componere syllogismum, vt per eum tanquam per instrumētum speculetur naturam eius; & naturam eius speculatur, vt perfectè sciat eum componere: quia perfecta compositio petit perfectam cognitionem totius compositi, & partium eius; & sic modus correspondet modo, & finis correspondet fini. & ex vtroque resultat perfecta cognitio modi sciendi, qui est finis adęquatus Logicæ, altior vtroque, & vtrumque continens eminenter.

His suppositis nostra sententia est Logicam simul esse practicam, & speculatiuam scientiam; quam præter alios sequuntur, pater Suarius tom. 2. suę Metz. disp. 44. circa finē, & pater Gabriel Vasquez in 1. part. D. Tho. disp. 9. cap. 2. num. 1. quam efficaciter probat hoc arg. ex doctrina tradita sic colligendo. Scientia practica est illa quæ non solum est de re operabili, aut dirigibili; sed procedit modo operabili, & in finem operandi, aut dirigendi operationes ordinatur: sed Logica habet has tres conditiones: ergo est verè practica. Probatur minor; nam in primis de re operabili, aut dirigibili agit, nempè de operationibus intellectus; & modo quidem operabili, hoc est, compositorio, & tandem in finem dirigendi easdem operationes ordinatur, quod & facit, dum eas ordinat in syllogismum, aut aliud instrumentum. Quod verò sit etiam speculatiua pro-

[illegible]probo. Nam speculatiua scientia est, quę de re speculabili agit, modoque resolutorio procedit, & in finem speculandi naturam eius ordinatur, sed talis est Logica: ergò est speculatiua. Minor ita probatur. Modus sciendi, aut ens rationis, quod est obiectum Logicæ, est res speculabilis habens passiones, quæ de illo demonstrari possunt, & verè demonstrantur in Logica docente, resoluente easdē demonstrationes vsq; ad prima principia quod est resolutorio modo procedere, & modus iste resolutorius ordinatur ex se ad speculandam naturam rei, ergò habet etiam pro fine speculationem sui obiecti. Et hoc arg. satis declarat, quam sit falsum id, quod quidam ex his, qui sequûtur primam opinionem, asserunt, nempe, Dialecticam procedere modo practico, sed hunc modum procedendi ordinari ad speculationem: & ideò non efficere sciētiam practicam, sed speculatiuam. Non enim minus ordinatur modus procedendi resolutorius ad praxim; cùm ordinetur ad perfectè componendum syllogismum, & nihilominus constituit Dialecticam speculatiuam: ergò etiam si modus compositorius ordinetur ad speculationem, constituet scientiam practicam. Præterea, cùm modus compositorius sit de essentia scientiæ practicæ, non potest reperiri in aliqua scientia, quin eam constituat practicam, siue ordinetur ad speculationem, vel non ordinetur. Ordinatio enim potiùs ostendit talem scientiam habere vtramque rationem practicæ, & speculatiuæ.

Probatur secundò, quia Logica est ianua, per quam ad reliquas sciētias ingredimur, & quasi organum, & instrumentū [ad] eas acquirendas; præbetque modum [sc]iendi omnibus: sed inter alias scientias [qu]ædam sunt speculatiuæ, aliæ practicæ: [er]gè necesse est Dialecticam habere vtramque conditionem: quia si practica non sit, non potest esse ianua, per quam ad practicas scientias ingrediamur; nec poterit eis tribuere modum sciendi, ac procedendi practicum: & eadem ratione nō poterit hæc tribuere speculatiuis, nisi speculatiua sit: necesse est ergò vtramque conditionem ei concedere.

Sed restat quoddam arg. aduersus nostram sententiam prius soluēdum, quam ad soluenda argumenta aliarum opinionum procedamus; & est huiusmodi. Practicum & speculatiuum, sunt differentię, per quas scientiæ distinguuntur specie: ergò non possunt eidem scientiæ conuenire. Probatur consequentia; quia ex duabus speciebus nō potest componi tertia: ergò nec ex practico, & speculatiuo Dialectica. Sequeretur enim in duabus speciebus collocari, & quasi monstrum esse.

Pro solutione huius arg. adnotandum est, quod sicut in causis efficientibus vniuersalibus, possunt esse vnitæ virtutes diuersæ speciei; ita vt vna, & simplex virtus causæ superioris vtramque contineat eminenter, & respectu illius quælibet sit quasi inadæquata; & in causis formalibus, sub vna forma superiori, contineri possunt rationes essentiales inferiorum formarum; ita vt vna & simplex cum sit forma superior, tribuere possit vnum, & aliud esse, quod ab vtraque forma inferiori tribuitur: eodem modo vna scientia superior, quæ habet modum formæ, continere potest rationes, aut modos essentiales diuersos inferiorum scientiarum. Exempla horum triū habere possumus satis manifesta. Nam sol per vnam, ac simplicem virtutem, efficere potest plures effectus specie diuersos, qui non nisi à causis particularibus specie diuersis procedere possunt: quia in vna illa formá continentur eminenter virtutes inferiores specie diuersæ: in formis quoque anima ratio- 16

nalis tribuit corpori esse vegetatiuum,& sensitiuum,quos gradus essendi,tribuunt formæ inferiores specie diuersæ, vt forma plantæ, & equi: ita vt verum sit animam rationalem simul esse vegetatiuam, & sensitiuam,&in ea reperiri vnitas perfectiones formarum specie diuersarum; quas continere dicitur, non solum eminenter, sed etiam formaliter sub gradu quodam superiori.Et tandem in scientijs docet D.Tho.1.part. quæst.1. art.4.sacram Theologiam,simul esse practicam,& speculatiuam, ita vt vtraque perfectionem sub gradu superiori complectatur, propter eminentiã sui obiecti, quod est Deus; tanquam veritas speculabilis,& vltimus finis nostrarum operationum. Idem ergò nos concedimus Dialecticę; non propter eminentiam sui obiecti,sed propter vniuersalitatem: quia modus sciendi est respectu omnium scientiarum ; & modum sciendi tribuit practicis, atque speculatiuis:& ideò necesse est vtrumque modum continere;eminenter quidem,quia quantum ad hoc,superior est alijs scientijs;& etiam formaliter,quia formaliter continet vtrumque modum procedendi, resolutorium,& compositorium:& ad vtrũq; finem dirigendi operationes intellectus, & speculandi naturam modi sciendi ordinatur. Sed rationes practicæ, & speculatiuæ, inadæquatæ sunt respectu ipsius, sub adæquata &,superiori ratione perfectè cognoscendi naturam modi sciendi contentæ.

Ex his respondeo ad formam arg. nam dũ dicitur, practicum,& speculatiuum esse rationes specie diuersas;concedendũ est: & ideò non posse eidẽ scientiæ particulari conuenire:sed benè vniuersali, habenti superiorem quandam rationem eminenter,atque formaliter continentem vtramque perfectionem. Quemadmodum vegetatiuum,& sensitiuum, non possunt conuenire eidem formæ particulari ; sed benè vniuersali, qualis est anima rationalis: nec propterea talis sciẽtia vniuersalis erit in duplici specie; sed habebit vnam quandam eminentiorem speciem,vtramq; rationem continentem ; respectu cuius quælibet est quasi partialis, & inadæquata.

Arg. primæ & secundæ opinionis, probant quidem Dialecticam esse practicam, & esse speculatiuam;non tamen, quod alteram tantum rationem habeat, ita vt vel solum sit practica,vel solum speculatiua.

Vltima autem sententia falsa est, quia esse Dialecticam instrumentum omnium scientiarum; non tollit ab ea veram rationem scientiæ : & ideò nec veram rationem practicæ, & speculatiuæ: sed probat esse scientiam vniuersalem, ex quo habet, quod vtramq; simul rationem complectatur eminenter simul,&formaliter: quia sub ratione formali superiori,atque eminentiori.

Testimonium verò Aristot. de problemate instrumentario;quod dialecticę tribuit,difficultate caret: quia sensus illius est,non esse actiuũ solum, vel solum contemplatiuum, sed sub ratione superiori vtrumque continere. De intellectu verò alia est ratio, ac de scientijs: quia cum sit potentia vniuersalis, abstrahit ab vtraq; ratione practici, & speculatiui, quæ respectu scientiarum sunt quasi essentiales modi,per quos specie distinguuntur.

QVAESTIO VI.

Quod sit obiectum Dialecticæ, vtrum modus sciendi realis, vel ens rationis?

OBiectum, subiectum, & materia, vocari solet res illa, circa quã versatur scientia, nam hæc tria nomina eandem ferè significationem habent. Ob-

Obiectum dicitur per ordinẽ ad habitũ, quia quasi scopus est, in quem tendit: subiectum per ordinem ad passiones, quæ de illo probantur in scientia: materia verò per respectum ad rationem formalem, sub qua, à scientia ipsa consideratur. Idẽ est ergò quærere, quodnam sit obiectum Logicæ, & quæ sit materia circa quam versatur, aut quod sit subiectum, de quo demonstrat passiones, & cuius cognitionem assequi intendit: & his explicatur titulus quæstionis.

Sed conditiones, quas habere debet obiectum, proponendæ sunt; vt intelligatur illud esse obiectum huius scientiæ, potius quã aliud; cui meliùs conueniunt. Est autem prima conditio; vt sit in rerum natura, vel certè possibile sit: non enim requiritur actualis eius existentia: nam de rosa in hyeme, quando non est, datur scientia; quia saltem est possibilis: de re enim impossibili, vt de chimera, non potest dari scientia. Secunda conditio est, quod cognitio eius intendatur in scientia. Tertia, vt sub se comprehendat omnia, quæ tractantur in scientia. Postrema, quod sit vnum aliquo modo, vt vnitatem possit tribuere scientiæ.

His expositis, præsupponenda sunt tãquam certa illa, in quibus omnes conueniunt; vt ad difficultatem quæstionis perueniamus. ***Est autem certum primò,*** Dialecticam habere aliquam materiam determinatam, circa quam proximè versetur, tanquam circa proprium obiectum. Cuius ratio est; quia quælibet determinata scientia, determinatam cognitionem alicuius rei intendere debet: sed Logica est determinata scientia, & distincta à cęteris: ergò habebit determinatam materiã, seu obiectum; cuius cognitionem intendat, & per quod ab alijs scientijs distinguatur: quia sicut potentia sumit suã vnitatem specificam ab obiecto; sic etiam scientia, vt Aristot. docet 2. lib. de anima, cap. 4. Et licet hoc videatur contrarium doctrinæ Arist. asserentis, Dialecticam nõ esse vnius generis obiecti, aut circa omnia obiecta scientiarum versari. 1. li. Post. c. 11. tex. 24. & 4. lib. Meta. tex. 5. verè tamen contrarium non est; quia de materia remota Dialecticæ loquitur, & hæc non est determinata; cum circa omnes res mundi, enuntiationes, & syllogismos efficiat: proxima verò materia eius determinata est, de qua inquirit quæstio præsens, an sit hæc, vel illa.

Secundò certum est, hanc materiam proximam Dialecticę non esse voces, aut nomina; vt antiqui Dialectici asserebant; ex quo nominales in schola vocati sunt: quia licet vocibus vtatur ad significandas res: de quibus tamen principaliter disputat, vt docuit expressè Arist. 4. lib. Metap. tex. 5. & probat experientia: quia syllogismos, & cætera instrumenta in rebus constituit.

Certum est tertiò, materiam proximam, aut obiectum dialecticę esse ens rationis, nã ex hoc rationalis vocatur: sed ens rationis duplex est; vnum directè & per se factum à ratione aut intellectu, quales sunt operationes eius, vt apprehẽsio simplicium, compositio & diuisio, ac syllogismus, aliud est ens rationis, non directè factũ ab intellectu, sed quasi indirectè, & per accidens: & est proprietas consequẽs easdem operationes, vt ordinatas ab eo, hoc est, vt constitutas in propositione, aut syllogismo: & proprietas hæc non est realis, quia non conuenit eisdem operationibus ex propria natura; sed tribuitur eis ab intellectu, dum sic ab eo ordinantur: vt dum ordinat tres propositiones, maiorem, minorem, & conclusionẽ, iuxta regulas syllogisticas; talem earum ordinationem cõsequitur proprietas, seu denominatio syllogismi, quam eis tribuit

intellectus & proprietas hæc vocatur ens rationis; non directè, sed indirectè factũ ab intellectu, & quod non habet aliud esse, quam cognosci ab illo.

18 *Iuxta hæc duo entia rationis*, duæ in primis sunt opiniones de obiecto Dialecticæ. *Prima*, quam moderni plures defendunt, tenet; primum ens rationis esse obiectum eius, nempè operationes ipsas reales intellectus, vt dirigibiles ab intellectu; vel vt actu diriguntur, hoc est, vt cõstitui possunt in syllogismum; vel vt actu constituuntur: & vtrumque horum dicũt esse quid reale; hoc est, tam operationes ipsas, quam dirigibilitatem (vt sic loquamur) hoc est aptitudinem, vt ex eis fieri possit syllogismus, atque etiam ordinationem actualem. Duobus enim modis defenditur hæc sententia à modernis: quidam operationes reales dicunt esse obiectum, non vt actu ordinantur: quia ordinatio actualis nihil intrinsecum potest in eis ponere; sed solã denominationem extrinsecam, ab operatione, quasi reflexa intellectus, eas ordinante; sed secundum aptitudinem quam habent, vt ordinari possint: & hanc aptitudinem vocant ordinabilitatem, aut dirigibilitatem: & realem quidem; cum eis ex propria natura conueniat, & antequam ordinentur. Alij verò easdem operationes, vt actu ordinantur, dicunt esse obiectum; ita vt aliquis modus realis, in eis sit actualis ordinatio: nam cum ordinentur per verum ac reale iudicium intellectus; aut certè non sint aliud operationes ipsæ, quàm iudicia quædam intellectus ordinata; non potest non esse aliquid in eis ordinatio. Conueniunt tamen vtrique opinantes in eo, quod operationes istæ secundum aliquem modum, aut proprietatem realem sint obiectum: & ideò obiectum formale Dialecticæ, dicunt omnes, esse modum sciendi realem.

Probant 1. auctores huius sententiæ, quòd ens rationis secundum, non sit obiectum hoc arg. Obiectum scientiæ duo habere debet, primum, passiones, quæ de illo demonstrentur in scientia: secundum, quod per se consideretur ab ipsa scientia, sed neutrum habet ens rationis: ergò non potest esse obiectum. Non primum, nam ens rationis nihil est in rebus, sed solùm habet esse obiectiuè in intellectu, tanquam aliquid ab eo confictum, ergò nec habet naturam, cuius cognitionem intendat, nec passiones quæ de illo probentur: nam si passiones haberet, vel essent reales, & hoc non vel entia rationis, & tunc de illis prædicaretur formaliter, quod repugnat: sicut repugnat hominem prædicari formaliter de risibilitate aut de risibili. Secundò probatur; quia cùm non sit directè factum ab intellectu; nec est directè aut per se cognitum ab eo, sed indirectè & per accidens: ergò nec erit directè aut per se cognitum per scientiam, quæ habitus intellectualis est.

Deinde probant secundò; quod ens rationis primum, aut modus sciendi realis, sit obiectum Logicæ, alio argumento; Syllogismus, vel demonstratio continet operationes intellectus ordinatas; & est instrumentum reale: ergò est modus sciẽdi realis: quare tanquã aliquid reale consideratur in Dialectica: & eadem est ratio de alijs instrumentis: ergò est modus sciẽdi realis; tanquam quid commune omnibus, erit obiectum Logicæ. Antecedens ita probant: demonstratio habet effectum realem, nempè scientiam, quam generat: ergò est causa realis eius; quare non potest esse ens rationis, sed reale. Et confirmant, quia Dialectica est sciẽt a practica (vt vidimus) ergo habet praxim, hoc est, operationem factam à se vel ordinatam, pro obiecto: sed operatio, vt facta vel ordinata, est quid reale: quia nihil potest per

per se fieri, aut per se ordinari, nisi sit reale: ergò obiectum Logicæ reale debet esse.

Secundo. Operationes intellectus, quatenus dirigibiles sunt ab eodem intellectu, pertinent ad aliquam scientiam, vel artem, à qua dirigi possunt, & non ad aliam, quam ad Dialecticam, quia nec per aliam diriguntur: ergò vt dirigibiles, sunt obiectum huius scientiæ: & dirigibilitas est proprietas realis earum: sicut intelligibilitas est proprietas realis entis realis; & numerabilitas numeri, & visibilitas coloris: ergò sub ratione realis sunt obiectum Dialecticæ, quod ex consequenti erit aliquid reale.

19 *Secũda opinio asserit*; Ens rationis, quod indirectè fit ab intellectu, esse obiectum Dialecticæ. Quam sequuntur D. Thom. 4. Meta. lect. 4. & op. isc. 42. de natura generis, c. 4. Caie. sup. de genere. Flandria 4. Meta. q. 5. art. 2. Sotus q. 5. proœm. & ex antiquioribus Com. in Epitome præd. cap. vlt. & 4. Meta. tex. comment. 2. Auicena 1. Meta. cap. 2. & ex modernis non pauci; habetque fundamentum in doctrina Arist. 9. Meta. tex. 5. vbi asserit; Dialecticum sicut & Philosophum agere de ente vniuersali: sed non agit de ente vniuersali reali; de quo agunt Metaphysicus atque Philosophus: ergò intelligit Arist. agere de alio ente vniuersali, non habente esse reale in rerum natura, sed solùm obiectiuè in intellectu; quod est ens rationis.

20 Probatur deinde hoc vnico arg. Logica agit per se de genere, & specie, quatenus prædicabilia sunt; de subiecto etiam, & prædicato, vt talia sunt; & propositionem componunt: sed hæc omnia sunt entia rationis: nam à parte rei, aut ante operationem intellectus, nec dantur genus, & species, nec subiectum, & prædicatum, ergò ens rationis, vt comprehendit hæc, & alia, erit obiectũ Logicæ. & confirmari potest. Quia ea, quę tractantur in Logica secundũ rationem materialẽ entia realia sunt, vt prædicamentum, propositio, & syllogismus. formaliter verò sunt entia rationis: sicut formæ, à quibus denominantur, quæ sunt relationes rationis, aut secundæ intentionis: ergò formale obiectum huius scientiæ, ens rationis est; quamuis materiale sit ens reale.

Tertia sententia, considerãs omnia, quæ tractantur in Logica, ordinari ad argumentationem componendam, tanquam ad finem, tenet hanc esse obiectum eius. ita Albertus Magnus in prol. prædicabilium, quem sequitur Lemosius li. 1. de erratis dialect. c. 6. Et quia inter species argumentationis, principalis est syllogismus, ad quem componendum ordinantur cætera, de quibus agit hæc scientia, ideò Scot. q. 3. suæ Logicæ, tenuit obiectum eius esse syllogismum: & tandem, quia inter species syllogismi, præcipua est demonstratio, ad quam ordinantur reliqui, docuerunt alij demonstrationem esse obiectum, vt Ammonius, & Simplicius, in prol. præd. Alexander, & Philoponus, in principio priorum.

Antequam sententiam nostram proponamus, has tres opiniones, tanquã insufficientes, refutamus vnico arg. Obiectum adæquatum debet continere proximè & adæquatè omnia, quæ tractantur in scientia: sed nec argumentatio, nec syllogismus, aut demonstratio, proximè, & adæquatè continent simplicia; de quibus Dialectica disputat, sed solum remotè, in quantum sunt partes enunciationum, ex quibus proximè componuntur: diuisionem verò, aut definitionem, nullo modo: ergo non possunt esse obiecta adæquata Logicæ, benè tamen alicuius partis: & fortè aliquod eorum, posset dici obiectũ principale, vt demonstratio; quæ præcipuum instrumentum est ad scientiam assequen-

sequendam. Vnde si de obiecto principali loquerentur, admitti posset saltem vltima: de adæquato verò, nulla earum admittenda est.

21 *Restant prima & secunda*; de quibus iudicandum est, vtra illarum sit probabilior: quod, vt melius fiat, illud tanquam certum supponendum est, propriam materiam Dialecticę esse operationes intellectus: & ideò ad obiectum eius pertinere, non secundum propriam naturā: nam hoc modo, ad philosophiam potius pertinent, sicut anima,& intellectus, à quibus tanquam à principijs efficientibus procedunt, sed in quantum ab eo dirigũtur.

22 *Secundò supponendum est*, quid sit operationes has dirigi ab intellectu: non est enim aliud, quàm fieri syllogismum, definitionem, aut aliud instrumentũ: vt tres propositiones ordinari, non est aliud, quā vnam pro maiori sumere, pro minori aliam, & tertiam pro conclusione: ita vt in modo,& figura, cōstituatur ex eis syllogismus: & quod in eis resultat, est passiua ordinatio, id est, esse ordinatas, ac syllogismum constituentes. Tria igitur possumus considerare in his operationibus, in quantum pertinent ad Dialecticam, ordinabilitatem, seu dirigibilitatē, directionem actiuam intellectus, & passiuam, resultantem in eis ex actiua.

Et de dirigibilitate probatur, vel non pertinere operationes secundum eam ad Logicam,vel non esse realem,sed ens rationis,hoc arg. Aut operationes esse dirigibiles, est potētia seu aptitudo naturalis;conueniens eis ex propria natura; vel solū obedientialis, in eo consistens,quod sicut lignum subditur artifici, & quasi ei obedit, vt ex eo possit cathedram efficere;sic operationes istæ subduntur intellectui, vt ex eis possit facere syllogismum: & si naturalis sit potentia, euidēs est,non ad Dialecticam, sed ad naturalem Philosophiam pertinere: sicut quæcunq; à natura habent operationes ipsæ, pertinent ad scientiam, quæ agit de natura earū, & hæc est Philosophia naturalis: si verò sit obedientialis, non potest esse realis. Nā potentia obedientialis ligni, ideò est realis, quia per eā subditur artifici, ad formam realem cathedræ suscipiendam: quare si forma cathedræ, non esset realis sed ens rationis, nec potentia illa esset realis: sed operationes subduntur intellectui ad suscipiendam formam syllogismi,quę non est realis,sed ens rationis: ergò talis potentia non est realis. Probatur minor, ordinatio,per quam efficiunt syllogismum, est relatio vnius ad alterā, non realis,quia non ordinantur ex natura rei, sed ab intellectu: ergò est relatio rationis.

Secundum,quod in operationibus considerare possumus, est ordinatio actiua, quam intellectus facit per actum reflexū, quo supra eas reflectitur, & eas ordinat, constituens syllogismum:& hæc ordinatio actiua realis est, cum sit actus realis intellectus ordinantis: & per illam solū dicuntur operationes ordinatę, denominatione reali extrinseca, v. g. syllogismus, aut demonstratio, sed esse syllogismum,aut demonstrationem, habent formaliter, per relationem ordinationis inter eas resultantem ex operatione intellectus ordinantis:& relatio ordinationis inter eas, non potest esse realis; quia non ordinantur ex sua natura, sed ab intellectu, qui nihil reale in rebus per suam ordinationem ponere potest: ergò directio per quam formaliter sunt syllogismus; vel aliud instrumentum, & ad Logicam pertinent, non est aliquis modus realis, sed sola relatio rationis. 23

His explicatis, *est prima conclusio huius quæstionis*; *Obiectum Logicæ aliquid dicit* 24

pro

pro materiali, & aliquid pro formali: pro materiali quidem, reales operationes intellectus: pro formali verò relationem rationis, quæ dicitur ordinatio formalis earum, per quam efficiunt syllogismum, aut aliud instrumentum. Hæc probatur efficaciter ex doctrina tradita, hoc arg. Logica habet pro obiecto operationes intellectus, quas dirigit, vt per directionem constituat ex eis syllogismum, aut aliud instrumentum: ergò materiale obiectum, sunt operationes reales; formale verò, directio, aut ordinatio earum, per quam constituunt talia instrumenta: sed ordinatio est relatio rationis: ergò obiectum formale est ens rationis.

Secunda conclusio. Obiectum adæquatum Logicæ, est modus sciendi communis omnibus instrumentis, qui ex ente reali, pro materiali constat, & ex ente rationis pro formali. hæc sequitur ex prima: quare non indiget noua probatione. His duabus conclusionibus continetur, & explicatur secunda opinio D. Tho. & aliorum, quæ communis fuit semper in schola, & vt probabilior est amplectenda.

25 Solum restat arg. primæ opinionis soluere: *& ad primum* concessa maiori, neganda est minor, quod ens rationis Logicum, nec naturam, nec proprietates habeat, nec per se cōsideretur in Dialectica: quamuis enim non habeat naturam realē nec subiecto inhæreat, sed solum fit obiectiuè in intellectu, actu considerante: est tamen quædam denominatio rebus attributa ab intellectu, per modum, ac similitudinem formæ inhærentis, vt esse genus, aut speciem, attribuitur naturæ ab intellectu: sicut albedo, aut alia forma inhærens attribuitur corpori. vnde non est omninò ens fictum, sicut chimera, sed habet fundamentum in eisdem naturis, quibus attribuitur, prout ab intellectu, hoc, aut illo modo, concipiuntur: & hoc esse diminutum, considerari potest ab aliqua scientia.

Quod verò ad proprietates eius pertinet, hac distinctione explicādum est: ens rationis dupliciter considerari potest: primò, in abstracto, hoc est, vt forma quędam sine ordine ad subiectum, cui attribuitur: quemadmodum consideratur albedo, sinē ordine ad corpus, cui inhæreat. Alio modo, potest considerari, in concreto, hoc est, vt forma applicata ad naturam, quam denominat. Et considerata primo modo, habet passiones vniuersales, iuxta similitudinem entis realis, vt verum, bonum, &c. consideratum verò secundo modo, non habet passiones adeò vniuersales: quia non applicatur, aut attribuitur naturis, in communi consideratum, sed in particulari, secundum suas species: non enim denominatur natura aliena ab ente rationis vniuersalissimo, sed à particularibus: vt à genere, specie, subiecto, aut prædicato. quare sic sumptum, non habet passiones, nisi in suis speciebus, vt vniuersale in communi, habet prædicabilitatem pro passione, & prædicabilia, habent particulares passiones, vt genus, esse prædicabile de speciebus: sicque de cæteris. & quemadmodum ens rationis, consideratum in abstracto, nō pertinet ad Logicam, sed ad Meta. tanquam deficiens à perfectione entis realis; quod per se ab illa scientia cōsideratur: ita probare passiones vniuersales de illo, non ad Logicum, sed ad Metaphysicum pertinet: sed passiones quas habet, vt applicatum naturis; aut eas denominans, in Logica probantur: & hoc sufficit, vt sit obiectum eius. de his verò passionibus, non prædicātur species entis rationis, quibus attribuuntur, prædicatione formali: quia non est verum formaliter, quod prædicabile sit vniuersale; sicut nec risibile formaliter est homo. 26

Ad se-

Ad secundum respondeo; ens rationis dum fit ab intellectu, non esse directè, aut per se cognitum, sed indirectè, & quasi per accidens: sed postquam factum est; benè potest intellectus illud pro obiecto, quasi per reflexionem sumere, & cognitionem eius per se primò intendere: & hoc modo accipitur, dum dicitur esse obiectum Logicæ.

Ad primum aliud arg. quo probatur, operationes reales esse obiectum Dialecticæ hac distinctione respondendum est. Demonstratio dupliciter consideratur, materialiter pro operationibus ordinatis; aut formaliter, pro ordinatione, à qua habent, vt sint syllogismus aut demonstratio: & in prima consideratione, admittendum est esse instrumentum reale; non in secunda: sed relatio rationis est. Et quod dicitur habere effectum realem, nempe scientiam, quam generat; etiam est admittendum, ratione operationum, quas pro materiali includit; non ratione significati formalis, in relatione rationis consistentis. Quod denique Logica sit sciẽt a practica, vt in eodem argumento dicitur; verum est, & habere praxim, aut operationem pro obiecto, ab intellectu directam; ex quo non sequitur directionem esse realem, neque id est necessariũ, vt Logica sit scientia practica: sed satis est operationem vtcunque dirigere; siue directio passiua realis sit, vel solùm relatio rationis.

Ad secundum concedendum est, operationes, vt dirigibiles, considerari posse ab aliqua scientia, & verè considerari à Dialectica: negandum verò, quod dirigibilitas sit realis: non est enim nisi ens rationis: sicut directio, per quam constituunt syllogismum, & ad quam ordinatur dirigibilitas, solùm est relatio rationis, vt probatum est. De intelligibilitate verò, & numerabilitate, diuersa est ratio: quia istæ conueniunt rebus, aut qualitatibus, ex propria natura; dirigibilitas verò, non nisi potentia obedientialis est, respectu formæ syllogisticæ; quæ solum est relatio rationis: & ideò non est quid reale, sed ens rationis.

COM-

COMMENTARII IN PRAEDICABILIA PORPHYRII, VNA CVM DVBIIS, ET QVAESTIONIBVS, HAC TEMPESTATE AGITARI SOLITIS, COMPOSITI.

CAPVT PRIMVM PORPHYRII.

Cum necessarium sit Chrysaori, & ad eam, quæ est apud Aristotelem Prædicamentorum doctrinam, &c.

Breuis expositio textus.

28 HOc primum caput, quasi procœmium est totius libri Prædicabilium; & tria in eo agit Porphyrius, nam ***primò***, docet necessariam esse cognitionem prædicabilium, ad prædicamenta Arist. intelligẽda: quia cum prædicamentum sit prædicabilium ordinatio, secundum debitam subiectionem, & prædicationem; non potest ordinatio prædicamentalis cognosci, sine cognitione prædicabilium. ***Secundò***, proponit materiam, de qua agendum est in toto libro; quæ sunt quinque vniuersalia, aut prædicabilia, nempe genus, species, differentia, proprium, & accidens. & ***tandem***, asserit, quæstiones, quæ de his prædicabilibus tractari possunt, esse in duplici differentia: nam, quædam faciles sunt: quia circa ea versantur; quæ naturæ eorundem prædicabilium proxima iudicantur. & ideò cognita eorum natura, facilem solutionem habent: vt an vniuersalia, hoc aut illo modo prædicentur de inferioribus? & similes. Aliæ verò sunt difficiles: quia altiora quædam inquirunt; vt an vniuersalia sint in rebus vel obiectiuè solum in nostra cognitione? & illas quidẽ proponendas, ac disputandas esse asserit; has verò vsque ad Philosophiam relinquendas: quia non facilè à Dialecticis intelligi possunt. Et his continetur litera Porphyri.

QVAESTIO PRIMA Vniuersalis.

Vtr. Vniuersalia sint in rebus.

QVæstio hæc quasi fundamentum est omnium aliarum, quæ de vniuersalibus disputari possunt. 29 Vt autem titulus eius intelligatur, notandum est; vniuersale duplex esse, complexum, & incõplexum. Vniuersale complexum, est propositio vniuersalis, & per se nota, quæ principium est vniuersale alicuius sciẽtię: ex quo multę inferuntur cõclusiones: vt in sciẽtia de homine vniuersale principium est, quod sit rationalis; ex quo colligitur, quod sit admiratiuus & risibilis. Vniuersale incomplexum, est vox quędam simplex, significans aliquid multis commune; vt homo, & animal. Et de vniuersali complexo non procedit quæstio præsens; sed sol[illegible] de incomplexo: quod quadruple[illegible]tio, in significando, in [illegible]do, & in prædicando. Vniuersal[illegible]sando, dicitur causa, quæ plures effectus producere potest,

& Ioannẽ; nec aliquẽ eorũ distinctè significant; sed propriis nominibus significantur: ergo aliquid datur, præter singularia, ad quod proximè atque distinctè significandum imponuntur quod cùm non sit singulare, erit vniuersale. Secundò istæ propositiones sunt veræ, ac necessariæ; Petrus est homo, & homo est animal; & tamen si nihil præter voces prædicatur, erunt falsæ; cum nec vna vox sit alia, nec in ea includatur: ergo necesse est præter voces, res vniuersales ponere.

Secunda conclusio. Non datur vniuersale separatum realiter à singularibus. hæc est contra Platonem (si sententiam illam tenuit, de ideis, quam ei tribuit Aristoteles) & probatur ex Aristot. l. 1. lib. Poster. cap. 35. tex. 38. 2. Meta. tex. 10. 7. Meta. tex. 51. & 57. & 10. Meta tex. 6. quibus locis ostendit vniuersalia esse non posse separata à singularibus. Deinde probatur ratione; quia quidquid verè & realiter prędicatur de aliquo, debet esse in eo: sed vniuersalia verè prædicantur de singularibus in his propositionibus, Petrus est homo, & homo est animal: ergo verè, & realiter in eis sunt. Probatur maior; quia ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, aut falsa: sed in his propositionibus prædicantur vniuersalia de singularibus: ergo aut sunt in eis, aut propositiones sunt falsæ.

Tertia conclusio. Licet omnes res mundi sint singulares, in ipsismet singularibus dantur vniuersales naturæ quæ de eisdem prædicantur hæc est aduersus Heraclitum. & probatur simul ac declaratur hac ratione. Singularia naturæ humanæ; vt Petrus, & Ioannes, magis similia sunt inter sese quam singularia alterius naturæ: habent enim definitionẽ, & prædicata essentialia sibi communia, nam vterque est homo, & animal rationale: ergo concipit intellectus naturam humanam in vtroque existentem, & vtrique communem: & ideò erit vna, & in multis; quod est esse vniuersalem.

Ad argumentum primæ opinionis, cõcesso antecedenti; quod omnes res mundi sunt singulares: neganda est consequẽtia; quod nihil sit vniuersale: nam licèt nihil sit vniuersale, ab eisdem singularibus realiter separatum, (vt fortè asseruit Plato) nec in ipsismet singularibus realiter ab eis distinctum, natura tamen, in qua omnes conueniũt, vniuersalis est solùm ab eis distincta per intellectum, eam concipientem, non conceptis singularibus, & de hac est scientia, etiam si non sit de singularibus. Ad testimonium autem Arist. respondet D. Thom. in commentarijs eiusdem; per illa verba excludere voluisse errorem Platonis, de ideis separatis, & simul docere, quonam modo vniuersale in rebus reperiatur: ideò sensus verborum eius talis est: Animal vniuersale nihil est, separatum à speciebus hominis, & equi; vt fingebat Plato: est tamen in eis quasi quid posterius; quia in eisdẽ fundatur, & ex eorum conuenientia sumitur. 31

QVAESTIO II.

Quanam sit essentia, & natura vniuersalium?

NAtura, & essentia cuiuslibet rei, 32
explicatur per definitionem eius: ideo solutio huius quæstionis ex definitione vniuersalis depẽdet; qua adducta & explicata, soluta etiã erit quæstio. Duplicẽ definitionẽ vniuersalis tradit Aristot. diuersis suæ doctrinæ locis: primam 7. l. Meta. tex. 45. his verbis, *Hoc enim dicitur vniuersale, quod pluribus natura aptũ est inesse*: secunda verò 1. lib. de interpretatione c. 5. vbi ita ait, *Dico autem*

vniuersale, quod in pluribus praedicari natum est, vt homo quidem vniuersalium est. Vtrãq; verò simul posuit 1. lib. de posteriori resolutione cap. 10. tex. 25. dicens; *Esse quidem igitur vnum de multis, verum dicere necesse est: non erit enim vniuersale, nisi hoc sit: oportet igitur aliquid vnum, idemque in pluribus esse, non aequiuocè.* quibus vniuersale duo habere docet, quod sit vnum, hoc est vniuocum: quare excluduntur aequiuoca, & analoga à ratione vniuersalis: quia vel nullam habent vnitatem, vt aequiuoca; vel solùm vnitatem secundum quid, hoc est secundum proportionem, vel attributionem, vt analoga. Deinde in multis, & quod de illis praedicetur; quae licet non distinguantur realiter in vniuersali; quia formaliter sumptum, non est quid reale; sunt tamen duae rationes, ita se habentes, ac si realiter distinguerentur: ex quibus prior est, quod in multis sit; posterior verò, quod praedicetur de multis. Quod ita probo. Causa veritatis praedicationum est rem ita se habere extra, sicut per illas significatur, & enuntiatur, vt docet Arist. 1. lib. de interpretatione, dicens; ab eo quod res est, vel non propositio dicitur vera, vel falsa: ergo causalis ista propositio vera est: quia vniuersale est in multis, praedicatur de multis; sed causa prior natura est suo effectu: ergo prius est, quod vniuersale sit in multis, quam quod praedicetur de multis. Licet autem prior sit ratio essendi in illis, quàm praedicandi; conuertuntur tamen: quia verum est, quod est in multis, praedicari de multis: & contra, quicquid praedicatur de multis, in eis esse; cùm nihil praedicetur de aliquo, nisi sit in eo.

34 *Ex quibus sequitur* 1. essentiam vniuersalis esse, quod in multis sit; & quasi propriam passionem eius, quod de multis praedicetur. Probatur hoc argumento. Illud, quod primò intelligimus de aliquo, dicimus esse essentiam illius; sed primũ quod intelligimus de vniuersali, est, quod sit in multis: ergo hoc erit de essentia eius. illud etiam quod posterius intelligimus, si conuertatur cum priori, dicimus esse propriam passionem eius; sed praedicari de multis est quid posterius, quam esse in multis; & cum eo conuertitur, vt probauimus: ergo erit propria passio eius.

Sed dũ dicimus esse in multis, pertinere ad essentiam vniuersalis, & praedicari de multis, esse passionem; neutrum intelligendum est secundum actum: sed vtrũque secundum aptitudinem, vt verba Arist. docent, & probat experientia: cùm videamus naturam Solis, & Lunae esse vniuersalem, & nec esse actu in multis, nec actu de illis praedicari; sed vtrumque habere in potentia. Et hoc est, quod cõmuniter dici solet; verba in definitionibus non dicunt actum, sed aptitudinem; quare sensus primae definitionis est; vniuersale est, quod aptũ est esse in multis; sensus verò secundae, vniuersale est, vnũ praedicabile de multis.

Secundò sequitur, primam definitionẽ esse quidditatiuam, aut essentialem: quia continet essentiam vniuersalis. Secundã verò descriptiuam; quia datur per passionem.

Tertiò sequitur, falsum esse, quod à 35 quibusdam modernis dicitur; esse in multis & praedicari de multis, non esse rationes distinctas vniuersalis; sed eandem omnino: quia eo ipso, quod intelligimus naturam in multis esse, intelligimus etiã esse praedicabilem. Hoc enim non est verũ; nam si esse in multis est ratio prior, & causa praedicabilitatis de multis, vt probauimus; euidenter sequitur, quod possit intelligi, non intellecta praedicabilitate de multis: cùm sit euidens, id quod prius est, posse intelligi sine posteriori.

Expli-

Explicata essentia vniuersalis; respõdendú est tribus quæstionibus, quas Porphyrius omisit, propter earum difficultatem: quia ex earum solutionibus, melius intelligetur eadem essentia vniuersalis. *Prima* quæstio erat: *an vniuersalia sint in rebus? Secunda an sint substantia, vel accidentia? Tertia, an sint æterna, vel temporanea?* Pro quarum solutione, notanda est distinctio vniuersalis, quam tradit D. Thom. 7. Meta. lect. 13. dupliciter enim sumi potest; nempè pro natura, quæ denominatur vniuersalis, qualis est homo, vel animal: & hoc modo sumitur materialiter, aut fundamentaliter: aut pro vniuersalitate, quæ est forma, à qua denominatur vniuersale: & hæc forma vocatur secunda intẽtio, aut relatio rationis; per quam refertur natura ad indiuidua. Et si vniuersalia sumãtur primo modo; in rebus esse dicuntur, & non ab eis separata; quia homo & animal, in rebus ipsis sunt: homo in singularibus hominibus: animal verò in suis speciebus; equo, & leone. Si verò sumatur secundo modo, non est in rebus; sed obiectiuè solum in intellectu: quia secunda intentio, aut relatio rationis, non habet aliud esse, quam cognosci ab intellectu; eam attribuente naturæ, quam cum indiuiduis comparat.

36 Et eodem modo soluitur quæstio secunda; quia vniuersalia materialiter, aut pro fundamento cõsiderata: aut sunt entia realia, vt equus, aut leo: vel entia rationis, vt genus, aut species: vel sunt substantiæ, vt homo vel animal: aut accidẽtia, vt albedo, & color. Si verò sumantur secundo modo; non sunt substantiæ, sed accidentia: non realia, sed rationis: quia solum sunt denominationes quædam, quas intellectus attribuit naturis, eas vniuersales vocans. Ad tertiam tãdẽ quæstionem, sic respondendum est, si vniuersalia sumantur formaliter pro vniuersalitate, non sunt æterna, sed temporanea: quia vniuersalis non est, nisi dum actu consideratur ab intellectu; sed non semper est intellectus in actuali consideratione: ergo nec semper est vniuersalitas. Si verò accipiatur pro fundamentis, alia distinctio addenda est. Nam res vniuersales, dupliciter sumi possunt; nempè secundum actualem existentiam, quam habent in inferioribus, hoc est in indiuiduis, aut speciebus: & hoc modo non sunt æterna, sed eis corruptis, ipsa quoque corrumpuntur. v. g. flores diuersarum specierum, vniuersales sunt: & si sumantur secundũ actualem existentiam in indiuiduis, nõ sunt in hyeme: ergo nec sunt semper, nec æterna, sed temporanea: sicut indiuidua ipsa. Si verò considerentur secundum essentiam; hoc est secundum prædicata essentialia; ęterna sunt: quia licet actu non existant in singularibus, debita sunt eis eadem prędicata essentialia, non minus quam si actu in eis existerent: vt homo, & animal, secundum essentiam æterna sunt; quia etiam si nullus sit homo, aut animal in rerum natura; verũ est hominem esse animal rationale, & animal viuens sensibile: quia hæc prædicata essentialia eis debentur.

Et si inquiras, vbi essent vniuersalia, si nullum esset singulare: nam si perpetua 37 sunt, alicubi permanere deberent. Respõdeo, nullibi esse actu; sed solum obiectiuè in intellectu diuino, actu cognoscente, eis esse debita essentialia prędicata; atque etiam virtualiter in diuina omnipotentia, à qua produci possunt in suis singularibus: & ecce quomodo essentialiter sumpta æterna sunt.

QVAESTIO III.

An detur in rebus ante operationem intellectus vnitas formalis minor numerali?

AGens Arist.de vnitate rerum.5.lib. Meta.cap.6. triplicē posuit vnitatem,genericam,specificam,& numericam.Generica est,quam habēt species in genere, vt equus,& leo, in animali.Specifica, quam habent indiuidua in specie,vt Petrus & Ioannes,in homine.Numerica, quam habet quodcunque indiuiduum in seipso;in quantū non est distinctum à se,sed à quocunque alio: vt Petrus,dicitur vnus numero, quia est hoc indiuiduum,hoc est, à seipso nō distinctus,sed à Ioanne,& cæteris.

38 Ex his autem tribus vnitatibus,maior est numerica;minor specifica, & minima generica: cuius ratio est manifesta; quia illa est minor vnitas,quę secū compatitur maiorem diuersitatem; sed vnitas generica maiorem compatitur secū diuersitatem;minorē verò vnitas specifica,& nullā numerica: ergo hæc maxima vnitas vocari potest;specifica minor; & generica minima. Probatur minor; quia quę sunt vnum genere,differūt per differentias essentiales,& specificas, vt homo,& leo:quæ sunt vnum specie,non per differētias essentiales, sed per indiuiduales multò minores;at quod est vnū numero,neque habet in se diuersitatem specificam,nec indiuidualem, sed vtroque modo est in se vnum. Et de vnitate numerica,non potest esse dubium; quin & realis sit,& ante operationē intellectus detur;quare de hac nō procedit quęstio,sed de specifica,aut generica; quæ formalis dicitur;quia est vnitas in essentia, & prædicatis essentialibus à forma substantiali rerū procedētibus;& est minor numerali:de qua ideò quęrit titulus quæstionis, an detur ante operationem intellectus.

39 Et est *prima opinio Scoti.* 7.lib. Meta. quæst.16.& in 2.dist.3.quæst.2. asserentis, dari vnitatem formalem , genericam, & specificam, ante operationem intellectus;esseque essentialem ipsis naturis aut saltem eis conuenire tanquam propriam passionem. Et probatur 1. ex Aristotele in prædicamento ad aliquid; vbi docet primum genus relationis fundari in vnitate specifica,aut generica, quæ si fit inter substantias, erit relatio identitatis;vt identitas;specificā inter Petrum & Paulum,in vnitate naturæ humanæ: si fit inter qualitates,erit relatio similitudinis;vt inter dūo alba: si inter quantitates,relatio æqualitatis,aut inæqualitatis;vt inter duo corpora eiusdē longitudinis. Ex quo tale argumentum colligitur.Relatio huius generis est realis,& datur ante operationem intellectus; nā duo alba,etiā si nō cognoscātur ab intellectu,erunt similia: ergo fundamentum eius,quod est vnitas formalis , erit etiā reale, & dabitur ante operationē intellectus.Probatur etiā ratione; quia vnitas est passio entis realis: ergo cuicūq; gradui entis realis, correspondet sua vnitas realis; vt gradui entitatis numericæ,vnitas numerica realis,& gradui entitatis specificæ, vnitas realis specifica; & hæc est formalis;ergo erit realis;sicut gradus entitatis specificæ realis est, dabiturque ante operationem intellectus.

Secunda opinio,negat omnino dari aliquam vnitatem formalem minorē numerali, ante operationem intellectus; 40 quam sequitur S.Tho.opusc.55. non longè à principio, & 1.p.quæst.85.art.1.& 2. Albertus Magnus in lib. prædicabilium q.6.Themistius paraphrasi super procemium Arist.de Anima,cap.4. Alexander Aphrodisi⁹ super 7.lib.Meta.post mediū, fol.131.pag.1.& 2.Iauel. tract. 4. de quinque vniuersalibus in suaDialecticaD.Ioannes Damascenus li.de Dialectica c.64. Capreol.in 2.d.8.quæst.2. Venetus lib.2. suæ Dialecticæ tract. 4. par.4. cap.4. & pro-

probatur. Quia quicquid conuenit naturæ specificæ essentialiter, aut tanquam propria passio; debet etiam conuenire cuicunque indiuiduo eiusdem, vt si naturæ humanæ conueniunt rationalitas & risibilitas; Petro & Ioanni conuenire debent: ergo si vnitas formalis specifica conuenit ei essentialiter, aut tanquam propria passio, necesse est cuicumque indiuiduo conuenire; & ita, Petrus erit vnus, vnitate formali specifica multis communi, quod euidenter falsum est.

Tertia opinio, distinguit vnitatem formalem, in actualem, & potentialem: actualem vocat eam, per quam natura est actu, & formaliter vna multis communis: potentialem verò quam habere potest: & vtramque ait esse realem: sed potentialem tãtum conuenire naturæ, ante operationem intellectus, in illa prioritate naturæ, qua prior est suis indiuiduis; quam haberet (inquit) actualem, si ab eis realiter separaretur; licet hoc sit impossibile: hanc verò vnitatem non communicare indiuiduis, quia ei cõuenit, vt est prior natura eis. Hanc sententiam tenet Soncin 7. Meta. quæst. 40. Fonseca 5. Meta. cap. 18. quæst. 3. sect. 2. 3. & 4. probantque hoc argum. Natura specifica significatur nomine communi, & vniuoco; vt natura humana, hoc nomine homo: sed vniuocum nomen significat aliquid vnum: ergo datur aliqua vnitas formalis in natura, ante operationem intellectus, ratione cuius significetur nomine communi: quod si negaueris, sequitur nomen homo, & quodcunque aliud significans naturam communem, esse æquiuocum: cum nõ significet aliquid vnum, quod est falsum.

14 *Postrema sententia*, est Caietani in opusculo de ente, & essentia, cap. 4. quæst. 6. Vbi alio modo distinguit vnitatem formalem, in positiuam & negatiuam. Positiua vnitas est, quam habent aliqua in forma, aut prædicato positiuo; vt Petrus & Ioannes, habent vnitatem formalem positiuam, in humanitate, abstracta per intellectum ab indiuiduis, aut cum eis comparata. Negatiua verò, non est aliud quam negatio diuisionis; & si sit negatio diuisionis materialis; erit vnitas numerica, quam habet Petrus per hanc materiam in se non diuisam; si verò sit negatio diuisionis formalis; erit vnitas formalis negatiua. Hac distinctione supposita, asserit, naturam non habere vnitatem formalem positiuam, ante operationem intellectus; quia diuisa est per differentias numericas in singularibus: quare nulla datur forma positiua communis, in qua singulares homines conueniant; quousque abstrahatur eadem natura humana per intellectum ab eisdem singularibus, & cognoscatur eis non cognitis; tunc enim tanquam forma positiua eis communis concipietur: Sed habet, inquit, vnitatem formalem negatiuam à parte rei: quia licet sit diuisa per differentias materiales, & numericas, non tamen per formales, & specificas, vnde Petrus & Ioannes, conueniunt in humanitate ante operationem intellectus negatiuè, ex eo solum, quòd non distinguuntur in ea formaliter, aut essentialiter; licèt distinguantur per hanc, & illã humanitatẽ singularem indiuidualiter. Hãc sentẽtiã Caietani sequuntur plures moderni, probantq; hoc argumẽto. Vnitas numerica, est carentia diuisionis materialis, ergo vnitas formalis, & specifica, est carẽtia diuisionis formalis, & specificę, sed Petrus & Ioãnes ante operationẽ intellectus, carent diuisione formali, 42
& specifica, cùm nõ distinguãtur per differẽtias formales, aut essentiales, sed solùm per numericas, & quasi materiales: ergo,

ergo habet vnitatem formalem in humanitate, saltem negatiuam.

Et confirmari potest: quia quæcumque non sunt distincta in aliquo, dicuntur in eo conuenire, & esse vnum, saltem negatiuè; sed Petrus, & Ioannes, ante operationem intellectus, non distinguuntur formaliter, aut specie in humanitate; ergo in ea conueniunt, & sunt vnum: quare datur vnitas negatiua vtriq; communis.

43 *Pro solutione* huius quæstionis notandum est primò, vnitatem formalem duplicem esse: nam quędam est, per quam aliquid dicitur in se vnum formaliter; quam habet Petrus per suam formam, & essentiam, à qua dicitur vnus formaliter: altera est, per quam aliquid dicitur vnum formaliter, multis commune; vt vnitas formalis, quam habet natura humana, dum consideratur ab intellectu abstracta à conditionibus singulariũ, per quas diuisa est in eis. Et de prima vnitate formali, duo sunt certa apud omnes. Primũ, quod cuicunque naturæ conueniat ex se, realiter, & essentialiter; & ideò eam habet ante operationem intellectus in suis indiuiduis: ita vt quodlibet dicatur per eãdem naturam, quę in eo est, vnum formaliter, & essentialiter; ita sentiunt D. Tho. Scotus, & alij vbi supra.

44 *Secundò certum est*, hanc vnitatem formalem, aliquo modo distingui à numerica: cum ex diuersa radice oriatur, numerica enim oritur, ex materia, aut etiam ex forma, in quantum ex earum vnione resultat hæc entitas huius indiuidui: formalis verò ex sola forma, non vt est causa huius entitatis, sed vt est radix omnium prædicatorum essentialium, quæ ei possunt conuenire. v.g. Vnitas formalis à qua Petrus est vnus homo, procedit ab eius anima, in quantum est principium ratiocinandi, ex quo habet idem Petrus vt sit rationalis, & eodem modo in cæteris naturis. Sed an distinguantur hæc vnitas formalis, & numerica, in eodẽ indiuiduo, ex natura rei, & ante operationem intellectus, vel sola ratione, & per intellectum, in hoc non conuenit Scotus cum D. Thom. asserit enim distinctas esse ex natura rei: sed D. Tho. quem omnes ferè sequuntur, tenet, nõ distingui ex natura rei; sed sola ratione per intellectum; præsupposito tamen fundamento in re, in quantum à diuersa radice procedunt, vt explicatum est. Et hoc videtur nobis nõ solùm probabilius, sed omninò verum, & tenendum: quod hac ratione efficaciter probatur. Idem est ex natura rei in Petro, esse hominem, & esse hunc hominẽ, quia non est, nisi in quantum hæc humanitas veram habet humanitatis essentiã, sed per hanc humanitatem est vnus homo formaliter: ergo vtraque vnitas, formalitas, & numerica, est eadem res. Sed distinguuntur per intellectum, in quantum ex diuersa radice proueniunt.

45 *Certum est tertiò*, vnitatem formalem cuiuscunque rei, determinari per differentiam indiuidualem, & per eam fieri hanc numero: quod probo primò. Petrus est vnus formaliter, per vnam formam & vnam essentiam quam habet, hoc est, per vnã humanitatẽ; sed humanitas eius est vna numero ratione differentiæ indiuidualis: ergo vnitas formalis, quam habet per eam, est vna numero ratione eiusdẽ differentiæ indiuidualis. Quod adeò verũ est, ac necessarium; vt omnes gradus naturæ eius, omnia prædicata essentialia, quæ ratione eorum possunt ei conuenire, sint hæc, propter differentiam indiuidualem, est enim Petrus hæc substantia, hoc corpus, hoc viuens, hoc animal, hoc rationale, & hic homo, imo repugnat aliquid esse in Petro, quod non sit hoc numero, ratione differentiæ indiuidualis, à qua natura eius, & essentia sit hæc distin-

cta à quacumq; alia. Vnde sequitur; quod sicut tot sunt in Petro vnitates formales, ratione distinctæ quot sunt gradus naturæ eius, ita omnes sunt indiuiduæ, quia coniunguntur differentiæ indiuiduali determinanti omnes, & facienti eas has numero.

46 Quibus suppositis, nostra sententia tribus conclusionibus continetur. ***Prima, nō datur aliqua vnitas formalis positiua & actualis, ante operationem intellectus, quæ conueniat naturæ realiter, & essentialiter, aut tanquam propria passio, per quam dicatur multis communis***. Hæc est contra Scotum.

Secunda conclusio. ***Non datur ante operationem intellectus vnitas formalis in potentia, quæ conueniat naturæ in illa prioritate, quam habet respectu indiuiduorum, quibus communicatur***. Hæc est contra secundam opinionem Soncinatis.

Tertia conclusio. ***Non datur vnitas formalis negatiua ante operationem intellectus.*** Hæc est contra Caie. & probantur omnes simul ex doctrina tradita, hoc argum. Vnum, & indiuisum idem sunt; ergo diuisio opponitur vnitati, & eam tollit, ac dissoluit: vt si diuidantur partes hominis, nempe brachium à capite, & caput à pedibus; eo ipso tollitur vnitas compositi, & earundem partium: sed omnis natura secundum omnes gradus, quos habet, à parte rei est diuisa per differentias indiuiduales; ergo nullam habet vnitatem formalem multis communem: probatur minor. Natura humana, quæ est in Petro & Ioanne; est diuisa per differentias eorum indiuiduales: ita vt quidquid habet Petrus, sit hoc, atque distinctum ab his quæ habet Ioannes; nempè, hæc substantia, hoc corpus, hoc viuens, hoc animal, hic homo; & Paulus alia hæc substātia, aliud hoc corpus, aliud hoc viuēs, aliud hoc animal, alius hic homo: ergo nec naturā, aut essentiā, neq; vllū gradū naturæ possunt habere vnum aut communem; sed omnis vnitas formalis debet eis conuenire ratione naturæ; aut alicuius gradus eius, qui in eis sit vnus: ergo nullam habent vnitatem formalem cōmunem.

Argumentum hoc concludit aduersus Scotum; quod nullam habeat vnitatem realem positiuam, & actualem. Sed videntur posse respondere Soncinas, & Caie. quòd ille non ponit vnitatem actualem, sed potentialem; & Caiet. non ponit vnitatē positiuam, sed negatiuam. Sed verè non minus aduersus eosdem concludit, quàm aduersus Scotū. Probatur, aduersus Sōcinatem concludere; quia si natura humana in Petrū ante operationem intellectus est hæc, secundum omnes gradus formales, & essentiales; & diuersa à natura Pauli, & gradibus eius: ergo repugnat quod à parte rei possit aliquam habere vnitatem in eis: quare nec habebūt vnitatem formalem in potentia; nam quibus repugnat actus, nō potest cōueniri potentia. Sed eadem secunda opinio probatur falsa; quia duo asserit impossibilia. Primum, quod natura, vt est prior indiuiduis, habet vnitatem formalē realem: hoc autem impossibile est; quia natura nō est prior indiuiduis aliqua prioritate reali, sed solum per intellectum, considerantem illam, non consideratis indiuiduis; ergo si secundum hanc prioritatem est vna formaliter, non conuenit ei talis vnitas à parte rei, sed per intellectum. 47

Secundum, quod asserit, est; naturam non communicare illam vnitatem formalē indiuiduis; quod impossibile probatur hac ratione. Natura cōmunicatur indiuiduis, secundum omnes gradus formales, & essentiales, quod habet: sed non potest habere vnitatem formalē actualem,

Ad arg. denique tertiæ opinionis respondendum est, nomina significare res, mediis conceptibus, quos de illis formamus: vnde non significant eas, vt sunt à parte rei, sed vt à nobis cognoſcuntur: & cum vniuoca nomina ſint communia, ſignificant rem, vt à nobis conceptam, cõceptu communi: quare non ſequitur ex eorum ſignificatione, dari vnum multis commune à parte rei, ſed ſolum obiectiuè in intellectu; nec proinde vnitatem formalem inter multa, ſed hanc fieri ab intellectu, naturam cognoſcente, nõ cognitis inferioribus; ſiue poſitiua illa ſit, vel negatiua.

QVAESTIO IV.

An vniuerſale ſit in rebus ante operationem intellectus?

51 CVm vniuerſale ſit vnum in multis, eodem ferè modo loquũtur authores de illo, & de vnitate; & ideò Scotus qui docuit quæſt. præcedenti: vnitatẽ formalem minorem numerali èx ſe conuenire naturæ, & ideò ante operationem intellectus eam habere, conſequenter docet, eſſe vniuerſalem à parte rei. Et hæc eſt prima opinio circa hanc quæſtionem, quam tenuit in 2. d. 3. quæſt. 1. & 7. Meta. q. 18. Vbi eam defendit Antonius Andreas, atque etiam Ioannes Monlorius in diſputatione quadam de vniuerſali cap. 5. & 6. Probaturque duplici argumento, 1. quia vniuerſalia ſunt obiecta ſcientiarum, & etiam dicuntur ingenerabilia, & incorruptibilia, ſed conditiones iſtæ ſunt reales: ergo conueniunt naturis ante operationẽ intellectus: quare ante illam erunt realiter vniuerſales. Probatur minor; quia ſcientiæ ſunt de naturis realibus, quæ non generantur, neque corrumpuntur, niſi ſecundum eſſe reale, quod habent.

Secundo, natura humana ex ſe non eſt incommunicabilis pluribus: ergo ex ſe eſt communicabilis, & ante operationẽ intellectus communicata multis ſingularibus: ſed eſſe vniuerſalem idem eſt, quod eſſe communicabilem multis; ergo ex ſe, & ante operationem intellectus erit vniuerſalis. Maiorem ita probo; ſi natura ex ſe nõ eſt communicabilis multis; ergo de ſe eſt incommunicabilis: ſed eſſe incommunicabilem, eſt eſſe ſingularem: ergo ex ſe erit ſingularis; quare nullo modo poſſet fieri vniuerſalis, quod eſt falſum. 52

Secunda opinio eſt D. Thom. 7. Meta. lect. 13. opuſculo de ente, & eſſentia cap. 4. 1. p. q. 85. art. 1. & 12. quæſt. 29. art. 6. quibus locis aſſerit naturam ex ſe, hoc eſt ex propria eſſentia, non eſſe vniuerſalem, nec ſingularem; ſed per conditiones indiuiduantes fieri ſingularem, & per intellectum vniuerſalem: ideo ante operationem intellectus non dari vniuerſale. D. Tho. ſequuntur Capreol. in 3. art. 3. d. 5. quæſt. 3. Soncinas 7. Meta. q. 40. Caietanus in opuſculo de ente, & eſſentia, cap. 4. Sotus q. 2. vniuerſalium. Durandus in 1. q. 2. prologi, & d. 12. p. 2. Toletus in quæſtionibus vniuerſalibus. P. Fran. Suarius tomo 1. diſp. 6. ſectio. 5. ***Et eſt communis ſententia ſcholæ à nobis tenenda.***

Sed vt eã probemus, ***notandum eſt***, quod cùm vniuerſale ſit vnum aptum prædicari de multis, ſecundum definitionem ab Ariſt. traditam; duo ſunt neceſſariò requiſita vt aliquid ſit vniuerſale; ***Primum***, quod ſit vnum, nõ ſolùm vnitate formali, qua aliquid eſt in ſe vnum; ſed vnitate formali, qua aliquid eſt multis cõmune. Quod enim prima vnitas formalis requiratur; quæſtione præcedenti probatũ à nobis eſt: quia cùm vniuerſale communicet ſuã eſſentiã ſingularibus, & per ſuam eſſenciam ſit aliquid vnum for- 53

maliter in se;necesse est,quod vniuersale habeat vnitatem formalem, per quam sit vnum formaliter in se: & hanc vnitatem diximus esse primum fundamentum atque remotum vniuersalis. Sed quod hęc vnitas nō sufficiat ad rationem vniuersalis, probatur;quia vt etiam quæst. pręcedenti diximus;vnitas formalis,qua aliquid est in se vnum;eadem est secundum rem cum vnitate numerica, & ideò ei semper coniuncta à parte rei;ex quo sequitur esse diuisam in singularibus;ita vt tot sint vnitates formales , quot sunt indiuidua:non ergo sufficit vt natura dicatur vniuersalis;sed requiritur,quod ab intellectu consideretur eadem vntas formalis,non consideratis singularitatibus; per quas diuisa est à parte rei:& ita considerata,vocatur vnitas formalis, per quā natura est vna formaliter multis communis,quod est esse vniuersalem.

54 *Secundò* requiritur , quod sit apta esse in multis:hęc autem aptitudo secundum Scotum,& alios,qui sequuntur eius sententiam,realis est in natura,& ante operationē intellectus; sed apud D.Th. neutrum habet,sed per operationem intellectus ei conuenit.Duas igitur conditiones debet habere natura, vt dicatur apta esse in multis.Prima est,quasi remota;nēpe,quòd ex suis principijs realibus multiplicari possit in multis indiuiduis:quod habent omnes naturæ materiales,& corruptibiles:si verò in vna tātū esse possit; ita,vt repugnet omnino habere multa;vt de naturis Angelorum tenent multi;non erit vniuersalis, vt videbimus in capite de specie.Alterum requiritur,tamquam proximum;nempe,quod non sit determinata per singulares conditiones;sed quasi indifferens: ita vt non magis respiciat vnum singulare,quam alterum:& cùm à parte rei sit determinata per cōditiones singulares;non habet aptitudinem,vt in multis sit:quia singulare cùm sit incommunicabile,non potest cōmunicari multis;necesse est ergo vt indifferēs sit, quod per intellectum consideretur sine conditionibus singularibus:& ita considerata nō erit determinata ad aliquod singulare;sed æqualiter poterit determinari ad omnia:& hoc est esse indifferentem , & aptam communicari multis.Itaque aptitudo naturæ præsupponit tria;duo quidē quasi remota.Primum,quod ex suis principiis realibus possit multiplicari:secundum, quod si vna vnitate formali , per quam aliquid est in se vnum.Et præterea, 55
tertium,quasi proximum, quod sit vna vnitate formali, qua aliquid est commune multis.Et præter hæc tria,addit; quod sit indifferens ad multa: & licet hanc indifferentiam habeat,eo ipso,quod vna est vnitate vniuersali;tamē prius hæc vnitas intelligitur in ea, quā indifferentia , vel aptitudo, sicut dicebamus qu.2. prius intelligi in natura,quod sit vniuersalis,quā quod sit prædicabilis.

Ex tota hac doctrina , colligitur efficax argum. ad probandam nostram sententiam,quod nō detur vniuersale à parte rei,sed solum per operationem intellectus,contra Scotum.Vniuersale est vnum in multis , & aptum prædicari de multis : sed natura ante operationem intellectus,nec est vna,neque habet aptitudinem prædicandi de multis:ergo non est vniuersalis. Probatur minor.Natura à parte rei,est diuisa per differentias indiuiduales;ita vt alia sit in Petro , & alia in Ioanne:ergo est plures,& non vna.Sed si non sit vna,non potest habere abtitudinem prędicandi:quia aptitudo præsupponit vnitatem,vt probatum est:ergo nec vna,nec in multis erit,quousque per intellectum abstrahatur à conditionibus, per quas diuidatur & fiat vna.

Ad 1.argum.Scoti,concedenda est maior,

ior,& minor neganda; quia sicut scientiæ habentur per operationes intellectus,& ante illas non dantur; eadem ratione non dantur obiecta scientiarum, nisi per intellectum abstrahentem naturam,& efficientem illam aliquo modo vniuersalem:& vt sic abstracta, ingenerabilis est,& incorruptibilis; & non vt est in indiuiduis, quæ passim corrumpuntur. Quare falsum est, quod in minori dicitur, naturam habere tales conditiones à parte rei, neutram enim habet, nisi operatione intellectus præsupposita.

Ad 2. concesso antecedenti, neganda est consequentia; dicendumque naturam nec esse ex se proximè communicabilem multis, sed solùm remotè, nec esse ex se incommunicabilem; vt docuit D.Thom. vbi supra: sed primum habere per intellectum, secundum à parte rei, per differentias indiuiduales, quibus coniuncta est, ex se autem solum ei conuenire prædicata essentialia, vt naturæ humanæ rationalitatem, sicque de cæteris.

QVAESTIO V.

Per quam operationem intellectus fiat vniuersale?

57 VT quæstio intelligatur, explicādus est modus, quo intellectus procedit, dum intelligit, vt ex eo cognoscamus, quonam modo efficiat vniuersale. *Notandum est ergo*, quod cum omnis nostra intellectio incipiat à sensibus, necesse est, vt id quod intelligendum est, prius percipiatur à visu, vel alio sensu: quod fit per quandam similitudinem sui, quam ad oculum mittit, & quæ vocatur species intentionalis eius rei, à qua repræsentatur: per hanc ergo speciem vnitur obiectum potentiæ visiuæ, & fit visio rei. Virtute huius visionis, producitur alia species eiusdem rei visæ in alio sensu interiori, qui dicitur sensus cōmmunis, ex eo, quo ad ipsum perueniunt species omniū, quæ sentiuntur per sensus externos:& ipse discernit inter omnia, cognoscens esse diuersa. Deinde ab hoc sensu, emittitur alia species eiusdē obiecti in alium, qui vocari solet phantasia, & est veluti memoria quædam, nō solū sētiens ea, quæ per alios sensus percipiūtur, sed conseruans species omnium sensibilium: quæ species in ea conseruatæ solent vocari phantasmata.

Notandum est 2. quod obiecto iam cognito per sensus, vsque ad phantasiam: incipit operatio intellectus: qui duplex est, vnus qui dicitur agens, & alter possibilis: inter quos hæc est differentia, quod intellectus agens nō est virtus cognoscitiua, nec aliquid intelligit: possibilis verò est, qui cognoscit. Præterea, intellectus agens, adiutus phantasmate, hoc est, specie sensibili conseruata in phantasia, producit aliam speciē eiusdē rei, repræsentatæ per idem phantasma in intellectu cognoscente, non iam sensibilem,& corpoream, sed spiritualem sicut intellectus agens, à quo producitur:& possibilis, in quo recipitur, spirituales potentiæ sunt. Et agens dicitur ille: quia sua actione speciem producit: iste verò possibilis, quasi passibilis aut passiuus: quia recipit eādē speciem, per quam ei vnitur idem obiectum, quod à sensibus cognitum est,& informatus hac specie, seu similitudine obiecti, quæ intelligibilis dicitur, sicut species per quas cognoscunt sensus, dicuntur sensibiles, ipsum intelligit. Per hanc autem speciē intelligibilem (vt multi asserunt) repræsentatur natura sine conditionibus singularitatis,& ideò eā vocant abstractionē. Quia natura sine conditionibus repræsentata, quasi abstracta ab eis dicitur.

58 *Sed tertiò est notandum*, quod intelle-

ctus possibilis duplicem habet operationem: vnam per quam cognoscit obiectũ, vt præsentatum in specie, sine conditionibus: & hæc propriissimè dicitur abstractio; quia est cognitio naturæ, non cognitis indiuiduis: alia est operatio intellectus, per quam eadem natura cognita, non cognitis singularibus; iterum cognoscitur eisdem simul cognitis, & ad ea comparatur: & ideo vocatur comparatio, & ecce tres operationes; vna intellectus agentis (à quibusdam vocata abstractio) & duæ aliæ intellectus possibilis; vna quæ vocatur abstractio; & alia comparatio.

59 Iuxta has igitur tres operationes; sunt tres opiniones diuersæ. *Prima*, asserit vniuersale fieri per abstractionem intellectus agẽtis; quã sequitur Caie. in opusc. de ente, & essentia, cap. 4. quæstio 6. ad finem. Sotus q. 5. vniuersalium. Zumel. 1. p. quæst. 13. art. 7. conc. 3. Et probatur testimonio Aristotelis, 3. lib. de Anima, tex. 18. vbi comparans officium intellectus agẽtis, cum lumine corporeo, docet; quod sicut lumen corporeum sua illustratione materiali, facit colores visibiles actu; qui in tenebris solùm erant visibiles in potentia; ita intellectus agens per actionem, quã producit speciem intelligibilẽ in intellectu possibili, facit naturã actu intelligibilem. Ex quo ita colligunt. Obiectum intellectus possibilis, est vniuersale; sed per intellectum agentem, fit natura actu intelligibilis; dum repræsentatur in specie intelligibili, sine conditionibus: ergo fit actu vniuersalis.

Deinde duplici argumento. *Primum* sumitur ex definitione vniuersalis, quod est vnũ in multis; sed natura per abstractionem intellectus agentis, est vna in multis: ergo est vniuersalis. Probatur minor; quia in specie intelligibili repræsẽtatur, sine conditionibus; ergo vt sic repræsentata est vna, cùm solùm per conditiones sit à parte rei plures: & est etiam in multis, à quibus abstrahitur, ergo vniuersalis.

Secundò, naturam esse vnam vnitate vniuersali, duo dicit; vnum pro fundamẽto, nempe vnitatem formalem; qua est in se vna; & aliud quasi pro formali, nempe carentiam diuisionis; quam habet à parte rei, per differentias indiuiduales: sed repræsentata in specie intelligibili, est vna formaliter; & caret diuisione; cùm repræsentetur sine cõditionibus: ergo est vna vnitate vniuersali: & habet aptitudinem prædicandi de multis; quia repræsentata sine conditionibus, non est determinata aliquod indiuiduum, sed indifferens ad omnia; ergo est vniuersalis.

Secunda opinio tenet; per abstractionem intellectus agentis, nondum esse naturã vniuersalem, sed requiri abstractionem intellectus possibilis; per quam natura cognoscatur sine conditionibus, & per illam fieri vniuersalem. Hæc est sententia Duran. in 1. d. 3. q. 5. ad 2. & in 2. d. 3. q. 7. num. 12. & Cardinalis Toleti q. 2. vniuersalium. Vnicum est argum. huius sententiæ. Natura non est vniuersalis à parte rei; ergo vniuersalitas eius non est realis, sed ab intellectu tribui debet: sed intellectus nihil potest tribuere naturæ, nisi eam cognoscat: ergo cum intellectus agẽs non cognoscat, nõ potest ei tribuere vniuersalitatem, sed cum primum cognoscitur ab intellectu, denominatur vniuersalis. 60

Tertia sententia, neque vnam, neque aliam abstractionem sufficere docet; vt natura fiat vniuersalis; sed necessarium esse, vt comparetur ad indiuidua: quod cum fiat per secundam operationem intellectus possibilis; quæ dicitur cõparatio: per hãc fieri vniuersale: hãc sequũtur Son- 61

Soncin.5. Meta.quæst. 27. concl.2. & 10. Meta.quæ.15. Nyphus Meta.quæ.17. conc. 1. Deca Hispalensis in 1. d.5. quæ.2. art.4. ad 1.Canar.1.par.quæ.28.art.1. fol.41. *Probatur primò*: quia intellectus non potest tribuere naturæ denominationem vniuersalis, nisi eã cognoscat vt vniuersalẽ: vniuersale dicit respectum ad multa, vt colligitur ex eius definitione, qua dicitur esse vnũ in multis: ergo nõ cognoscitur natura vt vniuersalis, nisi cognoscatur per respectum ad multa, sed non potest cognosci per respectũ ad multa, nisi eis cognitis: quia respectus nõ est cognoscibilis, nisi cognito termino. At per abstractionẽ intellectus agentis nullo modo cognoscitur, & per abstractionẽ possibilis cognoscitur non cognitis indiuiduis, ergo nõ cognoscitur vt vniuersalis, nec ei tribui potest talis denominatio, sed per solam comparationem, per quam cognoscitur in ordine ad multa.

Secundò, vniuersalitas est relatio vnius ad multa; non realis, cùm non conueniat naturæ à parte rei; ergo rationis: sed relatio rationis non potest fieri nisi per notitiam comparatiuam; ergo solum per hãc fit vniuersale. Probatur minor; quia relatio est comparatio inter duo extrema: ergo non potest fieri, nisi ab intellectu vtrũq; cognoscente, & comparante; solùm ergo fit vniuersalis per comparationem.

62 Præter has tres opiniones diuersas, *inuenio quartam*, per quam moderni quidam videntur ad concordiã reducere secundam, & tertiam; hac distinctione. Vniuersale duobus modis sumi potest. Primò, per modum absoluti, non dicentis respectũ ad alterum; sed potentis fundare talem respectũ, vt album, aut quantũ quæ absoluta sunt, & possunt fundare relationem similitudinis, aut æqualitatis: alio modo, tanquam relatiuum: vtroque enim modo putant intelligi posse vniuersalitatem, nempe, vt formam relatiuam, & etiam vt absolutam; quam tamen consequitur quidam respectus, per quem explicatur: nam vnitas, qua aliquid est commune, & aptitudo prædicandi de multis; formæ absolutæ sunt; sicut vnitas numerica, & aptitudo ad ridendum: quas tamen explicamus per respectum ad actum ridẽdi, & ab obiectum. Idque declarant exemplo vniuersalis Platonici, separati à singularibus: quod verè esset substantia, cùm per se existeret, & ideò vniuersalitas eius forma absoluta: quia substantia res absoluta est, nõ dicens respectum essentialem ad alterum; & tamen explicaretur à nobis per respectum ad multa, à quibus participaretur: ergo etiam sumi potest vniuersale factum ab intellectu per modum absoluti. Alio modo sumitur tanquam relatiuum, essentialiter respiciens indiuidua. Vniuersale igitur primo modo acceptum, dicunt fieri per primam cognitionem intellectus possibilis; quia habet vnitatem cum aptitudine respiciẽdi multa, à quibus abstractum est. Si verò accipiatur secundo modo, non fit nisi per comparationem: quia relatiuum non potest cognosci, nisi per comparationem ad suum terminum: & ideò nec vniuersale, vt relatiuũ, nisi per comparationem ad multa. Et secundam opinionem, intelligendam esse affirmãt de vniuersali, vt absoluto: & ita intellectam esse veram. Tertiam verò, de vniuersali, vt relatiuo.

Vt nostram sententiam proponamus, quædam notandã sunt. *Primùm*, vniuersale nomen concretum esse, habens materiale significatum, quod est natura; & formale, quod est vniuersalitas, à qua denominatur. Concretum verò duplex est; absolutũ, & relatiuũ, sicut forma denominãs; est etiã absoluta, aut relatiua. Cócretum ab- 63

absolutum est album: relatiuum verò, simile, aut pater. Hæc est autem differentia inter vnum, & alterum; quod concretum absolutũ, pro materiali significato, solũ habet nudum subiectum; vt album, nudum corpus. Concretum verò relatiuum non nudum subiectum, sed aliquid aliud ratione cuius efficitur fundamẽtum proximum relationis: vt simile pręter albũ, habere debet aliquã vnitatẽ, aut cõmensurationem cũ alio, ratione cuius fit capax relationis; vnitatem quidem in albedine, & commensurationem in eodẽ gradu eius. Nam vt aliqua dicantur propriè similia, conuenire debẽt in albedine, atque etiam in gradu eius: ita vt in vtroque sit, vt tria, vel vt quatuor.

Secundò, notandum est, tria esse fundamenta relationis; remotissimũ, remotum, & proximũ: vt in similitudine; fundamentum remotissimum est corpus: remotum est album: proximũ verò album habens vnitatem, & commensurationem cum alio. Vocatur autem fundamentum remotissimum, & remotum, quia ea non sequitur relatio; nam corpus, nisi habeat albedinem, aut aliam qualitatem, non dicetur simile; neque etiam, si habeat albedinẽ, quousque habeat vnitatẽ, & commensurationem cum alio. Tunc autem dicetur fundamentum proximum; quia eo posito, statim ac necessario sequitur relatio. Ita ergo intelligendum est de vniuersali; si sit relatiuum: erit enim fundamentum remotum relationis vniuersalitatis, natura à parte rei per vnitatem formalem; qua est vna formaliter in se. Fundamentum vero remotum, dum repræsentatur in specie intelligibili sine conditionibus, aut dum cognoscitur per primam cognitionem intellectus sine illis; si nõ sequatur statim relatio vniuersalitatis, à qua denominetur. Et tãdem erit fundamentum proximum dum comparatur ad inferiora: quia statim sequitur relatio vniuersalitatis ad illa. 64

His suppositis, nostra sententia his cõcl. continetur. ***Prima. Vniuersale non esse nomen absolutum, sed relatiuum***; hæc est aduersus vlt. sententiam: probatur duplici arg. Primò. nomen concretum est absolutum, si forma per ipsum significata fuerit absoluta; & relatiuum, si fuerit relatiua: sed forma vniuersalitatis non est absoluta, sed relatiua; ergo nomen vniuersale, non erit absolutum, sed relatiuũ. Probatur minor ex definitione vniuersalis: *Vnum in multis, & aptum prædicari de multis.* In qua, per relationem ad multa explicatur vniuersale; nec solùm explicatur, sed vniuersalitas relatio est: non forma absoluta, vt vltima opinio asserit: quod sic probo. Vniuersalitas nõ est forma conueniens naturæ ex se, aut essentialiter, neque à parte rei, sed per intellectum; vt concedit eadem opinio: ergo non est forma substantialis, sed accidentalis; nec est accidens reale, sed rationis: sed omne accidens rationis, quod intellectus attribuit rebus, est relatio rationis: non enim attribuit eis accidens rationis absolutum, per modum qualitatis, aut quantitatis, aut alterius pręd icamenti; habens fundamẽtum in eisdem rebus à se intellectis, vt probabitur: ergo vniuersalitas est relatio rationis, & non forma absoluta. Secundò. non dicitur natura vniuersalis, ex eo solùm, quòd in se est vna, aut communis; sed quia est vna multorum, multisq; communis; aut vna, in qua multa conueniunt: vt Porphyrius docuit, c. de specie dicens: ***Participatione speciei plures homines sunt vnus homo.*** ergo per vniuersalitatem, essentialiter ordinatur ad inferiora; quorum est vna natura: & ideò vniuersalitas, relatio est, & non forma absoluta: & vniuersale nomen relatiuum, non absolutum. Quod intel-

intelligens Porphyr. docuit nomina prędicabilia (quæ sunt quædam vniuersalia) definienda esse per sua inferiora; vt genus, quod sit prędicabile de pluribus differentibus specie; sicque de reliquis.

65 Secunda conclusio. *Per operationem intellectus agentis solum datur vniuersale pro fundamento remoto, seu in potentia remota: non pro fundamento proximo, neque actu, & formaliter vniuersale.* Hæc sequitur ex pręcedēti, atq; ex doctrina annotata; & probatur hoc arg. Vniuersale est relatiuum; ergo non dicitur natura actu, & formaliter vniuersalis: nisi ab vniuersalitate, quæ est relatio, denominetur; sed per operationem intellectus agentis, solùm habet repræsentari in specie intelligibili, non repræsentatis singularibus: ergo nec illa respicit, nec denominari potest ab vniuersalitate, quæ est respectus ad illa: & hoc est nō esse actu, & formaliter vniuersalem, solum ergo potest esse vniuersalis in potentia, aut in fundamento; non proximo: quia proximum fundamentum statim sequitur relatio; & tamē naturam sic repræsentatam, non sequitur relatio ad indiuidua; quousque intelligatur in ordine ad illa: sed in potentia, & fundamentō remoto, quamuis minus remoto, ac dum est extra causas.

66 Tertia conclusio. *Vniuersale actu, & formaliter, aut in potentia proxima, non fit per primam cognitionē intellectus possibilis, qua vocatur abstractio.* Hæc est aduersus vltimam sententiam. Et probatur primo. Nihil denominatur actu & formaliter tale, nisi à forma propria: sed propria forma vniuersalis est vniuersalitas: quæ est relatio rationis ad indiuidua: ergo non denominatur natura actu, & formaliter vniuersalis, nisi à relatione rationis ad indiuidua: naturam autem cognitam per primam operationem intellectus, non consequitur talis relatio rationis: ergo non est per illam actu, & formaliter vniuersalis. Probatur minor. Per illam cognitionem non cognoscitur in ordine ad indiuidua: immò neque cognoscuntur indiuidua: ergo neque cognoscitur relatio rationis naturæ ad illa: sed relatio rationis nō habet aliud esse, quam actu cognosci: ergo si non cognoscitur per illam cognitionem, non est, nec denominat naturam actu, & formaliter vniuersalem. *Secundò*, natura per primam cognitionem non habet aliud, quam cognosci; vt repræsentatam in specie intelligibili sine conditionibus: ergo solum consequitur per illam, nouam denominationem realem extrinsecam, cognitæ sine conditionibus: quam certum est nō esse denominationem vniuersalis: nam hæc, nec realis est, nec solū denominatio extrinseca, sed rationis, & habens modum, & similitudinem formæ inhærentis; sicut denominatio prædicati, aut subiecti: solùm ergo erit natura per talem cognitionem vniuersalis in potentia; non proxima, sed remota: eodem modo ac per operationē intellectus agentis in explicato.

Vltima conclusio. *Natura fit vniuersalis, non solùm in potentia proxima, sed actu, & formaliter, per cognitionem intellectus, quæ dicitur comparatio:* hæc probatur 1. ex tribus præcedentibus; quia si non fit per operationem intellectus agentis, nec per primam cognitionem intellectus possibilis, non restat alia operatio per quam fieri possit, præter comparationem. 67

Sed probatur 2. quod per eam fiat; quia vniuersalitas est relatio rationis naturæ ad indiuidua: & relatio est comparatio duorum extremorū: ergo relatio rationis naturæ ad indiuidua, est comparatio naturæ ad illa: quare fiet per cōparationē vniuersalitas, & vniuersale formaliter.

Sed, vt conclusiones istæ melius intelligantur, & ex eis cognoscamus aliquo 68

modo fieri vniuersalē, per tres illas operationes intellectus agentis, & possibilis, notanda est illa distinctio vniuersalis, satis manifesta in schola Dialecticorum: Vniuersale duplex est, Logicum, & Metaphysicum: vniuersale Metaphysicum, est natura realis in cōmuni sumpta, hoc est sine conditionibus indiuiduantibus, & nō vt denominata à secunda intentione, aut relatione vniuersalitatis. Et vocatur vniuersale Metaphysicum: quia solum sumitur secūdum essentiam realem quasi abstractam à materialibus conditionibus, qui est proprius modus, secūndum quem res considerantur in Metaphysica: & vocari etiam potest vniuersale fundamētaliter, atque etiam vniuersale in potentia, saltem remota, vt explicatum est. Aliud est vniuersale Logicū, nempe natura denominata à secunda intentione, aut relatione vniuersalitatis: quæ etiam dicitur vniuersale in potentia proxima, actu & formaliter: quia dum actu denominatur natura à relatione, proximè dicitur eandem relationem fundare: & vocatur vniuersale Logicū, quia secunda intentio, aut relatio vniuersalitatis, propriè pertinet ad consideratione Logicam. Hac distinctione supposita dicimus, vniuersale Metaphysicum fieri per operationem intellectus agentis, cum repræsentetur natura in specie intelligibili per eam producta, sine conditionibus: quod est esse vniuersale Metaphysicum. Per primā verò cognitionem intellectus possibilis, fit idem vniuersale Metaphysicū; vel potius iā factum per intellectum agentē cognoscitur: sed vniuersale Logicū, fit per solam comparationē.

Ad argumenta aliarum opinionum re-
69 spondendū est; & ad testimonium Aristo. pro prima opinione duobus modis. Primo, sensum eius esse: quod lumen facit colores actu visibiles: non quia ipsi actu visibiles non essent in tenebris; sed quia videri non poterant per medium obscurum: illud verò illuminans, facit, vt actu videantur. Vel secundò, respondeo: concedendo, quod lumen faciat colores actu visibiles, cum in tenebris non essent, nisi visibiles in potentia: & ita intellectus agēs, quasi lumen quoddam spirituale facit naturam actu intelligibilem: ex quo non sequitur eam facere actu vniuersalē: quia vt sit actu intelligibilis, sufficit esse vniuersalem in potentia, quod habet, dū per speciem intelligibilem repræsentatur sine conditionibus, &c.

Ad primum argumentum eiusdem sententiæ, concessa maiori; distinguenda est minor: nā duobus modis natura est vna. Primò, vnitate negatiua; & hanc habet repræsentata in specie intelligibili: quia sine conditionibus indiuiduantibus repræsentatur: sed per hanc vnitatem solum est vniuersale Metaphysicum, aut in potentia. Alio modo est vna, positiuè; quod non habet, nisi dum comparatur ad indiuidua: & quia hæc requiritur, vt sit actu, & formaliter vniuersalis; non est vniuersalis hoc modo, nisi per comparationem.

Ad secundum respondetur, eadem distinctione; quia natura repræsentata in specie intelligibili, habet vnitatem negatiuam vniuersalis Metaphysici, & in potentia, non vniuersalis Logici, nisi per comparationem.

Ad argumentum secundæ opinionis cōcedo, quod natura non est vniuersalis à parte rei, sed fit vniuersalis per cognitionem intellectus: nego tamen, quod per primam cognitionem intellectus tribuatur ei forma vniuersalitatis; sed solùm ei tribuitur per comparationem.

Ad tertiam opinionem, negandum est; quod vniuersale possit distingui in absolutum, & relatiuum: quia ex propria natura,

tura, & essentia relatiuum est, vt probauimus. Falsum igitur est; quod detur vniuersale absolutum, & non minus falsum, quod hoc vniuersale absolutum, fiat per primam cognitionem intellectus.

QVAESTIO VI.

V. Vniuersale Logicum fiat per simplicem comparationem naturæ cum indiuiduis, vel non nisi per compositam quæ vocatur actualis prædicatio.

70 VT titulus quæstionis explicetur, notandum est; quod ab omnibus ferè ponitur, in intellectu duplex coparatio; vna simplex; alia composita. *Simplex comparatio est*; per quam intellectus vnum in altero, vel in ordine ad alterū cognoscit sine cōpositione; vt dum simplici cognitione cognoscimus patrē in ordine ad filium; non affirmando, quod habeat filium, vel albedinem in pariete, non affirmando, quod in ea sit. *Alia est comparatio*; per quam cognoscit intellectus duo extrema, & vnum attribuit alteri, affirmando quod in eo sit: & ideò comparatio hæc vocatur actualis prædicatio, quærimus ergo, an supposito quod vniuersale fit per cōparationē, vt in quęstione pręcedenti probauimus; fiat per simplicem, vel per compositam. Et sūt duę opiniones. *Prima*, nō admittit cōparationem simplicem, sed solum compositam; & per eam asserit fieri vniuersale: & cum comparatio hæc sit actualis prædicatio vnius de altero, per actualem prædicationem fieri docet, & ante illam non dari vniuersale actu, & formaliter, sed actualem prædicationem esse vniuersalitatem, à qua natura denominatur vniuersalis: & ita non admittit aptitudinem, nec potentiam prædicandi in natura, sed idem esse, quod vniuersalis sit & quod sit actuale prædicatum. Hanc opinionem sequuntur quidam moderni, & eam probant hoc argumento.

Non potest intellectus comparare na- 71
turam ad indiuidua, nisi cognoscat in eis esse: sed non potest cognoscere, quod in eis sit, nisi iudicando, quod eis cōueniat: iudicare autem, quod in eis sit, & eis conueniat, est prædicare eam de indiuiduis: ergo non datur simplex cōparatio naturæ ad indiuidua, sed solùm cōposita, quæ est actualis prędicatio: quare si verum est vniuersale fieri per comparationem, necessariò sequitur, quod fiat per actualem prædicationē, ita vt ante illam nō detur.

Hæc opinio in primis est contra Arist. 72
& D.Tho. quod vnico testimonio vtriusque probatur. Arist. enim agens de vniuersali, 1.lib.de interpretatione, cap. 5. definit illud his verbis: *Dico autem vniuersale, quod de pluribus aptum est prædicari.* Ex quibus euidenter colligitur, naturam esse vniuersalem, per aptitudinem prædicandi de indiuiduis, sed aptitudo prædicandi cum sit potentia, est prior, quam actualis prædicatio, quæ est actus eiusdem potentiæ: ergo prius est natura vniuersalis, quàm actu prædicetur, ex mente Arist. Quare non fit vniuersalis per comparationem compositam, quæ est actualis prædicatio, sed per aliam comparationē priorem, quę vocatur simplex.

Et D.Tho. in eodem loco, declarans eandem definitionem Arist. ait, *Benè definisse vniuersale per aptitudinem prædicādi, & non per actualem prædicationem: quia aliqua sunt natura, vt Sol & Luna, quæ non prædicantur actu de multis, cum non habeant nisi vnicum indiuiduum, & tamen sunt verè vniuersales per aptitudinem, & potentiā prædicandi de multis.* Ponit ergo D.Tho. aptitudinē prędicandi in natura vniuersali; & per illā asserit esse vniuersalē cū Arist. ergo opinio, quæ aptitudinem tollit,

& non nisi per actualem prædicationem affirmat fieri vniuersale; expresse est cõtra Arist. & D.Tho.

Deinde est contra rationem; quod sic probo: Si natura est vniuersalis, per actualem prædicationem; sequitur non esse vniuersalẽ; nisi simul prædicetur de multis; ita vt dicamus Petrũ & Ioannem esse homines; non hominẽ; & equum esse animalia; & non, dũ de singulis prædicatur: quare neq; erit prædicatio vniuersalis; dũ species prædicatur de indiuiduo, aut genus de specie: vt in his prædicationibus, Petrus est homo, & homo est animal: consequẽs autẽ falsum est, ergo etiã antecedens. Quod sit vniuersalis natura per actualem prædicationem, probatur consequẽtia: quia vniuersalitas est actualis prædicatio: sed vniuersalitas est respectus naturę ad multa, ergo non est natura vniuersalis, nisi dũ actu prædicatur de multis, & non de vno tantum. Quod vero consequens sit falsum, probo, quia hęc est prędicatio generis, homo est animal: ergo est prædicatio superioris, quia genus superius est specie: sed prædicatum superius est vniuersale; ergo est prædicatio vniuersalis; & tamen de solo vno: ergo vniuersalis erit natura, dum de vno inferiori prædicatur; quia prædicabilis est de multis: quare non per actualem prædicationem, sed per prædicabilitatem, vt omnes asserunt.

73 Communis ergo sententia Arist. D. Tho. & omniũ vera est, & tenenda. ***Quod natura prius sit vniuersalis, quam actu prædicetur, per potentiam prædicandi de multis: & quod fiat vniuersalis per comparationem simplicem intellectus: per quam cognoscitur in ordine ad indiuidua; & non per compositam, quæ est actualis prædicatio.*** Quam hoc argumẽto probo: intellectus potest cognoscere vnum in altero, aut in ordine ad alterum, sine affirmatione, & negatione, & sine actuali prædicatione: ergo potest cognoscere naturam in ordine ad indiuidua, per simplicem comparationem; sine eo, quod eam actu prædicet de illis: sed cognita in ordine ad indiuidua, cognoscitur vt vniuersalis: ergo per comparationem simplicem fit vniuersalis; non per compositam. Antecedens probatur duobus modis. 1. in intellectu; deinde in sensibus. In intellectu quidem; quia per simplicẽ cognitionẽ cognoscimus patrem, ordinatum ad filium; & duos parietes similes in albedine, simul in vtroq; cognita: & in tali cognitione nihil componimus, nec iudicamus: ergo absque compositione, & iudicio possumus cõparare vnũ cũ altero. Deinde in sensibus, de quibus certissimum est, non iudicare, nec componere, aut diuidere: & non est minus certum, quod cognoscant vnum in ordine ad alterum; vel comparando ad alterum: ergo idem poterit intellectus facere per simplicem comparationem naturæ ad indiuidua. Probatur minor: sensus communis, cognoscit sensibile vnius sensus externi; vt visus, non esse sensibile alterius sensus; nempe auditus: quod non potest vllo modo fieri sine cõparatione vnius cum altero: & ouis cognoscit lupum vt inimicum, & ideò fugit ab illo; & agnum vt amicum, à quo non fugit: & inter duos agnos, cognoscit hũc esse filium, & alium non: ergo cognoscit vnum in ordine ad alternm: & per comparationem cum eo; sine formali iudicio, & sine compositione, aut actuali prædicatione: ergo meliùs poterit intellectus cognoscere naturam in ordine ad indiuidua, & eam cum illis comparare; sine compositione, aut actuali prædicatione.

74 ***Pro solutione arg.*** alterius opinionis notandum est, duobus modis posse cognosci vnum in ordine ad alterum, vel comparari

parari ad illud. *Primò*, cognoscendo vtrũque extremum per se, tanquam conueniens alteri; attribuendo illud alteri: & hoc non potest fieri nisi per formale, & expressum iudicium, & comparationem compositam; quæ consistit in actuali prędicatione vnius de altero. *Secundò*, non cognoscendo vtrumque extremum per se, neque attribuendo illud alteri; sed vnum tantum cum ordine ad alterum, vt conueniens, aut disconueniens: sed non per modum attributionis, aut aliquid affirmando de conuenientia, vel disconuenientia: & hoc fit per simplicem comparationem ab intellectu, atque etiam à sensibus, vt probaui: sic autem comparatur natura ad indiuidua, & fit vniuersalis, & prædicabilis: antequam prædicetur actu de illis. Ad formam igitur argu. distinguenda est minor: quod non possit intellectus cognoscere naturam esse in indiuiduis, nisi iudicando: nã duplex est iudicium; vnum formale, & expressum; per quod intellectus iudicat vnum conuenire alteri per modum attributionis: Alterum, quasi virtuale; per quod notitia simplici cognoscit vnum in altero, vel in ordine ad alterum: tanquã ei conueniens aut disconueniens; sed non per modum attributionis. Negamus igitur; quod intellectus non possit cognoscere naturam esse in multis; nisi per expressum, & formale iudicium: & concedimus, quod non possit sine iudicio virtuali incluso in comparatione simplici; quam ideò vocamus iudicium virtuale: quia cognoscere vnum per comparationem ad alterum, fundamentum est formalis, & expressi iudicij, per quod ei attribuitur.

QVAESTIO VII.

An vniuersale sit vniuocum respectu prædicabilium: & verum genus eorum?

PRæsupponit titulus quæstionis; quid sit nomen vniuocum; quid etiam analogum? quod ex Sũmulis notum est. Quærit verò; quonam modo se habeat vniuersale respectu prædicabilium, vt analogum, vel potius, vt vniuocum; ita vt sit genus eorum. 75

Prima opinio tenet; analogũ esse, quam diuersis modis defendunt diuersi auctores: sed in eo conueniunt, quod per prius de vno, aut multis dicatur; per posterius verò de reliquis. Ita docet Albertus Magnus tract. 2. prædicabilium, cap. 9. affirmans primò conuenire generi, deinde speciei, & ratione huius differentiæ. Per posterius verò, & quasi per accidens proprio, & accidenti, tanquam prædicatis accidentalibus. Et eodem ferè modo explicat analogiam Canterus 4. cap. prædicamẽtorum. Potissimum argum. huius opinionis est, quia ens reale est analogum ad substantiam, & accidentia: sed tria prædicabilia, vt genus, species, & differentia sunt substantiæ; duo verò alia, vt proprium & accidens, sunt accidentia: ergo vniuersale, quod de omnibus dicitur, cum omnia prædicabilia sint vniuersalia, non potest esse vniuocum.

Secundò probari potest hoc modo. Vniuersale, & prædicabile conuertuntur: & se habent tanquam essentia, & propria passio: sed prædicabile est analogum, respectu omnium: ergo erit etiam analogũ vniuersale. Probatur minor: prædicatio analogicè dicitur de prædicatione per se, & per accidens, cum illa sit simpliciter talis, hæc verò solũ secũdũ quid: ergo prædicabile erit etiam analogum, cum se habeant sicut actus, & potentia, respectu præ-

ctu prædicabilis per se,& per accidés:sed tria prædicabilia,genus,species,& differentia prædicantur per se;cũ prædicentur essentialiter:& duo alia prædicantur per accidens; cùm prædicentur accidentaliter:ergo prædicabile analogũ est respectu omnium.

Secunda opinio asserit: vniuersale vniuocum esse respectu prædicabilium, & verum genus eorum sicut animal respectu hominis, & equi: & est D. Tho.in quæstionibus vniuersalibus, quæst.2.Scot.quæst.8.Ianelli.tract.4.de prædicabilibus, cap.5.& 6.Soti quæst.4.vniuersalium, & cap.de genere,quæ.vnica;& Cardinalis Toleti, quæst.2 vniuersalium: & iam ferè communis,vera,& tenenda.

76 Sed vt eam efficaciter probemus,notandum est. Vniuersale cùm sit nomen concretum, & accidentale, duobus modis sumi posse,materialiter,pro subiecto seu natura denominata, & formaliter, pro vniuersalitate eam denominante: sicut album,sumitur pro corpore, & pro albedine.Sed adhuc subiectum denominatum consideratur duodus modis,secũdum propriam essentiam, & naturam, aut in quantum denominatur ab vniuersalitate: quemadmodũ corpus sumitur, secundum quod est substantia corporea: aut in quantum denominatur albedine: quo pacto visibile est, & ad prædicamẽtũ qualitatis reducitur. Et naturæ, quæ denominantur vniuersales, si secundũ propriam essentiam,aut entitatem sumatur, quędam sunt substantiæ,& quædã accidẽtia,imò quædã accidentia realia,& quędã accidentia rationis; & cùm nihil possit esse commune vniuocum substantiæ, & accidentibus; nec accidentibus realibus, & rationis:nihil etiã potest esse cõmune vniuocum diuersis naturis,quæ denominantur vniuersales, hoc modo sumptis. Sed si accipiantur secundo modo, vniuocam rationem habere poterunt, si forma eas denominans vniuoca sit. Exemplum afferre possumus in genere; quod est primum ex quinque vniuersalibus; & considerare diuersas naturas, quæ à secunda intentione generis denominantur, tanquam à forma;vt substantiam, quantitatem,& qualitatem.Primò quidem, secũdum proprias essentias: & hoc modo nihil commune vniuocum habere possunt. Deinde, in quãtum denominãtur generæ; & cum ratio generis vniuoca sit; per vnam definitionem explicata à Porphyrio;quod sit prędicabilis,de pluribus differentibus specie in quid; vniuocè conueniunt sub ratione generis, substantia, quantitas,& qualitas: quià eodem modo denominantur à tali forma: ita vt non magis,nec prius substantia sit prędicabilis de pluribus differentibus specie; quàm quantitas,aut qualitas;sed omnino æqualiter.

Ex hac distinctione colligitur argumentum,ad probandam nostram sententiam, 77 & communem:vniuocum est,quod multa significat sub eadem ratione; sed vniuersalis significat omnia vniuersalia,aut prædicabilia sub eadem ratione: ergo est vniuocum respectu eorum.Probatur minor;illa est vna,& eadem ratio, quæ per vnam definitionem explicatur; sed ratio vniuersalis explicatur ab Aristotele per vnam definitionem;nempe, quod sit vnum in multis, aptum prædicari de multis: ergo est vna,respectu omnium vniuersalium;sub qua vniuocè conueniunt.

Ad primum arg. respondendum est, ex doctrina tradita;distinguendo maiorem hoc modo:si substantia,& accidentia sumantur secundum propriam entitatem, & essentiam; nihil commune vniuocum habere possunt: si verò sumantur vt sunt vniuersalia; vniuocè conueniunt: quia eodem modo denominãtur ab vniuersalitate;

sitate:& ideò vniuersale respectu eorum vniuocum est.

Pro solutione secundi notãdum est, quod sicut animal significat solũ naturam sensitiuam; non rationalem, aut irrationalẽ: quia differentiæ vt docet Porph. in prædicabilibus, sunt extra significationẽ generis; eodem modo vniuersale, solum dicit vnum in multis, & aptum prædicari de multis: quod verò prædicetur essentialiter, aut accidentaliter; per se, aut per accidens, extra significationem eius est, & diuersis vniuersalibus conuenit; non sub ratione vniuersalium, vel vt tali nomine significantur; sed secundum alias rationes particulares, nõ significatas per nomen vniuersale. vnde licet rationes illæ ita se habeant, vt vna sit prior altera, vel vna sit talis simpliciter, alia secundũ quid; non ideo commune nomen quo significantur, desinit esse vniuocum.

Nunc ergo ad formã arg. neganda est minor; quod prædicabile, aut prædicatio sit analogum, respectu quinque prædicabilium; nam licèt quædam illorum prædicentur essentialiter, aut per se; alia verò accidentaliter, & per accidens: istæ tamen rationes particulares non pertinent ad significationem prædicabilis; sed solum potentia prædicandi in communi; quę cum sit eadem in omnibus, vniuocè significantur omnia prędicabilia, per nomen prædicabile omnibus cõmune: nec tollitur vniuocatio per particulares rationes, eodem nomine non significatas.

QVAESTIO VIII.

An vniuersale sit adæquatum obiectum libri prædicabilium, vel potius prædicabile?

19 LIber prædicabilium pars quædam est totius Logicę: & ideò aliquod obiectum partiale debet ei correspondere; quod sit quasi pars totalis, & adæquati obiecti eiusdem sciẽtiæ: de quo inquirimus, an sit vniuersale, vel prædicabile. cum sit certum nullum aliud, præter hæc, obiectum esse posse: ex quibus illud erit obiectum, cui generales cõditiones obiecti, quæstione vltima procemiali à nobis traditæ conueniant, potiùs quàm alteri.

Prima opinio defendit, prædicabile esse obiectum, potiùs, quàm vniuersale; quæ attribui solet Scoto, & defenditur à multis modernis. Habetque duo arg. *Primum*, illud est obiectum alicuius partis, vel scientię, quod continet omnia, de quibus illa agit; sed vniuersale non continet omnia, de quibus agitur in hoc libro: ergo non est eius obiectum: probatur minor. Porphyrius in cap. de specie agit de indiuiduo, atq; etiã de specie subijcibili; quæ non sunt vniuersalia: quia indiuiduum nõ est in multis: nec species subiicibilis, in quantum talis respicit indiuidua.

Secundum, illud est obiectum formale scientiæ, sub cuius ratione formali cõsiderat omnia; sed omnia quæ tractantur in hoc libro, considerantur sub ratione prædicabilis; & non sub ratione vniuersalis: ergo vniuersale non est obiectum, sed prædicabile: minorem probo, ex definitionibus prædicabilium; quas tradit Porphyrius, per prædicabile; vt definitionem generis, quod sit prædicabile de pluribus differẽtibus specie, in eo quod, quid: & sic de cęteris, vnde; & librũ prædicabilium vocat opus hoc.

Secunda opinio, asserit vniuersale potius esse obiectum: quam tenet D. Tho. quæst. 9. de obiecto huius libri. Sotus quæst. 4. vniuersalium. Toletus quæst. 1. *& videtur nobis probabilior, & tenenda.* Pro eius declaratione notãdum est, ex doctrina D. Tho. opusc. 48. cap. 1. quod intellectus tribuit naturæ vniuersalitatẽ, tanquã fundamentum

tum cæterarum denominationum: quia primum quod in ea intelligit, est esse in multis; & ideò vocat eam vniuersalem: & quia ex ratione essendi in multis, sequitur posse prædicari de multis; statim ei tribuit denominationem prædicabilis: deinde alias denominationes speciales, generis, & speciei. Vnde sequitur; quod sicut primum, quod est in aliqua re, tanquam fundamentum aliorũ, est eius essentia: ita vniuersalitas; quæ est prima denominatio naturæ; sit quasi essẽtia eius in ordine Logico: prædicabilitas verò, passio omnibus vniuersalibus communis.

Ex hac doctrina D.Tho. vera & necessaria, hoc argumento colligitur, ad probandam eius sententiam, & nostram. Vniuersale, & prædicabile, considerantur per se in hoc libro; & illud se habet tanquam essentia; hoc verò tanquã propria passio: ergo vniuersale potius est obiectum, quam prædicabile. Probatur consequentia: quia officium scientiæ est probare passiones de subiecto: sed in hoc libro probatur de vniuersali, quod sit prędicabile; tanquam posterius de priori: ergo tanquã propria passio de subiecto: quod non potest conuenire prædicabili; cum nullam habeat passionẽ, quæ de illo probari possit, ergo nec potest esse obiectum.

81 ***Ad Primum*** argumentum alterius opinionis, neganda est minor, quia species subijcibilis, & indiuiduũ, suo modo continentur sub vniuersali: non quod vniuersalia sint formaliter, sed quia termini sunt relationis vniuersalitas, generis, & speciei; genus enim vniuersale est, quia est in multis speciebus, de quibus aptum est prædicari: & ex hac relatione generis ad species, resultat in eis relatio alia subijcibilitatis, per quam dicũtur illam terminare, vt in cap. de specie explicabitur. Et eadem ratione indiuiduum, est terminus relationis speciei, à qua vniuersalis & prædicabilis denominatur: quia in multis indiuiduis est, & de illis apta prędicari: & ideò indiuidua, & species subijcibiles, ad genus, & speciem, tractatum eorum reducuntur.

Ad secundum respondeo, distinguendo minorem: quia vniuersale considerari à Porphyrio in hoc libro, sub ratione prædicabilis, duobus modis intelligi potest. Primo, ita, vt prædicabilitas sit ratio obiectiua, quæ consideratur, & in hoc sensu negandum est, quia cum vniuersalitas sit essentialis ratio, & fundamentum prędicabilitatis, atque aliarum denominationum, quas intellectus tribuit naturæ, ratio obiectiua est, sub qua considerantur omnia. Secundo modo potest intelligi, sub ratione prædicabilitatis considerari omnia, tanquam sub passione communi, quæ de quinque vniuersalibus in hoc opere demonstratur: & in hoc sensu cõcedenda est minor: sed ex ea nõ bene infertur, quod prędicabile sit obiectũ, sed solũ, quod sit passio, quę de obiecto demonstratur. Demonstratur autem hoc modo: quidquid est vnum in multis, & prędicabile de multis: sed gen⁹ est in multis speciebus: ergo prędicabile de illis est: & sic de cęteris prędicabilib⁹ quę per prędicabilitatem definiuntur à Porphyrio, tanquam per propriã passionem, magis nobis manifestam: & ideo definitionibus, non quidditatiuis: sed descriptiuis, vt in cap. de genere explicabitur. Et eodẽ modo intelligendum est, librum quinq; prędicabilium, vocari hoc opus, de nominatione sumpta à communi passione, quæ de illis demonstratur magis nota, potius quam ab vniuersali, quod eius obiectum est.

QVAE-

QVAESTIO IX.

An prædicabilia sint quinque, vel plura, aut pauciora?

82 SIcut prædicamentorum artem, inuenit Arist. vt modos essendi omnium rerum, ad certa quædam capita reduceret; & ita facilè possemus agnoscere earum naturam, cognito prædicamento, in quo collocatur; ita Porphyrius inuenit artem prædicabiliũ; vt ad certa capita reduceret omnes prædicationes: & nos facilè possemus cognoscere, qualis sit prædicatio quæcunque; essentialis, aut accidentalis: & essentialis, generica, aut specifica: & eodem modo accidentalis; accidentis proprij, aut communis, ex quarum cognitione naturas rerum cognoscere possimus. Vt autem hanc artem prædicabilium melius possimus intelligere; necesse est determinatum numerũ eorum cognoscere: & ideo quæstio vltima vniuersalis, de eorum numero inquirit; an quinque sint? ita vt nec plura, nec pauciora: & licèt non sunt diuersæ opiniones, circa numerum: sed oẽs Porphyrium sequantur auctorem huius libri, ponentem tantum quinque.

Quędam tamen argumenta in contrarium proponemus; quæ videntur probare, ex vna parte pauciora esse; ex alia verò, esse plura: vt ex eorum solutionibus, veritas manifesta fiat: probatur ergo, pauciora esse quàm quinque; duobus argumentis. Primo, prædicabilia, & prædicata, solum distinguuntur, tanquã potentiæ, & actus: quia prædicabile est, quod potest prædicari de alio: & prædicatum, quod prædicatur actu: sed prædicata sũt quatuor, & non plura; vt docet Aristoteles primo lib. Topicorum, c.2.3. & 4. nẽpe, genus, definitio, proprium, & accidens; ergo quatuor tantum erunt prædicabilia.

Secundò; Porphyrius distinguit duo 83
prædicabilia, generis, & differentię; quia genus prædicatur in quid, & differentia, in quale quid; sed definitio continet vtrumque: ergo pro duobus prædicabilibus sufficiet. Probatur consequẽtia: quia de eisdẽ prędicatur definitio; de quibus prædicantur genus, & differentia: & prętereà continet modum prædicandi vtriusque, in quid, & in quale quid, per modum vnius prędicabilis: nam si definitio sit speciei subalternæ, vt viuens, sensibile, prædicatur de pluribus differentibus specie, nempe de homine, & leone, sicut genus: si verò sit speciei infimæ, vt animal rationale, prædicabitur de pluribus differentibus numero, vt de Petro & Ioanne prædicatur differentia, ergo nõ sũt distinguenda duo prædicabilia generis, & differentiæ, sed sufficiet definitio pro vtroque, & ita erunt quatuor tantum, & non quinque.

Altera verò pars, quòd prædicabilia sint plura, quam quinque; probari potest. Primò, quia Porphyrius in cap. de genere, distinguit prædicabilia per ea, de quibus prædicantur, vt genus ab specie: quia prædicatur de pluribus differentibus specie: hæc vero de pluribus differentibus numero: & sic de cæteris. sed si ita distinguantur, sequitur septem saltem esse ponẽda, ita vt duo sint prædicabilia differentiæ, & duo alia proprij. Probatur consequentia: quia differentia subalterna, vt corporeum, prędicatur de pluribus differentibus specie, nempe de corpore viuente, & non viuente: si vero sit infima vt rationale, solum de pluribus differentibus numero, nempe de Petro & Ioanne: ergo distincta efficient prędicabilia. Proprium etiam si sit subalternum, vt sensibile, quod sequitur naturam speciei subalternę animalis, prædicatur de pluribus differentibus specie, nempe de equo, &

leone: si autem sit infimū, vt risibile; prædicatur solum de differentibus numero, vt de Petro, & Ioanne: ergo erunt septē prædicabilia.

24 *Secundò*, indiuiduum vagum, vt quidam homo, prędicatur de pluribus differentibus numero, vt de Petro, & Ioanne: & tamen non est species, quia non prædicatur in eo quod quid. Et etiam, actualis existentia idem habet: ergo aliud prædicabile distinctum ab specie, ponēdum est pro illis. Probatur minor: quia sicut quidam homo, non dicit essentiam, aut quidditatem indiuiduorum, sed cōmunem rationem indiuidui, quæ vel accidentalis est, vel saltem extra essentiam eorū, ita existentia actualis, non pertinet ad essentiam alicuius creaturæ, facile eam amittentis per corruptionem, aut potentis eam amittere, per annihilationē. Quare non prædicatur in quid, cum prædicari in quid, idem sit, quod prædicare quidditatem, aut essentiam rei.

25 *Vera tamen est sententia Porphyrii, & cōmunis in schola.* Sed tota difficultas eius consistit in assignanda ratione, per quam sufficienter probetur, prædicabilia non esse plura, aut pauciora, quam quinque: & diuersæ assignantur à diuersis, nam quidam prædicabilia distinguunt per ea, de quibus prædicantur, alij per ea, quæ de re aliqua cognosci possunt, quæ videtur esse quinque. Sed rationes istæ insufficientes mihi videntur. Sufficiēs verò, per quam probatur efficaciter prædicabilia non esse plura, nec pauciora, quam quinque ex modo [illegible] ... se habendi [illegible] ... da ... [illegible] ... bili, libus earum: ergo prædicabilia distingui debent per diuersos modos prædicandi.

Hoc igitur discursu probari debet, quod non sint plura, nec pauciora quàm quinque. Ea quæ constituunt prædicabilia, in primis debent esse vniuersalia, quia prædicabile tanquam propria passio vniuersalis, cū eo conuertitur: sed vniuersale est vnum in multis: ergo nihil erit prædicabile, si non sit vnum. Vt autem sit vnum, simplex debet esse, hoc est, non complexum: quia complexum non est vnum, sed plura; vt homo albus, aut animal rationale. Præterea, si vnum est, vniuocum erit, non æquiuocum, neque analogum: per primam igitur conditionē excludūtur prædicata complexa à ratione prædicabilis, vt dēfinitio. Per secūdam verò, æquiuoca, & analoga; vt canis, ens, accidens, & similia. Deinde, quod vnum est, hoc est incomplexum, & vniuocum quinque tantum modis se habere potest in ordine ad subiectū: ergo quinq; tantum modis potest de illo prædicari: quare quinque tantum erunt prædicabilia. Probatur antecedens, nam vel prædicatur essentialiter, vel accidentaliter: & si essentialiter; aut per modum totius actualis; quia totam essentiam subiecti actu continet, vt prædicatur homo de Petro & Ioanne, & est prædicabile speciei: aut per modum totius potentialis, quod verè est pars materialis eiusdem speciei; & ideò contrahibile per differentias, tanquam per formas, & est genus: vel per modum partis formalis, actualis, & contrahentis; & est differentia. Si verò prædicetur accidentaliter; aut per modum eius, quod ab essentia procedit, & cum ea conuertitur; & est proprium: & si per modum accidentis extrinseci, aut cōmunis, dicitur prædicabile accidentis: & cū non sint possibiles alij modi prædicandi, præter istos, & ad eos reduci possint omnes

nes prædicationes; sequitur quinque tantum esse prædicabilia; ita vt nec plura, nec pauciora. Pro solutione primi arg. notanda est differentia inter prædicabile prædicatum, & prædicamentum; quòd prædicamentum est quædam ordinatio essentialis prædicabilium, secundum debitam subiectionem, & prædicationem; à supremo genere, vsque ad vltimam speciem, & indiuiduum; vt prædicamentum substantiæ, est ordinatio hæc; substantia, corpus, viuens, anima, homo, Petrus.

86 Prædicata verò sumpsit Arist. primo lib. Topicorum, cap. 2. 3. & 4. per ordinem ad propositionem Dialecticam, seu probabilem; ex qua efficiatur syllogismus Dialecticus, aut probabilis. & quia forma syllogistica petit propositiones de subiecto cõmuni (nã ex propositionibus singularibus, nõ fiunt, nisi syllogismi expositorij, qui non habent modũ, nec figuram, nisi per ordinẽ ad propositiones vniuersales) ideò sumit rationẽ prædicatorum, ex ordine ad subiectum cõmune.

Ex quibus sequitur, quatuor tantum esse prædicata, quod sic probatur. Species non est prædicatum, sed subiectum cõmune, in ordine ad quem sumitur, distinctio prædicatorum: quod adeò verum est, vt non sit aliud subiectum cõmune præter illam. Quo supposito, vel prædicatũ conuertitur cum specie, aut vniuersalius est, si conuertitur cum ea: vel est intra essentiam eius, & erit definitio, vt animal rationale: vel ex ea naturaliter sequitur, & erit proprium, vt risibile respectu hominis: si verò vniuersalius est specie, vel ad quidditatẽ eius pertinet, & est genus: aut extra illam est, & erit commune accidens. differentiam verò, cum genere numerandam esse docet Arist. ca. illo 3. his verbis: *Differentia cum generalis sit, cũ genere ordinanda est.* Et loquitur de differentia subalterna, quia hæc tantum generalis est, quia cum genere cõuertitur, vt corporeum cũ corpore: si verò sint infima, ad definititionem reducitur. In distinguendis verò prædicatis, nihil dicitur de modis prædicandi, in quid, aut in quale quid, generis & differentiæ: quia in ordine ad propositionem Dialecticam, & syllogismum, nullam distinctionem efficiunt: cum idem sit modus disputandi probabiliter in his propositionibus, in quibus prædicatum est vniuersalius subiecto, & intra essentiam eius est; siue sit genus, vel differentia. Nec sunt diuersa prædicata complexa ab incomplexis; si eodem modo se habeant in ordine ad subiectum cõmune: quia eodẽ modo disputatur de propositionib⁹ Dialecticis, ex vtroq; factis, & ideo definitio inter prædicata numeratur: quæ tamẽ à prædicabilibus excluditur propter complexionẽ.

Prædicabilia tãdem in ordine ad prædicamenta sumuntur, & ideo definitio 87 excluditur: quia prędicamentum ex solis simplicibus fit, genus verò, species, & differentia, in eo collocantur. Numerus verò prædicamentorum, ex diuersis modis essendi accipitur, quorũ primus est mod⁹ essendi per se: modi verò essendi in alio, qui accidentibus cõueniunt, nouem sunt, & ideo sequitur decem esse prædicamenta, quatuor prædicata, & quinque prædicabilia.

Et ad formam argumenti, negandum est antecedens, quod prædicatum, & prædicabile solum distinguantur tanquam actus, & potentia: nam si prædicatum cõmunissimè accipiatur, non est actus prædicabilis, nec etiam si accipiatur speciali modo, pro prædicato topico, sed solum se habet ad prædicabile, sicut actus, si accipiatur tali modo, nempè vt petit natura eiusdem prædicabilis. Secundum verò argumentum huius partis, ex doctrina tradita solutum est.

Ad primum verò alterius partis respõdeo, quod Porphyrius non distinguit genus ab specie per ea, de quibus prędicantur nisi adiũcto tali modo prædicãdi, ex quo essentiales distinctio prædicabilium sumenda est.

88 *Ad secundum* argumentum, respondent quidam, indiniduum vagum non prædicari vniuocè de Petro & Ioanne, sed æquiuocè, quia cum indiuidua talia sint per differentias indiuiduales omnino diuersas, nihil commune habere possunt, præter nomen. Ego verò probabilius esse teneo, quod à differẽtiis indiuidualibus, possit abstrahi cõceptus communis modalis: quia omnes conueniunt in eo, quod sint modi particulares, & substantiales, determinantes speciem, vnde ratio modi particularis, in cõmuni cõsiderata, quã significat indiuidiuum vagũ, vniuoca est respectu indiuiduorum. Ideò alio modo respondeo, concedendo, quòd indiuiduũ vagum non prædicetur propriè in quid, sicut species, sed prędicatur modo simili, cùm significet modum substantialem: & ratione huius similitudinis reducitur ad prędicabile speciei: quia cum non sit prędicatum naturæ, sed modi eiusdẽ naturæ, non debet pro eo poni distinctum prædicabile, sed ad prædicabile naturæ reduci. Et eo modo sentiendum est de actuali existentia.

89 Sed duo restant breuissima dubia, quæ aliquo modo pertinent ad numerũ prædicabilium. Et ideò in fine huius quæstionis soluenda sunt. *Primum est*, an supposito, quod quinque prędicabilia sunt species vniuersales, Vniuersale sit genus immediatum eorum, vel remotum: ita vt inter illud, & prædicabilia, detur aliud genus immediatum; sicut viuens dicitur remotum genus hominis, & equi, quia inter ipsum, & species has mediat animal. Cui respondeo, non esse immediatũ genus, sed remotum: quod hoc argumento probatur. A quacumque conuenientia essentiali, abstrahi potest conceptus communis eis; quæ essentialiter conueniunt, sed prædicabilia conueniunt essentialiter in aliqua ratione inferiori vniuersali: ergo illius rationis dari poterit conceptus vniuersali inferior; qui prædicabitur de eisdem specie differentibus: & ideò erit genus eorũ immediatum; vniuersale verò remotum. Probatur minor; quia tria prędicabilia conueniunt in modo prędicandi intrinseco, aut essentiali; nempè genus, species & differẽtia: & duo alia in modo prædicandi accidentali; nẽpè proprium, & accidens: ergo prædicabile essentialiter erit commune illis; & prædicatum accidentale erit commune his; & magis proximum, quam vniuersale: & quodlibet prædicatur de pluribus speciebus; illud de tribus, hoc de duobus: ergo erunt genera magis proxima, quam vniuersale; & consequenter nõ erit vniuersale genus proximum eorum, sed remotum.

Secundum dubium est, an quinque prædicabilia sint species subalternæ, habentes sub se alias species; sicut animal, aut viuens; vel infimæ nõ habentes sub se alias species, sed solum indiuidua; vt homo, vel equus, & reliquæ species infimæ aliorum generum. Si enim dicatur esse species subalternas; sequitur prædicabilia plura esse quam quinque; quia cum eis debebunt connumerari species, quas sub se habent: si verò sint infimæ; non erit maior numerus prædicabilium. Respondeo esse species infimas; quod ita probo: Prædicabilia distinguuntur specie; per diuersos modos prædicandi; sed isti modi non sunt diuisibiles in alios: ergo prædicabilia non habent alias species. Probatur minor; quia modus prædicandi generis est, quod prędicetur, vt pars materia-

materialis speciei; & per modum totius potentialis, contrahibilis per differentias;sed impossibile est dari genus, quod non prædicetur eodem modo: ergo modus iste non est diuisibilis in alios;& hoc est genus esse speciem infimam vniuersalis.Et idem arg. fit de cæteris prædicabilibus:quare nullum eorum species subalterna esse potest.

TRACTATVS DE NATVRA ENTIS RATIONIS, ET SECVNDARVM INTENTIONVM.

Septem hoc ordine disputāda sunt de Ente rationis. Primum, an sit. Secundum, quid sit. Tertium, quoduplex sit. Quartum, an à solo intellectu, vel ratione fiat; aut etiam ab aliis potentiis. Quintum, an à solo intellectu nostro vel etiam ab angelico, & diuino. Sextnm, ad quam scientiam pertineat de eo agere. Postremum, quonam modo ad ordinem prædicamentalem reducatur.

An Ens rationis sit?

1 PAuci quidam, & sine fundamēto negant Ens rationis esse, vt Vallesius controuersia 9. ad Tyron. & alij: ideò non est opinio vocanda, nec tenenda; sed communis sententia totius scholæ: ***quod Ens rationis sit***. Vt autem eam intelligamus, notandum est: duplex esse ens rationis. ***Primum***: quod directè, & per se fit à ratione, vel intellectu, & in eo inhæret tanquam in subiecto; & hoc est operatio ipsius intellectus: & ideo est Ens reale; sicut operatio visus: & solùm dicitur Ens rationis, quia fit à ratione. Aliud est Ens rationis; quod non fit directè ab intellectu, nec per se; sed quasi per accidens sequitur operationem eius; vt si intellectus componat hanc propositionem; homo est animal: compositionē ipsam; quæ est operatio realis intellectus, sequitur denominatio propositionis, & prędicati, atque subiecti; quæ denominationes non sunt aliud, quam relationes quædam rationis, totius propositionis comparatæ ad prædicatum & subiectum, tāquam ad partes: & eiusdem prædicati, & subiecti inter se: nam eo ipso, quod vnū attribuitur alteri; illud dicitur prædicatum, & hoc subiectum. Et primum Ens rationis, non propriè dicitur tale; cùm sit Ens reale: & ideò non agimus de eo; sed solùm de secundo: quod non est in aliquo tanquam in subiecto, sed solùm habet esse, dum cognoscitur ab intellectu: & ideò dicitur solum esse obiectiuè in intellectu. De hoc ergo ente rationis, est nostra conclusio; ***quod sit in rerum natura***: quæ colligitur ex Arist. 4. Meta. tex. 3. lib. 4. 13. & 4. & lib. 6. tex. 8. quibus locis docet, Ens vniuersalissimum, diuidi in illud, quod est in rebus, & aliud, quod non in rebus, sed solùm in mēte dicitur esse. Quod est solū esse obiectiuè in intellectu: & eandem conclusionem sequitur tota schola.

Probatur ratione; quia intellectus cōponit propositionem ex duobus extremis, quę non distinguuntur à parte rei; vt ex homine & Petro: & ex solo Petro facit propositionē identicā, efficiēs ipsum prædicatum, & subiectum: sed distinctio, & at-

& attributio vnius ad alteram, est ordinatio ad illud: & ordinatio est relatio inter illa; nō realis: quia à parte rei, nec distinguitur Petrus à seipso; nec ad se ipsum ordinatur: ergo est, relatio rationis, aut Ens rationis; sequitur ergo, quod Ens rationis detur, & sit.

Quid sit Ens rationis?

2 Circa essentiam Entis rationis, est *prima opinio*, asserentium; omnem denominationem extrinsecam esse Ens rationis; vt denominatio, à qua paries dicitur dexter; quia est à manu dextra hominis; aut lapis dicitur visus, quia videtur à nobis. Quod *probant* 1. quia denominatio est opus rationis: ergo non datur ante operationem intellectus: sed denominationes extrinsecæ nihil in rebus denominatis ponunt, præter denominationem ipsam, quam intellectus efficit: ergo sunt entia rationis. Probatur minor; quia lapis nihil acquirit per hoc, quod sit ad meam dexteram, nisi denominationem dextri: & sic de reliquis.

Secundò; denominationes extrinsecæ sunt relatiuæ; & non fiunt à relationibus realibus: ergo à relationibus rationis; quod est esse Entia rationis. Maiorem sic sic probo; quia per denominationes extrinsecas referuntur res denominatæ ad alias; vt paries dexter, ad hominem, ad cuius dexteram est. Minorem verò: quia per tales denominationes nullam relationem realem acquirunt res denominatę: vt paries ex eo, quod videatur; nō acquirit relationem realem ad hominem eum videntem.

Sed hæc sententia falsa est. *Probatur duobus arg. Primò*. Ens rationis non habet aliud esse, quam cognosci ab intellectu; & ideo non datur ante operationem intellectus; sed denominationes extrinsecæ dantur ante operationem intellectus: ergo non sunt Entia rationis. Probatur minor. Deus dicitur creator; & paries qui videtur ab aliquo animali, dicitur visus; non solùm antequam cognoscantur ab intellectu; sed etiam si nullus sit intellectus in rerum natura: ergo denominationes extrinsecæ dantur ante operationem intellectus; & ideò non possunt esse Entia rationis.

Secundò: Istæ denominationes (quamuis non fiant ab aliqua forma inhærente in rebus denominatis; & ideò appellentur extrinsecæ) reales sunt: ergo non sunt Entia rationis. Consequentia euidens est; quia Ens rationis nihil habet reale, sed solùm cognosci ab intelectu. Antecedens probatur; quia Deus realiter dicitur creator, & paries realiter visus. Ergò denominationes istæ sunt reales.

Ad argumentum huius opinionis, distinguendum est antecedens; quod denominatio sit opus rationis. Nam denominatio duplex est. vna, quæ fit ab aliqua forma reali, siue inhæreat in re denominata; quales sunt denominationes intrinsecæ; aut in alia ab ea diuersa, vt denominationes extrinsecæ; & istæ nō sunt opus rationis, nec ab intellectu dependent; sicut nec dependet forma realis, à qua fiūt. quia si dependerent; sicut nō denominatur paries visus, ante operationem intellectus, ita nec denominaretur homo albus ab albedine; quod patet esse falsum. Alia est denominatio; quæ nō fit à forma reali; sed solum tribuitur ab intellectu rebus intellectis. Vt denominatio subiecti, aut prædicati: & de hac denominatione verum est, quod sit opus rationis; sicut forma à qua fit. Quæ est relatio rationis, dicitur fieri ab intellectu.

Secunda opinio asserit, nō omnes denominationes extrinsecas esse Entia rationis: sed eas tātum, quas res cognita accipit ab actu intellectus, per quem cognoscitur; & à quo denominatur intellecta 3

& co-

& cognita. Et vt vno verbo sensus huius opinionis declaretur; Ens rationis asserit esse, illud esse cognitum; quod acquirit res, quando cognoscitur ab intellectu: quod patet esse extrinsecam denominationem.

Sed hæc opinio eisdem rationibus probatur falsa, quibus falsitas alterius probata est; quia non est minus realis denominatio cogniti (quamuis sit extrinseca) quã denominatio visi in pariete, aut denominatio creatoris in Deo: ergo non potest esse Ens rationis; quia Ens rationis nihil reale habet.

Communis sententia duabus conclusionibus explicatur. *Prima, Ens rationis non est aliquid inhærens rebus denominatis, nec denominatio extrinseca ab aliqua forma reali existente in alio, sed sola denominatio, quam eis tribuit intellectus.* Probatur hoc argumento: Esse genus, aut esse speciem, non conuenit homini, aut animali à parte rei; sed has denominationes tribuit eis intellectus per comparationem ad inferiora: ergo, nec sunt aliquid inhærẽs, nec fiunt ab aliqua forma reali existente in alio. Probatur consequẽtia; quia id quod inhæret alicui, vel fit à forma inhærente in alio; conuenit illi à parte rei.

4 *Secunda conclusio: Licet Ens rationis non sit aliquid inhærens, & ideò possit dici extrinseca denominatio, tamen habet similitudinem cum forma inhærente: & propter hanc similitudinem potest dici denominatio intrinseca.* Prima pars huius conclusionis, sequitur euidenter ex conclusione præcedente iã probata: secunda verò pars; quod possit dici denominatio intrinseca, propter similitudinem, probatur: quia denominatio generis, speciei, prędicati, & subiecti; similes sunt denominationibus realibus, prouenientibus à formis inhærentibus; vt denominationibus albi, & nigri: ergo sicut istæ sunt verè denominationes intrinsecæ; ita illæ possunt dici intrinsecæ per similitudinem.

Quotuplex sit Ens rationis.

PRima diuisione diuiditur Ens rationis; in illud quod habet fundamentũ in re: & aliud, quod non habet fundamentum; sed verè impossibile est. Ens rationis habens fundamentum, est denominatio illa, quæ attribuitur ab intellectu rebus tali modo ab eo cognitis, quã denominationem petit natura earum, vt tali modo cognita. Verbi gratia dum cognoscit intellectus naturam humanã abstractam ab indiuiduis, & eam comparat cum eis, petit vt ita cognita, denominationem speciei: & ideò talis denominatio est Ens rationis, habens fundamentum in re.

Sed fundamentum hoc duobus modis intelligitur à diuersis modernis. *Primò*, ita vt solum consistat in modo nostro intelligendi; qui ea quæ verè non sunt distincta, distinguit, & ea quæ verè non sũt separata ab inferioribus, separat, vel abstrahit, non tamen in rebus ipsis. Ab aliis verò non solum in nostro modo intelligẽdi, sed in rebus ipsis cognitis fundamẽtum habere Entia rationis, affirmatur. 5

Sed pro huius intelligentia notãdum est, *Primò*: necessarium esse ad efficienda Entia rationis, & attribuenda rebus cognitis, quod imperfectè cognoscãtur: hoc est, per plures conceptus, cùm tamen per vnum cognosci possent ab intellectu perfectè cognoscente. Exempli gratia: vt intellectus attribuat homini denominationem speciei, & prædicati, huius propositionis: Petrus est homo, debet illum cognoscere quasi abstractum, aut separatum, atque distinctum ab eo, cùm tamen à parte rei, non distinguatur, nec separatus sit. Verum hoc sine mendacio facit; quia sine affirmatione

aut:

aut negatione,sed per hoc tantum,quod vnum cognoscit sine alio: & hoc prouenit ex imperfecto modo cognoscendi; quia non totum simul, sed quasi per partes cognoscit,vel per diuersos gradus. Vt dum distinguit in anima rationali,gradū vegetandi,sentiendi, atque intelligendi; cum tamen anima ipsa sit simplex quædā substantia.

Secundo notandum est; in rebus ipsis cognitis dari etiam fundamentum;vt cognoscantur distinctæ,aut vt eis attribuatur talis denominatio; quæ dicitur Ens rationis:vt in rebus compositis ex materia; & forma, reperitur vnitas formalis; quam tribuit ei forma; & etiā vnitas numerica,quæ ex hac materia,& forma sumitur; aut si ex sola forma diuersa ratione, ac sumitur numerica: quia formalis sumitur à forma,vt est principium,&radix prædicatorum essentialium, numerica verò ab eadem,vt est prncipalis pars componens. ex hoc ergo reperitur fundamentum in natura humana,vt intelligi possit,in ea vnitas formalis,non intellecta vnitate numerica:quod est abstrahi ab indiuiduis:atque etiam,vt cum multis eorū cōparetur,& denominetur species; aut cum vno tantum, per modum attributionis;&denominetur prædicatum.

6 His suppositis,nostra sententia explicatur duabus conclusionibus. *Prima est: Ens rationis aliquando habet fundamentum, non solum in nostro modo intelligendi imperfecto, sed in rebus ipsis,quæ ex propria natura habent fundamētum,vt eis tribuatur talis denominatio.* Probatur vnico argumento, ex doctrina tradita.Non solum in nostro modo cognoscendi imperfecto, sed in rebus quas concipimus, datur aliquando fundamentum, vt possit in eis cognosci vnum sine alio: ergo datur fundamentum, vt possint eis tribui denominationes quæ sunt entia rationis.Probatur antecedens *primò*:in natura humana,in qua datur fundamentum cognoscendi vnitatem formalem,non cognita vnitate numerica:ergo datur fundamentum abstrahendi eam ab indiuiduis, & comparandi cum multis, comparatione simplici, & attribuendi ei denominationem speciei, aut cum vno tantum comparatione composita,per modum attributionis, & tribuendi illi denominationem prædicati. *Secundò*:in anima rationali, in qua datur fundamentum distinguendi gradum vegetatiuum,sensitiuum,& rationalem; & hoc fundamentum non est aliud, quam eminentia seu perfectio eius,ratione cuius sub gradu formæ superioris non dependentis à materia,continet alios gradus, qui in diuersis formis inferioribus reperiuntur.

Secunda conclusio. Entia rationis aliquādo non habent fundamentum in rebus quibus attribuuntur, sed in aliis, aut in solo modo nostro intelligendi imperfecto. In hac conclusione coueniunt omnes, & probatur duplici exēplo. *Primò*, in Deo, in quo distinguimus iustitiam à misericordia: non propter fundamētum in eis existens, sed in creaturis, in quibus virtutes istæ distinctæ sunt. *Secundò*, in propositionibus, quæ dicuntur indēticæ,quia idē prædicatur de se ipso,vt in hac,Petrus est Petrus: in qua intellectus distinguit Petrū à seipso,eum faciens quasi duos:& tribuit illi denominationem prædicati,& subiecti,cuius distinctionis nullum est fundamentum in eo, sed solū in modo cognoscendi imperfecto,qui distinguit quasi in duo extrema illud,quod in se nec distinctum est,nec habet fundamentum, vt à se ipso distinguatur. 7

Ex his conclusionibus sequitur,distinctionem rationis duplicem esse,vt communis consensus scholæ asserit. Vna est, quæ habet fundamētum in rebus ipsis, & hæc

hęc dicitur distinctio Rationis ratiocinatæ; quam ponimus inter vniuersale, & singularia, & inter diuersos gradus vegetandi, sentiendi, & intelligēdi animæ rationalis: alia est distinctio, non habens fundamentum in re ipsa cognita, sed in alijs; aut solum in nostro modo cognoscendi imperfecto; vt ea, quam ponimus inter Petrum, & seipsum, dum prædicatur in propositione identica. Et hæc de Entibus rationis habentibus fundamentum in rebus.

8 Alia sunt Entia rationis, quæ nullum habent fundamentū in rebus: sed ex quibusdam impossibilibus ab intellectu cōiunctis finguntur, vt Chimęra, & Sphinx, ex impossibilibus coniunctis fieri dicimus: non quod impossibilia in se sint; hoc enim non est necessarium: sed quia licèt possibilia sint coniunctio tamen impossibilis iudicatur: & hoc modo dicitur chimæra impossibilis: quia ex rebus diuersæ speciei; vt ex parte aliqua hominis & ex alia parte leonis, alteriusue animalis quasi composita fingitur. Et huiusmodi Entia rationis, in infinitū possunt multiplicari ab intellectu; sicut infinitis modis potest res diuersæ speciei coniūgere.

9 Secunda diuisio Entis rationis, quasi subdiuisio est primi membri. Nam Ens rationis habens fundamentum in rebus, diuiditur in tria membra; nempe, in negationem, priuationem, & relationem: quam diuisionem insinuauit Arist. 4. lib. Meta. tex. 2. & lib. 5. cap. 7. tex. 14. asserens priuationem, & negationem, esse non Entia: vt significaret, non esse vera Entia realia; sed ad similitudinem eorū facta ab intellectu. Et in secundo loco, præter vera Entia; quædam alia esse docet, non tam vera secundum entitatē; quàm secundum veritatem prædicationis, tam affirmatiuæ, quàm negatiuæ: quę non possunt esse, nisi Entia rationis; quæ vocantur priuationes, & negationes. De relatione verò rationis, egit cap. 15. eiusdem libri, explicans relationis tertij generis mensurabilis, & mensuræ; docensq; mensuram referri ad mensurabile, non per relationem intrinsecam, sed extrinsecam mensurabilis ad ipsam; cùm tamem certum sit, nihil posse ad aliud ordinari, nisi per relationem in se existentem; quam certum est etiam non habere mensuram in se; quæ potius est res absoluta. Intelligit ergo Arist. referri, per relationem factam ab intellectu, eandem mensuram ordinante ad mensurabile: ac si ex propria natura ordinaretur. Eandem diuisionem videtur colligere ex his locis D. Tho. quæst. 21. de veritate ar. 1. d. 2. quæst. 1. ar. 3. & d. 19 q. 1. art. 1. & est iam communis in schola.

Sed circa negationem, & priuationē, duo sunt adnotanda; vt eorum natura, & distinctio intelligatur; ***primum est***, duobus modis posse vtramque considerari: ***primò*** secundum se, aut secundum suas essentias, nempè; vt sunt negationes alicuius formæ realis; & in hac significatione dicuntur ab Aristotele non Entia realia: quia cum Ens reale habeat esse ab aliqua forma reali; negatio aut priuatio, quæ formam realem negant; consequenter dicuntur negare Ens reale: & ideo non esse entia realia, sed potius non entia, vt Arist. 1. & 5. lib. Physicorum docuit. Quod de Ente simpliciter intelligendum est, nam negationes formæ realis, entia realia secūdum quid vocantur, hoc est, non positiua, sed negatiua. In hac etiam significatione docuit Aristoteles 1. lib. Physicorum de priuatione, quod sit principium rei naturalis. Et de negationibus, docet D. Tho. in opusculo de Ente, & essentia, quod sint de essentia naturæ realis. Vt de essentia hominis est esse non equum, aut non hinnibilem. In hac

tandem significatione sumptæ, verum est, & necessarium; quod detur ante operationem intellectus, & ab eo non dependeant. Probatur euidenter, quia non potest priuatio esse principium generationis naturalis, si dependeat ab intellectu, ante cuius operationem certum est eandem generationem dari. Nec potest esse negatio de essentia naturæ realis, si non detur ante operationẽ intelllectus, hoc modo sumpta.

Alio modo sumi possunt priuatio, & negatio; vt attribuuntur rebus in propositione: & hoc modo non accipiuntur secundum rationem negationis, & priuationis; sed ad similitudinem formæ positiuæ quia quod alteri attribuitur, forma positiua esse debet, aut similitudinem eius habere: & quia sumi per modum formæ positiuæ non habent ex se, sed solum ab intellectu; ideo hoc modo sumptæ, ab eo dependent: ante operationem eius nõ dantur, neque vllo modo possent esse Entia realia, sed sunt entia rationis. Quod hoc exemplo explicari possumus: dum dicimus hominẽ esse cęcũ, non sumimus cœcitatem vt negationem, seu priuationem visus, quia hoc modo sumpta, non propriè dicitur esse in alio, sed potius tollere formã ab eo: ergo nec vt priuatio est, alteri attribuitur in propositione, sed in quãtũ concipitur ad similitudinẽ formę positiuæ: & cũ hoc habeat à solo intellectu: ab eo etiam necessario dependere dicitur, & ante operationẽ eius non dari, quæ sunt conditiones propriæ Entis rationis.

Secundò notandum est, pro intelligendã distinctione priuationis à negatione, quòd in vno cõueniunt, & in alio distinguuntur: conueniunt in eo, quòd vtraque est negatio formæ realis in subiecto. Differunt verò: quia negatio solum negat formam in subiecto; siue sit aptum eam habere, siue non: priuatio verò dicit negationem formæ, non in quocunque subiecto; sed apto habere illam; vnde non dicitur lapis cœcus, etiam si non habeat visum, quia non habet aptitudinẽ habendi illum; sed bene homo, vel animal: in quibus si non sit; est tamen aptitudo habendi visum.

Ex quibus intelligitur; quonam modo distinguantur priuatio, & negatio: distinguuntur enim distinctione formali, quæ vocari solet includentis, & inclusi: quia priuatio includit negationem, & addit supra illam ordinem ad determinatum subiectum, aptum habere formã, qua caret; cùm tamen negatio non dicat ordinem, nisi ad subiectum non habens; siue aptum sit habere, siue non.

Ex his, quæ de diuersitate Entium rationis dicta sunt; sequitur non esse absolutè asserendum; quod ens rationis, sit Ens confictũm ab intellectu; sed solum esse veram hanc locutionem; de Ente rationis non habente fundamentum in rebus, quibus attribuitur. Vt Chimæra aut Sphinge; nõ verò de iis, quæ habent fundamentum. Et huius ratio est manifesta: quia fingere solùm dicitur ille, qui sine aliquo fundamento loquitur: locutio verò aliquo modo fundata in veritate, aut natura rerum; non propriè dicitur ficta: sed si propriè loquendum est; de his Entibus rationis, dicendum est, quod facta sint ab intellectu, præsupposito fundamento in rebus.

Per quam potentiam, & operationem fiat Ens rationis?

AD hoc dubium respondent aliqui, non solùm intellectum efficere Entia rationis, sed etiam sensus interiores; præsertim imaginationem, vel phantasiam: de qua scimus, quòd fingat montem aureum, qui cùm non detur in rerum natura, vocabitur Ens fictum ab ima-

Imaginatione: quod est Ens rationis.

Nos verò sub distinctione respondendum esse censemus, nam *Entia rationis ficta hoc est, non habentia fundamentum in re, non solum ab intellectu, sed etiam à phantasia, fieri possunt ea verò, quæ habent fundamentum, solùm ab intellectu.* Et de primis patet, fieri à phantasia, quasi componente vnum aliquid non existens in rerum natura, ex duobus verè existentibus; vt ex speciebus montis, & auri, componit mõtem aureum; quod non potest fieri ab aliquo alio sensu; nec à voluntate aut appetitu: quia non habent talem virtutẽ componendi. Entia verò rationis, quæ habent fundamentum in rebus, non possunt fieri ab alia potentia, nisi à solo intellectu. Et ratio huius est, quia hæc Entia rationis sunt denominationes quędã, vel relationes, quas intellectus tribuit naturis, iam cognitis à se, per aliam cognitionẽ: vnde quasi per cognitionem reflexam fieri dicuntur: sed nulla alia potentia præter intellectum habet hanc virtutem reflexiuam, per quam possit sumere pro obiecto rem, vt à se cognitam alia cognitione: ergo nec habebit virtutem efficiendi Entia rationis: maior est manifesta ex his, quæ diximus in quæst. 5. vniuersalium, de modo, quo vniuersale fit ab intellectu per simplicem comparationem. Diximus enim comparationem esse cognitionem, per quã intellectus quasi reflectitur supra naturam iam cognitam, per simplicẽ abstractionem, & naturam ita cognitam cõparat ad inferiora. Minor verò manifesta est, quia reflexio hæc non potest conuenire volũtati, quę nihil cognoscit, sed tendit in obiectum cognitum ab intellectu: nec minus potest tribui sẽsibus, quorum cognitio imperfectissima est: & ideo non possunt operari circa rem, vt à se iam cognitam: quamuis possit contingere, quod eadem rem iam cognitam, iterũ cognoscant, non tamen cognitione reflexa, sed pluribus cognitionibus quasi directis.

Sed iam, quod à solo intellectu fiant Entia rationis, poterit quis dubitare; per quam operationem eius fiant: an per primam; quæ est apprehensio simplicium; aut per secundam; quæ est compositio, & diuisio, per discursum; qui est tertia? Respondent quidam; non posse fieri per primã; & probant hac ratione: Entia rationis fiunt per cõparationẽ naturæ cũ inferioribus; aut prædicati cum subiecto: sed omnis comparatio est composito, aut diuisio, & actualis prædicatio: ergo nõ possunt fieri per simplicem apprehensionẽ.

Communis tamen sententia à nobis sequenda tenet, (vt vidimus in quæst. 5. vniuersal.) quædã entia rationis fieri per primam operationem intellectus, alia per secundã, & quædam alia per tertiam. Quod hoc argumento probatur. Quædã Entia rationis conueniunt simplicibus, priusquam ex eis fiat compositio: alia cõueniunt eisdem simplicibus vt, sunt iam in compositione, vel ipsi compositioni: alia denique compositionibus, vt sunt in syllogismo: ergo per singulas has operationes fiunt diuersa entia rationis. Probatur antecedens; quia per simplicem comparationem naturæ cum inferioribus fit Ens rationis, quod est vniuersale; fit etiam genus, & species, quæ omnia conueniunt prædicabilibus, priusquam actu prædicentur: ergo priusquam ex eis fiat propositio: quare necesse est fieri per simplicem apprehensionem, per quã cognoscimus vnum in ordine ad alterum. Nam hæc simplex cognitio, prior est compositione. De Entibus rationis, quæ conueniunt compositioni, & discursu, manifestum est fieri per secundam, & tertiam operationem intellectus, & talia sunt denominatio prædicati, & subiecti,

iecti, atque etiam propositionis: & præterea denominationes argumentationis & syllogismi.

Ad argumentum verò alterius opinionis, negandum est; quod omnis comparatio sit compositio, aut diuisio; cùm probatum sit in quæst. 5. vniuersali, dari comparationem, quæ sit simplicium apprehensio; per quam cognoscimus vnum in ordine ad aliud, vel ad multa.

An Entia rationis fiant ab intellectu diuino, vel angelico?

10 PRima opinio affirmat, diuinum & angelicum intellectum efficere Entia rationis, quam tenent moderni quidã. Et probatur 1. testimonio D. Thom. 1. p. quæst. 15. art. 2. ad 3. vbi habentur hæc verba. *Huiusmodi respectus, quibus multiplicantur ideæ, non causantur à rebus, sed ab intellectu diuino, comparante essentiam suam ad res, &c.* Ex quibus hoc argumentum colligitur. Distinctio idearum in Deo non est realis; cùm ideæ conueniant essentiæ diuinæ; in qua non potest esse distinctio realis: ergo solum est distinctio rationis: sed distinctio rationis est relatio rationis: ergo Ens rationis fit ab intellectu diuino, secundum mentem D. Tho. Probatur consequentia; quia dicit distinctionẽ idearum, causari ab intellectu diuino.

Probatur etiam duplici ratione. *Primò*, Intellectus diuinus cognoscit perfectissimè Entia rationis: sed Entia rationis nõ habent aliud esse, quàm cognosci: ergo habent esse ab intellectu diuino; quod est fieri ab eo.

Secundò, Intellectus diuinus distinguit ea, quæ à parte rei non sunt distincta, sed hoc non potest fieri, nisi efficiendo Ens rationis: ergo diuinus intellectus efficit Entia rationis. Maior est manifesta: quia distinguit suam iustitiam; & misericordiam, atque etiam ideas in se existentes; quę nõ distinguuntur à parte rei. Probatur minor; quia distinguere ea, quæ nõ sunt distincta, fit per relationem rationis; quæ est Ens rationis.

Secunda opinio asserit; diuinum intellectum non efficere Entia rationis; & hęc est probabilior, & tenenda. Quam explico duabus conclusionibus. ***Prima, Intellectus diuinus perfectissimè cognoscit Entia rationis, quæ fiunt ab intellectu nostro.*** Hanc omnes concedunt: & probatur euidenti ratione. Entia rationis fiunt ab intellectu nostro; ergo cognoscũtur ab eo: sed quidquid ab intellectu cognoscitur, continetur sub obiecto eius: ergo entia rationis, cõtinẽtur sub obiecto intellectus nostri: sed obiectum diuini intellectus non est minus vniuersale, quàm nostrum: quin diminuta, & imperfectissima comprehendit: ergo non minus continet Entia rationis, nec minus ea cognoscit.

Secunda conclusio. Diuinus intellectus nullum Ens rationis facit: sed nec potest illud facere. Quam vt probemus, supponendum est; quod ad efficiendum Ens rationis, duæ sunt imperfectiones necessariò requisitæ, in modo intelligendi. ***Prima***, quod res, quæ non sunt à parte rei distinctæ, sed vnum; distinguantur ab intellectu, & per plures conceptus concipiãtur.

Secunda, quod obiectum reprę̃sentetur intellectui, & ab eo intelligatur; non sicut se habet in se, aut à parte rei; sed alio modo. Vtraque conditio manifestatur hoc exemplo. Vt intellectus efficiat naturam vniuersalem, genus, aut speciem; necesse est, vt eam distinguat ab inferioribus, à quibus non est distincta; & eam ab eis abstrahat: cùm nõ sit secundum se abstracta; sed à parte rei sit eis coniuncta: & hoc est alio modo eam intelligere, atque est à parte rei; hoc est pluribus conceptibus, atque distinctis intelligere ea, quæ à parte rei sunt vnum. Sed vtrumq;

facit

facit intellectus sine mendacio: quia sine affirmatione, & negatione. Et quod de his Entibus rationis dicimus, euidens est in cæteris.

Ex his colligitur hoc argumentum, ad probandum efficaciter nostram sententiam. Entia rationis non possunt fieri ab intellectu, nisi distinguẽdo ea, quæ à parte rei, aut secundum se nõ sunt distincta; & concipiendo per plures conceptus ea, quæ in se sunt vnum, atq; etiam alio modo ea intelligendo, atque se habent à parte rei: sed modus sic intelligendi, est imperfectissimus, & qui non potest conuenire intellectui diuino: ergo nec poterit efficere Entia rationis. Probatur minor: nam diuinus intellectus vnica cognitione, & vnico conceptu, & simplicissimo intelligit omnia; & secundum eundem modum, quem habẽt à parte rei: vt si sint vnum, cognoscit ea per modum vnius: si verò sint distincta, tanquam distincta: ergo non potest ei conuenire talis modus imperfectus intelligendi; per quem necessariò debet fieri ens rationis: & ideò nec poterit illud efficere.

Ad arg. alterius opinionis respondeo, & ad 1. testimonium D. Tho. Sensum eius ex alio loco colligi, nempè ex quæst. 17. de potentia art. 6. vbi docet distinctionẽ rationis, quæ reperitur inter diuina attributa; vt inter iustitiam, & misericordiã, aut inter ideas, diuerso modo reperiri in intellectu diuino, & nostro: quia in illò reperitur tanquam in radice, & quasi virtualiter: in nostro verò formaliter. Quod hoc modo explicandum est; idea non est aliud, quam essentia diuina, prout participari potest à creaturis. Et cum plures creaturæ sint distinctæ secundum essentiam, distinguimus in ea plures ideas, ita, vt ea ratione, qua potest participari ab homine, sit idea hominis, & non leonis: & vt participari potest à leone; sit idea leonis, & non elephantis; & sic de cæteris. Quamuis autem diuinus intellectus intelligat essentiam diuinam, vt imitabilẽ ab omnibus creaturis, vnico ac simplicissimo conceptu, & ideò non distinguat in ea plures ideas, per illum tamen vnicum conceptum intelligit, quod à nostro intellectu imperfecto modo eam concipiẽte, hoc est per plures, ac distinctos cõceptus, distinguatur in plures ideas, hominis, leonis, & aliarũ rerum. nã vnico conceptu intelligimus nos essentiam diuinam, vt participari potest ab homine, & per alium conceptum distinctum, vt participari potest à leone: & hoc est distinguere in essentia diuina plures ideas distinctione rationis, & ideo efficere entia rationis, intelligendo diuinas ideas.

Ex quibus intelligitur differentia inter diuinum intellectum, & nostrum: quod ille, non distinguit ideas in essentia diuina distinctione actuali, aut formali, sed fundamentali, aut virtuali: in quantum cognoscit distingui posse à nostro: noster verò intellectus actualem distinctionem rationis inter ideas facit: & quia omnis nostra intellectio causatur, & regulatur per diuinam, docuit D. Tho. intellectum diuinum causare distinctione idearum, non efficiendo eam actualiter, sed solum virtualiter, in quantum intelligit essentiam diuinam, vt intelligi potest à nostro intellectu per plures conceptus. & ideò distingui possunt à nobis plures ideæ, quam distinctionem à nobis factam, causat intellectus ipse diuinus per suã intellectionẽ, & iste est sensus illi⁹ testimonij.

Ad 1 arg. concedendum est antecedẽs, quòd diuinus intellectus, perfectissima cognitione cognoscat Entia rationis, sed neganda est consequentia, quod ea faciat. & ratio est, quia non cognoscit res cum duabus illis imperfectionibus necessario requisitis ad efficiẽda Entia rationis.

 onis.

onis. Et vt vno verbo solutionem declaremus, dicendum est; diuinum intellectum non cognoscere Entia rationis, cognitione factiua eorum; sed cognitione, per quam facta à nobis intelligit.

Ad 2. distinguenda est maior; quia distinguere ea quæ non sunt distincta, duobus modis potest intelligi. Primò, efficiendo actualem distinctionem inter ea; & in hoc sensu neganda est: alio modo, solùm efficiendo distinctionem quasi virtualiter, aut fundamentaliter, & hoc modo concedi potest: nam cùm intellectus diuinus intelligit ea, quæ nō sunt distincta; vt distingui possunt, à nobis imperfectè cognoscentibus per plures cōceptus; virtualiter dicitur efficere distinctionē, quā noster intellectus facit auctualiter; in quantum intellectio nostra causatur, & regulariter per diuinam. Et quæ de diuino intellectu dicimus; de angelico etiam, suo modo intelligi debet: qui cū perfectè intelligat, non dicitur facere Entia rationis; sed ea cognoscere à nobis facta.

Ad quam scientiam pertineat agere de Ente rationis?

11 DVabus distinctionibus præsuppositis respondendum est huic dubio. *Prima est*, quam superius adduximus de Ente rationis habente fundamentum in rebus, & non habente tale fundamentum, & de hoc secundo certū est, ad nullam sciētiam per se pertinere. Quod duob. arg. prob. 1. Quia ea de quibus scientia per se agit, determinata esse debent: sed Entia rationis, quæ non habent fundamentum, possunt in infinitum multiplicari ab intellectu; ergo nulla scientia potest per se agere de illis 2. Illud de quo agit scientia, debet habere determinata principia, per quæ probentur de illo determinatæ passiones; sed hæc Entia rationis non habent determinata principia; ergo nulla scientia potest agere per se de illis. Minorē probo, quia cōponuntur ex rebus disparatis, aut specie diuersis; ergo ex eis non potest sumi determinatum principium; nec tale compositum impossibile, potest habere determinatas passiones.

Alia distinctio est Entis rationis, habentis fundamentum in re: quod si sit relatio rationis, duobus modis considerari potest. *Primò*, secundum se aut secundum propriam entitatem: *& hoc modo pertinet ad Metaphysicam*: non per se; quia obiectum per se huius scientiæ est Ens reale; sed quasi per accidens, in quantū habet quādam similitudinem cum relatione reali; de qua per se agit hæc scientia. *Secundò*, potest considerari, vt est denominatio naturæ, cui attribuitur; vt denominatio generis, speciei, prædicati, & subiecti. *Et secundum hanc considerationem dicitur Ens rationis logicum*; de quo agit per se Logica, tanquam de proprio obiecto. Si verò sit priuatio, aut negatio; ad illam scientiam reduci debet, quę per se agit de forma aut essentia, quam negat, vel qua priuat; vt priuatio formæ naturalis, pertinet ad philosophiam; tanquā vnum ex tribus principiis naturalis generationis, vt docet Aristoteles 1. lib. Physicorum; & negatio quæ est de essentia huius, aut illius naturæ; reducitur ad scientiam, quæ per se agit de tali natura; vt non esse equum, ad scientiam de homine, & sic de cæteris.

Quonam modo Ens rationis reducatur ad ordinem prædicamentalem?

DE Ente rationis non habente fundamentum in rebus certum est, nō posse reduci ad ordinem prædicamentalem; quia componitur ex rebus diuersis secundum essentiam: & ideò non habet vnam aliquam determinatam naturam, secundum quam possit in prædicamen- 12

camen-

camento ordinari. De Ente autem rationis, habente fundamētum, quantū ad priuationem, & negationem; etiam est certum habere quandam similitudinem cū qualitatibus. Quod sic probo. Priuatio, & negatio, sūt Entia rationis, vt cōsiderātur ab intellectu, tanquam formæ positiuæ, & attribuuntur alicui subiecto in propositione: vt dum dicimus; Hominem esse cœcum, sed ita considerata habent similitudinem cum qualitatibus: ergo *ad prædicamentum earum reducuntur*. Probatur minor. Quia sic prædicatur cœcitas de homine, sicut albedo, aut color; ergo similitudinem habet cum his, & aliis qualitatibus.

Solū restat. Relatio rationis, quæ possit ordinari in speciali prædicamento. Quod tamen non erit propriū; quia prædicamētum proprie ex solis entibus realibus fieri potest: sed maximam habebit similitudinem cum vero prædicamento ad aliquid, ex relationibus realibus ordinato. Prædicamentum igitur relationis rationis sic ordinandum est; vt supremū genus sit relatio rationis, (nā Ens rationis vniuersalissimum, ab hoc prædicamento excludi debet, propter transcendentiam; sicut Ens reale excluditur ab omnibus prædicamentis realibus) quod diuidi potest in tria genera, siue species subalternas, secundum diuersa fundamenta; quæ sunt diuersæ operationes intellectus. Vt apprehensio simpliciū; compositio, & diuisio, atque discursus. Quemadmodum Arist. diuisit supremum genus prædicamenti ad aliquid, quod est relatiuum, vt relatio realis; per diuersa fundamenta. Ita vt primum genus sit relationum: quæ fundantur in vnitate, vt relationis identitatis, similitudinis, & æqualitatis. Secundum, relationum quæ fundātur in actione, & passione; vt paternitas, & filiatio. Tertium; earum quæ fundantur in mensura; vt sunt relationes scietiæ ad scibile, & potentiæ ad obiectum. Ita ergo diuidenda est relatio rationis; in eā quæ fundatur in cognitione simplicium, & eisdem simplicibus attribuitur; & hoc est primum genus, habens sub se diuersas species: vt relationis vniuersalis, generis, speciei, & aliorum prædicabiliū. Deinde in eā; quæ fundatur in cōpositione, & diuisione; ad quod genus pertinent variæ species propositionum: & tandem in eam, quæ fundatur in tertia operatione, quæ est discursus, sub quo genere cōtinētur diuersæ species argumentationum, & syllogismorum. Itaque hæc tria genera habēt sub se alia, vsq; ad species infimas, ex quibus omnibus sic ordinatis resultat prædicamentum propriū Entis rationis.

TRACTATVS DE MODO, QVO PRAEDICATIONES FIVNT IN CONCRETIS ET ABSRATCTIS PRIMARVM & secundarum intentionum.

AD finem tractatus præcedentis, diximus de Ente rationis agere Dialecticam; vt est relatio quædam, aut denominatio attributa naturis ab intellectu. In qua acceptione vocatur Ens rationis Logicum. Ideo in hoc tractatu secūdo, agēgum est de modo, & ordine, quem habet ad prædicationes concretorum, & abstractorum; in quibus denominationes exer-

exercentur, quas naturæ accipiunt ab eo. Et quoniam prædicationes possunt fieri in primis intẽtionibus; quę sunt naturæ reales; atque etiam in secundis; quæ sunt Entia rationis, in duas partes diuidimus præsentem tractatum: ita vt in prima tractetur de prædicationibus, concretorũ, & abstractorum primæ intentionis, & in secunda de eiusdem abstractis, & concretis secundarum intentionum.

13 Et in primis intentionibus quatuor modis exerceri possunt. 1. ita vt concretum prædicetur de concreto; vt homo est animal. 2. abstractum de abstracto; vt humanitas est animalitas. 3. abstractum de concreto; vt homo est humanitas. 4. concretum de abstracto; vt humanitas est homo. Et vt ea, quę sunt certa supponamus; quantum ad veritatem, & falsitatem propositionum; de his tantum propositionibus loquendum est, in quibus prædicatũ, & subiectum aliquo modo sunt ordinata, ita vt se habeant tanquam superius, & inferius, aut tanquam æqualia, quorum vnum pertinet ad alterum, quia in eo includitur; vel propria passio eius est, vel commune accidens.

Quibus explicatis; certum est *primò, veram esse illam propositionem, in qua concretum prædicatur de concreto inferiori, aut superiori: vel etiam æquale, siue sit de Essentia eius, aut propria passio, vel commune accidens*: tales sunt istæ, homo est animal, homo est rationalis, homo est risibilis, homo est albus: veræ etiam sunt aliæ, in quas conuertuntur istæ, sed indirectè, atque impropriè.

Secundò certum est, propositiones in quibus abstractum prædicatur de concreto, aut cõcretum de abstracto, falsas esse, siue se habeant tanquam superius, & inferius, vel sint æqualia, vt homo est humanitas, homo est rationalitas, aut risibilitas, vel albedo. Et ratio huius est manifesta: *primò*, propter diuersum modum significandi terminorum: quia abstractum significatur per modum partis, concretum verò per modum totius, pars autem non prædicatur de toto; vt pes, vel manus de homine. *Secundò*, quia subiectum in eisdem propositionibus aliquid includit, quod nullo modo includit prædicatum: vt album includit corpus, quod non includit albedo: vel è contra aliquid includit prædicatum, quod non includit subiectũ vt in propositionibus indirectis, ex eisdẽ terminis factis; quod sufficit, vt non sit verum, quod vnum sit aliud, vt significatur per propositionem.

Ex quo sequitur: *Primò*; falsam esse sententiam Soti, q. 3. vniuersalium, asserentis, propositionem, in qua prædicatur abstractum de concreto, vt homo est humanitas, solum esse falsam, propter diuersũ modum significandi terminorum: nam falsæ etiam sunt propter inclusionem alicuius in vno, & non in alio: quia vt suo loco videbimus: non potest esse vera propositio aliqua, nisi totum quod includitur in subiecto, aliquo modo includat prædicatum.

Secundò sequitur magis falsam esse sententiam Durandi, in 1. d. 24. q. vltima. Vbi regulam vniuersalem assignauit dicens, in creaturis veras esse omnes propositiones, in quibus prædicatur abstractum substantiale de concreto substantiali vt homo est humanitas: quamuis sint falsæ in concretis, & abstractis accidentalibus, vt homo est albedo, & aliæ similes.

Tertiò certũ est, propositiones in quib' abstractum generis prędicatur de abstracto differentiæ, vel è contra, abstractum differentiæ de abstracto geneis vt rationalitas est animalitas, vel animalitas est rationalitas, falsas esse. Et ratio huius est: quia gradus genericus, & differentialis, formaliter sunt diuersi: & in abstracto signi-

gnificati, non se includunt, quia neq; animalitas includit rationalitatē, neq; rationalitas animalitatē; ergo neq; vna prædicatur formaliter de altera. Probatur consequentia; nam vt propositio vera sit, prædicatum debet includi in subiecto.

An abstractum superius prædicetur de abstractio inferiori?

14 SOlùm potest esse quæst. de propositionibus, in quibus abstractum superius prædicatur de abstracto inferiori, aut æquali: sed istæ duobus modis sumi possūt; nēpe in terminis accidētalib⁹ aut essētialib⁹. Et si in accidentalib⁹ fiāt; certū est oēs esse falsas. Vt humanitas est risibilitas; aut humanitas est albedo. Et ratio hui⁹ est; quia prędicatū, & subiectū harum propositionum sæpe distinguuntur realiter, & nunquam includitur vnum in altero: nam licèt homo includat albedinem, tanquam subiectum eius; tamen humanitas, cùm significetur, vt forma; non est subiectum accidentium, neque ea includit, vt significata in abstracto. Solū ergo potest esse quæstio de propositionibus abstractorum, quæ fiunt in terminis substantialibus; quales sunt istæ, humanitas est animalitas, humanitas est rationalitas; an veræ sint, vel falsæ.

Et prima opinio asserit esse veras, quam sequuntur Sotus quæst. 3. vniuersalium. Canterus cap. de differentia, & ex modernis multi. Et probatur duobus arg. *Primò*, Illa propositio in qua concretum superius prædicatur de inferiori, vt homo est animal; est vera: quia prædicatum includitur in subiecto, vt animal in homine: sed etiam abstractū superius includitur in abstracto inferiori; vt animalitas in humanitate: ergo vera erit hæc, humanitas est ani malitas. Probatur minor; quia humanitas componitur ex animalitate, & rationalitate; sicut homo ex animali, & rationali: ergo includit vtramque.

Secundò probatur, in formis substantialibus & accidentalibus. Et primò in substantialibus; quales sunt anima rationalis, & sensitiua; ex quibus hæc est superior, & illa inferior: & vtraq; significatur nomine abstracto: & tamē vera est hæc, anima rationalis est sensitiua: ergo vera etiam erit, humanitas est animalitas. Probatur cōsequentia; quia ideò forma superior prędicatur de inferiori; quia in ea includitur: sed animalitas est forma superior respectu humanitatis: ergo includitur in ea: & consequenter verè prædicabitur. In formis etiam accidentalibus, quales sunt albedo, & color; manifestum est: nam hæc est vera apud omnes; albedo est color: & prædicatur in ea abstractum superius de abstracto inferiori; sicut in alia, humanitas est animalitas: ergo vera etiam est hæc, & concedenda.

Secunda opinio tenet, tales propositiones esse falsas. Quam sequitur Scotus in 1. di. 5. qu. 1. art. 1. Niphus 3. Meta. quæst. 2. concl. 5. ad 3. Canariensis 1. par. quæst. 28. art. 2. dispu. 2. Ferra 1. lib. contra gentes cap. 18. & 23. § considerandum, & lib. 4. cap. 81. Caie. in opus. de ente, & essentia, cap. 3. & 4. Sed Scotus, falsas esse defendit; quia existimat prædicatum, & subiectum distingui ex natura rei, sed formaliter, ante operationem intellectus: alij verò, qui solam distinctionem rationis ponunt inter illa; propter modum significandi abstractorum; à quibus significatur animalitas, vt principium, aut pars animalis; & humanitas, vt principium hominis, & principium vnius non prædicatur de principio alterius Et hæc sententia colligitur euidenter ex Th. *duobus locis citatis, & videtur nobis probabilior, & sequenda.*

Sed vt efficaciùs eam probemus, duo sunt annotanda. *Primum est*; concretum & abstractum eandem rem significare, diuersa tamen ratione: nam concretum significat eam per modum habentis, abstractum verò, per modum principij, aut formæ eiusdem habẽtis. Gratia exempli, homo & humanitas, significant eandem naturam humanam: sed homo significat eam per modum totius actualis, atque completi, & ideò per modum habentis: humanitas verò, non nisi per modum principij & formæ, eiusdem totius completi, aut habentis. Quod ex communi modo loquendi, & intelligendi manifestum est: dicimus namque, hominem idẽ esse, ac habentem humanitatem: & humanitatem esse quasi principium, & formam hominis.

Ex quo *primò* colligitur; concretum signare naturam, non omnino præcisam à conditionibus singularibus, sed vt eas continens: confusè, saltem, & in potentia; nam licèt abstrahatur à singularibus, abstractione, per quam fit aliquo modo vniuersalis: & ideo non significet, neque contineat eadem singularia actu, continet tamen in potentia: quia ex proprio modo significãdi, determinari potest per conditiones singulares, ad hoc, & illud indiuiduum, vt ad Petrum, aut Ioannem. Abstractum verò significat eandem naturam, vt omnino præcisam à singularibus, nec vt determinabilem per conditiones singulares eorum: quia cùm non significet eam per modum habentis; sed principij, aut formæ, principiũ verò, aut forma, non habeat modũ determinabilis per aliud, sed potius determinãtis aliud; illud nẽpe, cuius est principiũ, vel forma, nõ potest natura in abstracto significata modũ habẽtis intelligi; & ideò nec potentia significata continere actu, nec potentia cõditiones singulares, per quas contrahatur, ad hoc, vel illud singulare. Et quod de natura specifica dicimus respectu singularium, eodem modo intelligẽdũ est de natura generica, in cõcreto, aut in abstracto significata, vt de animali, aut animalitate. Ita, vt animal significet naturam sensitiuam, vt contrahibilem, aut perfectibilem per differentias, rationale, & irrationale; quas continet in potentia; animalitas verò nullo modo, seu potius, vt forma, vel principium eiusdem animalis, atq; specierum eius.

Secundò colligitur, abstracta significare naturam per modum partis, sicut concreta per modum totius. Quod probatur duplici ratione euidenti. *Primò*; quia abstracta significant naturam per modum principij, & formæ eiusdem, vt significatur nomine concreto, vt animalitas, significat naturam sensitiuam, prout est principium, & quasi forma animalis: sed illud, quod est principium, & forma alterius, habet se vt pars illius: ergo abstractum significat naturam per modum partis. *Secundò*; animalitas non significat naturam sensitiuam per modum totius; ergo per modum partis. Probatur antecedens: quia si significaret eam per modum totius; aut totius actualis, aut potentialis: sed neutro modo eam significat: ergo non per modum totius. Minorẽ probo: quia totum potentiale, vel actuale, significat rem per modum habentis; abstractũ verò, non nisi per modum formæ eius, quod habet: ergo non per modũ totius, sed partis. Et hinc prouenit, quod nec animalitas prædicatur de animali, nec humanitas de homine: quia pars nõ potest prædicari de toto.

Tertiò sequitur; abstracta non esse genera, nec species, sed principia generum, & specierum.

tum: quòd asseruit Auicena 5. Meta. cap. 7. vt testatur Caie. in opusc. de Ente, & Essentia, cap. 4. & probauit D. Tho. ibidem, hoc arg. Genus ex propria natura habet modum totius potẽtialis, & species modum totius actualis, sed abstracta non significant naturam per modum totius potẽtialis, nec actualis; sed per modum partis: ergo non sunt genera, nec species: & propterea non denominantur à secundis intentionibus generis, aut speciei, vel aliorum prædicabilium. Tota hæc doctrina annotata habetur, apud D. Tho. opusc. de ente & essentia, cap. 4.

16 Ex qua duo arg. colliguntur, ad probandam nostram sententiam, quod hæc prædicatio, humanitas est animalitas, & similes, sint falsæ. *Primum est*: Vt vera sit aliqua prædicatio, necessariò requiritur, quod quidquid cõtinet subiectum, contineat prædicatum actu, vel potentia: sed animalitas non continet actu, nec potẽtia, quidquid continet humanitas: ergo non potest verè prædicari de illa. Maior certissima est, quia non potest esse verũ, quod hoc sit illud, vt per propositionem affirmatur, nisi totũ quod cõtinet hoc, etiã cõtineat illud: & hæc est ratio propter quam pars nõ prædicatur de toto, nec genus posset prædicari de specie, nisi differẽtiã quã species cõtinet actu, cõtineret in potẽtia; vt bene D. Th. vbi supra. Sed probatur minor: quia humanitas cõtinet animalitatẽ, & rationalitatem, ex quibus componitur: sed euidens est animalitatem non continere rationalitatẽ actu, nec potentia, cùm non habeat modum totius actualis, nec potentialis, sed partis vel formæ: ergo non potest verè prædicari de humanitate.

Secundum: pars actualis non prædicatur de toto, vt concedunt omnes: sed animalitas est pars actualis humanitatis: ergo non verè prædicatur de illa. Probatur minor: quia sicut homo componitur ex animali, & rationali, ita humanitas ex animalitate, & rationalitate. Et si dicas, hoc argu. etiam probari, quod hæc propositio nõ sit vera, homo est animal: quia animal est pars actualis hominis. Respõdeo, animal esse quidem partem: non tamẽ significari per modum partis, sed per modũ totius potẽtialis: & ideò verè prædicatur de homine: animalitas verò non solum est pars, sed significatur per modũ partis, quæ non potest prædicari de toto: & hæc est ratio propter quam, hæc est vera, homo est animal, & hæc falsa, humanitas est animalitas.

Ad 1 argumen. respondetur, non satis esse quòd prædicatum includatur in subiecto, vt propositio sit vera: quia si id sufficeret, sequeretur veram esse propositionem, in qua pars prædicatur de toto: cum certum sit partẽ includi in toto. Requiritur ergo, non solum quod includatur in eo, sed quòd totum quod continet subiectum, contineat prædicatum actu, vel potentia, vt explicatum est: & cum animalitas nõ contineat totũ, quod continet humanitas: quia non continet rationalitatem actu, nec potentia, sequitur non verè prædicari de illa.

Secundum arg. duas habet partes. 1. procedit de formis substantialibus. 2. de accidentalibus. *Ad Primam* ergo respõdeo, negando antecedens: quod prædicatio illa, anima rationalis est sensitiua, sit abstracti de abstracto: & de prædicato, nẽpe, sensitiua, euidens est: quod non sit abstractum nomen, sed concretum: quod etiam est verum de anima: nã licèt sit forma: per modum tamen habentis gradum sentiendi significatur: non quidem sicut habet homo, qui ex ea cõpo[illegible] sed sicut forma, quæ cõposito cum [illegible] gnifi-

gnificata tamen quasi per modum totius, & ideò per modum concreti. Quod ex eo fit manifestum: quia nisi per modū concreti significaretur anima: non posset sēsitiua; quæ concretum nomen est, de ea verè prædicari: & eo ipso, quod verè prędicatur: idem significans, quod habens gradum sentiendi; negari non potest, quòd per modum concreti etiam significetur anima: vnde non bene infertur, quòd vera etiam sit hæc: humanitas est animalitas: in qua certum est abstractum prædicari de abstracto: & ideò diuersam habere rationem.

Pro solutione secundæ partis, annotanda est triplex differentia inter abstracta substantiarum, & accidentium. *Prima*; quod illa abstrahuntur abstractione metaphysica a generibus, speciebus, aut differentiis. Vt animalitas ab animali, & humanitas ab homine. Abstracta verò accidentium, abstrahūtur abstractione physica à subiecto, in quo forma accidentalis significata realiter inhæret. Vnde eo ipso quod significatur vt abstracta ab eo; non significatur vt inhærens, aut dependens ab eo: sed ad modum naturæ completæ per se subsistentis. *Secunda*; Quia abstracta substantiarum, semper habent modū formę, aut principij eius, à quo abstrahūtur, abstracta verò accidentium, pótius habent modum completum naturæ totalis, ac per se subsistentis: quod prouenit ex proprio modo abstractionis physicæ. *Postrema differentia est*, quòd abstracta substantiarum, quia metaphysicè abstrahuntur, sunt abstracta vltima: quia abstractio metaphysica vltima est. Vnde nō potest ab eis alia abstractio fieri: nihil enim amplius ab humanitate, aut animalitate abstrahi potest. Abstracta verò accidentium, non sunt vltima: quia nec abstractio physica vltima est, sed adhuc potest ei succedere abstractio metaphysica: ita, vt ab albedine, quæ abstrahitur abstractione physica, possit aliud abstractum metaphysicum sumi: quod erit ratio albedinis, vel albedineitas (barbaro vocabulo, sed naturam rei explicante significata) ex quo intelligitur, abstracta accidētium solùm vocari abstracta in ordine physico, in ordine verò metaphysico concreta potius esse.

Ex his differentiis *ad formam argum: respondere possumus*, concedendo maiorem, quòd vera sit hæc: albedo est color, sed negando minorem, quod in ea prędicetur abstractum superius de abstracto inferiori: sed potius est prædicatio concretorum in ordine metaphysico, sicut hęc, homo est animal. Vnde nec prædicatum significatur per modū partis sed per modum totius completi, & per se subsistentis atq; continentis, quidquid continet subiectum, quod se habet sicut genus ad speciem: vt in hac, homo est animal. Illa verò, humanitas est animalitas, prædicatio abstractorum est in eodem ordine metaphysico: & ideò est falsa. Et eodē modo, erit falsa prædicatio abstractorū in accidentibus, si abstrahantur abstractione metaphysica: vt si ab albedine, & colore, metaphysicè abstrahamus albedineitatem, & coloreitatem, vel rationē albedinis, & rationem coloris, falsa erit, albedineitas est coloreitas: quia abstracta metaphysica, per modum principij, & formæ significantur: & ideò non possunt efficere veram prædicationem.

SECVN-

SECVNDA PARS HVIVS TRACTATVS, de prædicationibus secundarum intentionum.

Secundæ intentiones, sunt relationes quædam rationis, quas intellectus attribuit primis intentionibus, nẽpe naturis realibus quæ ab eis denominantur: vt secunda intentio speciei, est relatio rationis naturæ specificæ, quam ei attribuit intellectus, dū eā cōparat ad indiuidua: & prædicabilia ōnia, sūt quædā relationes rationis diuersæ, quia diuersis naturis attribuuntur, & in ordine ad inferiora diuersa, vel de quibus diuerso modo prædicantur. Vt prędicabile generis, est secunda intētio, aut relatio rationis in ordine ad plures species, de quibus prædicatur in quid, tāquam totum potentiale. Prædicabile differentiæ, est secunda intentio aut relatio rationis, in ordine ad plures species, aut indiuidua, de quibus prædicatur in quale quid. Prędicabile proprij, est secunda intentio, aut relatio rationis proprię passionis ad species, aut indiuidua: vt sensibilis ad hominem, & equū; aut risibilis ad hominem, ac Petrum, & Ioannem. Et prædicabile accidentis, est secunda intētio, aut relatio rationis, accidētis ad plura subiecta specie, aut numero distincta, vt relatio rationis albi, ad hominem & equum, vel ad Petrum, & Ioannem. Et tādem vniuersale, quod est commune omnibus prædicabilibus: est secunda intentio, aut relatio rationis ad omnia, & singula prædicabilia; quæ de omnibus prædicatur in quid tanquam genus.

His suppositis: duobus modis comparari possunt secundæ intentiones. ***Primò, inter sese***; in quantum vna prædicatur de alia: & si ita comparentur, siue in concreto, siue in abstracto, eodem modo se habent ac primæ intentiones: ita vt si vna aliquo modo pertineat ad aliam, concreta de concretis prædicentur essentialiter, vel accidentaliter, tanquam accidens proprium, vel commune. Ideò veræ sunt oēs istæ; genus est vniuersale, species est vniuersalis: & etiam hæc, vniuersale est genus, sed illę sunt essentiales, ista verò accidentalis. Hæc verò; vniuersale est prædicabile; est prędicatio proprij, aut quarti prædicabilis. Concreta verò de abstractis vel abstracta de concretis, semper efficiunt propositiones falsas: vt genus est genereitas, aut specietas est species: vel genꝰ est vniuersalitas. Solū est differentia in prædicationibus abstractorum; quia in secundis intentionibus, vera est prædicatio abstracti superioris, de abstracto inferiori, vt genereitas est vniuersalitas: quā tamen in primis intentionibus diximus esse falsam, vt humanitas est animalitas. Et ratio huius differentiæ est; quia secundæ intentiones sunt relationes rationis; & ideò accidentia rationis: quare sicut accidentia realia, in abstracto significata, non habent modum partium, sed totius per se subsistentis, quia non abstrahuntur abstractione metaphysica à generibus, aut speciebus, sed abstractione physica à subiectis: eodem modo secundæ intentiones, habent similitudinem cum formis accidētalibus, & ideò non significantur per nomina abstracta, tanquam formæ aut principia generum, aut specierū; sed per modum totius ac per se subsistentis. Et hæc est ratio, propter quā verā constituunt quamuis in primis intētionibus

Secundo, cum primis. Si secundæ intentiones comparentur ad primas, semper comparantur accidentaliter; cùm sint relationes, & accidentia eis attributa: & eodem etiam modo, se habent in omnibus, vt diximus se habere primas inter se. Dum comparantur accidentaliter; in hoc solo differunt: quòd accidentia realia quæ verè prædicantur de inferioribus, verè etiam prædicantur de superioribus: & si verè prædicantur de superioribus, verè etiam prædicantur de aliquo inferiori: vt si album prædicatur de Petro; necesse est verè prædicari de homine: & si prædicatur de homine; necesse est verè prædicari de aliquo homine singulari. Quod non reperitur in secundis intentionibus; sed contrarium: quia nec secundæ intentiones, quæ prædicantur de inferioribus, possunt verè prædicari de superioribus; nec etiam verè prædicantur de inferioribus, quæ prædicantur de superioribus: vt his exemplis fit manifestum. Species prædicatur de homine; & non de animali, nec de Petro, & genus prædicatur de animali; & non de homine; & secunda intentio indiuidui, verè prædicatur de Petro; dum dicimus, Petrus est indiuiduum, & tamen non prædicatur de homine: sed falsa est hæc, homo est indiuiduum. Et ratio huius differentiæ est, quia accidentia realia conueniunt subiectis absolutè, & vt sunt à parte rei: sed secundæ intentiones, quæ sunt relationes & accidentia rationis, non conueniunt naturis absolutè, nec à parte rei, sed vt tali modo concipiuntur ab intellectu, nempe in communi, in ordine ad species, vel indiuidua: aut etiam in singulari, & ideò quæ conueni... inferiori, nempe indi-nu... possunt conuenire speciei, quæ conuenit speciei; potest conuenire generi: quia secunda intentio indiuidui conuenit Petro, vt concipitur tanquam indiuisibile in alia indiuidua: & hoc modo concipi repugnat speciei: & secunda intentio generis, conuenit naturæ, vt concipitur in ordine ad species, & ideò repugnat speciei; quæ non in ordine ad species, sed in ordine ad indiuidua concipitur.

CAPVT II.

De Genere.

Videtur autem neque genus, neque species simpliciter dici, &c.

Breuis expositio textus.

INtentum Porphyrij in præsenti capite est, explicare naturã generis, quod est primũ prædicabile. Diuiditur autẽ in tres partes; ***In prima***, ponit duas acceptiones reales generis, & inter se eas comparat, ex quarum similitudine. ***In secunda parte***, colligit tertiam acceptionem eius Logicam. ***In tertia verò***, tradit definitionem generis, & simul eam exponit.

Prima acceptio realis generis est; qua accipitur pro collectione aliqua hominũ, habentium ordinem inter sese, & ad vnũ primum, à quo omnes deriuantur: in qua significatione, Romanam gentem solemus vocare genus Romanorum; quia inter sese per tales leges ordinantur, & à Romulo, tanquam à primo principio descendunt.

Secundò, accipitur genus pro principio ipso generationis; à quo deriuantur alij: siue sit pater, aut patria, in qua significatione loquitur Poeta, dum dicit: Mantua me genuit, &c. Genus suum, aut principiũ generationis, patriam vocans. Sed propriè loquendo; non tam pater, vel pa-

vel patria, quàm origo, per quam ab eis deriuantur homines, genus vocatur: quia non ita propriè dicimus, Romulum esse genus Romanorum, quàm Romanos ducere genus ab eo. Ex his autem duabus acceptionibus; secundam esse magis propriam, quam primam, docet Porphyrius. Primò, quia frequentius ea vtimur. Secundò, quia collectio hominum, ideò vocatur genus; quia homines illius ab vno primo ducunt originem: ergo origo, per quam ab eo deriuantur, magis propriè vocatur genus; quàm collectio ipsa.

In secunda parte, ex vtraque acceptione reali, colligit Porphyrius Logicam, quam per se intẽdit dicens: Logicum genus accipi pro eo, cui supponũtur species; id est, sub quo collocantur: vt animal est genus, quia sub eo ponũtur, homo, & leo: quę species habent ordinem, & similitudinem quandã inter se, ratione eiusdem naturæ, quam participant ab ipso genere; à quo etiam dicuntur suo modo ducere originem.

In tertia parte cap. definit genus Logicum, secundum vltimam acceptionem sumptum; & definitio talis est. ***Genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, in eo quod quid.*** Quam ita explicat. Ea quæ prædicantur, aut prædicantur de vno; vt indiuiduum: aut de pluribus; vt vniuersalia, per particulam ergo; de pluribus, separatur genus ab indiuiduo, quod de vno solo prædicatur. Per particulam verò de differẽtibus specie, separatur ab specie, quæ est secundum prædicabile, & solum prædicatur de differentibus numero. Per vltimam particulam, in eo quod quid, separatur à tribus aliis prædicabilibus, differentia, proprio, & accidenti: nam illa in quale quid, proprium, & accidens in quale, genus non nisi in quid prædicatur: quia ad quæstionem factam per quid, non bene per illa, sed per genus respondemus, vt si inquiras, quid est homo, bene respondeo, quod sit animal. Hæc Porphyrius.

QVÆSTIO I.

Quodnam sit definitum definitionis generis.

QVòd definitio generis assignata à Porphyrio, nullum habeat definitum, duobus arg. probo. *Primò*, quia si aliquod haberet, maximè genus: sed genus non est definibile, ergo nullum habet. Probatur minor; Bona definitio debet constare genere, & differẽtia, aut aliquo loco generis, & alio loco differẽtiæ: sed generis nõ datur genus, nam si daretur, illius generis daretur aliud genus, & sic procederemus in infinitum: sequitur ergo, genus non esse definibile, & ideò nullum habere definitum, prędictam definitionem.

Secundò. Definitio debet dari per genus, & differẽtiam: ergo nihil potest definiri, nisi species: quia hæc sola componitur ex genere, & differentia: imò nec definiri potest aliquid, nisi in quantum est species, quia habere genus & differẽtiam, conuenit speciei, in quantum est species: ergo genus non potest definiri. Probatur consequentia, quia non est species; sed aliud prædicabile distinctum ab specie: & ideo nullum habebit definitum præsens definitio.

Tenendum tamen est, Bonam esse definitionem generis, & certum habere definitum, cuius naturam explicat. Et quòd bona sit definitio, probatur primo ex Arist. 1. lib. Top. cap. 4. vbi eam posuit Arist. Et à quo illam desumpsit Porphyrius. Secundò, ratione; Quia bona defini... quæ ita naturã definiti explicat, vt illud distinguat,

guat, à quibuscunque aliis rebus, cũ quibus conuenire posset; sed per hanc definitionem explicatur quid sit genus, nempe prædicabile de pluribus differentibus specie, in quid, & distinguitur ab indiuiduo, & reliquis prædicabilibus, vt vidim⁹ in explicatione textus, est igitur bona.

3 *Secundum verò*, quod habeat certum, ac determinatum definitum, sic probo. Prædicari de pluribus differentibus specie, in quid, est communis ratio, eodem modo, atq; æqualiter conueniens omnibus generibus: ergo est vna, & per vnam definitionem potest explicari: quare hęc erit determinatum definitum, eiusdem definitionis.

Sed vt hæc veritas melius intelligatur, & argumenta soluantur, ***annotandum est***, secundam intentionem generis, quæ est primum prædicabile, relationem quandam rationis esse, & vniuersalissimam rationem denominandi omnes naturas genericas, etiam si sint suprema genera prædicamentorum, vt substantia, quantitas, & qualitas, & simul esse speciem quãdã vniuersalis: vnde cũ species quælibet cõponatur ex genere & differẽtia; hæc etiam secunda intentio, componitur ex vniuersali, quod est commune genus prædicabilium, & ex differentia, quæ est esse respectiuum ad plures species, de quibus prædicari potest in quid. Itaque genus, conuenit cum cæteris prædicabilibus, in ratione communi vniuersalis, quę est esse vnũ in multis: & distinguitur ab eis, quia est in multis speciebus, de quibus prædicari potest in quid: & ideò licèt sit vniuersalissima ratio denominandi, quia naturæ, quas denominat genera: sunt etiam magna ex parte vniuersalissimæ, cũ sint suprema genera prædicamentorum: [illegible] secundum essentiam, est particularis, & determinata species cuiusdam generis, quod est vniuersale. Ex quo intelligitur: quòd per determinatam definitionem possit definiri, & quod definitio eius tradita à Porphyrio, determinatum habeat definitum.

Ad formam primi arg. respondendum est, 4 negando minorem primi syllogismi: & dum dicitur in minori secundi syllogismi, quòd generis non datur genus, distinguendo, quia secunda intentio generis, dupliciter sumi potest, in ratione denominandi, aut in ratione essendi. Et primo modo, non hãbet aliud genus, à quo denominetur: quia non est genus denominatiuè, aut accidentaliter, sed essentialiter: sed in ratione essendi, determinata species est; & habet genus superius, quod est vniuersale; ex quo simul ac differentia componitur.

Et si dicatur; etiam vniuersale denominari genus ab hac secunda intentione generis, quæ est primum prædicabile, sicut reliqua genera: & ideò esse inferius respectu illius. Respondetur, verum esse antecedẽs, sed distinguẽdum consequẽs: nam in ratione denominandi, est superius vniuersali, sed in ratione essendi inferius: & quia denominatio est accidẽtalis, respectu eius, quod denominatur: vt denominatio albi respectu corporis: & ratio essentialis: ideò secunda intentio generis per hanc definitionem explicata, accidentaliter est superior vniuersali, sed essentialiter inferior, tanquam vera species eius.

Ad formam secundi arg. respondeo: nihil definiri propria definitione, nisi speciem, sed genus, quod est primum prædicabile, esse speciem alterius generis, nempe vniuersalis, quod accidentaliter denominat: & ideò propriè definiri posse. Ad illud verò, quod in arg. additur, omne quod definitur, definiri in quantum est species, hac distinctione respon- 5

den-

dendum est. Definiri aliquid in quantum est species, duplicẽ sensum habere potest. Primum, quod ratio speciei explicetur per definitionẽ: & hoc est falsum: quia licèt homo sit species, dum definitur, quod sit animal rationale, non tamẽ explicatur per talẽ definitionem, quòd sit species. Secundus sensus est, definiri in quantum est species: ita vt esse speciẽ sit conditio necessaria, ad propriam definitionem, & hoc est verum, sed non explicatur per definitionem, nisi propria & essentialis ratio definiti, quæ tamen accidentaliter denominatur species, à secundo prædicabili.

QVAESTIO. II.

An definitum proprium eiusdem definitionis, sit natura realis, quæ denominatur genus, vel secunda intentio generis, à qua denominatur?

6. GEnus in communi consideratum, quatuor modis sumi potest. *Primò* pro natura, quæ denominatur genus, secundum suam essentiam considerata; vt si animal accipiamus, pro natura sensitiua. *Secundo*, accipitur pro aggregato ex natura denominata, & secunda intentione denominante, quemadmodum album sumi potest pro aggregato ex corpore, & albedine. *Tertio*, accipitur pro natura generica, non secundum suã essentiam, sed in quantum denominatur genus à secũda intẽtione generis. *Quarto*, pro eadem secunda intentione denominante eandẽ naturã genus. Ex his aũt quatuor, certum est aggregatum nõ esse definitum: quia est ens per accidens, ex duobus entibus in actu compositũ: nẽpe, ex natura, & secunda intentione: ens autem per accidens non habet vnam essentiam, sed duplicem: & ideo nõ potest per vnam definitionem explicari, vt expresè docet Arist. 7. Meta. text. 21.

Quæstio ergo procedit de tribus aliis Et sunt circa eam tres opiniones. *Prima asserit*, definitum huius definitionis esse naturam genericam, secũdum essentialia, ita vt animal sit genus, & prædicabile de pluribus differentibus specie in quid: vt est viuẽs sensibile, & sic de cæteris generibus. Hæc attribuitur Scoto: qui cum affirmet naturam esse vniuersalem secũdum se; & ante operationem intellectus, videtur consequenter asserere quòd sit genus, vel species essentialiter. Et probatur ratione, quia illud est definitum, cui conuenit definitio: sed prędicari de pluribus differentibus specie, cõuenit naturæ secundum essentiam, & nõ vt denominatur à secunda intentione: ergo illa est definitum. Minor probatur, quia animal secundũ quod est viuẽs sẽsibile, prædicatur de homine, & leone, & non vt denominatur à secũda intẽtione: nam si hoc modo prædicaretur, dũ dicimus, homo est animal, ergo sensus esset, homo est genus. Probatur consequentia: quia animal, vt denominatur à secunda intentione est genus.

Hæc sententia nec est Scoti, nec est vera, sed falsa. Probatur primum: quia licet Scotus asserat dari vnitatem formalem à parte rei, quæ est fundamẽtum generis, & speciei: genera tamen, & species, denominationes tributas naturis ab intellectu esse docet: quare non tenet naturã realem secũdum essentiam esse definitũ. Quòd verò talis opinio sit falsa, hoc argumẽto probatur. Si natura generica secundũ propriam essentiam est definitũ, ergo secundum propriam essentiam est genus, vel saltem esse genus, erit propria passio eius: sed quæ sunt essentialia naturæ genericæ, aut propriæ passiones eius, conueniũt necessariò [illegible] bus, vt quæcunque sunt essentialia animali, aut tanquam propriæ passiones ei cõueniũt, sunt essentialia equ

aut propriæ passiones eorum: ergo esse genus, aut prædicari de pluribus differẽtibus specie, conueniet speciebus: quod patet esse falsum.

Secunda opinio, est Caiet. in opusc. de ente, & essentia, cap.4. vbi tenet, nec naturam genericam secundum essentialia, nec vt denominatur à secunda intentione, esse definitum, sed secundam intentionem. Quam tamen dupliciter posse considerari ait: *Primo*, vt Quo, hoc est, vt ratio denominãdi naturam genericam, sicut albedo est ratio denominandi corpus album: & hoc est considerare illam in abstracto. *Secundo*, potest considerari, in quantum refertur ad species: nam cũ sit relatio rationis, essentialiter respicit terminũ, terminus autem relationis generis, sunt species: & ideo considerari potest in ordine ad illas, & hoc modo sumitur vt Quod, & in concreto: & est proprium definitum huius definitionis non verò primo modo sumpta.

Probat Caiet. hoc arg. Definitio debet conuenire definito essentialiter, si sit quidditatiua, aut tanquam propria passio, si sit descriptiua, sed prædicari de pluribus differentibus specie, conuenit naturæ genericæ; vt animali aut colori accidentaliter, etiã cõsideratæ in cõmuni: & secundæ intẽtioni in cõcreto essẽtialiter, quia secũda intẽtio generis, essẽtialiter respicit species, cũ sit relatio ad illas: ergo hæc, & nõ illa erit definitũ.

Hæc opinio etiam est falsa: quod probo. *Primò*, prædicari de pluribus, conuenit generi in concreto, quia quod prædicatur de pluribus, cõcretũ est, sicut disgregare visum, conuenit albo in concreto: sed hæc opinio non ponit genus in concreto de[finitum]: ergo est falsa. Probatur minor. Quia concretũ accidentale, quale est genus, significat formam, nempè s[ecu]ndam intentionem, & cõnotat subiectum, nempe naturam genericam, cui conuenit prædicari de pluribus: si ergo natura generica non est definitum, sed secunda intentio, ergo non definitur genus in concreto, sed in abstracto, quod contradicit verbis definitionis.

Secundò, etiamsi consideretur secunda intentio generis, in quantum relatio ad species: non est cõcretum, sed abstractum, ergo falso eam vocat concretum, Caie. Probatur antecedẽs, quia concretum relationis est relatiuum, sicut concretum albedinis est album: sed secunda intentio generis, etiã in ordine ad species, non est relatiuum, quia non est id quod refertur; sed ratio referendi: ergo non est concretum sed abstractum.

Tertia opinio, est D. Tho. in opusc. de ente & essentia, cap 4. vbi asserit definitum adæquatum ex natura generica, & secunda intentione constare: hoc modo consideratis, nempe, natura generica, non secundum se, sed vt denominatur à secunda intentione, & secunda intẽtione denominãte: ita vt natura hoc modo considerata, sit definitum materiale, & vt Quod: quia illa est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero. Et secũda intentio, sit definitum formale, & vt Quo: quia nõ est id quod prædicatur; sed ratio prędicandi: ex vtraque verò resultat vnũ definitum adæquatum; & per se: quia non consideratur tanquã aggregatũ ex eis, sed tanquam includens vnum in ordine ad alterum: quæ verò per se sunt ordinata, non efficiũt vnum per accidens. Exemplum habemus in hac definitione. *Disgregatiuum visus*. Cuius definitũ materiale, & vt Quod, est corpus, vt denominatur ab albedine: quia ei cõuenit disgregare visum: formale verò, & vt Quo; albedo: quæ potius est ratio disgregandi visũ: sed ex vtroq; vt ordinato ad alterũ, resultat vnũ definitũ adæquatũ,

& per

& per se. Hāc senten tiā sequūtur Iauel. in sua Logica, ti. 4. c. 2. Paulus Venetus c. de genere. Sotus ibidem q. vnica Toletus q. 1. *Et videtur nobis probabilior, & sequēda.*

Et probatur hoc arg. Illud est definitū alicuius definitionis, cui per se cōuenit definitio: sed prædicari de pluribus differentibus specie in quid, per se conuenit naturæ genericæ, vt denominatur à secunda intentione generis, & cum ea per se conuertitur: nec alteri potest cōuenire: ergo hæc sola potest esse definitum. Probatur minor: quia sicut corpori, vt denominatum, vel informatum albedine, per se conuenit esse disgregatiuum visus; ita natura generica, vt denominatur à secunda intētione, per se prædicabilis est de pluribus differētibus specie: & quidquid est prædicabile, de pluribus differentibus specie in quid, est natura generica, vt denominata, à secunda intentione. Quod verò ei soli conueniat per se, probatur, quia eidem naturæ nō conuenit essentialiter, vt cōtra primam opinionē probatum est, sed solum potest ei cōuenire accidentaliter, & secūdæ intētioni solū potest cōuenire, vt Quo, cū non prædicetur de pluribus differētibus specie, sed tantū sit ratio prædicādi: solū ergo conuenire potest per se eidē naturæ, vt denominatæ à secūda intentione.

Pro solutione arg. primæ opinionis, notandum est: Duo esse consideranda in prædicatione cuiuscunq; prędicabilis ex parte prædicati. *Primum*, ratio formalis, quam prædicat de subiecto. *Secundum*: conditio, sub qua de illo prædicatur: vt dum prædicatur species de indiuiduo in hac prædicatione, Petrus est homo, ratio formalis quā prædicat de illo, est essentia hominis, sed conditio sub qua prædicatur, est esse speciem: quod est denominari à secunda intentione speciei, quæ est relatio speciei ad indiuidua.

Ex hac distinctione, respōdeo, *ad formam arg.* distinguēdo minorem hoc modo; Si in prædicatione generis de specie, dum dicimus, homo est animal, consideretur ratio formalis, quam animal prædicat de homine; verum est, quod prædicetur secundū essentiam, in quantum est viuens sensibile: si verò consideretur conditio sub qua prædicatur, est secunda intentio generis, à qua denominatur: & ideò ratione talis conditionis conuenit ei prædicari de pluribus differentibus specie in Quid; & non secundū essentiā, aut prædicata essentialia: quamuis hæc prædicet de eisdem speciebus. Et ex hoc intelligitur sensus huius propositionis, homo est animal, & aliarum, in quibus genus prædicatur de specie: qui non est hominem esse genus, sed esse viuēs sensibile: nā hæc est ratio formalis, quā prædicat de illo; ex qua accipiēdus est sēsus propositionis, & non ex conditione sub qua prædicatur, quæ est secunda intētio.

10. *Pro solutione arg. Caiet.* aliud est notandum; nempe, dūx esse materiale significatū generis, in cōcreto significati, sicut aliorum concretorum accidentalium. Vnum proximum, adæquatū, & per se; aliud remotum, inadæquatum, & per accidens, vt materiale significatū albi, adæquatū, & per se, est corpus, inadęquatū, & per accidēs pariēs, aut aliud quodcunq; corpus particulare: ita significatū materiale, per se adæquatū, & proximū generis, est natura generica in cōmuni; quæ denominatur genus, à secundo prędicabili: remotum verò, inadæquatum, & per accidens, est animal, vel color. Et ex hoc respondetur *ad formam arg.* distinguendo minorem: nam licèt animali, aut colori conueniat accidentaliter definitio generis: quia sunt significata materialia, remota, & per accidens; naturæ tamen genericæ,

vt denominatæ à secunda intẽtione generis, per se conuenit, & non accidẽtaliter. Sicut corpori, vt habenti albedinẽ, per se conuenit esse disgregatiuum visus: secundæ autem intentioni, etiam in ordine ad plures species, non conuenit definitio: nisi, vt Quo, sicut probatum à nobis est, contra Caietanum.

QVÆSTIO III.

An definitio generis sit quidditatiua, vel descriptiua?

11\. DVO sunt, explicanda, vt soluatur quæstio præsens. *Primum*, qualisnam sit definitio generis, quidditatiua, vel descriptiua. *Secũdum*, quidnam pro genere in ea ponatur; vniuersale, aut prædicabile, vel quid aliud: ideo in duas partes diuidenda est quæst. Circa primam verò, duæ sunt opiniones, quasi extremæ, & altera media.

Prima opinio extrema asserit, non solũ non esse quidditatiuam, aut essentialem definitionem generis, sed nullo modo posse definiri genus definitione quidditatiua. Quam sequuntur Albertus Magnus, tract. 1. prædicabilium, cap. 3. Villalpandeus in præsenti, cap. & pro eadẽ citat Ammonium, Toletus quæst. 1. huius cap. Probaturq; hoc arg. Genus est concretum accidentale, includens pro materiali naturam genericam, quæ potest esse substantia, aut accidens reale: & pro formali secundam intentionem, quæ est ens rationis: hæc autem diuersas habent essentias, ergo non possunt vna definitione explicari. quare non poterit genus definiri definitione quidditatiua.

Secunda opinio extrema, non solum asserit, posse genus definiri difinitione quidditatiua [illegible] hãc definitionem eius [illegible] assignatam, esse quidditatiuam. Ita Scotus quæst. 14. & 15. vniuersalium, quem sequitur Caiet. quæst. 1. huius cap. in solutione ad primũ. Probat Scotus hac ratione. Genus consideratur à Porphyrio in hoc opere sub ratione prædicabilis, sicut & cætera prædicabilia; sed definitur per prædicari de pluribus differentibus specie: ergo definitio est quidditatiua. Probatur consequentia, quia prædicabile dicit potentiam prædicandi: & prædicari est proprius actus talis potentiæ; sed potentia definitur quidditatiuè per proprium actum, à quo sumit suam essentiam, aut speciem: ergo definitur genus, vt prædicabile quidditatiuè.

Tertia opinio est communis, quæ duo affirmat. *Primum*, quod genus potest definiri quidditatiuè. *Secundum*, quod definitio Porphyrij, non est quidditatiua, sed descriptiua. Et quantum ad hoc secundum, eam tenet D. Tho. opusc. 84. tracta. 1. Cap. 2. & 3. Albertus Magnus tract. 3. prædicabilium, cap. 34. Ammonius & Villalpandeus, vbi supra. Sotus quæst. vnica huius capitis, §. vltimo. Toletus quæst. 2. Mercatus cap. de specie fol. 16. col. 2. E t. *hac est probabilior & sequenda.*

Probatur autem primum, quod affirmat, genus posse definiri quidditatiuè hoc arg. Vniuersale est genus ad quinq; prædicabilia, vt quæst. 8. vniuersalium probauimus, ergo primũ prædicabile, quod est genus, est species vniuersalis: sed quælibet species componitur ex genere, & differentia, tanquam ex partibus essentialibus: ergo per eas potest definiri, & definitio tradita per genus, & differẽtiam, est quidditatiua, ergo genus potest definiri definitione quidditatiua.

Probatur 2. Quod definitio Porphyrij non sit quidditatiua, primò ex verbis eiusdem cap. præsentis, quæ sic habent. *Quod etiam describentes assignarunt: genus esse dicentes, quod de pluribus, & differentibus*

tibus specie, in eo, quod quid prædicatur. Deinde ratione; quia duo habent prædicabilia, vt superius probauimus. Primũ; quòd sint vniuersalia: hoc est, vnum in multis: deinde; quòd prædicari possint de eisdem: & primum se habet tanquam essentia eorum; secundũ vt propria passio; sed genus definitur per prædicari de multis: ergo definitur per propriam passionem: definitio autem quæ datur per propriam passionem, est descriptiua: vt si definiatur homo per risibilitatem: ergo definitio generis est descriptiua.

Ad arg. primæ opinionis, respondetur; diuersa esse, quæ includit genus; sed ordinata inter se: nam includit naturã, vt ordinatam ad secundam intentionem; tanquam ad formam denominantem: & secundam intentionẽ, vt ordinatam ad naturam, tanquam ad subiectum denominatũ: & ex hoc efficiũt vnum ordinẽ; quod vna definitione possit explicari.

Ad argum. Scoti respondeo, distinguendo antecedens, nam si intelligatur genus, & reliqua prædicabilia cõsiderari à Porphyrio, vt prædicabilia, in eo sensu, vt prædicabilitas sit ratio essentialis eorũ: falsum est: nam essentialis ratio potius est vniuersalitas. Si verò intelligatur considerari, vt prædicabilia, ita vt prædicabilitas sit passio cõmunis, quę de illis probatur, verum est: & ideò per illam definiuntur omnia, tanquam per communem passionem, quod est definiri definitionibus descriptiuis: & tales debent omnes reputari.

Secunda pars quæstionis.

13. SEd supposito, quod sit descriptiua definitio, quęritur in secũda parte quæstionis: *Quidnam ponatur in ea pro genere? Et prima opinio asserit*, genus huius definitionis esse vniuersale: quia licèt non ponatur expresso verbo; refertur tamen per illud relatiuũ, quod prædicatur de pluribus: idem enim est dicere, genus esse quod prædicatur de pluribus, ac dicere, genus esse vniuersale. Hæc tamen sententia non potest in primis defendi, apud Porphyrium: quod sic probo. Porphyrius exponens eandẽ definitionem, inquit, per illam particulam, *prædicari de pluribus*; excludi indiuiduum: quod non potest esse verum, si vniuersale sit genus: nã iam esset exclusum per illud: cùm indiuiduum, non sit vniuersale. Deinde, non potest defendi, quod definitio sit descriptiua: nam si auferas illas particulas, prędicari de pluribus, & loco earũ ponas vniuersale: sensus definitionis erit, genus est vniuersale in multis, differentibus specie in quid: & ideò auferetur propria passio: qua ablata, non erit definitio descriptiua, cõtra cõmunẽ sententiã, ex Porphyrio, & ratione probatã.

Secunda opinio asserit, genus in hac definitione esse prædicabile: quod explicatur per illà verba, *quod prædicatur de pluribus*: nam verba in definitione, non dicunt actum, sed aptitudinem: idem ergo est dicere, genus est, quod prædicatur de pluribus; ac si dicatur, quod aptum est prædicari de pluribus: sed esse aptũ prædicari de pluribus, idem est, ac esse prædicabile de pluribus: ergo prædicabile ponitur loco generis in hac definitione.

Tertia opinio est communis, & tenenda: quòd loco generis ponatur natura generica, 14
non quidem eodem modo sumpta, ac dũ dicitur esse difinitum, sed aliò: nam dum definitum est, sumitur simul cum secunda intentione, à qua denominatur, & cũ qua vnum definitum per se facit, vnitate ordinis: sed pro genere ponitur solùm, vt in communi sumitur; non vt ordinata ad secundam intentionem. Quod possumus explicare exemplo albi, quod dum hoc modo definitur, album est disgregatiuum visus, definitum est corpus, vt de-

nominatur ab olbedine: ita vt ex vtroque, nemp e ex crpore, & albedine, ordinatis; fiat vnum definitum cōpletum, & per se: sed loco generis, ponitur corpus absolutè sumptum: hoc est, non considerato sub denominatione albedinis, nec simul cum illa. Hanc sententiam sic explicatam sequuntur, Ammonius, Albertus Magnus, & Canterus, locis superiùs citatis; *Et videtur nobis probabilior.*

Nam in primis colligitur ex doctrina
15. D. Thom. 1. lib. de interpretatione, ca. 1. lect. 4. & opus. de ente, & essentia, ca. 7. vbi tradit modum definiendi accidentia in concreto; per subiectū loco generis: & in abstracto, per verum genus; & subiectum loco differentiæ: vt risibile; quòd sit homo aptus ad ridendum: risibilitatē verò, quod sit aptitudo hominis ad ridēdum. Et rationem vtriusq; esse: quia posse inhærere subiecto, est de essentia accidentis: sed inhærētia in subiecto; propriè explicatur per idem subiectum positum in definitione; ergo propriè definiuntur accidentia, per subiectum loco generis; si definiantur in concreto; & loco differentiæ si in abstracto.

Deinde, ex hac doctrina cōficitur hoc
16. argu. ad illam probandam. Genus definitur à Porphyrio in concreto; vt significant verba definitionis. *Quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid.* Nam concretum est, quod prædicatur; non abstractum: sed genus est concretum accidentale; sicut album: ergo definitur per subiectum loco generis: subiectum verò est natura generica; sicut subiectum albedinis est album: ergo per illam loco generis in definitione positā definitur: & sensus definitionis est: Genus est natura; quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quid.

Ad arg primæ opinionis respondetur; accidentia melius definiri in concreto, per subiectum; quàm per genus: quia melius explicatur per illud inhærentia aptitudinalis; quæ est de essentia eorum. Vnde magis propriè refertur subiectum generis; quod est natura; per illud relatiuum; quod prædicatur; quàm vniuersale. Et eodem modo respondetur ad argumentum secundæ opinionis.

QVÆSTIO IV.

Vtrum genus includat differentias, & species actu, vel solum potentia?

VAlde vtilis est quæstio hæc, ad intelligendam naturam generis: sed pro breuiori resolutione eius notādum est. Tribus modis intelligi posse, quod vnum cōtineat alterum actu: *Primò*; actu distincto; sicut definitio cōtinet vtramque sui partē; nempe genus, & differētiam. *Secundò*; actu determinato, sed non expresso: sicut species continet genus, & differentiam; vt homo, animal, & rationale. *Tertiò*; confusè, & indeterminatè: vt ens continet modos intrinsecos substantiæ, & accidentis: qui sunt per se, & in alio: non solū cōfusè, sed neutrum determinādo potius, quam alterutrum. 17.

Ex his tribus modis; *Primò certum est*; genus non continere differentias actu distincto, sicut definitio continet genus & differētiam. Probatur euidenter: quia si animal cōtineret actu distincto rationale, per illud solum possemus definire hominem; dicentes hominem esse animal: quia in animali etiam includitur actu, atque distinctè rationale: & ideò talis definitio constaret genere, & differentia: & ideò esset sufficiens, quod patet esse falsum.

Secundò, certum est genus non continere differētias actu determinato, licèt confuso contineat: vt animal non continet rationale, sicut homo. Quod probatur; quia si animal contineret actu ratio-

rationale, & irrationale, falsæ essent omnes prædicationes, in quibus prædicatur de suis speciebus; vt homo est animal, leo est animal: quia sensus esset, homo est rationalis, & irrationalis: & similiter leo, quod est absurdum.

Solùm ergo potest esse dubium, an genus contineat differentias actu indeterminato, & confuso; ita vt nullam particularē potius, quàm alteram exprimat, sed omnes indeterminatè dicatur cōtinere, diuerso modo, ac species quælibet continet suam differētiam: nam homo, licèt non expresè contineat rationale; tamen determinatè, ita vt hanc differētiam, & non aliam cōtineat: animal verò non sic potest continere rationale, & irrationale: quia non magis vnam, quàm alteram dicit; sed sub eadem confusione vtramque. Nihilominus posset intelligi actu cōfuso, & indeterminato, eas cōtinere, iuxta tertium modū. Et de hoc modo cōtinendi actu differentias, procedit quæstio: cuius sensus est, an genus actu confuso, atq; indeterminato contineat differentias, vel solum in potentia: sicut materia cōtinet formas solū in potētia.

18. *Et prima opinio asserit*, Genus hoc tertio modo continere actu differentias. Probatur duobus testimonijs Arist. *Primum*, habetur 1. li. Physic. textu 4. vbi ita ait: *Vniuersale autem totum quoddam est, multa enim comprehendit, vt partes: Secundum verò*, 7. li. Physic. textu 31. vbi de genere sic loquitur: *Genus nō vnum quid est, sed in hoc latent multa.* Ex quibus sic argu. Genus continet multa, tanquam partes; ergo continet illa actu: quia omne totum actu continet partes, cum ex eis cōponatur: sed ea, quæ ita continet genus, non possunt esse alia præter differentias, & species, vt notum est: ergo eas cōtinet actu, & non in potentia, ex mente Arist.

Deinde probatur hac ratione. Vt vera sit prędicatio, necesse est, id totum quod continet subiectum, continere prædicatum, non solum in potentia; sed etiam actu: at genus prædicatur de specie: ergo debet actu continere, quidquid species cōtinet, nempe differētiam, ex qua simul cum genere componitur. Probatur maior. Quia cum animal prædicatur de homine, sensus prædicationis est, hominē esse animal actu: quod verum non erit, si animal solum dicat actu naturam sensitiuam: nam cum hæc sit pars hominis, prædicabitur pars de toto: vt ergo sit vera, debet etiam animal actu continere rationalitatem, & non sufficit in potentia: cùm actu, & non potētia prędicetur.

Secunda opinio tenet, Genus non actu, sed in potentia tantum continere species, & differentias, vt animal, rationale, & irrationale. Et colligitur euidēter ex Arist. 2. lib. de posteriori resolutione, textu 17. vbi ita ait. *Supponatur enim tale esse genus, vt sit secundum potētiam in plus.* Esse autem in plus quàm speciem, est esse vniuersalius, & plus cōtinere quàm singulas species: hoc est, alias species, & earum differentias, si ergo est in plus secundum potentiam, in potentia tantum continebit species, & differentias. Hæc est etiam expressa sententia Porphyrij, cap. de differentia, vbi de genere loquens, sic ait: *Potestate quidem habet omnes, quæ sub se sunt differentias, actu verò nullam.* Et D. Tho. super verba Arist. citata. & opus. 42. cap. 9. quam sequuntur Albertus Magnus, tractatu 5. prædicabilium, cap. 4. Iauellus tract. 4. prædicab cap. 4. ante medium. Caiet. Sotus, Canterus, Toletus, cap. de differentia, in expositione textus, Mercatus quęst. vnica huius capitis. *Et est vera, ac tenenda.* Sed vt eā probemus, duo sunt notanda. 1. Genus significare gradum superiorem naturæ, differentiam verò gradum inferiorem

riorem, per quem determinatur ad constituendam speciem, vt animal, significat gradum naturæ sensitiuæ, qui superior est gradu rationalitatis, quem significat differentia rationalis, per quam contrahitur ad constituendam speciem hominis.

Secundò notandum est, duobus modis considerari genus. *Primò*, vt partẽ actualem cõponentem speciem simul cũ differentia. *Secundò*, vt totum potentiale, cõtrahibile per differentias: vt animal, quod est pars actualis speciei humanæ, quam cõponit simul cum differentia rationali: & vt totum potẽtiale est, quod determinatur per eandẽ differentiam, ad constituendũ hominem, & per differentiam equi, ad cõstituendum equum.

Ex his duobus notabilibus, duo colliguntur argumenta, ad probandam nostram sententiam. *Primum est*, genus significat gradum naturę diuersum, ac superiorem, à gradu, quem significat differentia: & est abstractum ab speciebus, & differentijs, vt animal ab homine, & equo: & consequenter à rationali, & irrationali: sed id quod ab inferioribus abstrahitur, vt sic abstractum, nõ includit illa: cum abstrahi ab illis, sit cognosci sine illis: ergo genus nõ potest includere actu species & differentias, à quibus abstrahitur, sed solùm in potentia.

19.

Secundum arg. Genus solùm potest cõsiderari vt pars actualis speciei, vel vt totum potentiale, contrahibile per differentias: sed neutro modo includit eas actu: ergo solum in potentia. probatur minor: quia non includit eas actu, vt est pars speciei: nam vna pars actualis, non includit alteram: quia eo ipso, quòd eã actu includeret, non posset cum ea cõponere totum: cùm componẽtia distincta esse debeant, & ideò non se includẽtia: sed nec vt est totum potentiale includere potest eas, nisi solùm in potentia: quia solùm sunt partes potestatiuæ eius, ex quibus vt tale totum potestatiuum componitur. Et confirmari potest. quia si genus contineret actu differentias, cùm illæ sint omnino diuersæ, vt rationale, & irrationale, contineret actu plura diuersa, & ideò esset æquiuocum respectu specierum, de quibus prædicatur, vel saltem analogum: sicut ens, respectu substantiæ & accidentis, quæ actu confuso, atq; indeterminato continet: sicut genus continet differentias secundum opinionem oppositam: consequẽs autem falsum est; cùm genus sit vniuocum: ergo etiam erit falsum, quòd genus contineat actu differentias.

Ad testimonia Aristotelis, pro alia sententia adducta, respondeo. Genus continere multa in potẽtia, hoc est species, & differentias, non tanquam partes actuales, sed potestatiuas: nam sicut totum, aliud est actuale, & aliud potentiale, ita partes, aliæ sunt actuales, & aliæ potẽtiales. Actuales sunt, quæ essentiam actualem componunt: potentiales verò aut potestatiuæ, per quas, vel ad quas constituendas contrahitur, aut determinatur totum: idem namque est, esse partes, ad quas actu constituendas determinatur totum, & esse partes suæ potestatis.

Ad argumentum, neganda est maior: quia nõ requiritur ad veritatem propositionis, quòd prædicatum contineat actu, quidquid continet species, sed sufficit quòd aliquid contineat actu, & aliquid in potẽtia: sic enim prædicabit partem speciei, inclusam in specie: non tamen per modum partis, sed totius: & ideò veram efficiet propositionem, in qua dicitur hominem esse animal: cuius sensus est, hominẽ includere animal, quod determinatur, per rationale ad cõstitutionem eius. Hoc est enim includere rationale, 20

tionale, ac cæteras differentias in potentia. Quod sic declarandum est. Contrahibile, aut determinabile, dicit potentiam, & contrahens actum: sed genus est contrahibile per differentiam, tanquam per actum, ergo est potẽtia respectu differentiæ, & speciei, quam cum ea potest constituere; quare non potest continere species, & differentias actu, sed potestate tantùm.

QVAESTIO V.

Vtrum genus prædicetur de specie tanquam totum, vel etiam vt pars illius?

Genus tribus modis considerari potest. *Primò*, vt dicit naturam genericam abstractam ab speciebus, vt animal in quantum dicit naturam sensitiuam, abstractam ab homine & equo: & hoc modo sumptum non est pars, sed totum: quia significatur per modum habentis naturam; non est tamen totum actuale, sed potentiale, quia significatur vt habẽs naturam perfectibilem, per differentias: quod verò perfectibile est, significatur tanquam in potentia ad vlteriorem perfectionem, quod est, significari vt potentiale. *Alio modo* sumitur genus, tanquam altera pars speciei, componẽs eam simul cum differentia; & tunc non accipitur, vt abstractũ à speciebus, sed solùm vt actu dicit partialem naturam earum. *Sed adhuc* per modum partis significatũ, potest sumi tanquam pars actualis, in quantum actu coniunctum est cum differentia componendo speciem, aut tanquã pars potentialis: si illud consideremus, non vt actu componens, sed vt potest componere.

Et secundum has tres acceptiones, tres sunt opiniones. *Prima tenet*, tanquam partem etiam actualem prędicari de specie, quam sequuntur Caiet. cap. præsenti. Venetus cap. sequenti ad finem, & alij. Et probant primo ex Arist. 1. lib. de posteriori resolutione, cap. 4. vbi docet integrã definitionem, & singulas eius partes, per se prædicari de definito: sed partes definitionis sunt actuales, ex quibus altera est genus: ergo tanquam pars actualis prædicatur de specie.

Probant deinde ratione: Primò, quia hæc est differentia inter prædicationem generis, & speciei, ab omnibus concessa, quod prædicatio speciei est completa: prędicatio verò generis incompleta; prędicatur ergo genus tanquam quid in cõpletum de specie: sed incompletum est pars: ergo prædicatur vt pars.

Secundò, partes physicæ, vt materia & forma, magis distinguuntur inter se, & à toto, quam partes Metaphysicæ, quæ sunt genus, & differentia, cum illæ sint res distinctæ; istæ verò, non nisi conceptus distincti, eiusdem rei: sed partes Physicę, in concreto significatæ, verè prædicantur de toto: dum dicimus, homo est corporeus, aut est animatus: ergo melius prædicabuntur partes Metaphysicæ, quæ sũt genus & differentia, in concreto significatæ de specie, quam componunt: & ita vera erit hæc; homo est animal, etiam si tanquam pars accipiatur genus: sicut etiã est vera hęc; homo est rationalis; cum tamen rationale, non sit totum potentiale; sed actualis pars.

Secunda opinio affirmat; genus non vt partem actualem prædicari de specie; sed vt partem potentialem: hoc est: non vt actu componens; sed vt potest simul cum differentia componere. Hanc tenet Canterus, cap. præsenti, dub. 3. & probat hoc arg. Vt prædicatio sit vera, prædicatum debet continere totum, quod continet subiectum; sed genus vt pars actualis, non continet aliam partem speciei, quæ est differentia, actu, nec potentia; sed bene vt potentialis: quia vt potest componere speciem non con-

consideratur vt actu coniunctum cum aliqua differentia; sed vt potest coniungi: quare omnes continebit in potentia: quod satis est, vt dicatur continere totũ, quod continet species; nempe vnam partem actu, & alteram in potentia: prædicabitur ergo vt pars potentialis, non vt pars actualis.

22 *Tertia opinio est D. Thom.*1.dist. 25. & opusc.de ente, & essentia cap.3, asserentis, genus non prædicari de specie, vt partem, sed vt totum, verba eius sunt: *Si animal non esset totum, quod est homo, non prædicaretur de eo, cùm nulla pars prædicetur de suo toto.* Eam sequuntur Boetius lib.de diuisionibus, ferè in principio. Caie. etiã licèt citetur pro opposita sententia, asserit expressè etiam in eodem cap.3. opusc. de ente, & essentia, genus nõ vt partẽ, sed vt totum potentiale prædicari de specie. Item Sotus quæst. vnica huius capitis, & pater Franciscus Suarius tom. 1. suæ Met. disput.15. sect.11. num.16. *Et videtur nobis probabilior.*

23 Sed vt fundamentũ eius explicemus, *Notandum est primò*, quòd tam genus, quàm differentia, sumuntur à tota natura specifica, aut à tota entitate eius, sub diuersis gradibus considerata, & non à sola parte: vt capite de differentia explicabitur, diuersa tamen ratione: nam genus sumitur à tota natura rei, sub ratione vniuersaliori, atq; imperfecta; perfectibili tamen per eandem naturam sub gradu speciali consideratam: differentia verò, à tota etiam natura, vt determinata atque perfecta. Gratia exempli: animal, vt est genus hominis, sumitur à tota natura eius, secundum gradum superiorem & imperfectum, hoc est, vt sensitiua, per eandem naturam hominis, vt rationalem, determinabili: & rationale, quod est differentia; sumitur etiam à tota natura hominis: vt perfecta ac determinata: vnde sequitur, tam genus quam differentiam significare totam naturam speciei: illud quidem sub ratione cõtrahibilis, hanc verò sub ratione contrahentis.

Secundò, notandum est, quod genus sumptum vt totum potentiale, valde diuersum est à se ipso, sumpto; vt parte actuali, aut potentiali: nam vt totum potentiale; non solùm dicit partem speciei; sed totam naturam eius, sub gradu superiori, & imperfectori consideratã, & contrahibilem, per gradus inferiores, & speciales differentiarum, sed vt pars est speciei, nõ dicit vllo modo integram naturam speciei, sed partem duntaxat: & ratio huius differentiæ est; quia genus vt totum potentiale, abstrahitur à speciebus abstractione vniuersali; qua abstrahitur commune à particularibus; vt animal abstrahitur ab homine, & leone, tanquam vniuersale à particularibus: & ideò dicit totam naturam eorum: sed sub gradu superiori sensitiuo, idem significans; quod habens naturam sensitiuam determinabilem per rationalẽ. Si vero idẽ genus accipiatur vt pars speciei, non abstrahitur abstractione vniuersalis à particularibus; sed potius abstractione præcisiua, qua pars præscinditur à toto; vt brachium ab homine.

Ex hac doctrina colligitur dũx arg.ad probandum, quòd genus, vt totum potentiale; & non vt pars, prædicetur de specie. *Primùm*, genus prædicatur de speciebus, vt vniuersale, ac superius prædicatum abstractum ab eis: sed vniuersale, quod abstrahitur à particularibus, continet totam naturam eorum, sub ratione superiori consideratam; non consideratis rationibus inferioribus à quibus abstrahitur; vt patet de specie abstracta ab indiuiduis: ergo prædicabitur de illis vt totum potentiale, contrahibile per 24

le per differentias, & non vt pars. Probatur consequentia, quia pars non potest abstrahi à toto, abstractione vniuersalis à particulari; sed solum præscindi ab eo; vt brachium ab homine: quod patet non prædicari de toto.

Secundò, vt vera sit prædicatio aliqua, non sufficit quod prędicatum includatur in subiecto; nam si hoc sufficeret, quælibet pars prædicaretur de toto: ergò requiritur quod contineat, quidquid continet subiectum. Probatur consequentia, ex sensu ipsius propositionis; per quam significatur hoc esse illud: quod non potest esse verum; nisi totum quod continet subiectum, contineat prædicatum: nam si aliquid subiecti non continet, non erit verum ex parte illius, esse illud. Et hæc est ratio, propter quam nulla pars prædicari potest de toto: quia ratione alterius partis, quam totum dicit non potest esse verum, totum esse partem; vt hominem esse caput. Et argum. hoc eodem modo probat de partibus Metaphysicis: quales sunt genus, & differentia; ac de partibus Physicis, quales sunt materia & forma: quià licèt illæ non distinguantur realiter à toto, satis est distingui ratione formali; propter diuersum modum essendi, & significandi totius & partis, vt ab intellectu conceptis; vt falsam efficiant propositionem.

Ad testimonium Arist. pro prima opinione respondeo, Partes definitionis prædicari de definito per se, seruato modo prædicandi debito, nempe sumptas per modũ totius potentialis, vel actualis, nam sub forma partis impossibile est. Ad intentũ verò Aristotelis, in eo loco sufficit, quòd hoc, vel illo modo prædicentur.

Ad primum arg. eiusdem sententiæ respondetur. Distinguendo antecedens, nam prædicatum, ex duplici parte potest esse incompletum: ex parte eius quod prædicat de subiecto, & ex modo, quo illud prædicat: & in primo sensu incompletè prædicatur genus de specie: quia tantum prædicat naturam sensitiuam: quæ est pars speciei: sed ex parte modi, completè potiùs prædicatur: quia eandem naturam sensitiuam prædicat, non per modum partis, sed per modum totius: quia per modum habentis illam, non quidem totius actualis, sed potentialis: quia per modum perfectibilis, ac determinabilis, per gradus differentiales.

Ad secundum respondetur: Concedendo antecedens, quod pars physica in concreto significata, prædicetur de toto: quia non significatur vt pars, sed sub ratione totius, quia significatur nomine adiectiuo: quod cùm significet per modum adiacentis, rem quoque significat per modum habentis; vt dum dicimus, hominem esse materialem; idem est, ac si dicamus, esse habentem materiam: & esse materialem, adiectiuo nomine significatur per modum adiacentis, ac si esset accidens hominis; cum verè sit pars substantialis. Genus verò etiam in concreto significatum, sumi potest vt pars: quia significatur nomine substantiuo; & ita sumptum non potest prædicari de toto; secundum verum sensum propositionis; per quam dicitur hoc esse illud. Quòd nõ potest esse verum, ex ea parte; qua totum aliquid aliud importat, diuersum à qualibet parte per se.

Ad argum. secundæ opinionis respondetur, Differẽtiam inter genus, vt partem actualem, & potentialem; non consistere in eo: quod vt pars actualis, vni tantum differentiæ coniunctum sit, vt potentialis verò, omnibus coniungi possit: nam vtroque modo vnam tantum determinatam differentiam respicit: sed solùm, vt pars actualis distinguitur à se: vt parte potentiali: quia vt actu coniunctum,

consideratur cum tali differentia determinata; sed vt pars potentialis, consideratur vt potest coniungi, non omnibus, sed eidem tantum determinatę differentiæ. Vnde falsum est, quod vt pars potentialis, contineat differentiam aliquam in potentia, & consequenter est falsum, quod vt pars potentialis prædicari possit de specie.

QVAESTIO VI.

An modus prædicandi in quid, separet genus à differentia?

16. PArs negatiua: quòd non distinguatur per modum prędicandi in Quid, & in Quale quid; probatur ex Aristotele 1. lib. Posteriorum tex. 21. vbi docet, vtramq; partē definitionis; nempe genus, & differentiam, prædicari de specie in quid: & expressiùs 7. lib. Topicorum cap. 2. loco 31. his verbis. *Eorum quæ sunt in assignata oratione hoc quidem genus, illud autem differentia & in eo, quod quid est, genus, & differentia prædicantur.*

Probatur etiam, *ratione*: quia modus prædicandi sequitur modum essendi: sed differentia habet modum essendi perfectionem in compositione speciei, quàm genus; cùm se habeat tanquam forma, & genus, vt materia: ergo habebit modum perfectiorem prædicandi. Sed modus perfectior prædicandi, est prædicari in Quid, ergo hoc modo potius, quàm in quale prædicabitur. Minorem probo: quia modus prædicandi in quid, est proprius substantiæ, & modus prædicandi in quale, est modus accidentis: quod non videtur posse negari, cùm sit prędicatum essentiale. Communis tamen sententia Porphyrij, & omnium interpretum eius est; quod genus distinguatur à differētia ex eo, quod illud prædicatur in quid, hæc verò in quale quid: *vera est & tenenda.* Quod probatur expresso testimonio Aristot. 4. lib. Topicorum, cap. 6. loco 81. vbi sic ait. *Quoniam differentia quidem qualitatem generis semper significat, genus autem differentiæ non: nam qui dicit gressibile quiddam: animal dicit: qui verò animal dicit, non dicit quale quiddam gressibile: differentia igitur à genere sic separanda.*

Et hunc modum distinguendi hæc duo prædicabilia, generis, & differentiæ, per modum prædicandi in quid, & in quale quid, sequitur D. Tho. opusc. 58. tract. 1. cap. 4. Probatur deinde ratione: quia genus prædicatur de specie per modum substantię, hoc est per se stantis, cuius euidēs signum est, quod nomine substantiuo significatur: sed modus prædicandi in quid, est proprius substantiæ, quæ est quidditas rei: ergo prædicatur in quid. Differentia vero prædicatur per modum formæ, qui non est rei per se stantis, sed inhærētis materiæ, & determinantis, ac modificantis illam, ad similitudinem qualitatis: ergo non prædicatur in quid, sed in quale, non tamen sicut vera qualitas, quia ad essentiam rei pertinet: & ideò non prædicatur in quale simpliciter, sed secundum quid, & cum addito, hoc est in quale quid: & in hoc distinguitur à genere. Pro explicatione testimonij Aristot. adducti ad probandam negatiuā partem, notandum est: duo esse consideranda in prædicato alicuius prædicationis. *Primum*; rem ipsam, quæ prædicatur. *Secundum*, modum, quo concipitur, & significatur, secundum quem attribuitur subiecto: & Primum, quasi materiale est in prædicatione: ex quo non sumitur modus prædicandi, distinguens prædicabilia, sed ex Secundo, in quo consistit ratio formalis prædicationis. Aristoteles ergo in diuersis locis vtrumque considerauit: in eo quidem, cuius verba adduximus, pro negatiua parte, considerauit primum: modum vero concipiendi prædicatum

catuum, & attribuendi subiecto, cōsiderauit in secundo loco, quem pro nostra sententia adduximus: & ideò distinxit genus à differentia, per modos prædicandi in quid, & in quale: in alio verò eodem modo prædicari docuit: quod verum est ex parte rei, quæ prædicatur, in se consideratæ: nam tam differentia, quam genus est pars quidditatis speciei.

Ad arg. verò respondeo, Distinguendo maiorem, nam modus essendi dupliciter sumi potest, secundū se, vel vt concipitur à nobis: & ab eo, hoc modo sumpto accipitur modus prædicandi: quia non prædicantur res, vt sunt à parte rei, sed vt tali modo cognoscuntur: & licèt secundum primam considerationem, perfectior sit differentia quàm genus, ex modo tamen posteriori, perfectiorem habet modum prædicandi hoc, quàm illa, per quem distinctum prædicabile constituit.

CAPVT III.

De Specie.

1 INtentum Porphyrij in hoc capite est, explicare naturam secundi prædicabilis, quod est species. Diuiditur autem in quatuor partes; *In Prima*, proponit duas acceptiones speciei: primam Physicam & realem, ex cuius similitudine colligit secundam Logicam. *In 2.* definit speciem duplici definitione *In 3.* ponit ordinationem prædicamentalem, prædicamenti substantiæ, vt per eam intelligatur duplex habitudo speciei: vna quā habet ad genus, sub quo collocatur: altera ad indiuidua, de quibus prædicatur. *In vltima;* definit indiuiduum duabus definitionibus. *Prima;* acceptio realis speciei est, qua accipitur pro forma, ac pulchritudine rei. In qua acceptione dici solet: *Præstantissimam speciem dignam esse imperio.* Hoc est pulcherrimum hominem dignum esse imperio: quia pulchritudo corporis, signum est virtutis in anima existentis. Et huic acceptioni reali similis est acceptio Logica, qua accipitur species pro ea, quæ sub assignato genere collocatur (inquit Porphyr.) id est sub genere iam definito, & explicato capite præcedenti. Similitudo autem vtriusque acceptionis, cōsistit in hoc: quia quemadmodum forma rei, in qua pulchritudo consistere solet; accidentali modo includit atq; ostendit perfectionem essentialem rei: ita species, quæ sub genere collocatur, & ab eo simul cū differentia constituitur, includit modo substantiali, totam perfectionem essentialem rei: vt species humana totam perfectionem essentialem hominis. Et hæc in prima parte capitis.

In secunda verò, definit Porphyrius speciem, secundum hanc acceptionē Logicam, duplici definitione. Prima definitio talis est: *Species est, quæ subiicitur generi, & de qua genus in quid prædicatur.* Per quam explicatur species secundum habitudinem, quam habet ad genus, à qua dicitur species subiicibilis.

Secunda definitio speciei est: Species est quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in eo, quod quid. Per quam explicatur species, secundum habitudinem, quam habet ad indiuidua, & vt est secundum prædicabile: & hæc Porphyrius in 2. par. *In tertia;* proponit ordinem prædicamētalem in prædicamento substantiæ: quod his quinq; prędicatis constat: Substantia, Corpus, Viuens, Animal, Homo. Sed vt intelligatur, tria ait esse in eo consideranda. *Primum est;* tria in eo reperiri, nēpe supremum genus, quod ita est genus, vt non sit species; vt substantia. Infimam speciem, quæ ita est species, vt non sit genus; vt homo, aut leo; & Intermedia genera, quæ simul sunt genera respectu inferiorum specierum, & species respectu superioris generis. Indiuidua verò, non collocantur in prædicamento, tanquam par-

tantum: quia eundem respectum explicat: nam idem est subiici generi, & genus prædicari de illa. Et cum præter hanc, tátum sit alia, per quam explicatur species, vt prædicabilis, tantum erunt duæ. Probat hoc arg. Species solũ habet duos respectus, vnum ad genus, vt est subijcibilis, alterum ad indiuidua, vt est prædicabilis: ergo solũ habet duas rationes formales, explicabiles per definitionem: & ideò duabus solum definitionibus explicari potest.

Alii verò omnes, asserunt tribus definitionibus fuisse definitam, sed non eodem modo eas enumerant: nam Toletus primam solum esse explicationẽ vocis ait, sed secundam distinguit in duas: ita vt vna sit, *Species est quæ subiicitur generi*: & altera; *species est de qua genus prædicatur in quid*: & ideò cum alia, per quam explicatur species, vt prędicabilis, esse tres. Probat, quia eundem respectum ad genus diuerso modo vtraq; explicat: nam aliud est speciem respic[...]enus, aliud genus respicere specien[...]ædicatur de illa.

Caietanus verò, & Canterus, ita asserunt tres esse definitiones, vt prima non sit sola acceptio, aut vocis explicatio, sed simul definitio: secundam verò vnam tãtum esse: quia vnam tantum habitudinem ad genus, omnia illa verba explicant: *Et hæc videtur mihi probabilior sententia, & magis ad mentem Porphyrij.*

5 Et probatur *primum*: quod illa verba, *Species est, quæ sub assignato genere collocatur*, non sint sola acceptio, sed etiam definitio: quia Porphyr. dum aliam definitionem proposuit, sic asseruit; *Assignant ergo & sic speciem; species est, quæ ponitur sub genere, & de qua genus in quid prædicatur*. Quibus verbis docet, se aliam definitionem, post primam iam traditam, assignare. Præterea, priusquam secundam definitionẽ proponeret, rationem reddit, propter quã, cùm genus per speciem definierit, cap. præcedenti, nunc speciem per genus explicauerit: quia cũ sint relatiua, vnum per alterum definiendum erat: ergo fatetur iam definiisse speciem, antequam secundam definitionem proponeret: quæ non esset verum si prima solum esset acceptio, & non definitio.

Probatur *secundum*, quòd sint definitiones distinctę, prima, & secunda, per quas species definiatur vt subiicibilis, hoc argumento. Species vt subiicitur generi, habet duas rationes formales diuersas: ergo non vna, sed duabus definitionibus debuit explicari. Consequentia euidens est, quia vna definitio, vnam tantùm rationem formalem explicare potest. Probatur verò antecedens, quia in genere, diuersæ rationes formales sunt: esse vniuersale, hoc est vnum in multis speciebus, & esse prædicabile de illis: & ratio vniuersalis prior est, & essentialis illi: ratio verò prædicabilis posterior, & propria passio eius: & sub vtraque ratione respicit speciem: ergo etiam in specie debent correspondere diuersæ rationes formales: nempe esse subiectum, in quo est genus: & esse subiectum, de quo prædicatur: ita vt illa sit prior, & quasi essentialis speciei, vt subiicibili: hæc verò posterior, & quasi propria passio eius: sed diuersæ illæ rationes formales in genere, explicantur diuersis definitionibus, nempe vnum in multis speciebus: & prædicabile de illis: ergo etiam diuersæ rationes ex parte speciei, debent explicari per diuersas definitiones. Et ita factum est à Porphyrio, qui per illa verba: *Species est, quæ sub assignato genere collocatur*, explicuit speciem, subiicibilem, vt est subiectum, in quo est genus: per secũdam verò, vt est subiectum, de quo prædicatur.

Sed.

Sed quòd secunda definitio non sit duplex, sed vna, probatur; quia prima verba, *Species est, quæ subiicitur generi*, eandem prorsus rationem speciei explicant, quæ per primam definitionem fuerat explicata: nempe esse subiectum in quo est genus: quare solum videntur repetitio primę definitionis. Alia verò verba nempe, *De qua genus in quid prædicatur*, explicant aliam rationem formalem eiusdem speciei subiicibilis, videlicet esse subiectum, de quo prædicatur genus. Duas igitur tradit Porphyrius speciei subiicibilis definitiones, secundum duas rationes formales eius, & tertiam eiusdem speciei, vt prædicabilis.

6 *Ad arg.* Soti & Toleti, eadem solutione respondetur: nam dum dicitur: speciē solum habere respectus ad genus, & indiuidua, concedendum est: dicendum tamen respectum ad genus, duplicem habere formalem rationem diuersam: qua diuerso modo respicit genus, nempe, vt subiectum in quo, & vt subiectū de quo: sicut genus diuersa ratione respicit eandem speciem, nempe vt subiectum in quo est, & de quo prædicatur: ideò diuersis definitionibus debuit explicari.

Sed duo restant breuissima dubia. *Primum*, qua ratione agat Porphyrius de specie subiicibili: nam cum opus hoc prędicabilium sit, non pertinet ad ipsum species, nisi vt prædicabilis: sed non est prædicabilis, vt respicit genus: sed indiuidua: ergo non debuit definiri, nisi respectu eorum. Et ideò vnica definitione; & non pluribus. Respondetur, agere Porphyrium de specie subiicibili. 1. quia est subiectum generis; & subiectum ad eandem considerationem pertinet, ad quam prædicatum; quia terminus relationis eius est; sine quo non potest cognosci. 2. quia subiectum opponitur prædicato; oppositorum verò eadem est scientia: & ideò duabus definitionibus debuit species definiri, vt subiicibilis, quia duobus modis formaliter diuersis est subiectum generis.

Sed circa vtramq; eius definitionem *est 2. dubium*: quia videtur conuenire indiuiduis; cùm sub assignato genere collocentur; vt hoc, vel illud animal sub animali, atque etiam Petrus, & Ioannes; & eidem generi subiiciantur, quod de illis prædicatur in quid, sicut de speciebus. Respondeo; collocari sub genere, aut esse subiectum eius; duobus modis posse intelligi: per se quidem, ratione sui, & immediatè. Per aliud autem, ratione alterius, & remotè: & primo modo conuenit soli speciei: indiuiduis verò solum secundo modo. Et ratio huius est: quia genus per se, & immediatè descendit ad species per differentias: ad indiuidua verò, non nisi ratione speciei; ergo species sola est, quæ per se primò collocatur sub genere; indiuidua verò, non nisi per speciem. Definitiones igitur spe[illegible]subiicibilis, secundum primum mo[illegible] intelliguntur à Porphyrio: ita vt sensus primæ sit; species est, quę sub assignato genere per se primò, atque immediate collocatur. Sensus verò secundæ; species est, quæ per se primò, & immediatè subiicitur generi, & de qua genus per se primò, & immediatè prædicatur in quid: & ita excluduntur indiuidua, quæ non sic ponuntur sub genere, nec ei subiiciuntur. 7

QVAESTIO II.

Vtrum species subiicibilis, vt subiicibilis est, sit vniuersalis, vel quonam modo se habeant habitudines istæ speciei inter se; vniuersalitas, prædicabilitas & subiicibilitas?

VT intelligatur quæstio; præsupponenda sunt duo, tanquam certa apud omnes. *Primum*, hos duos respectus speciei; nempe prædicabilitatem, & subiicibili-

ijcibilitatem, quasi oppositos esse, cum cóueniant ei respectu diuersorũ, & quasi oppositorum terminorum: nã respectus subiicibilitatis cõuenit speciei: in ordine ad superius genus; respectus prædicabilitatis, in ordine ad inferiora indiuidua.

Secundò, certum est respectum prædicabilitatis conuenire speciei, vt vniuersali. Probatur, quia vt superiùs probatũ est, vniuersalitas se habet tanquam essẽtia vniuersalis: prędicabilitas verò, tanquam propria passio eius: ergo verũ est, speciem, vt vniuersalem, esse prædicabilem, sicut verum est hominem esse risibilem: vt est rationalis. Quæstio igitur est, an etiam conueniat speciei respectus subiicibilitatis, in quantũ est vniuersalis.

Circa quam, duæ sunt opiniones. *Prima*, Caietani cap. præsenti, vbi ait, ita esse connexas has duas rationes speciei, nempe, vniuersalitatem, & prædicabilitatem cum tertia, quæ est subijcibilitas, vt hæc se habeat tanquam essentia, à qua illæ duæ procedunt, tanquam proprię passiones. Vnde sequitur, speciem, vt subijcibilem, esse vniuersalẽ: sicut verũ est, hominem esse risibilem, in quantum est homo: quia risibilitas procedit à rationalitate, tanquam propria passio ab essentia.

Secunda opinio est Cardinalis Toleti, q. 1. huius capitis. Vbi asserit: vniuersalitatem esse essentiam speciei, & ab ea procedere duas passiones: vna est prædicabilitas de multis, respectu indiuiduorum: alia subijcibilitas, respectu generis, ex quo sequitur; speciem, vt respicit genus, esse vniuersalẽ subijcibile, & vt respicit indiuidua, esse vniuersale prędicabile: & vt vno verbo hanc sententiam explicemus, ita ait speciem, vt subijcibilem, esse vniuersalem: sicut vniuersalis est, in quantum prædicabilis.

Probatur dupl ci ratione. Prima, Vniuersale (inquit) est genus ad quinque prædicabilia, sicut animal ad hominem, & leonem: ergo quodlibet prædicabile respicit illud, tanquam proprium genus, cuius rationem participat: sed species respectu generis sũt subijcibiles, ergo prędicabilia, vt species subijcibiles, participant rationẽ genericam vniuersalis, sicut homo, & leo rationem animalis: quare, vt subijcibiles, sunt vniuersales.

9 *Secunda*, Species subijcibilis, vt subijcibilis est; nõ est singularis: ergo vniuersalis. Consequentia necessaria est, quia inter vniuersale, & singulare, non datur medium. Sed probatur antecedens: quia species subijcibilis, non est natura contracta per conditiones singulares, vt natura Petri, sed abstracta ab illis: natura verò abstracta, communis est multis, ergo est vniuersalis: & ideò in quantum subijcibilis, erit vniuersalis.

Et confirmatur: quia species subijcibilis, in quãtum subiicibilis, est communis huic, & illi speciei subijcibili, de quibus prædicatur in his prædicationibus; Hæc species subiicibilis, est species subiicibilis. Et illa species subiicibilis, est species subiicibilis, ergo est vniuersalis. Probatur consequentia, quia prædicabile sequitur ex vniuersali; tanquam propria passio ex essentia.

Vtraque hæc sententia falsa est. Probatur hoc argumẽto. Vniuersalitas, & prædicabilitas, sunt respectus naturæ ad inferiora; subijcibilitas verò, est respectus eiusdem ad superiora: ergo respectus iste oppositus est illis: sed vnum oppositorum non potest procedere ab alio, tanquam propria passio ab essẽtia: ergo vniuersalitas, & prædicabilitas, non procedunt à subiicibilitate, tanquã ab essentia; vt affirmat Caie. nec subiicibilitas procedit ab vniuersalitate, tanquam ab essentia; vt affirmat Toletus.

10 Vera igitur sententia, tria affirmat. *Pri-*

num; Vniuersalitatem, & prædicabilitatē non esse respectus oppositos sed se habere tāquam essentiam, & propriam passionē. Probatur hoc; quia vterque respectus habet pro termino inferiora; quamuis diuerso modo considerata; vt quæstione præcedenti explicatum est.

Secundum. Hos respectus esse quasi oppositos subiicibilitati: & ideò nec ab ea procedere possunt, tanquam propria passio ab essentia, nec subiicibilitas ab illis. vtrumque probatum est contra Caietanū, & Toletū.

Tertium. Speciem subiicibilem, vt subiicibilis est, non esse vniuersalem, sed subiectum commune, atq; proximum generis. Hoc sequitur euidenter ex duobus primis: & probatur hoc argum. Respectus oppositi, non possunt eidem rei sub eadem ratione formali conuenire: sed vniuersalitas, & subiicibilitas, sunt respectus oppositi, vt probatum est, ergo non possunt speciei sub eadem ratione conuenire: ideò nec vniuersalis, est subiicibilis; neque vt subiicibilis, est vniuersalis.

11 *Ad primum arg. secundæ opinionis:* cōcedendum est antecedens; quod vniuersale sit genus, ad quinque prædicabilia, & etiam prima consequentia; quòd naturam eius participēt, sed negandū est, quod eā participent, vt sunt species subiicibiles: sed eam quidem participāt secundū propriam essentiam: ex participatione verò, resultat in eis accidentaliter respectꝰ subiicibilitatis secundum quem, nō sunt vniuersales, sed subiecta generis. quod hoc exemplo declaratur. Animal est genus hominis, & leonis, secundū proprias naturas sensitiuas; & hoc modo naturam eius participāt, & animalia sunt formaliter. Ex hoc verò, resultat in eis denominatio specierū subiicibilium, accidētalis quidem; cùm sit eis tributa ab intellectu: & ideò vt sunt species subijcibiles; non sunt animalia, sed subiecta. Eadem ratione prædicabilia, secundū proprias naturas, participant essentiam vniuersalis, quod est genus eorum: propria autem natura prædicabiliū est, esse secundas intētiones, denominantes naturas vniuersales, vt primi prædicabilis, denominare naturam vniuersalem in multis speciebus, secundi prædicabilis, in multis differentibus numero in Quid, & sic de reliquis. Vnde hoc modo participant naturam vniuersalis, & essentialiter sunt vniuersalia: sed denominatio speciei subiicibilis, accidentaliter ea consequitur: & ideò secundum eam, non possunt esse vniuersales, sicut neque homo, & leo, vt sunt species subiicibiles, sunt animalia.

Ad secundum; Concedendum est antecedens, nempe speciem, vt subiicibilem non esse singularem: sed neganda est cōsequentia, quod sit vniuersalis, nam inter vniuersale, & singulare, datur medium; quod est subiectum commune: id est natura abstracta cōmunis negatiuè: quia nulli singulari appropriata est, neq; illa respicit; sed solum genus ad quod cōparatur, & sub quo collocatur, vt autem vniuersalis sit formaliter; necesse est ad indiuidua comparetur, & referatur.

Ad confirmationem respondeo, Speciem subiicibilem, cōparatam ad hanc, & illā speciē subiicibilem, non esse secundū rē subiicibilem, sed solo nomine: quia non comparatur ad genus, nec illud respicit: verè autē prædicabilem, & vniuersalem cum sit vnū in multis, & de multis: quare non probatur; quod, vt subiicibilis, secundum rem sit vniuersalis.

Ex dictis in hac quæstione, tria intelliguntur. *Primum;* quod ex duplici respectu prædicabilitatis, & subiicibilitatis, secundus conuenit primò speciei. Cuius ratio est, quia primum, quod habet species, est esse compositam ex genere & differentia: postquam verò composita ex eis est,

tis est, participatur ab indiuiduis: ergò primo consequitur naturam eius respe-ctus ad genus, quam ad indiuidua.

Secundum, quod intelligitur, est respe-ctum prædicabilitatis nobiliorē in ea es-se, respectu subijcibilitatis: & ideò nobi-liorem denominationem speciei, ab eo consequitur. Quod sic probo. Prædica-tum nobilius est subiecto, cum sit forma eius: ergò respectus prædicabilis, nobili-or est respectu subijcibilis. *Intelligitur tā-dem 3.* Speciem respectu subijcibilis, & prædicabilis, æquiuocum nomen esse. Probatur: quia respectus subijcibilitatis, & prædicabilitatis, sunt oppositi, & om-nino diuersi; ita vt sub nomine speciei, in nullo conueniant, ergò solum habent nomen commune; quod proprium est æ-quiuocorum.

QVAESTIO III.

An species possit conseruari in vnico indiui-duo, & genus in vnica specie.

12 VT faciliùs intelligatur, atque solua-tur quæstio, annotandum est, genus & speciem tribus modis considerari pos-se. *Primò*, secundū entitatem physicā, & realem. *Secundò*, Logicè, in quantum ge-nus est prædicabile de multis differenti-bus specie in Quid: & species de pluribus differentibus numero. *Tertiò*, Metaphysi-cè, in quantum genus, est totum potenti-le, contrahibile per oppositas differen-tias: aut pars speciei, eam componens cū differentia: & secundum consideratione̅ physicam, certum est apud omnes genus posse conseruari in vna specie, imò in v-no solo indiuiduo, atque etiam speciem, & huius ratio manifesta est, quia tota en-titas generis, & speciei, vt animalis, & hominis, reperitur in quolibet indiui-duo; vt in Petro, aut Ioanne.

Secundum Logicam etiam considera-tionem, est certum, genus non cōseruari in vna specie, nec speciem in vno indiui-duo. Probatur hoc, ex definitionibus v-triusq;: nā genus est prædicabile de mul-tis speciebus, & species de multis indi-uiduis: ergò vtrumq; postulat plura, ad sui conseruationem, in quo æqualia sunt. *Sed an genus postulet plures species, actu exi-stentes, & species plura indiuidua, vel suffici-at eis vnum actu, dummodo plura sint in po-tentia, ad sui conseruationem?* De specie ne-mo dubitat; quin possit conseruari in vno indiuiduo, si plura sint possibilia. Proba-tur euidenter experientia; quia sol, & lu-na, sunt species Logicæ, & non habent nisi vnum indiuiduum actu existens, plu-ra tamen possibilia: ergò hoc sufficiet ad conseruationem Logicæ speciei.

De genere verò Logico, asserit Tole-tus, quæstione vnica huius capitis; non posse conseruari in vna specie actu exi-stente, quamuis plures sint possibiles: sed plures actu existentes postulare, ad sui conseruationem. Probat 1. testimonio A-risto. 4. libr. Topicorum, cap. 3. vbi ita ait: 13
Dum autem omnis generis plures sint species, inspiciendum, si non contingit alteram speci-em esse dicti generis: nam si non est, manifestū, quoniam non erit genus omninò. Deinde ra-tione; quia genus contrahitur ad speciem per differentiam: sed differentia non cō-stituit speciem, nisi distinguendo illam ab alijs: ergò requirit genus plures speci-es, actu existentes. Probatur consequen-tia, quia differentia non distinguit spe-ciem ab alijs existentibus, sed ab his tan-tum quæ actu sunt.

Hæc tamen sententia falsa est. quod pro-batur hoc argumento: Genus Logicū, est prædicabile de pluribus differentibus specie, etiamsi actu nō prædicetur, vt de-finitio eius ostendit, sed etiamsi in vna tantum sit specie actu existente: sufficit alias esse possibiles, vt sit prædicabile de pluribus: ergò conseruabitur in vna,

 si plu-

si plures sint possibiles: & non requirit plures actu existentes: sed quantum ad considerationem Logicam, æqualis est ratio de genere, & specie: ita vt vtrũque postulet plura ad sui conseruationẽ, non actu existentia, sed vnum actu, & plura in potentia. Circa tertiam considerationem Metaphysicam, primò certum est apud omnes de genere, vt est totum potentiale, quod non possit conseruari in vnica specie: nisi aliæ sint possibiles. Et ratio est manifesta, quia vt est totum potentiale, essentialiter est cõtrahibile per oppositas differentias, ad constitutionẽ diuersarum specierum, ergo plures saltem possibiles postulat, ad sui conseruationem.

Secundò certum est, de eodem genere, vt est pars actualis speciei, quod possit conseruari in vna specie, etiam si plures non sint possibiles. Probatur hoc: quia vt est pars actualis speciei, solùm petit vnã differentiam, cui actu coniungitur: ergo solum petit ad sui conseruationem vnã speciem, quam cum ea componit.

De specie verò Metaphysica, non est ita certum: an in vno indiuiduo conseruari possit, vel plura postulet saltem possibilia. Sed duæ sunt opiniones contrariæ, primam tenet Onna, q. 2. huius capitis art. 2. affirmans æqualia esse genus & speciem Metaphysicam: ita vt sicut genus postulat plures species, vnam actu, & aliam saltem in potentia: ita species non potest conseruari in vno indiuiduo, si non sint plura possibilia.

14 Probat hoc argumento. Ideò genus nõ potest conseruari in vna specie, quia est contrahibile per oppositas differentias specificas: hoc est, tales, quæ non possunt esse in eadem specie, vt animal per rationale, & irrationale: sed etiam species est contrahibilis, per differẽtias indiuiduales oppositas: hoc est non potentes conuenire eidem indiuiduo: vt homo per differentias Petri, & Ioannis: ergo sicut genus non potest conseruari in vna specie, sic species nõ poterit conseruari in vno indiuiduo. Sed hæc etiã sententia falsa probatur, hoc arg. Species Metaphysica, secũdum essentiam, solùm dicit quid compositum ex genere, & differentia: & per solum genus, & differentiam definitur: sed in vno solo indiuiduo, etiam si alia non sint possibilia, saluari potest compositio ex genere, & differentia: ergo etiam saluabitur, aut conseruabitur species Metaphysica. Probatur minor: quia differentiæ indiuiduales, extra genus, & differentiam sunt: ergo compositio speciei ex genere, & differentia, nõ depẽdet essentialiter ab illis: & ideò, non minus in vno indiuiduo, quàm in multis conseruabitur: & ex cõsequenti species. Et confirmatur: quia probabile est, species Angelorũ nec habere, nec posse habere nisi vnicum indiuiduum: & tamen nullus negat, quòd sint veræ species, compositæ ex genere, & differentia.

Nostra igitur sententia duo asserit. *Primum, quòd genus, & species secundum Logicam considerationem æqualia sunt*, ita vt nec genus possit conseruari in vna specie, nisi alia saltem sit possibilis, nec species in vno indiuiduo, nisi alterum saltẽ sit possibile: neutrum tamen postulare plura actu existẽtia ad sui cõseruationẽ.

Secundum quod asserit, est. *Genus, & speciem secundum considerationem Metaphysicam, non esse æqualia, sed genus vt est totum potentiale, non posse conseruari in vna specie nisi altera saltem sit possibilis: quamuis vt est pars speciei, in vna conseruari posit: speciem verò conseruari posse in vno indiuiduo, etiam si aliud non sit possibile.* Vtrumque autem probatum est iam, ex refutatione aliarum opinionum.

Sed

Sed vt veritas ſecundi magis fiat ma-
15 nifeſta, & argumentum oppoſitũ facilius ſoluatur, annotandum eſt: hanc eſſe differentiam inter genus & ſpeciem, Metaphyſicè cõſiderata: quòd genus eſt totum potẽtiale, & imperfectum eſſentialiter; perfectibile tamen per differentias ſpecificas, tanquam per alios gradus perfectionis, eſſentialiter diſtinctos. Vt animal, dicit naturam ſenſitiuam, eſſentialiter imperfectam; perfectibilem verò per rationale, & irrationale; tanquã per diuerſos gradus eſſentialis perfectionis. Vnde ſequitur *primò*. Genus eſſentialiter eſſe contrahibile, per oppoſitas differentias, ad conſtitutionẽ diuerſarũ ſpecierum. Species verò, totum actuale, & perfectum eſt; ita vt non poſſit vlteriorem perfectionem eſſentialem ſuſcipere, (loquimur autem de ſpecie infima; quæ ita eſt ſpecies, vt non ſit genus:) quare nõ eſt cõtrahibilis per differẽtias eſſentiales; quę ſint gradus eſſentialis perfectionis: ſed ſolum multiplicatur in indiuiduis, per differentias indiuiduales: quæ non ſunt eſſentiales, ſed omnino extra eſſentiã eius: accidentales enim ſunt; vel ad ſummum modi quidam ſubſtantiales. *Secundò*, ſequitur; Speciem non eſſe eſſentialiter contrahibilem per differentias indiuiduales; ſed ſine tali contractione eſſe perfectam, & completam eſſentialiter: & ideò ſiue per plures determinetur ad plura indiuidua: vel per vnam tantum ad vnum: & ſiue aliæ ſint poſſibiles, vel non; perfecta erit atq; cõpleta ſpecies, eſſentialiter in vno; non minus quam in multis: & ideò in ſolo illo conſeruabitur: quia determinatio per tales differentias, non eſt ei eſſentialis; ſed vel accidentalis, vel modalis; & omnino extra eſſentiam.

16 *Ad teſtimonium Ariſt*: quod adduxit Toletus, reſpondeo; ſenſum Ariſtotelis eſſe; quòd genus Logicum non poſſit cõſeruari, niſi cognoſcatur ab intellectu, in ordine ad plures ſpecies: quia non niſi per comparationem ad plures fit ab intellectu: nec aliud eſſe habet; quàm ab eo cognoſci: non tamen requirit plures exiſtentes à parte rei; ſed in vna conſeruatur; ſi aliæ ſint poſſibiles.

Ad argum eiuſdem opinionis reſpondetur: Differentiam conſtituere ſpeciem, & diſtinguere eam ab aliis, exiſtentibus quidem; aut poſſibilibus: nam cũ diſtinctio ſpecifica per differentias, ſit eſſentialis; neceſſariò dependet ab actuali exiſtentia ſpecierum. Quod probatur euidenter, quia diuerſæ ſpecies florum, non minus diſtinguuntur ſpecie in hyeme; quandò actu non exiſtunt, quàm dum actu ſunt: bene ergo poteſt differẽtia cõſtituere ſpeciẽ, & diſtinguere eam ab aliis; etiam actu non exiſtentibus, ſed ſolum poſſibilibus.

Ad argu. ſecunda opinionis; quod de ſpecie Metaphyſica procedebat; ex annotata doctrina reſponſum eſt: quæ ſic eſt applicanda ad formam eius; vt dum dicitur, genus non poſſe conſeruari in vna ſpecie, quia eſt contrahibile per differẽtias oppoſitas: concedendum ſit antecedens, ſed minor diſtinguenda: nam ſpecies non eſt eſſentialiter contrahibilis per differentias indiuiduales, ſicut genus per ſpecificas: ſed determinatio ad indiuidua extra eſſentiam eius eſt: & ideò non minus in vno, quam in multis poteſt conſeruari eſſentialiter.

QVAESTIO IV.

Vtrum definitio poſtrema ſpeciei, illis ſpeciebus conueniat, quæ vnum tantum indiuiduum habere poſſunt?

NVlla reperitur natura ſpecifica, de 17
qua certum ſit nõ poſſe habere plura indiuidua: ſed de Angelis, & corporibus

ribus cælestibus, plures opinantur ita se habere, vt quælibet species, nec habeat, nec habere vllo modo possit plura: sed omnes Angelos specie distinctos esse, & non posse distingui solo numero, sicut Petrum & Ioannem. Quæstio igitur hæc conditionalis est, & non absoluta: & sẽsus eius est. An supposito quod aliquæ sint species, quibus repugnet habere plura indiuidua, eis conueniat vltima definitio Porphyrij, quod sint prædicabiles de pluribus differentibus specie in quid.

Sed priusquam probabiles opiniones circa eam proponamus refutandum est illud, quod sine fundamẽto rationis quidam asserunt: nempe his speciebus conuenire definitionem Porphyrij, per non repugnantiã. Quod ita declarant, vt quãuis non conueniat eis, prædicabiles esse de pluribus, in quantum tales species sunt, non multiplicabiles per plura indiuidua; tamen si cõsiderentur sub communi ratione speciei, non repugnat eis, de multis prædicari: quia species, vt species prædicabilis est de multis. Quod apertè falsum esse probatur. *Primò*, quia definitiones debent conuenire rebus positiuè, cum naturam positiuam earum explicent: sed non repugnantia solum est quædam negatio: ergo non sufficit, vt definitio eis conueniat. *Secundò*, quia, si talis non repugnantia sufficeret, vt dicatur his speciebus conuenire, sequitur etiam conuenire cuilibet indiuiduo, vt Petro, aut Ioanni: probatur consequentia: quia licèt ei repugnet prædicari de multis, in quantum est res singularis, tamen si consideretur sub ratione communi hominis; non repugnabit: cum homo sit prędicabilis de multis: ideò quodlibet indiuiduũ erit species prædicabilis, quod absurdum est.

18 Hoc igitur refutato. *Prima opinio est Caietani*, 1. par. quæst.3. art.9. in opusc. de ente, & essentia, cap.5. & cap. præsenti, dubio 3. circa vltimam definitionem speciei, asserentis his speciebus verè cõuenire. Quod vt declaret, distinguit duplicem potentiam in natura ad plura indiuidua, Physicam, & Logicam potentiã Physicam vocat realem, quam habet è parte rei, in quantum ex suis principiis potest multiplicari in pluribus indiuiduis, vt natura humana: Logicam verò, quã non habet, nisi vt à nobis intelligitur: & quia nos intelligimus naturas spirituales Angelorum, per similitudinem specierum materialium, habentium plura indiuidua, & eas abstrahimus ab illo vno indiuiduo, quod habẽt, sicut naturas materiales à multis, vt hominẽ à Petro, & Ioanne: hinc est, quod non minus illis attribuamus denominationem prædicabilis de pluribus indiuiduis, quam his, quæ plura habent indiuidua.

Probatur hæc sententia sic explicata, autoritate Aristotelis, qui in cap. de substantia duo asserit. Primum, secundas substantias esse genera, & species, vt homo, & animal: primas verò, indiuidua, vt Petrus, & Ioannes. Secũdum; easdem secundas substantias esse prædicabiles de primis: sed naturæ Angelorum sunt genera, & species: vt spiritus est genus, Michael, & Gabriel sunt species: ergo sunt secundæ substantiæ, & consequenter erunt prædicabiles de pluribus.

Probatur etiam ratione: quia si species Michaelis non potest habere nisi illud vnicum indiuiduum Michaelis, sequitur differentiam specificam eius, & indiuidualem, eandem esse secundùm rem, ratione tamen distinctam, vt specifica est à seipsa, vt est indiuidualis: quia vt specifica, componit speciem simul cum genere; vt indiuidualis verò, determinat speciem iam compositam ad tale indiuiduum. Quo supposito, poterit intelle-

ctus

ctus considerare naturam Michaelis, vt compositam ex genere, & differentia; vt specificam, non considerata eadem differentia, vt indiuiduali: & hoc erit abstrahere naturam ab illo vno indiuiduo. Sic autem abstracta, prædicari poterit de illo, non prædicatione identica: quia ratione formali distinguitur ab indiuiduo: nec prædicatione æquali, quia indiuiduum inferius est respectu speciei: ergo prædicatione superioris de inferiori: sed prædicatio superioris est, prædicatio vniuersalis: ergo prædicabitur prædicatione vniuersali de singulari: eritq; verè prædicabilis de multis, cui conueniat definitio speciei. Probatur consequentia: quia vniuersale, & prædicabile conuertuntur. Hanc sententiam sequuntur Canterus in 2. parte huius cap. dub. 2. & Mercatus q. vnica. arg. 2.

19 ***Secunda opinio est multorum modernorum, quòd his speciebus non conueniat vllo modo definitio Porphyrij. Et videtur mihi probabilior, & tenenda.***

Sed vt eam efficaciter probemus, ***vnũ est notandum***, nempe, ita nos intelligere Deum, & Angelos, per species, aut similitudines rerum materialium, vt ex eis nõ formemus conceptus eis repugnantes, sed proprios; hoc est, qui eis solis conueniant, & cum eis conuertantur. Gratia exempli, per similitudinem rei corporeę, intelligimus Deum, imperfectionẽ ab eo auferentes: & ideò cõcipientes de illo, quòd corpore careat, & purissimi spiritus sit: & per naturam compositam ex genere, & differentia, auferentes ab eo imperfectionem compositionis, intelligimus esse simplicissimum. Et eodẽ modo intelligimus angelicam naturam, per species rerum corporearum, proprium cõceptum de ea formantes, nempe, quòd incorporea sit, & spiritualis: & per species naturarum materialium, quę in pluribus indiuiduis multiplicantur, intelligimus Angelos non posse multiplicari, secundum probabilem sententiam multorum. Et hæc doctrina vera est: quia si non formaremus proprios, & veros conceptus de rebus spiritualibus; quamuis imperfectos, & per alienas species rerũ corporearum; nec verè eas intelligeremus: quin multa eis attribueremus falsa, & naturæ earum repugnantia. 20

Ex eadem igitur doctrina, ***probatur primò*** nostra sententia, cõtra Caiet. Quia licèt intelligamus naturas spirituales per species corporum, non tamẽ iis attribuimus proprietates corporum eis repugnantes; sed potius eas remouentes ab illis, intelligimus incorporeas esse: ergo supposito, quod intelligamus non posse habere plura indiuidua; sicut habẽt corporeæ naturę, per quarum species eas intelligimus; impossibile est, quod eis tribuat intellectus denominationes vniuersalium, aut prædicabilium.

Et in hoc decipitur ***primò*** Caiet. quia putat ex eo, quòd per species rerum materialium à nobis intelligũtur, denominari ab intellectu vniuersales, & prædicabiles de pluribus: quod non est verum: sicut nec verum est, quòd intelligamus esse corporeas. ***Secundò***, decipitur in sua illa diuisione potentiæ Physicæ & Logicæ: nam potentia Logica, fundamentum saltem remotum habere debet in natura; etiam vt à nobis intelligitur; vt vera sit, & non ficta: sed nullum habet fundamentum in natura angelica, etiam vt à nobis intelligitur, multiplicatio indiuiduorum; cùm potius intelligamus ei repugnare: ergo nec habeat potẽtiam Physicam nec Logicam; secundum quã possit denominari prædicabilis de multis.

Secundò probatur. Quia Deum intelligimus per species rerum materialiũ, sicut Angelos; ergo si angelica natura vni-

uersalis est; vt sic à nobis abstracta, & intellecta; Deus etiam erit vniuersalis, & prædicabilis de multis: quod patet esse falsum. Et si respondeas, adhuc esse diuersam rationẽ de Deo, & Angelis: quia species angelica componitur ex genere, & differentia: & ideò potest ei attribui intentio vniuersalitatis; Deo verò non potest attribui: quia caret tali compositione. Solutio hæc nihil valet: quia speciei non attribuitur denominatio vniuersalis, aut prædicabilis, ex eo, quòd componatur ex genere, & differentia; sed quia comparatur ad plura indiuidua. Probatur hoc in speciebus subalternis; quæ licèt componentur ex genere, & differentia, non sunt species prædicabiles; sed tantũ subiicibiles; ergo licèt species angelica cõponatur ex genere, & differentia; nõ ideò capax est denominationis vniuersalis, aut prædicabilis: sed repugnat ei; sicut multiplicitas indiuiduorum.

21 *Ex quibus sequitur*, Non omnem speciem subijcibilem esse prædicabilem (etiã si infima sit) sed posse esse subiicibilem, & nõ prædicabilẽ. Quod euidens est in speciebus subalternis; quæ non sunt prædicabiles, sed subiicibiles tantum: in infimis quoq; verum erit; si repugnet illis pluralitas indiuiduorum, & ratio eius est; quia ad speciem subiicibilem satis est; quòd componatur ex genere & differentia: ad prædicabilem verò de multis; requiritur necessariò multitudo indiuiduorum, actu existentium, aut possibiliũ.

Ad testimonium Arist. pro sententia Caietani adductum, respondent aliqui, negando; quod naturæ Angelorum sint secundę substantię: sed hoc contrarium est verbis eiusdem Aristot. quod ita probo: quia Aristoteles asserit expresse; genera, & species, esse secundas substantias: sed naturæ Angelorum sunt species, compositæ ex genere, & differentia: ergo sunt secundæ substantiæ. Continent etiam prædicata superiora, & spiritualia accidentia sustentant: & ideò dicuntur eis substare; nõ minus quàm species materiales: nec solum prout singulares sunt, aut primæ substantiæ; sed etiam, vt sunt species: ergo negari nõ potest in doctrina Arist. quod sint secundæ substantiæ.

Concedendum est ergo, quòd tales species sint secundæ substantiæ: negandum verò, quòd eis non conueniat vniuersalis proprietas, assignata ab *Aristotele; nempe, quod de primis prædicentur: nam hæc proprietas, singulis speciebus applicanda est, iuxta earum naturam, ita vt si plures habuerint primas substantias, de omnibus prædicentur, si vnam tantùm, solum de illa: quod satis est ad veritatem vniuersalis locutionis, videlicet, proprium est secundis substantijs prædicari de primis.

Ad arg. concedendum est, quamlibet harum specierum abstrahi posseà suo indiuiduo, negandum tamen, quòd sic abstractę, possit ei attribui relatio rationis, per quam sit prædicabilis de multis, nam idemmet intellectus eam abstrahens, præsupponit ei repugnare plura indiuidua. Nec sequitur, Quòd intellectus eam abstrahat per species rerum materialium, quibus abstrahit alias naturas, plura indiuidua habentes, ergò sicut has denominat vniuersales, sic illas. Nam ex eo, quod per tales species rerum materialium eas intelligit, non format eundem conceptum earum, ac materialium rerum, sed diuersum, iuxta naturam cuiuscunque: ita vt has intelligat esse multiplicabiles in pluribus indiuiduis, illas verò ad vnicum esse determinatas. De quo concedimus, prædicari posse, non prædicatione identica, nec prędicatione superioris, sed ęqualis, ad modum, quo differentia vltima, prædicatur de 22

sua

sua specie. Et ratio huius est: quia supposito, quod natura Michaëlis non potest habere plura indiuidua solum dicit ordinem ad vnam differẽtiam indiuidualem, etiam si ab illa abstrahatur: ideò nõ magis coarctatur per illam: sed quomodocunque accipiatur, cum ea cõuertitur. Talis autem prædicatio, eiusdem speciei de suo indiuiduo; licet similis sit prædicationi vltimæ differentiæ, de sua specie, ratione ęqualitatis; sed quia prędicatur in Quid, tanquam totum actuale, & completum, ad secundum prædicabile, potius reducẽda est. Species igitur; quibus repugnat pluralitas indiuiduorũ, subiicibiles tantum sunt: quibus conueniunt duæ definitiones assignatæ à Porphyrio: nã species Michaëlis, subijcitur suo generi proximo; quod est spiritus, & etiam remoto; quod est substãtia incorporea, aut spiritualis: sed non sunt species prædicabiles: ideò non conuenit eis vltima definitio.

QVÆSTIO V.

An species distinguatur à genere, per illas particulas suæ definitionis (prædicari de pluribus differentibus numero?)

13\. QVæstio hæc occasionem sumpsit ex Porphyrio: qui cap. de genere docuit, speciẽ distingui à genere: quia genus de pluribus differẽtibus specie prædicatur; species vero de pluribus differentibus numero. Sed in præsenti capite & etiam in vltimo huius libri concedit; genus etiam de pluribus differentibus numero prædicari: quia cum sit prædicatum superius respectu speciei, vt animal respectu hominis, necesse est prædicari, de quibuscunq; prædicatur species: quare nõ videtur excludi posse à definitione vltima speciei, per illas particulas, *prædicari de pluribus differentibus numero*: nec est alia per quã excludatur. Et ideo non erit bona definitio, quia nõ distinguit secundũ prędicabile à primo.

Est igitur prima opinio. Alberti Magni, tractatu de prædicabilibus ca. 1. asserentis, speciem distingui à genere per illas particulas (*prædicari de pluribus differentibus numero*) quia in hoc sensu intelliguntur à Porphyrio, vt species per seipsam, & immediatè prædicetur de indiuiduis: genus vero nõ per seipsã, aut immediatè; sed mediante specie. Et ratio huius sententiæ est, quia species per se componitur ex genere, & differẽtia & ideò per seipsam participat naturam generis: indiuidua verò, non cõponuntur per se ex genere & differentia, sed solum participant naturam generis: quia participant naturam speciei, in qua continentur: ideò enim Petrus est animal, quia est indiuiduũ speciei humanæ, cõpositæ ex natura sensitiua, & rationali.

Hæc expositio probatur falsa duobus argumentis. *Primò*, Genus prædicatur per seipsum, aut immediatè de indiuiduis: ergo per hoc non distinguitur ab eo species. Probatur antecedens. In his prædicationibus, hoc animal est animal, hoc viuens est viuens, quæ verè sunt immediatæ, & non solo nomine: nam prędicatum significat naturam sensitiuam in cõmuni, & subiectum eandem naturam, singularizatam: sed inter naturam in cõmuni sumptam, & in singulari, nullum potest esse medium, ergo immediatè prædicatur genus de indiuiduis.

Secundò; Quia indiuidua duobus modis considerari possunt. *Primò*, vt sunt à parte rei: & sic nullum est, quod non contineatur sub aliqua specie; & ea mediante participet naturam genericam: & ideo vocantur indiuidua speciei; vt Petrus, & Ioannes sub his nominibus. 14. *Aliomodo*, in quantum concipiuntur ab

intellectu, sub gradu naturae superioris; non considerato gradu specifico: quem reuera participant, vt si Petrus consideretur sub gradu naturae sensitiuae, non considerato gradu rationali, quem participat ab specie humana, in qua acceptione significatur nomine, huius animalis: & indiuidua hoc modo considerata, vocãtur generica: quia formaliter, & immediatè significant, & participant naturam genericã. Vnde sequitur; quòd licèt de indiuiduis specificis praedicetur genus media specie, de genericis tamen per seipsum, & immediatè praedicatur; quare dum praedicatur de indiuiduis, hoc modo consideratis, non distinguetur ab specie.

Ideò secunda opinio Auicenae, concedés genus per seipsum, & immediatè praedicari de indiuiduis; asserit illa verba definitionis, (quod praedicatur de pluribus differentibus numero) cum duplici limitatione intelligenda esse; vt per ea distinguatur species à genere: nempe de his, quae solo numero distincta sunt: & de his tantum, & non de aliis; quae plusquam numero distinguuntur. Vnde cùm genus non de indiuiduis tantum, sed etiam de speciebus praedicetur, excluditur per illa verba, sic exposita, à definitione speciei.

Sed haec etiam sententia insufficiens est, probatur *Primò*: quia sicut definitio debet conuenire definito positiuè, & non tantum per negationem, sic etiam debet illud distinguere ab aliis, per differentiam positiuam: & non per solam negationem: quia sola negatio, nõ potest esse differẽtia distinguẽs species, sed praedicari de indiuiduis, & non de aliis magis diuersis, est pura negatio: ergo non potest distinguere secundum praedicabile à primo.

25. *Secundò*, Si semel concedatur genus immediatè praedicari de indiuiduis, sicut speciem: etiam si de speciebus praedicetur: non sequitur non esse speciem: sed nõ esse solùm speciem, sed etiam genus; cum definitio vtriusque ei conueniat; ergo non distinguitur ab specie per illas particulas.

Propterea *tertia opinio tenet*, Non distingui per illas materialiter consideratis, sed formaliter: hoc est, sub tali modo praedicandi speciei proprio: quia species praedicatur de indiuiduis, completè, hoc est, vt totum actuale, & completũ, praedicans de illis totã essentiam: genus verò praedicatur incompletè; quia licèt per modũ totius potentialis praedicetur, tamẽ solũ praedicat partẽ: vt animal non praedicat totam naturam Petri, sed solùm sensitiuam, quae pars illius est. Et hoc modo intelligi debet Porphyrius, dũ distinguit speciem à genere, per praedicari de pluribus differẽtibus numero.

Haec etiã opinio falsa probatur, argumento ad hominem, ex eo, quod cõcedit desumpto, nempe; genus praedicari per seipsum, & immediatè de indiuiduis generis, vt animal de hoc, & illo animali. Quo supposito, sic argum. animal praedicatur per se, & immediatè de hoc & illo animali: ergo natura sensitiua sumitur in his praedicationibus, vt immediatè participata ab eis, & non media aliqua specie: sed non sumitur genus, vt totũ potentiale, & incõpletũ, atq; contrahibile per differentias, nisi in quantum per illas descendit ad species: ergo nec praedicatur incompletè, nisi de speciebus, aut de indiuiduis eius mediantibus: ideo impossibile est, immediatè praedicari de indiuiduis, & praedicari incompletè. Quare, nec potest distingui ab specie, per modum praedicandi incompletum de indiuiduis.

His sententijs refutatis, duabus conclusio-

27. clusionibus explicatur nostra. *Prima est, Genus non prædicatur de indiuiduis per seipsum & immediatè tanquā genus, sed per modum speciei: & ideo tales prædicationes, non ad primum, sed ad secundum prædicabile pertinent.* Hæc conclusio, primò explicanda est, deinde probanda. Explicatur autem hoc modo. Genus non prædicatur per seipsum, aut immediatè: nisi de indiuiduis genericis: vt animal de hoc, & illo animali, & in his prædicationibus significatur natura generica, vt immediatè participata ab indiuiduis; & non mediante aliqua specie; quare non consideratur vt contrahibilis per differentias essentiales: & ideo nec vt imperfecta, & incompleta, sed vt completa ex genere, & differentia, & immediatè determinata ad indiuidua, per differentias indiuiduales proprias, & non alterius naturæ inferioris: quæ propria sunt infimæ speciei: vnde in eisdem prędicationibus immediatis formaliter sumitur, per modum infimæ speciei, & nō tanquam genus, nec prædicatione generis prædicatur; sed tanquam species, & prædicatione speciei.

28. Sic autē explicata conclusio probatur duplici argumento, *Primò*, Cum genus prædicatur immediatè de indiuiduis generis, concipitur natura generica, vt immediatè participata ab eisdem indiuiduis; ergo vt immediatè contracta per differentias indiuiduales sibi proprias: sed immediatè contrahi per differentias indiuiduales conuenit speciei: & non generi, vt genus est: ergo in his prædicationibus, non habet modū generis? sed speciei. Probatur minor; quia genus vt genus, non contrahitur immediatè per differētias indiuiduales, sed specificas: ergo dum formaliter concipitur in eisdem prędicationibus, tanquā contractum immediatè per differentias indiuiduales propriæ naturæ, non concipitur tanquam genus; sed per modum speciei.

Secundò. Id quod cōcipitur tanquā immediatè contractum, per differentias indiuiduales concipitur; vt quid iā cōpletum in sua natura: sed animal in hac prædicatione, hoc animal est animal, cōsideratur vt immediatè contractum, per differentias indiuiduales eiusdem naturæ sensitiuæ, ergo significatur vt quid cōpletū in sua natura, cōposita ex genere, & differentia: nempe ex viuenti, & sensibili: & ideò nō vt incompletum, neque vt genus, sed per modum speciei.

Secunda conclusio. *Genus vt genus non prædicatur de indiuiduis per seipsum, sed per speciem.* Hæc satis manifesta, supposita precedenti; nam si genus non prędicatur immediatè de indiuiduis tanquam genus, sed per modum speciei; sequitur, quod dum prædicatur de illis tanquam genus; non per seipsum, & immediatè prædicatur, sed per speciem, & diuerso etiam modo, atque species: quia per modum totius potentialis & contrahibilis, solum prædicans partem, essentiæ, cum tamen species prædicetur vt totū cōpletū, atque perfectum. Et ex his intelligitur, bene fuisse exclusum à Porphyrio genus à definitione speciei, per illas particulas; *Quod prædicatur de pluribus differentibus numero*? sic ab eo intellectas; vt per se, & non per aliud prædicetur species de indiuiduis, atque etiā completè; cùm tamen neutrum conuenire possit generi, vt genus est.

Ad formam arg. primæ opinionis respondeo: Solam speciem componi per se ex genere, & differentia: & ideo solam speciem per se participare naturam generis, vt genus est: indiuidua verò media specie: sed eadem natura generica; vt cōsideratur immediatè contracta 29.

ad propria indiuidua: immediatè etiam participatur ab eis: non tamē sub ratione generis; sed speciei, cui conuenit immediatè contrahi per differentias indiuiduales. Talia autem indiuidua ita cōsiderata, nō existunt à parte rei, sed formaliter accipiuntur ab intellectu, sub gradu naturæ superioris, & genericæ.

QVÆSTIO VI.

An detur vna ratio communis, atque realis indiuiduorum, quæ definiatur per secundam definitionem indiuidui?

De Indiuiduo agit Porphyrius cap. præsenti, quia est terminus relationis speciei, per quem definita est species vltima definitione: & ideò ex eius notitia dependet notitia speciei. Sed duplici definitione definiuit indiuiduum, Prima, in quantum est prædicabile de vno, per terminos secundæ intentionis: & propterea secundo intentionaliter intelligitur talis definitio ab expositoribus. Secundam verò tradidit, per proprietates reales, dicens, Indiuiduum esse cuius collectio proprietatum: quæ in vno sunt, in alio reperiri non possunt: quare hæc est veluti fundamentum primæ, & ideò prius est à nobis examinanda, quàm illa. Et quia definitio quęcunq; explicare debet aliquam rationē communem omnibus, quæ sub definito continentur, vt definitio hominis, rationem hominis communem omnibus hominibus; quærit titulus quæstionis, an per hanc definitionem Indiuidui, definiatur aliqua ratio realis communis omnibus indiuiduis,

30 *Et est prima opinio Soti*, qu. vnica huius capitis, in solutione ad secundum asserētis, nihil dari reale, quod omnibus indiuiduis sit commune, & per hanc definitionem explicetur: sed definitum formale, & vt Quò, esse secundam intentionem indiuidui; materiale verò, & vt Quod reale Indiuiduū, non secundum esse reale commune omnibus, sed vt denominatur à secunda intentione, sicut in definitione generis diximus, definiri naturam genericam, prout denominatur à secunda intentione.

Habet autem hæc opinio duo argum. quibus probatur nihil dari reale cōmune omnibus indiuiduis, quod definiri possit. *Primum.* Quia indiuidua duo habent: vnū est participatio naturæ specificæ, sub qua vniuocè conueniūt, vt Petrus, & Ioannes in eo, quòd vterque est homo: sed communis hæc ratio, specifica est, & nō indiuidualis: quare nō potest esse definitū huius definitionis, sed per definitionē potius speciei explicatur. Aliud quod habēt, est differentia indiuidualis, propria, atq; distincta, per quam cōtrahitur natura specifica; & fit singularis: & per hanc differentiā cōstituūtur in ratione singulariū, aut indiuiduorū, & distinguūtur inter se. Gratia exempli, Petrus habet naturam humanam, per quam est homo, & conuenit cum Ioāne, & differentiam indiuidualem, per quā est talis homo singularis, & distinguitur à Ioanne: & sub prima ratione, certū est non definiri, quia sub ea cōsideratus, nō est singularis, sed sub secunda. Sed sub ratione singularium, nō possunt cōuenire indiuidua: ergo nihil reale datur eis commune, quod definiatur. Minorem sic probo, differentiæ indiuiduales sunt primò diuersæ, & per quas vltimo distinguuntur indiuidua: ergo ratione illarum non possunt conuenire: quare nihil reale cōmune habere possunt, quod definiatur, sicut in quantum diuersa sunt, non possunt conuenire.

Secundum Singularia vt distincta sunt, 31. propriis

propriis, ac diuersis nominibus significantur, vt Petrus, & Ioannes: ergo sub propria, & vltima ratione singularitatis non conueniunt. Probatur consequentia: quia si sub ea conuenirent, per alias differentias indiuiduales deberét distingui, quarum ratione conuenire etiam possent, si ratione earum, quas modo habent, conueniunt: & tunc per alias differentias distinguerentur, dareturq; processus in infinitum.

Et confirmari potest arg. hoc modo; Si indiuidua, vt indiuidua sunt realia, habent conuenientiam vniuocam abstractam à Petro, & Ioanne, ac cæteris: sequitur species etiam reales atomas, vt distinctas, habere conuenientiam realẽ vniuocã; ita vt ab homine, & equo non solum vt conueniunt in animali, sed etiam, vt sunt species distinctæ per rationale, & irrationale, possit abstrahi vnus conceptus realis eis communis, & vniuocus: quod patet esse falsum.

32. *Secunda opinio affirmat*, dari aliquid reale commune, & vniuocum indiuiduis, quod per hanc definitionem Porphyrij definiatur. Hæc est. D.Tho. 1. par qu. 30. art. 4. Caiet cap. præsent. & 1. parte quæst. 19. art. 1. & Canteri in expositione huius definitionis, & capit. de substantia, in expositione definitionis primæ substantiæ, quam sequuntur plures moderni. *Et mihi videtur probabilior.*

Sed duo sunt probanda, aduersus primam opinionem, vt maior probabilitas secundæ constet. *Primum est*, quod non definiatur secunda intentio, vel natura indiuidui, vt ab ea denominatur: *Secundum*, quod definiatur aliquid reale.

Probatur primum, Quia omnia verba in definitione posita, significãt proprietates reales indiuidui, per quarum collectionem distinguitur vnum ab altero: nam licèt in multis conuenire possint, tamen quodlibet habet aliquã sibi propriam, diuersam à propriis aliorum: vnde collectio, quæ ex communibus, & propria cõstat, distincta est in singulis, & per illam distinguuntur: ergo collectio, per quam definitur indiuiduũ, constat ex proprietatibus realibus, vt reales sunt, & nõ vt denominãtur à secũda intẽtione. Probatur cõsequẽtia: quia indiuiduũ cõstituitur per proprietates reales, ante operationẽ intellectus: ergo sine vllo ordine ad secũdam intentionẽ.

Probatur secundum, duplici ratione. *Primò.* Definitio hæc, communis est omnibus indiuiduis substantiæ, quæ per eã definiũtur: ergo aliquid cõmune definitur per eam, non sola vox: quia æquiuocũ esset, quod definiretur, vt canis, quod constat non posse definiri: ergo definitur aliquid commune, per vocem significatum, vt reale: vt probatum est, nempe, ratio indiuiduationis realis in concreto.

Secundò. A quacunque conuenientia reali vniuoca, abstrahi potest conceptus realis vniuocus: sed indiuidua conueniunt vniuocè in modo particulari essẽdi: ergo talis modus abstrahi potest ab eis; vt in eo æqualiter conueniunt, poterunt definiri. Probatur minor: quia æquè conuenit Petro, & Ioanni, modus particularis essendi, per quẽ determinatur natura humana, vt sit singularis in vtroq;. Hoc autem commune definitur: & confirmari potest hoc modo: Syllogismus iste, constituitur in Darij: Omne indiuiduũ est incommunicabile: Petrus est indiuiduũ: ergo est incommunicabilis: sed si nihil commune datur indiuiduis, sequitur esse vitiosum: ergo dicendum est, aliquid reale commune eis dari. Probatur minor: quia medium erit æquiuocũ, nempe indiuiduum, nihil commune indiuiduis significans præter vocem. 33.

34. *Pro solutione argumentorum notandum est*, tribus modis considerari posse indiuidua: *Primò*, in quantum conueniunt in natura specifica: vt Petrus, & Ioānes, in natura humana: ratione cuius conuenientiæ, quilibet vocatur homo, & conceptus iste non est indiuiduorū, vt indiuidua sunt; sed conceptus speciei. *Secundo modo* considerantur, vt sunt particulares, ac determinati homines; per proprias differentias indiuiduales: & istæ conceptus, nō est naturæ, sed indiuiduationis. Quē adhuc dupliciter consideramus. *Primò*, vt talis indiuidui est, nomine particulari, & proprio significati; Petri aut Ioannis. *Secundò*; vt est rei singularis, & indiuiduæ; non determinando hanc differentiam indiuidualem, Petri aut Ioannis; sed differentiam indiuidualem, vt sic; abstrahendo à determinatis, Petri & Ioannis: & secundum primam considerationem, nihil cōmune habere possunt: in secunda verò, communis est eis conceptus indiuidui, vt sic; per quem significatur differentia indiuidualis; & nō aliqua determinata, & in concreto indiuiduū, sub ratione indiuidui; nō determinādo hoc, vel illud.

35. Vnde sequitur, conceptum communem, quē indiuidua habere dicimus; nō esse conceptum rei, aut naturæ: sed conceptum modi determinantis naturam: & sub tali conceptu definiri indiuiduum in hac definitione.

Ad primum Arg. Concessa maiori, negatur minor, quòd indiuidua, vt indiuidua sunt: nihil cōmune habere possint: nam licet differentiæ indiuiduales sint primò diuersæ; & vt tales nihil propriis rationibus cōmune habere possint: tamē in officio conueniunt, nempe, in determinādo naturam specificam, ad particularem modum essendi, quod est cōstituere eā in indiuiduo: licèt quælibet secundum propriam rationem, constituat indiuiduum determinatum ac diuersum.

Ad secundum respondetur, Distinguendo consequēs; nempe, singularia sub vltima ratione singularitatis, non cōuenire. Nam propriæ singularitates Petri, & Ioannis, duobus modis considerari possunt. Primò; vt singularitates sunt. Secundo: vt tales singularitates. Et si primò modo considerentur: conueniunt: quia cōmune est eis officium singularizandi naturā: si verò secundo modo, cōuenire non possunt. Nec datur processus in infinitum: quia sub illa ratione communi, considerata indiuidua, nō distinguuntur per alias differētias indiuiduales; sed per eadem, consideratas sub vltima ratione particulari, ac determinata: quibus hoc modo sumptis, nihil commune datur: & ideo nec est necessariu n, per alias differentias distingui.

Et quod de indiuidualibus differentiis dicimus; de specificis intelligendū m 36.
est: quæ licèt secundū proprias rationes, non conueniāt in aliquo; sed sint primo diuersæ: vt rationale, & hinnibile: tamen in officio diuidendi genus; & constituendi speciem, conueniunt: quā conuenientiam definiuit Porphyrius, cap. de differentia, dicens: *Differentia est, qua diuidit genus, & constituit speciem.* Et conuenientia hæc specierum, vt per differentias specificas constituuntur, etiā est modalis: quia non est ratione naturæ differentiarum; sed solum ratiòne officij constituendi speciem: & ideò nō est media inter proximū genus, & species; sed natura generis proximè descendit ad species, per differentias: licèt differentiæ ipsæ, & species, per eas modaliter conueniant; vt expositum est. Si aūt inquiras; ad quod prædicabile pertineat indiuiduum reale, sub hac ratione cōmuni,

muni, sub qua definitur. Respondet Caiet. speciale prædicabile, distinctum à cæteris, pro eo esse ponendum: quia habet modum prædicandi distinctum: non enim prędicatur in Quid; neque in quale quid; sed in Cuiusmodi: nec est prædicatum accidentale; sed substantiale. *Dicendum tamen est*: Non posse speciale prædicabile constituere: quia non est prædicatũ naturæ, aut alicuius gradus essentialis eius; sed modi substantialis, eiusdem naturæ specificæ: & ideò ad prædicabile speciei reduci debet, propter maximam similitudinem cum ea: quia prędicatur de pluribus differentibus numero, substantialiter.

QVÆSTIO VII.

An secunda intentio Indiuidui, per primam definitionem Indiuidui definita, sit vna?

QVæstio hæc præsupponit vnum, & quærit alterum: illud quod pręsupponit est: quod secunda intentio Indiuidui, in communi considerata; hoc est abstracta, ab hac, & illa secunda intẽtione Indiuidui, denominante Petrum, & Ioannem; prædicabilis de vno; sit definitum primæ definitionis Indiuidui, *nẽpe, Indiuiduum est, quod de vno prædicatur*. Quærit verò, an sit vna; id est, an habeat vnam rationem communem, & vniuocam, respectu secundarum intentionum, denominantium particularia Indiuidua.

Sed hoc quod præsupponit, videtur falsum, vt probant hæc arg. *Primò*, Secũda intentio Indiuidui, in communi considerata, prædicatur de hac, & illa secunda intentione Indiuidui, denominante Petrum & Ioannem: ergo est prædicabilis de multis; sed definitio asserit, Indiuiduum esse prædicabile de vno: ergo non potest illi conuenire; sed potius conueniet ei definitio speciei; cùm prædicetur de pluribus differentibus numero, in Quid.

Secundò, probatur, quòd non sit vna; ex quo etiam colligitur; quòd nõ sit definitum: quia definitum vnum debet esse, hoc est vniuocum, respectu omnium, quibus definitio conuenit: sed non omne indiuiduum prædicatur de vno: sed quædam de pluribus: ergò secunda intẽtio Indiuidui, quæ est eis ratio prædicandi, non habebit vnam rationem communem vniuocam, respectu omnium. Consequentia euidens est: quia ab eo, quod prædicatur de vno, & ab alio, quod prædicatur de pluribus, non potest abstrahi ratio communis prædicandi de vno, cui conuenit definitio hæc. Probatur item antecedẽs: quia Indiuiduum vagum, vt, quidam homo, prædicatur de pluribus vniuocè, vt de Petro, & Ioanne; & Indiuiduum ex demonstratione, vt, hoc album, prædicatur de eisdem: ergo quædam secunda intentio Indiuidui, erit ratio prædicandi de vno, alia verò ratio prædicandi de multis.

Pro solutione huius quæstionis notandum est, quod sicut in definitione generis diximus, duplex esse definitum, Quo, & Quod. Definitum Quod, esse naturam genericam, vt denominatam à secunda intentione generis; & definitum Quo, eandem secundã intẽtionem, vt denominantem naturam; & ex vtroq; sic ordinato, fieri vnũ totale, atq; completũ. Prætetea, tã definitũ Quod; quã definitũ Quo; duplex esse: Adæquatum, & proximũ: & Inadæquatum, atq; remotũ: ita vt natura generica, in communi sũpta, sit definitũ adæquatum, & proximum: remotum verò, & inadæquatũ quęcunq; natura generica particularis, vt animal, vel color: &

definitum, Quo, adæquatum & proximũ esse secundam intentionem generis in communi sumptam: inadæquatũ vero, & remotum particularem intentionem denominãtem animal, aut colorem. Ità dicendum est modo; Definitum, Quod, proximum, & adæquatum: esse naturam Indiuidui in communi acceptam; vt denominatur à secunda intentione, prædicabilis de vno; inadæquatũ, & remotũ, quodlibet Indiuiduũ in particulari. Et definitũ Quo, adæquatũ, & proximũ; esse secũdam intentionem Indiuidui, in cõmuni sumptam, vt est ratio denominans Indiuiduum in communi prædicabile de vno: remotũ verò, & inadæquatum; quamcunque intentionem Indiuidui, denominantem Petrum, & Ioannẽ, prædicabilem de vno. Et ex vtroq; definito, Quo, & Quod, vt ordinato ad alterum, fit vnum completum, & adæquatũ, quod per definitionem explicatur: quæ definitio, conuenit, vt Quod, naturæ indiuidui; vt denominatæ à secunda intẽtione prædicabili de vno: & secundæ intentioni, vt denominãti eandem naturam.

39. Ex quibus colligitur vnica conclusio: per quam respondemus quæstioni: & est talis. *Secunda intentio Indiuidui in communi accepta, vt est ratio denominans naturam Indiuidui, etiam in communi acceptam, est vna, atque vniuoca: & est etiam definitum formale huius definitionis, sicut natura indiuidui denominata, est vna, & est definitum materiale.* Probatur vtrumque hac ratione. Secunda intẽtio Indiuidui, æqualiter denominat quodlibet Iudiuiduũ prædicabile de vno: & natura Indiuidui, in cõmuni æqualiter est denominata ab ea: ergo vtraque est vniuoca; & suo modo definitum huius definitionis.

Pro solutione primi arg: Notandum est; Secundam intẽtionem Indiuidui in cõmuni, dupliciter posse considerari, vt Quo & vt Quod: & prima consideratio formalis est: quia consideratur vt forma denominans naturam indiuidui, prædicabilẽ de vno. Secunda verò, materialis; quia consideratur tanquam id, quod prædicatur de multis, secundis intentionibus Indiuiduorum. Vnde secundum primam considerationem tantum pertinet ad præsentem definitionem; vt formale definitum eius: secundum aliam verò, ad prædicabile speciei pertinet: quia prædicatur de pluribus differentibus numero, in Quid: pertinet quidem, non propriè, sed reductiuè, & impropriè: quia sicut indiuiduum quodcunque, non prædicatur prædicatione propria, pertinente ad artem, & scientiam, sed impropriissima; & quę vocatur identica, & naturalis: ita secunda intentio Indiuidui, tanquam incompletum quid, & impropriè; prædicatur de hac, & illa secunda intentione Indiuidui: & ideò solùm per quandam similitudinem denominatur, à secunda intẽtione speciei: sicut naturæ cõpletæ, denominãtur propriè. Arg. verò procedit, de secunda intentione Indiuidui materialiter considerata, & ideò nihil probat contra nostram conclusionem.

Ad secundũ respondeo, quod per hãc definitionem, non definitur quodlibet Indiuiduum, sed propriũ, ac determinatum, quod de vno prædicatur, hoc est de seipso, prædicatione identica: & ideò nec definitum formale est: nisi secunda intentio propria Indiuidui; quæ est ratio prædicandi de vno. 40 De indiuiduo verò vago, asserunt quidam, non definiri hac definitione, quia est complexũ: vt quidã homo. Alij vero dicunt, non definiri: quia nihil determinatum significat sed vagũ quid, quod ad singularia omnia eiusdẽ naturæ se extẽdit, nullũ determinando. Sed *vtrumque est falsum*. Primum quidem,

quidem; quia Quidam, vel Aliquis, signa quædam sunt; non significantia rem distinctam, à nomine, cui adiunguntur; sed particularem modum essendi; qui est indiuidualis differentia; à qua denominatur: res autem determinata per modum; vna, & eadem est: ergo indiuiduum vagum; aut ex demonstratione, res simplex est; & nomen, quo significatur, incomplexũ: quamuis voce videatur cõplexũ; vt quidam homo, significat naturam humanam singularizatem; non significãdo vltimas rationes singularium, per quas distinguitur in diuersis indiuiduis. Hanc verò rem, determinatam esse, aut determinatum conceptum, manifestum est: quamuis non determinet aliquod indiuiduũ; de quo verificetur in propositione; sed sufficit in vno, aut altero verificari. Ex quo patet, falsum esse secũdum. Quarè dicendum est; Indiuiduum vagũ; non esse propriè Indiuiduum; cùm de multis prædicetur: & ideò nõ pertinere ad præsentem definitionem.

84. Si autem aliquis obijciat, aduersus hãc definitionem Indiuidui: illud quod asserit Arist. in prædicamento substantiæ; nempe *à prima substantia, nulla est prædicatio*; quod est idem, ac si dicatur ab Indiuiduo nulla est prædicatio; cùm indiuiduum, & prima substantia, idẽ sint: vnde ex eo videtur sequi, indiuiduum nullo modo prędicari; cõsequenter nec de vno; vt in definitione dicitur. Respõdetur; duplicem esse prædicationem: vnam propriam, & doctrinalem; cuius prædicatũ aliquo modo diuersum est à subiecto: alteram impropriam, & non aptam ad doctrinam; vel scientiam; sed quasi naturalem; in qua idem est prædicatum, & subiectum: dum ergo Arist. asseruit; à prima substantia, vel ab indiuiduo, nullam dari prædicationem; de doctrinali loquitur, & naturalem seu idẽticam non excludit, de qua intelligitur hæc definitio Porphyrij: *Indiuiduum est, quod de vno solo prædicatur.*

CAPVT IV.
De Differentia.

TEXT. PORPHIR.

Differentia verò, & communiter, & propriè, & proprijssimè, dicitur, &c.

Breuis expositio textus.

INtentum Porphyrij in præsenti capite, est explicare naturam tertij prædicabilis, quod est Differentia. Diuiditur autem caput in duas partes: in quarum prima diuidit Differentiam quinque diuisionibus. *In Secunda*, eam definit quinque aliis definitionibus.

Prima diuisio est, Differẽtia vna est Cõmunis; alia Propria: & alia proprijssima. Communis differentia, est illa; qua aliqua differunt accidenti communi; vt albedo Petri, est differentia cõmunis, qua differt Petrus albus, à Ioanne nigro. Diferẽtia propria est; qua differunt aliqua, accidenti inseparabili; vt albedo cygni; per quam differt à coruo. Propriissima tandem Differentia vocatur illa; per quã distinguuntur aliqua specie; vt rationale, per quod differt homo à leone.

Secunda diuisio differentiæ est, secundũ officium proprium eius, quod est diuersum facere, & sic se habet, Differentia quædam est, quę facit diuersum Per se, vt essentialis: alia quæ facit diuersum Per accidens: vt accidentalis. Hæc diuisio, non est minus vniuersalis, quàm præcedens: quamuis duo tantum membra habeat: quia sub membro eius secundo continentur duo membra primæ, nempe differentia communis, & propria.

Tertia diuisione diuiditur etiam Differentia, secūdum totam suam latitudinē, in Separabilem, & in Inseparabilem: ita vt sub secundo membro, comprehendātur differentia cōmunis, & propria. Nā differentia separabilis est, qua differunt aliqua accidenti separabili, vt albedo parietis: inseparabilis verò, qua differūt inseparabiliter, vt rationalitate, aut risibilitate.

Quarta diuisio est Differentiæ Inseparabilis, in Inseparabilem per se, vt rationale: & Inseparabilem per accidens, vt albedo cygni: & est minus vniuersalis, quàm præcedētes: quia subdiuisio est vnius membri, tertiæ diuisionis; nempe, differentiæ Inseparabilis: & duo tantum membra continet primæ, videlicet propriam differentiam, & propriissimam.

Vltima diuisio est. Differentia vna est; quæ diuidit genus; alia, quæ constituit speciem: exemplum ponit in animali; cuius differentia constitutiua est sensitiuum; diuisiua verò rationale. Et diuisio hæc, minus comprehendit, quàm præcedens; cùm sit subdiuisio quædam vnius membri eius, nempe differentiæ Inseparabilis per se: potestq; vtrumq; mēbrum eius cōuenire eidē differentiæ nō tamē eadē ratione; nec respectu eiusdē; sed diuersorum: quia vtrumq; officiū exercere potest; vt rationale, est differētia diuisiua animalis; & constitutiua hominis.

2. In *secunda parte cap.* definit Differentiā quinque definitionibus; quarū *prima talis est.* Differentia est, qua species excedit genus; vt homo excedit animal: quia propter naturam sensitiuam eius, continet rationalem; non contentam actu in eodem animali. Hanc verò differentiam asserit habere speciem; non à se, nec ex nihilo: sed ab ipso genere, in cuius potestate continetur, & ab intellectu educitur de potētia eius, & tribuitur speciei; vt ex ea simul cum genere componatur.

Secunda definitio talis est. Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differētibus specie, in Quale quid. Probat Porphyrius: Differentiam prędicari in Quale quid: quia ad quæstionem factam de specie, per Quid: propriè respondemus per Genus; ad quæstionem verò factam per Quale; non minus propriè per Differentiam. Vt si inquiratur, Quid est homo? propriè respondemus esse animal: si verò Quale animal; non minus propriè dicimus, esse rationale: ergo Genus prædicatur in Quid; sed Differentia in Quale; non quidem absolutè: quia non est qualitas accidentalis, sed pars essētialis speciei: & ideò prædicatur in Quale; addito, quid; vt denotetur prædicari in Quale essentiali.

Tertia definitio est. Differentia separat ea, quæ sub eodem genere conueniunt; vt rationale, separat hominem à leone; cum quo conuenit in animali.

Quarta definitio, Differentia est, qua differūt à se singula; vt per rationale, differt homo à leone, Differentia enim cōstituit speciem, & ab aliis separat eam.

Vltima definitio, magis propria videtur, quā præcedentes, quia explicat potissimū actū eius. Ait enim. Differentia confert ad substantiā rei, & est pars essentiæ ac definitionis eius. Vtrumque habet rationale: confert enim, hoc est, iuuat per se, ad substantiā hominis, & cùm eū cōponat cum animali; est vera pars essentię ipsius: & vltima quidē, vt per hoc distinguatur à Genere. Per has quinq; definitiones, solū definit Porph. Differētiā propriissimā, quia hæc sola est essentialis, & sola etiā pertinet ad tertiū prædicabile.

QVAESTIO I.

V. prima diuisio Differentiæ, in Communem, Propriam & Propriissimam sit sufficiens?

Duo-

3 DVobus modis intelligi potest, insufficientem esse aliquam Diuisionem: vel quia aliquod membrum ei deficit: aut quia aliud continet superfluum. Vtroque autem modo insufficiens probatur, hæc Diuisio Differentiæ. Et primo, quod aliqua membra contineat, quæ non continentur sub diuiso, hoc arg. Diuisum huius diuisionis est tertiũ prædicabile: sed Differẽtia communis, & propria, nõ pertinent ad tertiũ prædicabile, sed ad quintũ: ergo non continentur sub diuiso. Probatur minor: quia Differentia communis, & propria, sunt accidens separabile, & inseparabile: sed hæc pertinent ad quintum prædicabile, vt notum est: ergo non possunt pertinere ad hanc diuisionem.

Quod verò alia mẽbra ei desint; duo-
4 bus aliis arg. probatur. Primo, quia Differentia indiuidualis, per quam differt vnum Indiuiduum ab altero, non est cõmunis, nec propria, cùm non sit accidẽs, nec est propriissima: ergo non continetur sub aliquo membro diuisionis, sed aliud pro illa addendum est. Probatur nõ esse propriissimam: quia Differẽtia propriissima est specifica, vt docet expressè Porphyrius in eadem diuisione: sed indiuidualis non est specifica, vt notũ est: ergo nec est propriissima Differentia.

Secundo. Propriæ passiones specierũ, vt risibilitas, faciunt differre easdẽ species accidenti inseparabili: & tamẽ non sunt differentiæ propriæ, ergo nec pertinent ad hanc diuisionem Consequentia euidens est: quia non possunt ad duo alia membra pertinere: cùm nec sint accidẽtia separabilia, nec Differentiæ specificæ. Item probatur minor: quia differentia propria, vt Porphyrius asserit, in explicatione quartæ diuisionis, suscipiunt magis, & minus; quod constat conuenire propriis passionibus specierum.

Tenendum tamen est, Diuisionem hanc sufficientem esse. Quod non solum proba- 5
tur authoritate Porphyrij, & expositorũ omnium; sed hac ratione. Sufficiens Diuisio est illa, cui nullũ membrum deest, nec aliquid habet, quod nõ contineatur sub diuiso: sed talis est hæc, ergo sufficiens. Minor probabitur, ex solutione arg. *Et ad primũ*: quo probabatur cõmunem & propriam differentiam, non pertinere ad hanc diuisionem: distinguẽda est minor: nam Differentia Communis; & Propria, dupliciter considerari possunt. Primò, vt sunt accidentia quędam: & hoc modo pertinent ad quartum, vel quintum prædicabile. Secundò, vt faciũt differre vnum ab altero accidenti separabili, aut inseparabili: & hoc modo pertinent ad hanc Diuisionem: cuius diuisum non est tertium prædicabile; sed quid vniuersalius; nempè, Differẽtia secundum communem rationem, ad essentialẽ, & accidentalẽ, sed tertium prædicabile, sola propriissima constituit. Cæteræ verò explicantur, vt ex earum rationibus magis manifesta fiat Differentia propriissima. Vnde non pertinẽt ad duo prædicabilia; sed ad vnum tantum: quãuis in hoc tertio adducantur, ad faciliorem eius intelligentiam.

Circa Differentiam indiuidualem, de qua procedit primum arg. alterius partis, moderni quidam asserunt, essentialẽ esse: quia Indiuiduum, nõ potest sine illa esse, nec intelligi: quod si verũ est; erit propriissima differentia. Sed probatur falsum, hoc arg. Essentialia, ea solùm appellãtur; quę prędicata sunt, ex aliquo gradu ipsius essentiæ desumpta vt rationale, ex gradu rationalitatis; & sensitiuũ ex gradu sentiẽdi; sed Differẽtia indiuidualis, nõ accipitur ex aliquo gradu essentiæ: ergo non est essentialis. Probatur minor: quia vltimus gradus essentiæ, aut

O 2 naturæ

Tertia diuisione diuiditur etiam Differentia, secũdum totam suam latitudinẽ, in Separabilem, & in Inseparabilem: ita vt sub secundo membro, comprehendãtur differentia cõmunis, & propria. Nã differentia separabilis est, qua differunt aliqua accidenti separabili, vt albedo parietis: inseparabilis verò, qua differũt inseparabiliter, vt rationalitate, aut risibilitate.

Quarta diuisio est Differentiæ Inseparabilis, in Inseparabilem per se, vt rationale: & Inseparabilem per accidens, vt albedo cygni: & est minus vniuersalis, quàm præcedẽtes: quia subdiuisio est vnius membri, tertiæ diuisionis; nempe, differentiæ Inseparabilis: & duo tantum membra continet primæ, videlicet propriam differentiam, & propriissimam.

Vltima diuisio est. Differentia vna est; quæ diuidit genus; alia, quæ constituit speciem: exemplum ponit in animali; cuius differentia constitutiua est sensitiuum; diuisiua verò rationale. Et diuisio hæc, minus comprehendit, quàm præcedens; cùm sit subdiuisio quædam vnius membri eius, nempe differentiæ Inseparabilis per se: potest q; vtrumq; mẽbrum eius cõuenire eidẽ differentiæ nõ tamẽ eadẽ ratione; nec respectu eiusdẽ; sed diuersorum: quia vtrumq; officiũ exercere potest; vt rationale, est differẽtia diuisiua animalis; & constitutiua hominis.

2. *In secunda parte cap.* definit Differentiã quinque definitionibus; quarũ *prima talis est*. Differentia est, qua species excedit genus; vt homo excedit animal: quia propter naturam sensitiuam eius, continet rationalem; non contentam actu in eodem animali. Hanc verò differentiam asserit habere speciem; non à se, nec ex nihilo: sed ab ipso genere, in cuius potestate continetur, & ab intellectu educitur de potẽtia eius, & tribuitur speciei; vt ex ea simul cum genere componatur.

Secunda definitio talis est. Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differẽtibus specie, in Quale quid. Probat Porphyrius: Differentiam prædicari in Quale quid: quia ad quæstionem factam de specie, per Quid: propriè respondemus per Genus; ad quæstionem verò factam per Quale; non minus propriè per Differentiam. Vt si inquiratur, Quid est homo? propriè respondemus esse animal: si verò Quale animal; non minus propriè dicimus, esse rationale: ergo Genus prædicatur in Quid; sed Differentia in Quale; non quidem absolutè: quia non est qualitas accidentalis, sed pars essẽtialis speciei: & ideò prædicatur in Quale; addito, quid; vt denotetur prædicari in Quale essentiali.

Tertia definitio est. Differentia separat ea, quæ sub eodem genere conueniunt; vt rationale, separat hominem à leone; cum quo conuenit in animali.

Quarta definitio, Differentia est, qua differũt à se singula; vt per rationale, differt homo à leone, Differentia enim cõstituit speciem, & ab aliis separat eam.

Vltima definitio, magis propria videtur, quã præcedentes, quia explicat potissimũ actũ eius. Ait enim. Differentia confert ad substantiã rei, & est pars essentiæ ac definitionis eius. Vtrumque habet rationale: confert enim, hoc est, iuuat per se, ad substantiã hominis, & cùm eũ cõponat cum animali; est vera pars essentię ipsius: & vltima quidẽ, vt per hoc distinguatur à Genere. Per has quinq; definitiões, solũ definit Porph. Differẽtiã propriissimã, quia hæc sola est essentialis, & sola etiã pertinet ad tertiũ prædicabile.

QVAESTIO I.

V. prima diuisio Differentiæ, in Communem, Propriam & Propriissimam sit sufficiens?

Duo-

3 DVobus modis intelligi poteſt, inſufficientem eſſe aliquam Diuiſionem: vel quia aliquod membrum ei deficit: aut quia aliud continet ſuperfluum. Vtroque autem modo inſufficiens probatur, hæc Diuiſio Differentiæ. Et primo, quod aliqua membra contineat, quæ non continentur ſub diuiſo, hoc arg. Diuiſum huius diuiſionis eſt tertiũ prædicabile: ſed Differẽtia communis, & propria, nõ pertinent ad tertiũ prædicabile, ſed ad quintũ: ergo non continentur ſub diuiſo. Probatur minor: quia Differentia communis, & propria, ſunt accidens ſeparabile, & inſeparabile: ſed hæc pertinent ad quintum prædicabile, vt notum eſt: ergo non poſſunt pertinere ad hanc diuiſionem.

4. Quod verò alia mẽbra ei deſint; duobus aliis arg. probatur. Primo, quia Differentia indiuidualis, per quam differt vnum Indiuiduum ab altero, non eſt cõmunis, nec propria, cùm non ſit accidẽs, nec eſt propriiſſima: ergo non continetur ſub aliquo membro diuiſionis, ſed aliud pro illa addendum eſt. Probatur nõ eſſe propriiſſimam: quia Differẽtia propriiſſima eſt ſpecifica, vt docet expreſſè Porphyrius in eadem diuiſione: ſed indiuidualis non eſt ſpecifica, vt notũ eſt: ergo nec eſt propriiſſima Differentia.

Secundo. Propriæ paſſiones ſpecierũ, vt riſibilitas, faciunt differre eaſdẽ ſpecies accidenti inſeparabili: & tamẽ non ſunt differentiæ propriæ, ergo nec pertinent ad hanc diuiſionem Conſequentia euidens eſt: quia non poſſunt ad duo alia membra pertinere: cùm nec ſint accidẽcia ſeparabilia, nec Differentiæ ſpecificæ. Item probatur minor: quia differentia propria, vt Porphyrius aſſerit, in explicatione quartæ diuiſionis, ſuſcipiunt magis, & minus; quod conſtat conuenire propriis paſſionibus ſpecierum.

Tenendum tamen eſt, Diuiſionem hanc ſufficientem eſſe. Quod non ſolum probatur authoritate Porphyrij, & expoſitorũ omnium; ſed hac ratione. Sufficiens Diuiſio eſt illa, cui nullũ membrum deeſt, nec aliquid habet, quod nõ contineatur ſub diuiſo: ſed talis eſt hæc, ergo ſufficiens. Minor probabitur, ex ſolutione arg. *Et ad primũ*: quo probabatur cõmunem & propriam differentiam, non pertinere ad hanc diuiſionem: diſtinguẽda eſt minor: nam Differentia Communis, & Propria, dupliciter conſiderari poſſunt. Primò, vt ſunt accidentia quędam: & hoc modo pertinent ad quartum, vel quintum prædicabile. Secundò, vt faciũt differre vnum ab altero accidenti ſeparabili, aut inſeparabili: & hoc modo pertinent ad hanc Diuiſionem: cuius diuiſum non eſt tertium prædicabile; ſed quid vniuerſalius; nempè, Differẽtia ſecundum communem rationem, ad eſſentialẽ, & accidentalẽ, ſed tertium prædicabile, ſola propriiſſima conſtituit. Cæteræ verò explicantur, vt ex earum rationibus magis manifeſta fiat Differentia propriiſſima. Vnde non pertinẽt ad duo prædicabilia; ſed ad vnum tantum: quãuis in hoc tertio adducantur, ad faciliorem eius intelligentiam. 5.

Circa Differentiam indiuidualem, de qua procedit primum arg. alterius partis, moderni quidam aſſerunt, eſſentialẽ eſſe: quia Indiuiduum, nõ poteſt ſine illa eſſe, nec intelligi: quod ſi verũ eſt; erit propriiſſima differentia. Sed probatur falſum, hoc arg. Eſſentialia, ea ſolùm appellãtur; quę prędicata ſunt, ex aliquo gradu ipſius eſſentiæ deſumpta vt rationale, ex gradu rationalitatis; & ſenſitiuũ ex gradu ſentiẽdi; ſed Differẽtia indiuidualis, nõ accipitur ex aliquo gradu eſſentiæ: ergo non eſt eſſentialis. Probatur minor: quia vltimus gradus eſſentiæ, aut

Tertia diuisione diuiditur etiam Differentia, secundum totam suam latitudinē, in Separabilem, & in Inseparabilem: ita vt sub secundo membro, comprehendātur differentia cōmunis, & propria. Nā differentia separabilis est, qua differunt aliqua accidenti separabili, vt albedo parietis: inseparabilis verò, qua differūt inseparabiliter, vt rationalitate, aut risibilitate.

Quarta diuisio est Differentiæ Inseparabilis, in Inseparabilem per se, vt rationale: & Inseparabilem per accidens, vt albedo cygni: & est minus vniuersalis, quàm præcedētes: quia subdiuisio est vnius membri, tertiæ diuisionis; nempe, differentiæ Inseparabilis: & duo tantum membra continet primæ, videlicet propriam differentiam, & propriissimam.

Vltima diuisio est. Differentia vna est; quæ diuidit genus; alia, quæ constituit speciem: exemplum ponit in animali; cuius differentia constitutiua est sensitiuum; diuisiua verò rationale. Et diuisio hæc, minus comprehendit, quàm præcedens; cùm sit subdiuisio quædam vnius membri eius, nempe differentiæ Inseparabilis per se: potestq; vtrumq; mēbrum eius cōuenire eidē differentiæ nō tamē eadē ratione; nec respectu eiusdē; sed diuersorum: quia vtrumq; officiū exercere potest; vt rationale, est differētia diuisiua animalis; & constitutiua hominis.

2. *In secunda parte cap.* definit Differentiā quinque definitionibus; quarū *prima talis est*. Differentia est, qua species excedit genus; vt homo excedit animal: quia propter naturam sensitiuam eius, continet rationalem; non contentam actu in eodem animali. Hanc verò differentiam asserit habere speciem; non à se, nec ex nihilo: sed ab ipso genere, in cuius potestate continetur, & ab intellectu educitur de potētia eius, & tribuitur speciei, vt ex ea simul cum genere componatur.

Secunda definitio talis est. Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differētibus specie, in Quale quid. Probat Porphyrius: Differentiam prædicari in Quale quid: quia ad quæstionem factam de specie, per Quid: propriè respondemus per Genus; ad quæstionem verò factam per Quale; non minus propriè per Differentiam. Vt si inquiratur, Quid est homo? propriè respondemus esse animal: si verò Quale animal; non minus propriè dicimus, esse rationale: ergo Genus prædicatur in Quid; sed Differentia in Quale; non quidem absolutè: quia non est qualitas accidentalis, sed pars essētialis speciei: & ideò prædicatur in Quale; addito, quid; vt denotetur prædicari in Quale essentiali.

Tertia definitio est. Differentia separat ea, quæ sub eodem genere conueniunt; vt rationale, separat hominem à leone; cum quo conuenit in animali.

Quarta definitio, Differentia est, qua differūt à se singula; vt per rationale, differt homo à leone, Differentia enim cōstituit speciem, & ab aliis separat eam.

Vltima definitio, magis propria videtur, quā præcedentes, quia explicat potissimū actū eius. Ait enim. Differentia confert ad substantiā rei, & est pars essentiæ ac definitionis eius. Vtrumque habet rationale: confert enim, hoc est, iuuat per se, ad substantiā hominis, & cùm eū cōponat cum animali; est vera pars essentię ipsius: & vltima quidē, vt per hoc distinguatur à Genere. Per has quinq; definitiones, solū definit Porph. Differētiā propriissimā, quia hæc sola est essentialis, & sola etiā pertinet ad tertiū prædicabile.

QVAESTIO I.

V. prima diuisio Differentiæ, in Communem, Propriam & Propriissimam sit sufficiens?

Duo-

3. DVobus modis intelligi potest, insufficientem esse aliquam Diuisionem: vel quia aliquod membrum ei deficit: aut quia aliud continet superfluum. Vtroque autem modo insufficiens probatur, hæc Diuisio Differentiæ. Et primo, quod aliqua membra contineat, quæ non continentur sub diuiso, hoc arg. Diuisum huius diuisionis est tertiũ prædicabile: sed Differẽtia communis, & propria, nõ pertinent ad tertiũ prædicabile, sed ad quintũ: ergo non continentur sub diuiso. Probatur minor: quia Differentia communis, & propria, sunt accidens separabile, & inseparabile: sed hæc pertinent ad quintum prædicabile, vt notum est: ergo non possunt pertinere ad hanc diuisionem.

4. Quod verò alia mẽbra ei desint; duobus aliis arg. probatur. Primo, quia Differentia indiuidualis, per quam differt vnum Indiuiduum ab altero, non est cõmunis, nec propria, cùm non sit accidẽs, nec est propriissima: ergo non continetur sub aliquo membro diuisionis, sed aliud pro illa addendum est. Probatur nõ esse propriissimam: quia Differẽtia propriissima est specifica, vt docet expressè Porphyrius in eadem diuisione: sed indiuidualis non est specifica, vt notũ est: ergo nec est propriissima Differentia.

Secundo. Propriæ passiones specierũ, vt risibilitas, faciunt differre easdẽ species accidenti inseparabili: & tamẽ non sunt differentiæ propriæ, ergo nec pertinent ad hanc diuisionem. Consequentia euidens est: quia non possunt ad duo alia membra pertinere: cùm nec sint accidẽtia separabilia, nec Differentiæ specificæ. Item probatur minor: quia differentia propria, vt Porphyrius asserit, in explicatione quartæ diuisionis, suscipiunt magis, & minus; quod constat conuenire propriis passionibus specierum.

Tenendum tamen est, Diuisionem hanc sufficientem esse. Quod non solum probatur authoritate Porphyrij, & expositorũ omnium; sed hac ratione. Sufficiens Diuisio est illa, cui nullũ membrum deest, nec aliquid habet, quod nõ contineatur sub diuiso: sed talis est hæc, ergo sufficiens. Minor probabatur, ex solutione arg. *Et ad primũ*: quo probabatur cõmunem & propriam differentiam; non pertinere ad hanc diuisionem: distinguẽda est minor: nam Differentia Communis; & Propria, dupliciter considerari possunt. Primò, vt sunt accidentia quędam: & hoc modo pertinent ad quartum, vel quintum prædicabile. Secundò, vt faciũt differre vnum ab altero accidenti separabili, aut inseparabili: & hoc modo pertinent ad hanc Diuisionem: cuius diuisum non est tertium prædicabile; sed quid vniuersalius; nempè, Differẽtia secundum communem rationem, ad essentialẽ, & accidentalẽ, sed tertium prædicabile, sola propriissima constituit. Cæteræ verò explicantur, vt ex earum rationibus magis manifesta fiat Differentia propriissima. Vnde non pertinẽt ad duo prædicabilia; sed ad vnum tantum: quãuis in hoc tertio adducantur, ad faciliorem eius intelligentiam.

Circa Differentiam indiuidualem, de qua procedit primum arg. alterius partis, moderni quidam asserunt, essentialẽ esse: quia Indiuiduum, nõ potest sine illa esse, nec intelligi: quod si verũ est; erit propriissima differentia. Sed probatur falsum, hoc arg. Essentialia, ea solùm appellãtur; quę prędicata sunt, ex aliquo gradu ipsius essentiæ desumpta vt rationale, ex gradu rationalitatis; & sensitiuũ ex gradu sentiẽdi; sed Differẽtia indiuidualis, nõ accipitur ex aliquo gradu essentiæ: ergo non est essentialis. Probatur minor: quia vltimus gradus essentiæ, aut

Tertia diuisione diuiditur etiam Differentia, secũdum totam suam latitudinẽ, in Separabilem, & in Inseparabilem: ita vt sub secundo membro, comprehendãtur differentia cõmunis, & propria. Nã differentia separabilis est, qua differunt aliqua accidenti separabili, vt albedo parietis: inseparabilis verò, qua differũt inseparabiliter, vt rationalitate, aut risibilitate.

Quarta diuisio est Differentiæ Inseparabilis, in Inseparabilem per se, vt rationale: & Inseparabilem per accidens, vt albedo cygni: & est minus vniuersalis, quàm præcedẽtes: quia subdiuisio est vnius membri, tertiæ diuisionis; nempe, differentiæ Inseparabilis: & duo tantum membra continet primæ, videlicet propriam differentiam, & propriissimam.

Vltima diuisio est. Differentia vna est; quæ diuidit genus; alia, quæ constituit speciem: exemplum ponit in animali: cuius differentia constitutiua est sensitiuum; diuisiua verò rationale. Et diuisio hæc, minus comprehendit, quàm præcedens; cùm sit subdiuisio quædam vnius membri eius, nempe differentiæ Inseparabilis per se: potestq; vtrumq; mẽbrum eius cõuenire eidẽ differentiæ nõ tamẽ eadẽ ratione; nec respectu eiusdẽ; sed diuersorum: quia vtrumq; officiũ exercere potest; vt rationale, est differẽtia diuisiua animalis; & constitutiua hominis.

2. *In secunda parte cap.* definit Differentiã quinque definitionibus; quarũ *prima talis est*. Differentia est, qua species excedit genus; vt homo excedit animal: quia propter naturam sensitiuam eius, continet rationalem; non contentam actu in eodem animali. Hanc verò differentiam asserit habere speciem; non à se, nec ex nihilo: sed ab ipso genere, in cuius potestate continetur, & ab intellectu educitur de potẽtia eius, & tribuitur speciei, vt ex ea simul cum genere componatur.

Secunda definitio talis est. Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differẽtibus specie, in Quale quid. Probat Porphyrius: Differentiam prędicari in Quale quid: quia ad quæstionem factam de specie, per Quid: propriè respondemus per Genus; ad quæstionem verò factam per Quale; non minus propriè per Differentiam. Vt si inquiratur, Quid est homo? propriè respondemus esse animal: si verò Quale animal; non minus propriè dicimus, esse rationale: ergo Genus prædicatur in Quid; sed Differentia in Quale; non quidem absolutè: quia non est qualitas accidentalis, sed pars essẽtialis speciei: & ideò prædicatur in Quale; addito, quid; vt denotetur prædicari in Quale essentiali.

Tertia definitio est. Differentia separat ea, quæ sub eodem genere conueniunt; vt rationale, separat hominem à leone; cum quo conuenit in animali.

Quarta definitio, Differentia est, qua differũt à se singula; vt per rationale, differt homo à leone, Differentia enim cõstituit speciem, & ab aliis separat eam.

Vltima definitio, magis propria videtur, quã præcedentes, quia explicat potissimũ actũ eius. Ait enim. Differentia confert ad substantiã rei, & est pars essentiæ ac definitionis eius. Vtrumque habet rationale: confert enim, hoc est, iuuat per se, ad substantiã hominis, & cùm eũ cõponat cum animali; est vera pars essentię ipsius: & vltima quidẽ, vt per hoc distinguatur à Genere. Per has quinq; definitiões, solũ definit Porph. Differẽtiã propriissimã, quia hæc sola est essentialis, & sola etiã pertinet ad tertiũ prædicabile.

QVAESTIO I.

V. prima diuisio Differentiæ, in Communem, Propriam & Propriissimam sit sufficiens?

Duo-

3 DVobus modis intelligi poteſt, inſufficientem eſſe aliquam Diuiſionem: vel quia aliquod membrum ei deficit: aut quia aliud continet ſuperfluum. Vtroque autem modo inſufficiens probatur, hæc Diuiſio Differentię. Et primo, quod aliqua membra contineat, quæ non continentur ſub diuiſo, hoc arg. Diuiſum huius diuiſionis eſt tertiũ prædicabile: ſed Differẽtia communis, & propria, nõ pertinent ad tertiũ prædicabile, ſed ad quintũ: ergo non continentur ſub diuiſo. Probatur minor: quia Differentia communis, & propria, ſunt accidens ſeparabile, & inſeparabile: ſed hæc pertinent ad quintum prædicabile, vt notum eſt: ergo non poſſunt pertinere ad hanc diuiſionem.

4 Quod verò alia mẽbra ei deſint; duobus aliis arg. probatur. Primo, quia Differentia indiuidualis, per quam differt vnum Indiuiduum ab altero, non eſt cõmunis, nec propria, cùm non ſit accidẽs, nec eſt propriiſſima: ergo non continetur ſub aliquo membro diuiſionis, ſed aliud pro illa addendum eſt. Probatur nõ eſſe propriiſſimam: quia Differẽtia proprijſſima eſt ſpecifica, vt docet expreſſè Porphyrius in eadem diuiſione: ſed indiuidualis non eſt ſpecifica, vt notũ eſt: ergo nec eſt proprijſſima Differentia.

Secundo. Propriæ paſſiones ſpecierũ, vt riſibilitas, faciunt differre eaſdẽ ſpecies accidenti inſeparabili: & tamẽ non ſunt differentiæ propriæ, ergo nec pertinent ad hanc diuiſionem Conſequentia euidens eſt: quia non poſſunt ad duo alia membra pertinere: cùm nec ſint accidẽtia ſeparabilia, nec Differentię ſpecificę. Item probatur minor: quia differentia propria, vt Porphyrius aſſerit, in explicatione quartæ diuiſionis, ſuſcipiunt magis, & minus; quod conſtat conuenire propriis paſſionibus ſpecierum.

5 *Tenendum tamen eſt, Diuiſionem hanc ſufficientem eſſe.* Quod non ſolum probatur authoritate Porphyrij, & expoſitorũ omnium; ſed hac ratione. Sufficiens Diuiſio eſt illa, cui nullũ membrum deeſt, nec aliquid habet, quod nõ contineatur ſub diuiſo: ſed talis eſt hæc, ergo ſufficiens. Minor probabitur, ex ſolutione arg. *Et ad primũ*: quo probabatur cõmunem & propriam differentiam; non pertinere ad hanc diuiſionem: diſtinguẽdã eſt minor: nam Differentia Communis; & Propria, dupliciter conſiderari poſſunt. Primò, vt ſunt accidentia quędam: & hoc modo pertinent ad quartum, vel quintum prædicabile. Secundò, vt faciũt differre vnum ab altero accidenti ſeparabili, aut inſeparabili: & hoc modo pertinent ad hanc Diuiſionem: cuius diuiſum non eſt tertium prædicabile; ſed quid vniuerſalius; nempè, Differẽtia ſecundum communem rationem, ad eſſentialẽ, & accidentalẽ, ſed tertium prædicabile, ſola propriiſſima conſtituit. Cæteræ verò explicantur, vt ex earum rationibus magis manifeſta fiat Differentia propriiſſima. Vnde non pertinẽt ad duo prædicabilia; ſed ad vnum tantum: quãuis in hoc tertio adducantur, ad faciliorem eius intelligentiam.

Circa Differentiam indiuidualem, de qua procedit primum arg. alterius partis, moderni quidam aſſerunt, eſſentialẽ eſſe: quia Indiuiduum, nõ poteſt ſine illa eſſe, nec intelligi: quod ſi verũ eſt; erit propriiſſima differentia. Sed probatur falſum, hoc arg. Eſſentialia, ea ſolùm appellãtur; quę prędicata ſunt, ex aliquo gradu ipſius eſſentiæ deſumpta vt rationale, ex gradu rationalitatis; & ſenſitiuũ ex gradu ſentiẽdi; ſed Differẽtia indiuidualis, nõ accipitur ex aliquo gradu eſſentiæ: ergo non eſt eſſentialis. Probatur minor: quia vltimus gradus eſſentiæ, aut

definitum,Quo,adæquatum & proximũ esse secundam intentionem generis in communi sumptam : inadæquatũ vero, & remotum particularem intentionem denominãtem animal,aut colorem. Itá dicendum est modo;Definitum , Quod, proximum,& adæquatum:esse naturam Indiuidui in communi acceptam;vt denominatur à secunda intentione , prædicabilis de vno;inadæquatũ, & remotũ , quodlibet Indiuiduũ in particulari. Et definitũ Quo,adæquatũ,& proximũ; esse secũdam intentionem Indiuidui,in cõmuni sumptam,vt est ratio denominans Indiuiduum in communi prædicabile de vno:remotũ verò,& inadæquatum;quamcunque intentionem Indiuidui,denominantem Petrum, & Ioannẽ, prædicabilem de vno. Et ex vtroq; definito,Quo,& Quod,vt ordinato ad alterum,fit vnum completum,& adæquatũ, quod per definitionem explicatur: quæ definitio,conuenit,vt Quod,naturæ indiuidui;vt denominatæ à secunda intẽtione prædicabili de vno:& secundæ intentioni, vt denominãti eandem naturam.

39 Ex quibus colligitur vnica conclusio:per quam respondemus quæstioni:& est talis. *Secunda intentio Indiuidui in communi accepta , vt est ratio denominans naturam* Indiuidui, *etiam in communi acceptam,est vna, atque vniuoca:& est etiam definitum formale huius definitionis , sicut natura indiuidui denominata,est vna,& est definitum materiale.* Probatur vtrumque hac ratione.Secunda intẽtio Indiuidui, ęqualiter denominat:quodlibet Indiuiduũ prædicabile de vno:& natura Indiuidui,in cõmuni æqualiter est denominata ab ea:ergo vtraque est vniuoca; & suo modo definitum huius definitionis.

Pro solutione primi arg: Notandum est; Secundam intẽtionem Indiuidui in cõmuni, dupliciter posse considerari , vt Quo & vt Quod : & prima consideratio formalis est : quia consideratur vt forma denominans naturam indiuidui, prædicabilẽ de vno.Secunda verò , materialis; quia consideratur tanquam id, quod prædicatur de multis,secundis intentionibus Indiuiduorum. Vnde secundum primam considerationem tantum pertinet ad præsentem definitionem ; vt formale definitum eius:secundum aliam verò,ad prædicabile speciei pertinet : quia prædicatur de pluribus differentibus numero,in Quid:pertinet quidem,non propriè,sed reductiuè , & impropriè:quia sicut indiuiduum quodcunque , non prædicatur prædicatione propria,pertinente ad artem , & scientiam,sed impropriissima;& quę vocatur identica , & naturalis : ita secunda intentio Indiuidui , tanquam incompletum quid, & impropriè ; prædicatur de hac, & illa secunda intentione Indiuidui : & ideò solùm per quandam similitudinem denominatur, à secunda intẽtione speciei:sicut naturæ cõpletæ , denominãtur propriè.Arg.verò procedit, de secunda intentione Indiuidui materialiter considerata , & ideò nihil probat contra nostram conclusionem.

Ad secundũ respondeo , quod per hãc definitionem,non definitur quodlibet Indiuiduum, 40 sed propriũ , ac determinatum,quod de vno prædicatur,hoc est de seipso,prædicatione identica : & ideò nec definitum formale est : nisi secunda intentio propria Indiuidui? ; quæ est ratio prædicandi de vno. De indiuiduo verò vago,asserunt quidam,non definiri hac definitione,quia est complexũ:vt quidã homo. Alij vero dicunt, non definiri:quia nihil determinatum significat sed vagũ quid,quod ad singularia omnia eiusdẽ naturæ se extẽdit,nullũ determinando.Sed *vtrumque est falsum*.Primum quidem,

quidem; quia Quidam, vel Aliquis, signa quædam sunt; non significantia rem distinctam, à nomine, cui adiunguntur; sed particularem modum essendi; qui est indiuidualis differentia; à qua denominatur: res autem determinata per modum; vna, & eadem est: ergo indiuiduum vagum; aut ex demonstratione, res simplex est; & nomen, quo significatur, incomplexū: quamuis voce videatur cōplexū; vt quidam homo, significat naturam humanam singularizatām; non significādo vltimas rationes singularium, per quas distinguitur in diuersis indiuiduis. Hanc verò rem, determinatam esse, aut determatum conceptum, manifestum est: quamuis non determinet aliquod indiuiduū; de quo verificetur in propositione; sed sufficit in vno, aut altero verificari. Ex quo patet, falsum esse secūdum. Quarè dicendum est; Indiuiduum vagū; non esse propriè Indiuiduum; cùm de multis prædicetur: & ideò nō pertinere ad præsentem definitionem.

14. Si autem aliquis objiciat, aduersus hāc definitionem Indiuidui: illud quod asserit Arist. in prædicamento substantiæ; nempe *à prima substantia, nulla est prædicatio*; quod est idem, ac si dicatur ab Indiuiduo nulla est prædicatio; cùm indiuiduum, & prima substantia, idē sint: vnde ex eo videtur sequi, indiuiduum nullo modo prędicari; cōsequenter nec de vno; vt in definitione dicitur. Respōdetur; duplicem esse prædicationem: vnam propriam, & doctrinalem; cuius prædicatū aliquo modo diuersum est à subiecto: alteram impropriam, & non aptam ad doctrinam; vel scientiam; sed quasi naturalem; in qua idem est prædicatum, & subiectum: dum ergo Arist. asseruit; à prima substantia, vel ab indiuiduo, nullam dari prædicationem; de doctrinali loquitur, & naturalem seu identicam non excludit, de qua intelligitur hæc definitio Porphyrij: *Indiuiduum est, quod de vno solo prædicatur.*

CAPVT IV.
De Differentia.

TEXT. PORPHIR.

Differentia verò, & communiter, & propriè, & proprijssimè, dicitur, &c.

Breuis expositio textus.

INtentum Porphyrij in præsenti capite, est explicare naturam tertij prædicabilis, quod est Differentia. Diuiditur autem caput in duas partes: in quarum prima diuidit Differentiam quinque diuisionibus. *In Secunda*, eam definit quinque aliis definitionibus.

Prima diuisio est, Differētia vna est Cōmunis; alia Propria: & alia proprijssima. Communis differentia, est illa; qua aliqua differunt accidenti communi; vt albedo Petri, est differentia cōmunis, qua differt Petrus albus, à Ioanne nigro. Differētia propria est; qua differunt aliqua, accidenti inseparabili; vt albedo cygni; per quam differt à coruo. Propriissima tandem Differentia vocatur illa; per quā distinguuntur aliqua specie; vt rationale, per quod differt homo à leone.

Secunda diuisio differentiæ est, secundū officium proprium eius, quod est diuersum facere, & sic se habet, Differentia quædam est, quę facit diuersum Per se, vt essentialis: alia quæ facit diuersum Per accidens: vt accidentalis. Hæc diuisio, non est minus vniuersalis, quàm præcedens: quamuis duo tantum membra habeat: quia sub membro eius secundo continentur duo membra primæ, nempè differentia communis, & propria.

DVobus modis intelligi poteſt, in-
3 ſufficientem eſſe aliquam Diuiſionem: vel quia aliquod membrum ei deficit: aut quia aliud continet ſuperfluum. Vtroque autem modo inſufficiens probatur, hæc Diuiſio Differentiæ. Et primo, quod aliqua membra contineat, quæ non continentur ſub diuiſo, hoc arg. Diuiſum huius diuiſionis eſt tertiũ prædicabile: ſed Differẽtia communis, & propria, nõ pertinent ad tertiũ prædicabile, ſed ad quintũ: ergo non continentur ſub diuiſo. Probatur minor: quia Differentia communis, & propria, ſunt accidens ſeparabile, & inſeparabile: ſed hæc pertinent ad quintum prædicabile, vt notum eſt: ergo non poſſunt pertinere ad hanc diuiſionem.

Quod verò alia mẽbra ei deſint; duo-
4. bus aliis arg. probatur. Primo, quia Differentia indiuidualis, per quam differt vnum Indiuiduum ab altero, non eſt cõmunis, nec propria, cùm non ſit accidẽs, nec eſt propriiſſima: ergo non continetur ſub aliquo membro diuiſionis, ſed aliud pro illa addendum eſt. Probatur nõ eſſe propriiſſimam: quia Differẽtia propriiſſima eſt ſpecifica, vt docet expreſſè Porphyrius in eadem diuiſione: ſed indiuidualis non eſt ſpecifica, vt notũ eſt: ergo nec eſt propriiſſima Differentia.

Secundo. Propriæ paſſiones ſpecierũ, vt riſibilitas, faciunt differre eaſdẽ ſpecies accidenti inſeparabili: & tamẽ non ſunt differentiæ propriæ, ergo nec pertinent ad hanc diuiſionem. Conſequentia euidens eſt: quia non poſſunt ad duo alia membra pertinere: cùm nec ſint accidẽtia ſeparabilia, nec Differentiæ ſpecificæ. Item probatur minor: quia differentia propria, vt Porphyrius aſſerit, in explicatione quartæ diuiſionis, ſuſcipiunt magis, & minus; quod conſtat conuenire propriis paſſionibus ſpecierum.

Tenendum tamen eſt, Diuiſionem hanc
ſufficientem eſſe. Quod non ſolum proba- 5.
tur authoritate Porphyrij, & expoſitorũ omnium; ſed hac ratione. Sufficiens Diuiſio eſt illa, cui nullũ membrum deeſt, nec aliquid habet, quod nõ contineatur ſub diuiſo: ſed talis eſt hæc, ergo ſufficiens. Minor probabatur, ex ſolutione arg. *Et ad primũ*: quo probabatur cõmunem & propriam differentiam; non pertinere ad hanc diuiſionem: diſtinguẽda eſt minor: nam Differentia Communis, & Propria, dupliciter conſiderari poſſunt. Primò, vt ſunt accidentia quędam: & hoc modo pertinent ad quartum, vel quintum prædicabile. Secundò, vt faciũt differre vnum ab altero accidenti ſeparabili, aut inſeparabili: & hoc modo pertinent ad hanc Diuiſionem: cuius diuiſum non eſt tertium prædicabile; ſed quid vniuerſalius; nempè, Differẽtia ſecundum communem rationem, ad eſſentialẽ, & accidentalẽ, ſed tertium prædicabile, ſola propriiſſima conſtituit. Cæteræ verò explicantur, vt ex earum rationibus magis manifeſta fiat Differentia propriiſſima. Vnde non pertinẽt ad duo prædicabilia; ſed ad vnum tantum: quãuis in hoc tertio adducantur, ad faciliorem eius intelligentiam.

Circa Differentiam indiuidualem, de qua procedit primum arg. alterius partis, moderni quidam aſſerunt, eſſentialẽ eſſe: quia Indiuiduum, nõ poteſt ſine illa eſſe, nec intelligi: quod ſi verũ eſt; erit propriiſſima differentia. Sed probatur falſum, hoc arg. Eſſentialia, ea ſolũ appellãtur; quę prędicata ſunt, ex aliquo gradu ipſius eſſentiæ deſumpta vt rationale, ex gradu rationalitatis; & ſenſitiuũ ex gradu ſentiẽdi; ſed Differẽtia indiuidualis, nõ accipitur ex aliquo gradu eſſentiæ: ergo non eſt eſſentialis. Probatur minor: quia vltimus gradus eſſentiæ, aut

naturæ, est Differentia vltima; per quam constituitur vltima species: sed Differẽtia indiuidualis, determinat vltimā speciem iam constitutam, per vltimā Differentiam: ergo non potest esse essentialis, sed extra essentiam indiuidui.

6. *Et ita tenendum est*, modum potiùs substantialem esse, extra essentiam, aut naturam, quam determinat, atque cōstituit singularem, aut indiuiduum: & ideo non est Differentia propriissima: sed propter similitudinem, quam habet cū differentia specifica; reducitur ad propriissimā Differentiam. Quod verò sine illa non possit esse, nec intelligi indiuiduum; non probat esse essentialem: sed solum esse modū intrinsecum, naturam, vel essentiam determinantem: nam in relatiuis, notum est non posse vnum esse, nec intelligi, sine alio; vt patrem sine filio; & tamē vnum, non est de essentia alterius.

Circa proprietates denique specierū est *prima opinio* Soti, Mercati, & Canteri, in expositione textus, asserentium, non pertinere ad hanc diuisionem. Quod etiā videtur tenere, Toletus, in explicatione huius diuisionis. Et ratio eorum est: quia Porphyrius loquens, de Differẽtia propria; semper ponit exempla in proprietatibus Indiuiduorū; quibus indiuidua differunt, accidenti inseparabili. Et in quarta diuisione; vocat Differẽtias proprias, inseparabiles per accidens: quod non conuenit propriis passionibus specierum; quæ potius sunt inseparabiles per se.

Alij verò affirmant, proprias passiones specierum, reducendas esse ad Differentiam propriissimam: quia Porphyrius in 4. diuis. posuit exemplum Differentiarum inseparabilium, per se, (quas cōstat esse propriissimas) in propriis passionibus; vt in capacitate disciplinæ; ergo sentit esse differentias propriissimas.

Communis tamen sententia, & vera. duo asserit. Primum, *Proprias passiones specierum, propriè pertinere ad hanc Diuisionem aduersus primam sententiam.* Secundum *Non esse differentias propriissimas, sed proprias: & ideo in secundo membro diuisionis collocari, aduersus secundam. Probatur primò hoc argum.* Proprietates indiuiduorū, ideò sunt differentiæ propriæ; quia faciunt differre indiuidua, accidenti inseparabili: sed proprietates specierum, faciūt differre easdem species accidenti inseparabili: ergo sunt differentiæ propriæ.

Probatur secundò, Quòd non sint propriissimæ, testimonio Porp. & ratione. 7.
Porphyrius enim in secunda Diuisione, ita ait: *Vniuersaliter ergo omnis differentia addita alicui, alteratum facit: sed hæ quidem quæ communiter, & proprii sunt, alteratum faciunt: quæ verò propriissimè, aliud.* Sed propria passio speciei, facit alteratū, & non aliud: ergo ex mente Porphyrij, non est Differẽtia proprijssima, sed propria. Probatur *primum*, quia alteratum est accidentaliter diuersum, cùm alteratio sit motus circa Qualitatem: sed propria passio speciei, est verum accidens, & vera qualitas: vt risibilitas: ergo facit alteratū: Probatur *secundum*, quia illud est aliud ab altero; quod differt ab eo essentia, aut natura; sed propria passio, nō facit differre vnam speciem ab altera essentia, aut natura, sed quoddam accidēti proprio: ergo non est differentia proprijssima. Probatur etiam ratione: quia Differentia propriissima, est omniū maxima; cùm maximam efficiat differẽtiā, nempè essentialem, atque specificā: sed propria passio, non facit Differentiā essentialem, inter species: ergo non est maxima Differentia, nec erit Differentia propriissima.

Ad vltimum igitur arg. neganda est minor: quod propriæ passiones specierum,

non

non sint Differentiæ propriæ: & quod Prophyrius asserit. Differẽtias proprias, suscipere magis, & minus, non de omnibus intelligit; sed de his, quæ conueniũt indiuiduis, in quibus exẽpla posuit, potiùs quàm in propriis passionibus specierum; quia communiter sunt nobis notiores.

QVAESTIO II.

An Diuisio differentiæ, in Communem, Propriam, & Propriissimam, sit generis in species, aut analogi in analogata?

8. VT intelligatur difficultas quæstionis, supponendum est, tanquam certum apud omnes: membra huius Diuisionis, non conuenire in sola voce, sicut conueniunt significata nominis æquiuoci: sed etiam aliquo modo, in re significata: quæ est, esse Differentias, per quas vnũ differt ab altero. iste enim cõceptus, faciendi differre: communis est eis: vnde certũ est, apud omnes, Diuisionem non esse æquiuocam. Sed an sit Vniuoca, aut Analoga, in hoc consistit difficultas quæstionis.

Cuius solutio maximè dependet ex alia: nempe, an sumatur Diuisio realiter, hoc est, pro realibus differentiis, facientibus differre vnum ab altero, ante operationem intellectus: aut pro secundis intentionibus, seu differentiis realibus: non vt reales sunt, sed vt denominantur à secundis intentionibus: & ideo hoc in primis determinandum est.

Circa quod, duæ sunt opiniones. *Prima tenet*, Diuisionem non sumi pro differentiis realibus, vt reales sunt: sed pro eisdem, vt denominãtur à secundis intentionibus, vel pro eisdem secundis intentionibus, vt eas denominãt: quẽadmodum Genus, & Species, in suis definitionibus. Hæc est Caiet. cap. præsenti, quẽ sequuntur aliqui, ex recentioribus.

Probatur hoc arg. Quia si pro realibus differentia acciperetur, membra eius coinciderent: ita vt eadem Differẽtia esset Communis, Propria, atque Propriissima, & ideo nulla esset diuisio. Probatur antecedens. quia differentia albedinis respectu parietis, est communis, respectu cygni propria, & respectu sui propriissima.

Probatur secundò: Quia diuisum huius Diuisionis, est Differentia formaliter, & in cõmuni considerata: & membra sunt differentiæ particulares, etiam formaliter acceptæ: sed Differentia formaliter, est ens rationis, sicut Genus, & Species: ergo accipienda est Diuisio pro secundis intentionibus.

9. *Secunda opinio*, est communis, quod nõ pro secundis intentionibus accipiatur diuisio, nec pro differentiis, vt denominantur à secundis intentionibus: sed pro eisdem, secundum actus reales faciendi differre. Ita sentiunt Auicena, Albertus Magnus, Sotus, & plures moderni in presenti capite. *Et mihi videtur probabilior sententia.*

Probatur testimonio Porphyrij, & ratione. verba Porphyrij sunt: *Differentia quæ alicui adiuncta, facit illud diuersum ab alio, vna est cõmunis alia Propria, Propriissima altera.* Sed alicui coniungi, & illud facere diuersum ab altero, nõ conuenit secundis intentionibus, nec differẽtiis, vt ab eis denominantur; sed actus reales, ~~ut sunt~~ faciẽdi differre vnum ab altero realiter: ergo realiter in Diuisione accipiuntur à Porphyrio, & non pro secundis intentionibus.

10. *Ratio verò talis est*: Differentiæ istę possunt sumi, vt prædicabiles sunt, vel vt faciunt differre vnum ab altero: & in prima consideratione, non pertinẽt ad ter-

tium prædicabile, sed ad quartũ, & quintum: cùm prædicentur in Quale accidẽtale, & nõ in Quale quid: in secunda verò non possunt sumi; vt denominantur à secundis intẽtionibus: quia actus faciẽdi differre vnum ab altero, realis est, & ante operationem intellectus eis conuenit; imò sine vlla dependẽtia ab intellectu: vt patet in albedine; quæ sine dependentia ab intellectu, facit differre hominem album à nigro: ergo nõ potest sumi Diuisio hæc, pro secundis intẽtionibus.

Ad primum arg. respondeo, Membra bonæ Diuisionis, concidere posse in eadem re; dummodo distinguantur ratione formali: quod patet in Diuisione, boni, in Honestum, Vtile, & Delectabile: cuius membra in virtute realiter coincidunt; sed satis est, distingui rationes eorũ formales: quia alia est ratio honestatis, alia vtilitatis; & alia delectabilitatis, in eadem virtute. Ita ergo Differentia Communis, Propria, & Proprijssima, coincidunt in eadem re; sed semper habent rationes formales distinctas: quia alia est ratiò eiusdem differentiæ albedinis; vt Communis est differentia: alia; vt est Propria, aut Propriissima.

11. *Ad secundum*, Distinguenda est maior: quia ratio formalis Differentiæ duplex est vna est ratio prædicabilis; alia est ratio faciendi differre: dum ergo dicitur; Differentiam in hac diuisione, sumi formaliter: si sensus sit de ratione formali prędicãdi; falsum est antecedens: si verò de ratione formali faciendi differre, verum: sed nunc neganda est minor; quod Differentia hoc modo considerata, formaliter sit ens rationis: est enim reale potius, per realem actum faciendi differre vnum ab altero.

Hoc iam supposito, de alio agendum est; quod principaliter quæritur: an diuisio sit Vniuoca, vel Analoga. Et est *prima opinio* eorum, qui tenent diuisionem sumi, pro secundis intentionibus, & proptereà esse Diuisionem Vniuocam generis in species; ita, vt Differẽtia in communi, prout denominatur à secũda intẽtione. Genus sit ad Differentiam Cõmunem, Propriam, & Propriissimam, pròut denominantur etiam à secundis intentionibus consideratas.

Probant ex Porphyrio, qui in textum, vocat membra huius Diuisionis tres species Differentiæ: sentit ergo diuisam esse tanquam genus in suas species.

Deinde ratione: quia licet sumpta Diuisione realiter, non possint mẽbra eius vniuocè conuenire: cùm sola Differentia Proprijssima, faciat differre simpliciter, cæteræ verò, nõ nisi secũdum quid: quia solum faciunt differre accidẽtaliter: nihilòminus, vt denominantur à secunda intentione Differẽtiæ: æqualiter cõuenit illis ratio Differentiæ: sicut ratio Generis, pro secunda intẽtione, æqualiter cõuenit generibus substãtiæ, & accidentis.

Secunda sententia est aliorum omnium, qui tenuerunt Diuisionem hãc sumi realiter à Porphyrio, & consequenter asserũt, esse Analogi in analogata: quod etiam tenet Caiet. quamuis sentiat sumi pro secundis intentionibus. *Et hæc est probabilior sententia.* 12.

Itaque duo asserimus. *Primum est.* Di*uisionem sumptã realiter, esse Analogi in analogata*, quod concedunt auctores vtriusque opinionis. Et probatur euidenter: quia illa quæ differunt substantialiter, differunt simpliciter: quæ verò differunt accidentaliter, differunt secũdum quid: sed sola Differentia Proprijssima, facit differre substantialiter, duę verò, alię solum accidentaliter: ergo in ratione faciendi differre realiter: non vniuocè, sed solùm analogicè conuenire possunt.

Secundò asserimus, Quod, etiamsi accipia-

piatur Diuisio pro secundis intentionibus,aut pro differentiis, vt ab eis denominantur: nó est Generis in species, sed Analogi in Analogata,vt asseruit Caiet. Quod probatur hoc arg. Membra huius diuisionis,vel considerantur sub ratione prædicabilis; vel sub ratione faciendi differre;& in prima consideratione, Cómunis,& Propria, non pertinent ad tertium Prædicabile:quia non prædicantur in Quale quid;sed ad quartum, & quintum:cùm prædicentur in Quale accidétale,proprio, vel communi. Et certè, si in ratione prædicabilis Differentia in communi esset Genus; & membra essent Species;distinguerentur specie, in ratione prędicabilis:&ideo duo,aut tria prędicabilia Differétiæ essent multiplicanda.In secunda verò,non denominantur à secúdis intentionibus: quia facere differre accidenti proprio,aut cómuni nó dependet ab intellectu:sed est actus realis,ante operationé intellectus eis conueniens:in quo non possunt vniuocè cónuenire cũ Differentia Propriissima; quia istæ non faciunt differre,nisi secundum quid,& per attributionem ad Differentiam propriissimã; quæ sola facit differre substantialiter,&simpliciter:ergo repugnat membra huius Diuisionis habere conuenientiam vniuocã. Sed etiamsi in ratione faciendi differre, denominarentur à secundis intentionibus; non possent conuenire vniuocè. Probatur: quia facere differre in cómuni sumptũ, Analogum est:cum primo,& per se conueniat Differentiæ propriissimæ, faciéti differre substantialiter:& solùm secundùm quid,cæteris faciétibus differre accidentaliter,ergo nec secundæ intétiones denominantes hæc membra,possunt conuenire vniuocè.Probatur consequétia: quia vna est ratio faciendi differre simpliciter: alia faciédi differre secúdũ quid: ergo sicut facere differre in cómuni est Analogum;sic etiam ratio faciendi differre in communi,erit Analoga.

Ad testimonium Porphyrij,pro alia sététia,facilè respondeo tres species Differentiæ,appellasse membra huius diuisionis;id est,tres modos differentiæ; non propriæ de Specie loquens;sed per similitudinem. 13.

Ad arg. Negandum est antecedens ex ea parte:qua dicit membra huius Diuisionis,vt denominantur à secundis intentionibus vniuocè cóuenire:quia nec denominantur ab illis; cùm non pendeant ab intellectu,in ratione faciendi differre:& etiamsi donominarentur;non possent vniuocè denominari: quia conceptus faciendi differre, quantumcumque abstrahatur;non potest æqualiter participari ab his,quæ non faciunt differre, nisi accidentaliter: & ab eo, quod facit differre substantialiter; sicut conceptus entis;non potest abstrahi; quia diuerso modo participalis sit, ab ente simpliciter;quod est substantia;& ab ente secundum quid; quod est accidens.

Et si dicatur, verum hoc esse, si membra Diuisionis accipiantur realiter; sed vt denominantur à secundis intentionibus,æqualiter eis cóuenire rationem communem faciendi differre: sicut Generibus Substantiæ, & Accidentis,vt animali,& colori, vniuocè cóuenit ratio Generis, quia æqualiter denominantur à secúda intentione: quãuis sumpta realiter, nihil commune vniuocũ habere possint.Respondeo,diuersam esse rationem de Generibus,& differentiis, sub ratione faciendi differre sumptis: quia Genera Substantiæ,& Accidentis, eodé modo sunt in multis speciebus, & de illis prædicãtur in Quid: & ideo vniuoca est eis denominatio vniuersalis,&Generis à secúda intétione:sed differétiis substantia- 14.

stantialibus, & accidẽtalibus, nõ potest esse vniuoca, ratio faciendi differre, sed semper est inæqualis: quia simpliciter à Propriissima, tanquam à substantiali, & secundum quid, participatur ab aliis, tãquam ab accidẽtalibus: sicut ratio Entis, à Substantia, & Accidenti. Vnde quantũcunque abstrahatur, aut consideretur in ordine ad secundas intentiones, semper adducit secum inæqualitatem, & Analogiam.

QVAESTIO III.

An verum sit Genus sumi à materia, & Differentiam à forma, & quomodo intelligendum?

15. His locutionibus, Genus sumitur à materia. & differentia sumitur à forma vtitur Arist. 8. Meta tex. 9. vbi inquit: *Aliquid de aliquo significat ratio definitiua & oportet, hoc quidem, vt materiam, illud verò, vt formam esse.* Et eas sumpsit ab eo tota schola, præcipuè D. Tho. in opusc. de ente & essentia. c. 7. & 9. & 1. p. quæst. 85. art. 5. ad 3.

Sed hoc arg. probantur falsæ. Multa sunt, in quibus dãtur vera Genera, & veræ Differentiæ, quæ non possunt sumi à materia, nec à forma: ergo locutiones istæ non sunt vniuersaliter veræ. Probatur antecedens: in Angelis, in quibus est, aut esse potest distinctio specifica: ergo verum Genus, & vera Differẽtia: sed nõ habent materiam, nec formam, à quibus sumantur, cùm sint substantiæ spirituales, & simplices, hoc est non compositæ ex materia, & forma: ergo non est verum. Genus sumi à materia, & Differentiam à forma.

Tota difficultas huius quest. consistit in explicandis his locutionibus. nam ex earum explicatione cõstabit, in quo sensu veræ sint. Tria autem sunt, in quibus reperiuntur Genus, & Differentia, nempe substantiæ Corporeæ, substantiæ Spirituales, & Accidentia: ideò de singulis eodem ordine explicandum est, quomodo, à quo in eis sumatur Genus, & Differentia.

Et primò, de Substantiis Corporeis, in quibus, vt veritas harum locutionum intelligatur, tria sunt notanda. Primum 16.
est, Compositionẽ speciei ex Genere, & Differentia, non esse Physicam, sed Metaphysicã: & ideo, nõ est ex rebus, sed ex conceptibus, non quidem formalibus: quia conceptus formales, sunt Qualitates, & accidentia in intellectu inhærentia, sed obiectiuis, qui repræsentantur per formales: vt cõpositio hominis, nõ est ex cõceptibus formalibus Animalis, & Rationalis, in intellectu existentibus, sed ex gradibus naturæ Sensitiuæ, & Rationalis, qui per ipsos repræsẽtãtur. Vnde Genus, & Differentia, non sunt diuersæ res, etiam partiales, sicut materia & forma: nec ex eis componitur aliqua tertia res, distincta à quolibet, sicut cõponitur ex materia, & forma, tertia quędam res Physica, distincta realiter ab vtraque, quamuis non ab eisdem simul sũptis, & vnitis: sed Genus & Differentia, sunt diuersi cõceptus obiectiui, eiusdem rei: & species ex eis composita, non est res distincta ab vtroque, nec à quolibet eorum: sed conceptus quidam obiectiuus totalis, & completus, ex conceptibus Generis, & Differentiæ compositus.

Secundò notandum est, Conceptum Generis, & Differentiæ, sic se habere, vt ille 16.
sit potentialis, atque imperfectus, determinabilis tamen, & perfectibilis, per conceptum Differentiæ, & conceptum Differentiæ habere modũ actus, cũ determinantis atq; contrahentis. Vnde sequitur, Genus ex imperfectiori gradu naturę desumi, Differentiã verò, ex perfectiori:

fectiori: & quia radix totius potentialitatis in rebus materialibus, est materia: quæ in sua essentia nullum habet actum, sed est pura potentia determinabilis per formam: tanquam per proprium actum, & radix totius actualitatis, est forma, per quam determinatur materia ad talem Speciem: ideò dictum est ab Arist. Genus sumi à materia, & differentiam à forma: quod solùm intellexit in rebus materialibus: in quibus compositio Metaphysica ex Genere, & Differentia, præsupponit, tanquam fundamentum, Compositionem Physicam, ex materia, & forma.

Tertiò, notanda est differentia, quam ponit D. Tho. vbi supra, inter Materiam, & Formã, ex vna parte, & Genus, ac Differentiam, ex alia: quod illæ, solum habent modum, & officium partium: & ideo nunquam prædicantur de toto: nunquam enim verum est; Hominem esse animam, aut corpus: sed Genus & Differentia vtrumq; habent respectu speciei; nempe rationem totius, & partis. Et huius ratio est: quia duo officia exercẽt respectu illius; Prædicatorum, Vniuersalium, & Partium; vtrumque enim per se sumptum, prædicatur de Specie: & ex eisdem, tanquam ex partibus simul concurrentibus, componitur. Vnde, cùm componere sit officium partis; & ex alia parte, nihil prædicetur de altero, formaliter, per modum partis; sed per modum totius: sequitur quòd Genus, & Differẽtia; vt componunt speciem; habeant modum partis: & vt prædicantur de illa, modum totius: Genus quidẽ modum totius potentialis: Differẽtia verò, modũ totius actualis: ita vt Genus proprium gradum imperfectæ naturæ actu includat: Differentiam verò solùm in potentia: & Differentia vtrumque gradum actu; sed genericum quasi presuppositum; & pro materiali: proprium verò, pro formali: vt Animal, gradum naturæ sensitiuæ, actu, & rationalis in potentia: rationale verò, gradum naturæ sensitiuæ pro materiali; & quasi præsuppositum: gradum verò naturæ rationalis, formaliter.

Vltimò notandum. Quod compositio speciei, potest dupliciter considerari: in Fieri, & in Facto esse: vel clarius, dum fit, 18.
vel dum iam est facta: & si consideretur in Fieri: verum est Speciem componi ex Genere, vt genus est formaliter: hoc est, vt totum potentiale; & ex Differentia, vt totum actuale: sed in Facto esse, nõ componitur ex Genere, vt genus est: nec ex Differentia, vt differentia est: sed ex Natura generica, & differentiali, tanquam ex partibus. Et ratio huius est; quia licet Genus in principio compositionis, sit totum potentiale, tamen dum iam est actu coniunctum cum Differentia, coarctatũ est, atque determinatum: ita vt ad alias species, vt sic, non se extẽdat. In quo differt à Materia: quæ etiam dum est coniũcta vni formæ, habet potentiam ad alias: sed Genus, vt iam actu coniunctum vni differentiæ; non habet potentiã ad alias: & ratio huius differentiæ est: quia potẽtia Materiæ, ad omnes formas est naturalis; & ideo non amittitur per coniunctionem cum vna, aut altera forma: sed potẽtia Generis, prouenit illi ex eo, quod tali modo concipitur ab intellectu, nẽpè per modum habentis, sed imperfecti, & perfectibilis per aliud; quod est concipi vt totum potentiale: quando verò actu coniungitur ab intellectu cum Differentia, alio modo concipitur: non quidem per modum habentis, sed per modum actualis componentis, hanc Speciem determinatam; & pertinentis ad naturam eius, cum qua idem est: quia Animal in homine, Homo est; vnde vt sic conceptũ; limitato modo; nõn habet potentiam, vt coniungatur Differentiæ Leonis. Itaque

potentia generis, solum proueniebat ei, ex eo, quod concipiebatur per modum totius contrahibilis: sed dum iam considderatur actu coniunctũ cum Differentia, non permanet idem modus concipiẽdi, sed alio modo diuerso concipitur: ergo non permanet eadem potentia: quæ tamen permanet in Materia: quia eam habet à natura, & natura non variatur.

19. Ex tota hac doctrina, sequuntur duæ conclusiones; quibus respondemus, ad primam partem quæstionis. *Prima conclusio est. In rebus materialibus, prima radix totius potentialitatis est Materia: & prima radix totius actualitatis Forma. Secunda conc. Et ideò verum est in eis Genus sumi formaliter, à tota ipsa natura; vt concipitur sub gradu imperfecto, & perfectibili per Differentiam, radicaliter verò à Materia. Et Differentiam sumi formaliter etiã à tota natura, vt concepta sub gradu perfecto, radicaliter verò à forma. Prima pars*, per se nota est in rebus Physicis: quare nõ indiget probatione. *Secunda* vero probatur: quia propria & formalis ratio Generis Metaphysici, est esse totũ potẽtiale, contrahibile per differentias oppositas; & propria ratio Differentię est, esse actũ, per quẽ idẽ Genus, contrahitur ad constituendam speciem: & vtrumq; est Prædicatũ Vniuersale Speciei: quod necesse est, totũ continere; quod speciẽ, secũdum propriũ modum: Genus quidẽ, actu simul, & potentia; Differentiã verò actu: licet diuersa ratione, atque species continet. Vnde necesse est vtrumque sumi à tota natura Speciei, formaliter; radicaliter verò à Materia Genus, & Differentiã à Forma. Quia verum est, primam radicẽ Generis, in rebus esse Materiã, & primã radicem Differentiæ Formam; in quo sensu, dictum est ab Ari. & à cæteris omnibus intellectum; quod Genus sumatur à materia, & Differentia à forma: in rebus quidem materialibus; in quibus solũ potest esse verum. Et ex hoc solutum est argum. in principio propositum.

Secundo, explicandum est breuiter; à quo sumatur ratio Generis, & Differentiæ, in substãtiis spiritualibus. In quibus certum est, nõ sumi à materia, nec à forma; cũ eas non habeant: dicimus ergo, etiã in his sumi Genus ab aliquo, habẽte similitudinem materiæ; & Differentiam, ab aliquo habente similitudinem formę. Quod hoc modo intelligendum est. 20.

Actualitas, atq; perfectio essentiæ creatæ: per quã est, & fit extra causas; est esse actualis existẽtiæ realiter: aut sola ratione ab eadẽ essentia distinctum. Vnde, quo magis gradus essentiæ, aut essentialia prædicata, proxima sunt eidem actui; perfectiora esse intelligũtur: & ideo magis habere de actu; & minus de potentia: & quo magis ab eo distant, minus actualia, & magis potẽtialia. Gratia exempli, inter gradus essentiales hominis, proximè accedit ad actum essendi Rationalis; quia ei conuenit proximè, aut immediatè per existentiã: vltimus gradus essentialis perfectionis est; vltra quem non est alius; sed solũ substãtialis modus, actualis existẽtiæ. Gradus verè Animalis, minus proximè: & remotissimè gradus Substantiæ: quare gradus iste, erit magis potentialis, cùm magis distet ab actu. Cùm ergo Genus sit potentialę quid, atq; contrahibile per Differentias: & Differentia actus, per quem Genus contrahitur; primum Genus cuiuslibet Speciei, substantialis, à tota ipsa essentia, secundum gradum substantiæ sumitur, tanquam à prima potentia in Genere Metaphysico, materię simili: & sic de cęteris generibus intermediis, secundũ maiorem, vel minorem approximationem ad Speciẽ vltimã; quæ proxima est actuali existẽtiæ. Vt genus Corporis, etiã à tota ipsa natura homi-

hominis, sub gradu corporietatis accepta, & Genus Viuentis, à tota natura sub gradu vitæ concepta; & tandē Genus Animalis, à tota natura sub gradu sentiēdi: & hoc est vltimū genus; cū vltra illud, nullus sit alius gradus potētialis naturę, sed infimæ tantum Species. Vltimus verò gradus, secūdū quem eadē natura hominis proximè capax est actualis existētiæ, Rationalis est: vnde cum Differentia sit actus, contrahēs genus; à tota natura hominis, sub gradu Rationalis cōsiderata, sumitur tanquam ab actu, formæ simili: sicque de cæteris Differentijs specierum.

22. *Ex his intelligitur*, quonam modo accipiantur Genus, & Differentia in Angelis. Conueniunt enim cum corporibus, in gradu substantiæ remotissimo ab actuali existentia: & ideo primum Genus eorum à tota ipsa natura spirituali, sub gradu Substantiæ, maximè potentiali, materiæque simili, sumitur, Secūdum verò, à tota eadē natura, sub gradu spirituali, aut incorporeo, adhuc omnibus cōmuni, sed minus remoto ab actuali existentia. Et si quæ sunt alia Intermedia genera, nobis incognita, eodem modo sumūtur à tota natura, sub aliquo gradu concepta, magis, aut minus remota ab existentia. Differentia vero, à tota etiam natura, sub gradu proximo, eidem actuali existētiæ. Loquor autem de Differentia vltima: nā subalternæ, Intermedia genera contrahentes, tanquam imperfectiores, ab alijs gradibus naturę imperfectioribus sumūtur: quemadmodū Differentiæ, Substātiæ corporeæ, quod facile potest intelligi.

De Accidentibus tandem dicimus, Esse in duplici differentia: nam quædam sunt Relatiua, de quibus in prædicamento Ad aliquid dicetur, quonā modo, vel à quo Genus, & Differentiā sumant. Alia vero absoluta, de quibus illud est certum: quod essentialis sit eis attributio ad substantiam, cum aliquid eius sint: & non tā Entia appellentur, quam Entis Entia: hoc est substantiæ: cui inhærere nata sunt ex propria natura. Primum igitur eorū genus, sumitur à gradu Essendi, quem participat, ab Ente vniuersalissimo, cum attributione ad substantiam, tanquam remotissimo ab actuali existentia: & ideo magis potentiali, ad similitudinem materiæ. Vt primum Genus Quantitatis; à gradu, seu modo extendendi substantiā, & alia intermedia Genera, ab alijs gradibus, secundum proportionem iam explicatam.

Differentia verò, desumitur per ordinem ad proprium principium, aut causā, à quo causatur: quod in proprijs passionibus manifestum est: nam Differentia Risibilitatis, per ordinem ad Rationalitatem, ex qua tanquam ex proprio principio, naturaliter procedit, desumenda est: & sic de cæteris. Et eodem fere modo in Accidentibus communibus: quia licet plura habeant Subiecta: semper tamen habent aliquam propriam causam in eis, ad quam ordinantur, & per ordinem ad illam, sumitur differentia eorum: & hæc est caussa, propter quā semper, & necessario definiuntur Accidentia per Subiectum: siue in Concreto, vel in Abstracto definiantur: quia tam in Genere, quam in Differentia eorum, essentialiter includitur ordo ad Subiectum: quem vocare solent Inhærentiam aptitudinalem.

QVAESTIO IIII.

An compositio Speciei ex Genere, & differentia, sit realis, vel tantum rationis?

DE Specfebus naturæ realis procedit quæstio; an cōpositio Metaphysica earum sit realis, rel rationis: vt cōpositio hominis, ex animali, & rationali: 22.

nam de Speciebus, quæ reperiuntur in Entibus rationis certum est non esse reales: quia natura Entis rationis nō est realis, sed facta ab intellectu: ergo nulla cōpositio in ea fieri potest, quæ sit realis.

Ad compositionem verò realem, duæ sunt cōditiones necessariæ, & quæ sufficiunt, vt talis dicatur. *Prima est*, quòd partes, aut componētia sint realia, probatur: quia ex compositione reali, aliquid etiam reale debet resultare: sed si componentia non sint realia; nihil reale ex eorum compositione resultabit; vt notum est: ergo realia esse debent.

Secunda conditio est; quòd sint distin-
23. cta realiter, aut ex natura rei: nam si solum per intellectum, non efficient compositionem realem; sed rationis tantum: & huius ratio est, quia compositio est, quasi vnio multorum; si verò multa hæc non distinguuntur realiter: non erunt multa realiter: ergo non efficient compositionem realem.

Et de prima conditione certum est, apud omnes, concurrere in compositione Metaphysica Speciei, ex Genere, & Differentia: nam conceptus obiectiui ex quibus fit, sunt gradus naturæ genericæ, & differentialis, qui verè sunt reales: vt gradus naturæ sensitiuæ, quem dicit animal; & gradus naturæ rationalis, quem dicit rationale; reales sunt: ergo componentia sunt realia.

Ad secundam igitur conditionem, re-
24. ducitur tota difficultas quæstionis; an gradus isti, vel conceptus obiectiui, sint realiter distincti: nam si distincti fuerint realiter; realis erit compositio: si verò distinguantur sola ratione; non erit compositio realis; sed rationis. Quandoquidem distinctio triplex est; vna realis, alia ex natura rei, & tertia est distinctio rationis. Realis dicitur illa, quæ est inter duas res; vt inter Petrum & Ioannem. Distinctio ex natura rei, ponitur inter rem, & modum eius: vt inter punctum, & lineam, vel etiam ponitur ab aliis, inter rationes formales, eiusdem rei, verum distinctas ante operationem intellectus: vt inter actionem, & passionē; quæ sunt idem motus realiter; ponit Scotus distinctionem ex natura rei: quia asserit distingui rationem formalem actionis, & passionis, ante operationem intellectus: Distinctio verò rationis, vocatur ab omnibus illa; quæ non est inter aliqua distincta à parte rei; sed fit ab intellectu.

His suppositis: duæ sunt opiniones: *prima* Scoti, in 2. d. 3. quæst. 1. & 7. Metap. q. 16. vbi affirmat gradum Generis, & Differentiæ, distingui ex natura rei in quantū sunt rationes formales distinctæ, ante operationē intellectus: & cùm ex eis fiat compositio Speciei, consequēter debet concedere, talem compositionem esse realem; si nō ex rebus diuersis, saltem ex rationibus formalibus eiusdē rei; ante operationem intellectus distinctis. Scotum sequūtur Antonius Andreas, in 2. loco citato, Ferra. 1. lib. contra gentes ca. 24. & 42 Fonseca 2. lib. Metaph. ca 2. textu 11. & lib. 4. cap. 2. q 4. sectio. 3.

Probatur primò; Quia gradus differentialis, realiter perficit gradum genericū, 25.
& non tantum per intellectum; ergo Differentia ex natura rei contrahit genus; sed contrahere Genus; est componere cū eo speciem: ergo realiter componit speciem: quare erit compositio realis. Vtraque consequētia potest probari, hoc exemplo: Quia gradus rationalitatis, perficit gradum naturæ sensitiuæ, & perficit perfectione reali: quia natura sensitiua, magis perfecta est realiter in homine; quam in animali: ideò realiter dicitur contrahere genus: quia cōtrahere, nihil aliud est, quam determinare, atque perficere.

Secundo Probatur, Quia si rationale nõ esset distinctum realiter ab animali, nõ esset distinctum realiter ab equo: consequens est falsum: ergo etiam antecedens. Probatur consequentia: nam quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: si ergo rationale est idem cum animali, ergo etiam hinnibile, quod est Differentia equi, erit idem cum eodem animali. Et ita rationale, & hinnibile, erũt idem realiter; & consequenter rationale, & equus; quod patet esse falsum. Et confirmari potest: quia ea distinguuntur realiter, quorum vnum potest separari ab altero: sed quælibet Differentia, potest separari à Genere; & separabitur; si species quam constituit pereat: ergo distinguitur realiter ab eo.

Secunda opinio tenet, Gradum Generis, & Differentiæ, aut cõceptus obiectiui vtriusque, nec distingui realiter, nec ex natura rei, sed tantum per intellectũ: & ideo tantum Distinctione rationis. Et consequẽter compositionem speciei, nõ esse realem, sed factam ab intellectu. Hæc est D. Thom. in opusc. de ente, & essentia, cap. 4. 7. Meta. lect. 4. & 1. part. quæst. 50. art. 4. ad 1. & quæ. 76 art. 3. ad 4. quam sequuntur Alexan. Alens. 7. Meta. tit. 11. & li. 5. tit. 10. Duran. in 2. d. 3 quæst. 2. nu. 14. Herueus, quodlib. 1. q. 9. Greg. in 1. d. 38. & ibidem Gab. cum cæteris Nominalibus. Capreol. in 1. d. 8. q 2. art. 3. § ad 1. dubiũ. Soncinas 7. Met. quæst. 36. Caiet. de ente & essentia, ca 4. quæst. 36. Iauel. ibidem. q. 18. Niphus in elucidario lib. 7. dispu. 15. cap 3. & 4. Sotus q. 1. vniuersalium, conclu. 3. & quæst. 3 art. 2. Toletus quæ. 3 vniuersalium. *Et est communis iam in schola, & vera.*

26. Sed explicanda prius est, deinde probanda: & pro eius explicatione notandũ *primò*, Compositionem Speciei, ex Genere, & Differentia, Metaphysicam esse, & non Physicam: & ideo non fieri eis, tanquam ex diuersis rebus, vt fit compositio Physica, ex materia, & forma, quæ sunt res diuersæ: sed tanquam ex diuersis gradibus essentialibus, eiusdem rei: vt compositiò hominis, ex gradu naturæ sensitiuæ, & rationalis. Quare de compositione Physica, non est dubium; quin sit realis: sed de compositione Metaphysica, maxima dubitandi ratio esse potest: quia non est certum; an gradus isti aut conceptus, distincti sint ex natura rei, vel solũ distinguantur per intellectum.

Secundo notandum Genus, & Differẽtiam, tribus modis sumi posse: *Primò*, vt sunt in diuersis Speciebus, & indiuiduis: vt animal in Leone, aut hoc Leone; & Rationale in Homine, & in hoc, aut illo Homine. Et hoc modo, certum est, nõ solum ex natura rei, sed realiter distingui: nam Animal, quod est in Homine, aliud est essentialiter, ab Animali; quod est in Equo: quia per coniunctionem cum Differentia Equi, fit equus: licet vt abstractũ à Differentiis, sit vnum & idem, vnitate solum Generica: quæ non tollit distinctionem specificam, quam habet in diuersis Speciebus, per diuersas Differentias: vt Animal, quod est in hoc Homine: & Animal, quod est in hoc Leone; distinctam habent entitatem realem. *Secundo modo*, sumũtur, prout sunt in eadem specie, aut in eodem indiuiduo, vt in Homine, Animal, & Rationale, & in Petro, hoc Animal, & hoc Rationale. *Tertiò*, prout Genus consideratur abstractũ ab Speciebus, & Differẽtiis, & vt contrahibile per eas: & hoc modo; dicitur esse extra rationem differentiarum; quia eas nõ inclũdit actu, sed gradum proprium suę naturæ: vt animal abstractum, solum actu includit gradum naturæ sensitiuæ, non rationalis, aut irrationalis, nisi in potentiæ tantum. Et de gradu Generis, & Differẽ- 27.

tię, his duobus modis postremis sumptis affirmat Scotus, ante operationem intellectus, & ex natura rei distingui; sed negat D. Th. & qui eum sequuntur: & asserunt solum distingui per intellectum; & ideo solum ratione.

Tertiò notandum, Quod licet Scotus, & alij sentiant, gradus omnes genericos, & differētiales, eiusdem Speciei, à diuersis formis substantialibus procedere, tamē D. Tho. cuius sententia communis est iam in schola, tenet ab eadē forma substātiali promanare, vt omnes gradus essentiales hominis, nempe gradum Substantiæ, gradum Corporis, gradum Viuentis, gradum naturæ Sensitiuæ, & Rationalis, ab eadem anima rationali procedere, nec esse aliam formam substantialem in homine. Cùm tamen Scotus, pro gradu Substantiæ, & gradu Corporis, ponat vnam formam substantialem; quam vocat formam Corporietatis; & pro reliquis gradibus inferioribus, aliam distinctam realiter, nempe animam rationalem. Et hæc diuersitas Formarum, videtur arguere Distinctionem aliquam, ex natura rei, inter gradus essentiales, ab eis prouenientē. Sicut Idētitas formæ substantialis, apud D. Tho. arguit Identitatem eorum.

18. *His prænotatis*, probatur cōmunis sententia duplici arg. *Primò*. Quia si Genus distinguitur ex natura rei, à Differentiis; aut distinguitur vt abstractū ab eis, hoc est tanquam gradus Vniuersalis, à particularibus, vt animal in communi, ab Equo, & Leone; vel vt contractum in Speciebus, & indiuiduis; vt in Petro hoc Animal, & hoc Rationale, sed neutro modo distingui potest: ergo non distinguūtur isti gradus ex natura rei. Maior est necessaria: quia his tantum duobus modis considerari possunt; in ordine Metaphysico, vt notauimus. Minor verò probatur: nam si distinguuntur tanquam Vniuersale à Particularibus; ergo datur Vniuersale ante operationē intellectus: quod superius probauimus falsū. Quod verò non possint distingui tanquam diuersi gradus, singularizati in Petro; probo, Quia in vno indiuiduo, tātum datur vna Differētia indiuidualis, realiter; per quam omnes gradus generici, & differētiales, fiunt singulares, (licet vnicuique gradui correspondeat sua Differētia indiuidualis, sola ratione distincta, vt gradui Corporis, hoc Corpus; & gradui Animalis, hoc Animal, &c.) sed gradus omnes, & singuli, sunt idem ex natura rei, cum Differentia indiuiduali Petri, eos contrahente: ergo sunt idem inter sese. Probatur minor: nam si ex natura rei distingueretur: eodem modo sequeretur dari Vniuersale ex natura rei, & ante operationem intellectus, distinctum à singulari.

Secundò; Omnes isti gradus generici, & differentiales, tribuūtur ab eadē forma substantiali: omnes sumuntur ab eadem natura reali: imò omnes reperiuntur, in eadem forma Physica, quæ est eadem Entitas simplex: ergo nō possunt distingui, nisi à solo intellectu. Consequētia euidens est. Quia in eadem Entitate simplici, in eadem essentia, & natura, nihil potest esse distinctum ex natura rei. Quocirca probatur Antecedens: quia ab eadem natura humana reali, sumūtur omnes gradus generici, & differentiales, à Substantia vsq; ad naturam Sensitiuam & Rationalem: omnes etiam in eadem natura reali Petri reperiuntur, cum qua eadem res sunt: omnes deniq; in eadem Entitate simplicissima animæ rationalis, in qua fundantur, existunt: nam eadē est forma substātialis Corporea, Vitalis, Sēsitiua, & Rationalis: ergo sicut gradus isti Physicè loquendo, nō possunt distingui, nisi

nisi ab intellectu, ita multò minꝰ distin-
29. gui poterūt Metaphysicè eos accipiēdo.

Sed non distinguuntur, nisi sola ratione; explicandū est, qua distinctione rationis: quia duplex dari solet, Vna habēs fundamentum in re ipsa concepta; quæ appellatur distinctio rationis Ratiocinatæ, alia in solo intellectu, imperfectè cōcipiente, hoc est, per plures cōceptus, ea, quæ per vnum concipi possunt, quam vocant distinctionem rationis Ratiocinantis, vt ea qua distinguitur Petrus à seipso, in hac prædicatione identica, Petrus est Petrus. Respondeo distingui Genus à Differentia, Distinctione rationis Ratiocinatæ. Et ratio est manifesta: quia in eadem essentia specifica, reperitur vterque gradus, & secundum eos habet operationes realiter distinctas Vt Homo, secundum gradum Genericum animalis habet operationes sensitiuas, vt videre, & audire: & secundum gradum Differētiæ, habet operationes rationales intellectus, & volūtatis: ergo habet fūdamētū ex parte sua, vt intellectus distinguat in ea gradum genericum à differentiali. Verum quidem est, quòd intellectus noster, nō distingueret hos gradus, nisi imperfecto modo cognosceret: sed nec sufficeret imperfectus modus cognoscēdi, nisi in re ipsa daretur fundamentum, & cum non detur in Petro fundamentum distinguendi eum à seipso, nō potest intellectus tali distinctione eum distinguere; sed solum alia, minori, quæ vocatur rationis Ratiocinantis.

30. Ex his omnibus colligitur hæc conclusio, qua respondetur quæstioni. *Licèt compositio Speciei, ex Genere & differentia, realis sit, ex parte componentium realium, tamen ex parte distinctionis eorum, non est realis, sed rationis: & cum vtraque conditio necessaria sit ad realem compositionem nempe componentia esse realia, & realiter, aut ex natura rei distincta, simpliciter loquendo, nō est compositio realis vocanda, sed rationis facta ab intellectu: eodem modo, quo fieret ex natura rei, si gradus genericus, & differentialis essent distincti ex natura rei.*

Ad primum arg. negandum est Antecedens, quod gradus differentialis perficiat genericum, ex natura rei: nam cum non sint distincti ex natura rei; sed idem; nec ex natura rei coniungi possunt: & ideo nec vnus perficere alterum: nam si non sunt distincti nō erunt vnus, & alter: solum ergo perficit illum supposita distinctione facta ab intellectu, inter eos: & ideo, solum per intellectum vnus perficit alterum: sicut solum per intellectum distinguentem eos, coniungitur illi. Itaq; realis est perfectio, quam habet gradus genericus, in specie, per gradum differentialem; & non Ens rationis: sed sicut ex natura rei; non sunt distincti; ita ex natura rei; eadē est perfectio in eo semper: sed quia intellectus distinguens ea, quæ ex natura rei non sunt distincta; cōsiderat vnum, non considerato alio, & ideò sub esse quodam imperfecto, & perfectibili per alium, dicitur vnus perficere alium: quod non est verum ex natura rei, cùm nec sint distincti, sed solùm per intellectum distinguentem: realis ergo est perfectio ipsa, quam vnus accipit ab alio, supposita distinctione, quam facit intellectus: & ideo propter defectum distinctionis, falsum est, quòd vnus perficiat alterum, ex natura rei: nam vtrumque requiritur, vt verū sit, nempe, quòd sint distincti ex natura rei, & etiam quòd ex natura rei, vnus contrahat, aut determinet alterum: quare deficiente altero, deficit etiam veritas Antecedentis.

Ad secundum, neganda est consequen-
tia: & dum sic probatur: Si Rationale est 31.
idem cum Animali: ergo etiam cum Equo: iterum neganda est Consequentia: nam

nam Animal, nõ est quid tertium, respectu Rationalis, & hinnibilis, nisi solum per intellectum: quia à parte rei, distinctum Animal est in Homine, & Equo: & ideo non sequitur; quòd si Rationale est idem cum Animali, & etiam hinnibile; sint idem inter se: quia non sunt idem cum eo, tanquam cum aliquo tertio, ex natura rei; sed tanquam aliquo tertio, secundum rationem. Benè autem potest intelligi, quòd duo aliqua sint idem, cũ aliquo tertio, sola ratione ab eis distincto: & nõ sint eadem inter sese; vt Petrus, & Ioannes, sunt idẽ cũ Homine abstracto ab eis, & inter se distinguuntur realiter. Itaque vt principium illud verum sit, quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, requiritur, quod sit tertium, ex natura rei distinctum ab vtroq;: ex defectu igitur distinctionis fit, vt cum Genus non sit tertiũ, ante operationem intellectus, respectu Differentiarum & Specierum, non possint cum eo comparari ex natura rei, sed solum per intellectum illud abstrahẽtem, & distinguentẽ: & ideo vt nõ possit inferri Identitas realis differrentiarũ oppositarum inter se, ex eo quod sint idem cum genere ab eis abstracto per intellectum.

Ad confirmationem, eodem ferè modo respõdetur, quod cum Genus non sit destinctum à differentiis, nisi per intellectum illud abstrahentem ab eis: non dicuntur ei aduenire, aut ab eo separari realiter, sed solùm per intellectum, & secundum rationem: & hoc tantum modo potest quęlibet ab eo separari, salua eius essentia: ex quo non sequitur distingui realiter, aut, ex natura rei, sed sola ratione.

32. *Vnum restat argum.* non facile aduersus nostram sententiam: quia si compositio ex Genere, & Differentia, nõ est realis, sed rationis; ergo nihil reale ponit in natura, in qua reperitur: & si nihil reale, nihil etiam perfectionis, aut imperfectionis. Probatur vtraque consequentia, quia ex eo, quod intellectus aliquid intelligit vno, aut alio modo, solum prouenit ei denominatio extrinseca, intellecti eo modo: extrinseca vero denominatio, nihil imperfectionis in ea ponere potest. Quæ si ita se habent, sequitur, in Deo posse reperiri cõpositionem ex Genere, & Differẽtiæ: quod non videtur vllo modo cõcedendum, cum summæ simplicitati eius repugnet quælibet compositio. Respondetur: Talem compositionem, non esse admirandam in Deo, secũdum communem sententiam scholæ. Cuius duplex est ratio, (omissis aliis) *Prima*: quia conceptus Generis, tria dicit sibi intrinseca, nempe esse limitatum: & extra rationem differentiarum, esse imperfectum: & per alium perfectibilem essentialiter: & hæc quidem cum fundamento in re ipsa, quæ omnia intrinsecam imperfectionem significant: & ideò aliena sunt à Deo, summè perfecto, in quo nihil limitatũ, aut finitũ cõcipimus, neq; aliquid, quod essentialiter sit extra alia, aut essentialiter imperfectũ, & per aliud perfectibile: sed immẽsitas diuina, & infinita perfectio eius, atq; esse purissimum actum, ea excludunt, etiam vt à nobis imperfecto modo intelligitur.

Secunda ratio Quia conceptus genericus duo alia habet intrinseca: primum, 33. quod communis esse possit atque vniuocus multis Speciebus: sed talem conceptum in Deo reperiri repugnat: ergo repugnat dari in eo Genus, & Differentiã. Probatur minor: quia conceptus de Deo formatus à nobis, non potest esse cõmunis multis diis, specie differẽtibus, quos euidenter cognoscimus esse impossibiles: ergo solum potest esse cõmunis Deo, & creaturis, plusquam specie differentibus: sed Deo, & creaturis, minus potest dari

dari aliquid commune vniuocum quam Substantiæ, & Accidenti: ergo sicut Ens non potest esse Genus ad illa, ita neque in Deo dari potest conceptus vniuocus, à nobis formatus, qui sit vniuocus, & consequenter, neque qui sit Genus.

QVAESTIO V.

V. Differentia superior includatur in inferiori, & de illa prædicetur?

34. DVplex distinctio Differētiæ necessaria est ad explicandum titulum quæstionis *Prima est*, Differentiæ superioris, & inferioris: & Differentia superior vocatur illa, quæ constituit speciem magis vniuersalem; inferior vero, quæ constituit speciem inferiorem: vt Differentia superior est Corporeum, respectu Differētiæ Viuentis: & hæc respectu Sensibilis: & Sensibile respectu Rationalis. petit igitur titulus quæstionis, an Corporeum includatur in Viuente; & Sensibile in Rationali: & an vera sit prędicatio, Rationale est Sensibile.

Secunda distinctio est. Differentiæ cuiuslibet, quæ duobus modis sumi potest, materialiter, & formaliter: sumitur autem materialiter in quantum totū dicit, quod species ipsa, nempe gradum generis, quasi pro materiali, & gradum proprium, quasi pro formali: vt rationale, dicit pro materiali naturam sensitiuam; pro formali verò gradum rationalitatis: sed formaliter sumitur, pro solo gradu rationalitatis: quēadmodum Album, materialiter sumptum, dicit Corpus affectum albedine; sed dum sumitur formaliter, solā Albedinem denominātē corp⁹. Et vtraq; acceptionē habet Differētia, significata in cōcreto; sicut vtrāque habet Albū. Nam Rationale, & pro tota natura hominis sumitur: & etiā pro solo; vltimo gradu eius; significato tamen in concreto. Vnde falsò putant aliqui, Differentiam formaliter sumi, dum significatur in abstracto; vt nomine Rationalitatis, aut Sensibilitatis: hoc enim modo significata, non est Differentia, sed principium differentiæ; vt natura Generis nomine abstracto significata, solū vt principium Generis, & non vt Genus significatur. In concreto ergo significatur, etiam dum formaliter sumitur, sed tantum pro gradu vltimo, atque proprio.

Et quidem, si Differentiam inferiorem materialiter accipiamus, certum est, quòd superiorem includat, & hæc de illa prædicetur; vnde vera est hæc, Rationale est Sensibile: quamuis nō sit formalis. 35. Nam Rationale, saltem pro materiali, dicit naturam animalis: in qua includitur Differentia eius, nempe Sensibile, ergo includit etiam Sensibile, quæ est differentia superior.

Difficultas igitur quæstionis est, de Differentia inferiori, formaliter sumpta, *An includat superiorem, & hæc de illa prædicetur?* vt, an Rationale sumptum; prout de formali dicit vltimum gradum naturæ rationalis, per quem constituitur homo, includat sensibile, & cæteras differentias superiores.

Et prima opinio affirmat, formaliter includi, & prædicari: quam Soncinas 7. Metaph: quæst. 37. asserit; se defendere exercitij gratia, licet opposita ei magis placeat. In eam etiam inclinat Sotus, cap. de genere, quæst. 1. ad 3. sed expressè eam tenet Cant. in expositione huius capitis.

Probatur primò ex doctrina Aristot. 7. Meta text. 43. vbi tria docet de Differentijs. *primum*, nihil referre, siue sola vltima Differentia ponatur in definitione, vel etiam omnes superiores: quia vltima includit omnes. Vnde eodem modo definimus hominem, si solum dicamus esse animal rationale, ac si omnes superiores

differentias ponamus, dicentes: Homo est substantia corporea, animata, sensitiua, rationalis. *Secundo asserit*; vltimam differentiam, esse totam Substantiam speciei: & ideò si ea ponatur in definitione, non licere superiorem aliam addere: quia committeretur vitium nugationis; idem bis repetendo: vt si dicamus; homo est animal rationale, sensibile, nugatoriam definitionem assignamus. *Asserit tertiò* ad inueniendam Differentiam vltimam alicuius speciei; diuidendam esse superiorem, per duas inferiores oppositas; vt bipedem, quæ est differentia animalis, (accidentalis quidem, sed qua vtitur Arist. loco essentialis) per fissos, & non fissos pedes habentem; hoc est, scisos, vel non scisos: nam fissos habere pedes (inquit) differentia inferior est respectu bipedis; cum fissio pedis, sit quædam pedalitas: id est, cùm fissio pedis, includat pedalitatem, idem significantem, quod habere pedes.

Ex quolibet autem horum trium, videtur euidenter sequi; quòd Differentia inferior includat superiorem. Ex primo quidē; quia formaliter sumitur Differētia, dū in definitione ponitur: sed vltima Differentia quæ inferior est, posita in definitione, tantū valet, ac si oēs superiores ponantur: ergo eas includit? nam si non includeret; non tantum valeret. Ex secundo vero: quia non posset esse tota substantia rei; nisi superiores includeret; quas certum est ad substantiam infimæ speciei pertinere. Sed ex postremo efficacius sequitur: quia si ad inueniendum vltimam differentiam, diuidenda est superior per duas inferiores oppositas: ergo in vtraq; includitur formaliter; & de vtraq; formaliter prædicatur. Probatur euidenter consequentia: quia in bona diuisione, Diuisum formaliter sūptum, includitur in singulis membris diuidentibus; & de illis prædicatur, etiam formaliter: vt animal, de animali rationali, & irrationali. Et tādē, Ari. ipse, prędicat Differentiā superiorē de inferiori, formaliter sūpta: dū ait, verū esse, quòd fissio pedis, sit pedalitas: hæc enim superior Differētia est: & illa inferior dicitur.

Probatur deinde ratione: Primò; quia Rationale, formaliter sumptum, est Substantia: Corporea igitur, aut Incorporea: & cùm Corporea sit; includet formaliter differentiam superiorem; vt etiam probat hic syllogismus in Datisi: Omnis homo formaliter est sensibilis: homo formaliter est rationalis, ergo rationale formaliter est sensibile. 37.

Secundo Si Differentia inferior, non includeret superiorem, maximè id fieret; quia est conceptus simplex, & ideò non potest componi, nec resolui in plures alios conceptus: quia iam daretur processus in infinitum: sed cōceptus genericus est etiam simplex: & nihilominus includit genera superiora: vt Animal, includit, Viuens, Corpus, & Substātiam: ergo etiam si Differentia sit simplex conceptus, includere poterit differentias superiores.

Secunda opinio negat, Differentiā inferiorem formaliter sumptam, includere superiorem: & consequenter negat, quod hæc prædicetur de illa formaliter: Quam sequuntur Scotus, in 4. dist. 11. qu. 3. §. ad rationes, Capreol. in 1. d. 8. q. 2. in solutio: ad 5. arg. Sot. Card Toletus cap. de substantia dub. 2. Mercatus 2. post cap. 4. q 3. ad 3. Fonseca 5. Metaphysi. cap. 28. quæst. 18 sect. 1 *Et videtur mihi non solum probabilior; sed vera, & quæ euidenter colligitur ex doctrina Aristotelis & D. Thomæ* 38.

Vt autem hæc ita esse probemus; duo sunt præsupponenda, tanquam fundamenta certa ac necessaria. *Primum est*. Differen-

Differentiam quamcunque, siue inferiorem, siue superiorem, includi formaliter in sua specie, quam constituit, vt rationale formaliter in homine, & Sẽsibile formaliter est in animali. Quod probatur euidẽter: quia Differentia formaliter constituit Speciem: ergo formalis pars illius est: sed pars includitur formaliter in toto: ergo Differentia includitur formaliter in Specie.

Secundum fundamentum est, Omnes Species subalternas, esse Genera, respectu inferiorũ; vt Animal, respectu equi, & leonis: & Viuens, respectu animalis, & plantæ. Ex quibus sequitur: quod in quocũq; includitur formaliter differẽtia subalterna, formaliter etiam includitur genus subalternũ; quod est subalterna species, per eandem differentiam cõstituta. Gratia exẽpli: Animal est species subalterna, constituta formaliter per Differentiam sensibilem; quam necesse est includere formaliter: ergo in quocunque includitur formaliter sensibile; includitur etiã formaliter animal: sicut in quocunque includitur formaliter rationale; includitur formaliter homo. Eadem est igitur quæstio: An Differentia inferior formaliter sumpta, includat superiorem; & An includat Genus; quod est Species subalterna, per eã constituta: vt eadem quæstio est; An Rationale, formaliter sumptum, includat Sensibile, & An includat animal. Vnde si probatum fuerit, non includere Genus superius; probatum erit, quod nõ includat Differentiam superiorem: & conclusum, veram esse nostram sentẽtiam.

Probatur autem expressis testimonijs Arist. & D. Tho. deinde ratione. Arist. enim 4. lib. Top. ca. 2. loco 18. sic ait: *Manifestum igitur, quoniam non participat genus Differentia: quare neque impar Species erit; sed differentia: quoniam non participat Genus*, & loco 22. *De pluribus* (*inquit*) *Genus, quam Differentiam oportet dici; & non participare differentiam.* Et D. Tho. 5. li. Met. lect. 8. ait. *Genus per se sumptum non potest prædicari de differentia; quia differentia non participat genus: vt dicitur in 4. Topicorum &c.*

Probatur etiam ratione: *Primo.* Quia Genus & Differentia, formaliter sumpta, duo habẽt; primum, quod formaliter importãt diuersos gradus perfectionis essentialis: vt animal gradum naturæ sẽsitiuæ, & rationale gradum naturę rationalis. Secundo; Quod se habẽt, tanquã contrahens, & contrahibile: & ideo tanquam actus & potentia: sed ex vtroque sequitur; quod non se includant formaliter: ergo nec Differentia inferior, includet superiorem. Minorem sic probo, Gradus diuersi essentialis perfectionis habent rationes diuersas: actus quoq; & potentia formaliter differunt: ergo nec illi, nec isti, possunt formaliter se includere; & consequenter, nec Genus & Differentia; per quam contrahitur. Consequentia verò; quòd nec Differentia inferior, includat superiorem, probatur hoc syllogismo. Illud quod non est formaliter animal; nõ est formaliter sensibile: sed rationale formaliter sumptum, non est animal: ergo nec erit formaliter sensibile: quare non includet formaliter differentiam superiorem.

Secundò si Differentiæ inferiores, includerent formaliter superiores: ergo 39.
rationale & irrationale, includerent formaliter sensibile: & consequenter conuenirent in eo formaliter: sicut homo & equus: sed quæcunque conueniũt essentialiter, in aliquo gradu perfectionis essentialis; debent à tali cõueniẽtia separari per differentias: vt homo, & e-

tecedens, nempe, Rationale est Substantia; nam si pro Substantia completa, quę est supremum Genus prædicamenti, accipiatur, falsum est: cum rationale, & quæcunque Differentia, formaliter sit pars speciei, & ideo substantia incompleta: si verò accipiatur Substantia vniuersalius, prout abstrahit à completa, & incompleta, verum est, Rationale esse Substantiam, non prædicamentalem, sed analogam, ad completas, & incõpletas substantias. Vnde ad formam argumenti, negandum est, quod sit Substantia quæ diuiditur in corpoream & incorpoream: & consequenter, quòd includat Differentiam superiorem.

Syllogismũ vero, qui adducitur, con-
42. cedimũs esse in modo, & figura: & ideò euidenter concludere; quod Differentia inferior includat superiorem: non tamen in sensu formali, nec id necessariũ est ad formam syllogisticam, cuius virtute, infertur quidem, conclusionẽ stare in veritate cum præmissis, sed nõ semper in eodem sensu: vt hoc exẽplo, omnino simili potest probari; omnis homo est animal: omnis homo est risibilis: ergo risibile est animal: cuius præmissæ, veræ sunt in sensu formali; conclusio verò, non potest esse vera formaliter, sed solum in sensu materiali.

Ad secundum Concessa maiori, distinguenda est minor: quia Genus non est tam simplex, sicut Differentia: quod cum sit species subalterna, componitur ex genere, & differentia, sed Differentia non potest habere talem compositionem; quia cum ex propria ratione, sit vltimus actus speciei, non potest esse vllo modo composita: nec tamen est purus actus; quia cùm sit pars; potentiam includit ad componendum totum, & intrinsecam imperfectionem, ex ratione partis ei prouenientem.

QVAESTIO VI.

An Differentia semper, & necessariò sit perfectior Genere, quod contrahit?

QVodlibet Genus contrahitur per plures Differentias oppositas, di- 43.
uersæ perfectionis, ita vt aliæ sint nobiliores aliis; & ex eis quædam eleuent genus ipsum, ad gradum altioris naturę, aliæ verò intra proprium gradum illud contrahant. Gratia exempli; animal cõtrahitur per rationale, & irrationale: & rationale eleuat illud, ad altiorem gradum naturæ rationalis: irrationale verò non eleuat, sed intra proprium gradum naturæ sensitiuæ relinquit. Et de differentia eleuante, certum est, nobiliorem esse genere ipso: vt de rationali, quòd sit nobilius animali: sed de differentiis non eleuantibus, procedit quęstio: an sint nobiliores genere, vel minus nobiles, aut nobilitate æquales.

Et prima opinio tenet, non omnes differentias esse nobiliores genere, quod contrahunt: sed solum eas, per quas eleuatur ad gradum perfectioris naturę: cęteras verò minus nobiles eo esse, vel ad summũ eiusdẽ nobilitatis: vt omnes differẽtias animales, excepta rationali, & omnes differentias Angelorum, per quas genus eorum, quod est substantia spiritualis, aut incorporea, non eleuatur ad altiorem gradum essentialis perfectionis. Hanc sequuntur moderni quidem.

Eamq; probãt duplici arg. *Primum est*, Quia profectior gradus naturæ, radix est perfectioris operationis: ergo illa differentia, quæ ad perfectiorem operationem, vel perfectiorem saltem modũ operandi, non eleuat naturã generis, non potest esse eo perfectior, sed plures sunt differentiæ, genus neutro modo eleuantes, ergo nulla earũ erit nobilior genere. Probatur minor, in differentiis

perfectiorem modum operandi, reperitur perfectior modus essēdi, actualis, ac determinatus, ad quem omnis differentia eleuat genus: & ideo semper est perfectior illo.

Ad secundum; Concesso Antecedenti, neganda est Consequētia: nam licet imperfectè reperiatur gradus sentiendi, in illis speciebus, adhuc reperitur perfectius, quàm in genere: quia determinatus, & specificus est: in genere vero, nec determinatus, nec perfectior, sed confusus, abstrahens à perfecto, & imperfecto: quod autem determinatum, atque distinctum est, perfectius est indeterminato, atque confuso. Et ideo adhuc differentiæ harum specierum perfectiores genere sunt.

QVAESTIO VII.

An secunda definitio differentiæ, possit conuenire vltimis differentijs?

DVO præsupponit titulus quæstionis, tanquam certa. *Primò*; Duplicem esse differentiam; Subalternam & Vltimam. Subalterna est; quæ constituit Speciem Subalternam; vt Corporeum, & sensibile. Vltima, quæ constituit Speciem vltimam, vt Rationale. Præsupponit. *secundò*; Secundam definitionem, conuenire differentijs subalternis, cum notum sit, de pluribus differentibus specie, eā prædicari: vt Sensibile, de homine, & leone. Sed in dubium reuocat, an possit etiam conuenire vltimis. Et ratio dubitandi est manifesta: quia non prædicantur de pluribus speciebus, sed de vna tantum, & indiuiduis eius: vt rationale, de solo homine, & singularibus hominibus: ergo non conuenit eis definitio, quæ asserit, Differentiam esse, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in Quale quid.

1. *Et est prima opinio*, quæ tenet, etiam conuenire vltimis differentiis: vt autem modo quo eis conueniat, explicet, sic esse exponendam definitionem docet, vt dum dicitur, Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie: sensus sit, de pluribus, quæ inter sese, aut ab alijs distinguūtur Specie. In quo sensu manifestum est; differentijs subalternis, atque etiam vltimis conuenire: nam illæ prædicantur de pluribus differentibus specie, inter sese, vt Sensibile, de equo, & leone. Differentia verò vltima vt Rationale, prędicatur de pluribus differētibus specie, nō inter se, sed ab aliis: vt de homine: qui specie differt ab equo: & de Petro, & Ioanne, qui ab indiuiduis aliarum specierum, specie distinguuntur, per idem rationale. Hanc sententiam tenuerunt nonnulli, quos attulit Auicena cap. præsenti.

Sed probatur falsa duplici arg. Primò: Hæc definitio differentiæ eodem modo, & in eodem sensu assignatur à Porphyrio: in quo assignatæ sunt definitiones, aliorum prædicabilium: sed aliæ definitiones, vt speciei, & Generis, sic intelligūtur, vt hæc de pluribus differentibus numero inter se, illud de pluribus inter se differentibus specie, prædicari debeat, vt probant exēpla in eis adducta à Porphyrio: ergo eodem modo intelligenda est hæc definitio differentiæ: sed sic intellecta, patet non conuenire vltimis differentiis: ergo non fuerunt definitæ à Porphyrio.

Secundò. Si sensus ille admittendus esset, vt conueniret vltimis differentiis, sequitur euidenter definitionem Generis, etiam conuenire Speciei. Probatur consequentia; quia prædicatur de pluribus differentibus specie, licet non inter sese; bene tamen ab indiuiduis aliarum specierum distinctis. 4

Secunda opinio est. Caietani, in expositione

tione huius definitionis, dubio vnico, vbi duo præsupponit., ad explicandum sensum definitionis, in quo vltimis differentijs conueniat. *Primum est*, Per hãc definitionem, definitam esse differentiam, sub ratione communi Differentiæ, abstrahẽte à Subalterna, & Vltima. Quia sub ratione communi denominatur à secunda intentione, tertij prædicabilis *Secunda*; Verba alicuius definitionis, duobus modis posse applicari his, quæ continẽtur sub definito; positiuè, hoc est, affirmatiuè: aut etiam negatiuè; hoc est, per non repugnantiam: & vtroque modo applicatur definitio hæc, diuersis differentiis. Positiuè quidem, Subalternis, quæ verè prædicantur, de pluribus differentibus specie: Vltimis verò, per non repugnantiam: quia verum est, eis in quantum differentiæ sunt, non repugnare, quod prædicentur de pluribus differentibus specie. Itaque, Vltimæ duobus modis considerantur, nempe sub Communi, ratione differẽtiæ, & sub Particulari, ratione vltimarum: & hoc modo, omnino eis repugnat definitio; sed non primo. Nam si eis, vt differentiæ sunt, repugnaret; nullis differentijs etiam subalternis posset conuenire: & cùm non definiãtur, vt vltimæ; sed vt differentiæ: absolutè dicendum est; eis cõuenire definitionem negatiuè, aut per non repugnantiam. Hanc sententiam Caietani, sequitur Sotus cap. præsenti, quæstione vnica ad 6. pro qua etiam referuntur Auicena cap. vltimo prædicabilium, & Iãblicus, cap. de differentia. Et Toletus quæstione vnica huius capitis, probabilem esse docet, quamuis non ad mentem Porphyrij, Probat Caiet. hoc argum. Definitio Quanti, est, quod sit diuisibile in partes; & non conuenit corpori cœlesti positiuè; quia cùm sit incorruptibile, non potest diuidi; alioquin per diuisionem corrumperetur: sed conuenit ei negatiuè, hoc est, per non repugnantiam: vt est quantum, non vt est corpus incorruptibile: quia vt quantum est, non repugnat ei diuidi: quamuis repugnet ei diuisio; vt tali quanto incorruptibili. Et tamen sufficit, ita ei conuenire; vt dicatur definitio conuenire ei absolutè: ergo sufficiet., quòd vltimis differentiis conueniat per non repugnantiam; vt differentiæ sunt: quamuis repugnet eis, vt vltimis.

40. Mihi verò nullam ferè probabilitatẽ habere videtur. Vnde neque vllus ferè iam eam defendit. *Probatur primò*, Definitio rei, si essentialis sit, continet essentiam omnium, quæ definiuntur: & si descriptiua aliquam propriam passionem eorum: sed essentia, & propria passio, nõ possunt rebus conuenire negatiuè, aut per non repugnantiam; sed necesse est eis positiuè conueniant; ergo repugnat definitioni conuenire alicui per non repugnantiam.

Secundo; Quia si ex eo solum conuenit definitio vltimis differentijs; quia non repugnat eis, sub cõmuni ratione differentię cõsideratis, prædicari de pluribus differẽtibus specie: quãuis repugnet, vt sunt differentiæ vltimæ: sequitur definitionẽ hominis, conuenire leoni; imo & definitionem cuiuslibet speciei, conuenire cæteris speciebus eiusdem generis. Cõsequens est absurdum: ergo & Antecedens erit falsum. Probatur Consequẽtia, quia licèt definitio hominis, repugnet leoni, sub ratione specifica leonis, non repugnat tamen ei, sub ratione communi animalis considerato.

Tertia opinio communis & vera, tenet; Per hanc definitionem, solum definisse Porphyrium differentias Subalternas, non verò vltimas. Ita Commentator, Auicena, & Alpharabius; quos citat, & sequitur Albertus

bertus Magnus, tract. 5. de differentia ca. 6. Iauellus, Louanienses, Sotus, Danterus, Mercatus, Villalpandeus, Toletus, & Fonseca, ca. præsenti, in explicatione eiusdem definitionis. Et probatur, ex impugnatione aliarum opinionum: quia nullo modo potest conuenire vltimis differentiis.

Sed quare has non definiuit Porphyrius? *Respondent quidam*; quia eas non cognouit. Sed falsum hoc est, quia certum est; Species vltimas cognouisse, quarum mentionem fecit cap. de specie, in ordinatione prædicamentali: ergo cognouit etiam vltimas differentias, saltē in ratione communi vltimarum: quamuis particulares, ignorauerit: & in hoc ca. & vltimo huius libri, differentiā vltimam hominis, dixit esse Rationale, Mortale: vnde sequitur etiam in particulari aliquam cognouisse.

Ideo alij, eas non definisse asserunt quia existimauit non esse simplices, sed compositas, aut cōplexas: vt rationale mortale, esse differentiam hominis: complexa verò non pertinēt ad prædicabilia; quæ simplicia esse debent, aut incomplexa; vt in vltima qu. vniuersali. diximus. Hæc tamē ratio contra mentē Porphyrij est, ca. vlt. huius libri, vbi comparās differentiam cū specie, ita ait. *Differētia quidem sæpe in pluribus speciebus cōsideratur; species vero, in solis his, quæ sub specie sunt indiuiduis est, &c.* Si ergo sæpe in pluribus speciebus differentia est: non semper ex mente Porphyrij, apud quem dabitur vltima differentia prædicabilis, quæ cum specie comparetur.

Dicendum igitur est, ideò solas subalternas definisse Porphyrium: quia cum nobis notiores sint, frequentius eis vtimur in definitionibus. Quod à simili probari potest: nā cū duplex sit propriū, Subalternū & infimum; hoc solum definiuit cap. sequenti: quia frequentius eo vtimur in demonstrationibus. Sufficit autem definisse differentias Subalternas, quia cum eodem modo prædicētur oēs, nempe in Quale quid; ex harum notitia, facilè est differentias infimas cognoscere; in quantum pertinent ad tertium prædicabile: facilè est etiam definitionem communem subalternis, & infimis assignare: quæ talis erit. Differentia est, quæ prædicatur de pluribus in Quale quid.

Ad arg. Caiet. respondetur, falsum esse; quòd definitio Quanti, ab Arist. designata: non conueniat corpori cælesti positiuè: quia cum veram habeat quantitatē, verè, per se, & positiuè, est diuisibile in partes: quamuis actualis diuisio per accidens impediatur, propter incorruptibilitatem substantialem, eiusdem corporis.

CAPVT V.

De Proprio.

TEX. PORPHYRII.

Proprium verò quadrifariam diuidunt, &c.

Breuis expositio textus.

INtentum Porphyrij cap. præsenti est, explicare naturam Proprij, quod est quartum prædicabile. Diuiditur autem, in duas partes. *In prima*, Tradit Porphyrius quatuor acceptiones, seu modos proprij. *In secunda*; Solam quartam acceptionem eius docet esse propriam: cæteras verò communes aliis accidentibus. 1.

Proprium, *Primò modo*, accipitur pro eo, quod conuenit alicui speciei soli; non tamen omnibus indiuiduis eius: vt esse medicum aut philosophum, propriū hominis dicitur: quia soli homini conuenit: licet non omni homini conueniat. *Secundo modo*, accipitur ex opposito pro eo, quod conuenit omni indiuiduo alicuius speciei, non tamen soli, sed etiamin-

am indiuiduis aliarum: vt esse bipedem vel duos habere pedes, omnibus hominibus ex propria natura conuenit, nō tamen solis; sed quibusdam etiam aliis animalibus aliarum specierū. *Tertio modo* accipitur pro eo; quod conuenit alicui speciei, & omnibus indiuiduis eius; non tamen omni tempore; sed quodam determinato: vt canescere, conuenit omnibus, & solis hominibus, verùm non semper; sed solùm tempore senectutis. *Quarto modo*, accipitur Proprium pro eo quod conuenit alicui speciei, & omnibus indiuiduis eius; non pro determinato tempore; sed semper: vt Risibile cōuenit homini, & omni homini, atque etiam semper. quia licet non semper homo rideat; semper tamen habet aptitudinem ad ridendum: & ideo semper est risibilis.

Ex his quatuor acceptionibus sola quarta propria est; (inquit Porphyrius) quia propriū propriè sumptum, solū est illud; quod conuertitur cum eo, cuius est proprium: sed solum proprium quarto modo acceptum, cōuertitur: ergo solùm in quarta acceptione propriè accipitur.

QVÆSTIO I.

An proprium solum quarto modo acceptum, constituat quartum prædicabile, vel etiam secundum alios tres modos.

2. PRæsupponit tanquam certum, titulus quæstionis; quod Proprium secundum quartum modum, pertineat ad quartum prædicabile: sed dubitat, an hoc solùm constituat quartum prædicabile; & tres alij modi pòtius pertineant ad quintum: vel ex omnibus quatuor modis, efficiatur quartum.

Et prima opinio tenet, Proprium nō solùm secundum quartum modum; sed etiam secundum alios; constituere quartū prædicabile: hoc est, vel secundum omnes, vel saltem secundum modum tertium. Sic videtur sentire Albertus Mag. tract. 6. de proprio, cap. I. & tract. 7. de accidenti, cap. etiam I. Louanienses, ca. præf. & ibid. Canter. quos saltem, quantum ad proprium tertio modo, sequuntur nonnulli ex modernis.

Probatur primò. Quia licèt propria aliorum modorū, sumpta pro actu, sint cōmunia accidentia, si tamen sumātur pro aptitudine, vel potentia, propriæ passiones sunt, emanantes ab essentia: ergo non pertinent ad 5. prædicabile, sed ad 4. Probatur Antecedens, in proprio primi modi: nam esse medicum vel philosophum; hoc est, habere aliquam scientiam ex his; commune accidens est: aptitudo verò ad eas habendas, sicut ad cęteras, propria passio hominis: quam appellare solent capacitatem disciplinæ.

Secundò. Quia proprium tertio modo conuenit omni, & soli, ergo est propria passio. Probatur Consequentia, Quia esse propriam passionem, in eo solùm cōsistit; quod ab essentia emanet: emanatio verò, non tollitur ex eo; quod non semper conueniat; sed tempore à natura statuto; quia eo tempore; & non alio, reperitur dispositio in subiecto, ad talem emanationem: ergo nec tollitur ratio propriæ passionis in emanatione consistentis. 3.

Secunda opinio communis & vera; Negat vllam acceptionem proprij; præter quartam, constituere quartum prædicabile: sed tres priores ad quintum prædicabile pertinere affirmat: & solùm proprium quarto modo, constituere quartū prædicabile. Quam tenet D. Tho. opusc. 48 c. 7: Iauel. tract. 4. præd. c. 5. Caiet Sot. & Tol. ca. præf. & est expressa, in doctrina Arist. in qua definitio proprij continetur; solum conueniens Proprio, quarto modo

to modo. Et praeterea, Proprium secundum alias acceptiones, ad praedicabile accidentis pertinere dicitur. Vtrumque habetur 1. lib. Topicorum, c. 4. Definitio quidem Proprij his verbis. *Proprium est quod non indicat, quid est esse rei: soli autē inest, & conuersim praedicatur.* De alijs etiam acceptionibus Proprij sic ait. *Nemo enim proprium dicet, quod contingit alijs inesse, neque si forsitan per aliquod tempus inest soli, &c.* Et in fine capitis inquit, *Manifestum est autem, ex his, quoniam accidens nihil prohibet, & quando, & ad aliquid proprium fieri: simpliciter autem proprium non erit, &c.* Proprium autem Ad aliquid vocat Primo & secundo modo acceptum: quia in ordine ad alia tale dicitur; hoc est; quia conuenit soli, & nō omni; vel omni, & non soli. Proprium verò, Quando, idem est, atque proprium tertio modo: nam quādo significat tempus, & cùm proprium tertio modo solū cōueniat pro determinato tempore, appellatur ab Arist. proprium, Quando.

4 Nec minus est expressa sententia Porphyrij, cap. vltimo huius libri: vbi in tribus distingui docet, quartum & quintū praedicabile. In primo quidem; quia proprium solū conuenit vni speciei: cuius essentiā sequitur; eiusque indiuiduis: accidens verò, pluribus aliis conuenit. In secundo, differunt; quia proprium cōuertibiliter praedicatur de subiecto: nō tamen commune accidens. In vltimo verò: quia proprium, nō suscipit magis, & minus; sed communia accidentia suscipiunt. Haec autem triplex differentia, respectu accidentis; solùm conuenit proprio quarto modo.

Ratione quoque probatur: ex testimoniis Ari. deducta. Nam in communi modo concipiendi, & loquendi, inquit Ari. illud solum appellatur proprium, quod omnibus ita conuenit: vt non sit aliis commune: & praeterea; quod semper eis conuenit; quibus est propriū: sed has duas cōditiones, solū habet propriū quarto modo; ergo hoc tantum erit propriū: reliqua verò accidentia communia; & ideo hoc tantum cōstituet quartum praedicabile: reliqua verò potius ad quintū pertinebunt. Probatur minor, nam proprium Primo, & Secundo modo; vel non cōuenit omnibus; vel aliis, etiam commune est: proprium verò tertio modo, multis indiuiduis nunquam conuenit: aliis verò omnibus, multo saltem tēpore non conuenit: ergo nullum verè proprium appellari debet; neq; ad quartum praedicabile pertinere, intelligendū est.

Et si dixeris: quare ergo propria aliorum modorum adducuntur à Porphyrio in hoc cap. *Respondeo*; Solū adduci; quia aliquam habent similitudinem, & analogiam, cum vero proprio quarto modo; ex qua similitudine melius cognoscitur natura, & essentia veri proprij; atque etiam ex dissimilitudine, & improprietate eorū. Quare si proprium in communi accipiatur, non vniuocè; sed analogicè, dicitur de omnibus & solùm de proprio quarto modo simpliciter: de aliis verò, non nisi secundum quid; & per attributionem ad ipsum. 5.

Ad primum arg. Distinguendū est Antecedens: nam aptitudo ad scientias, duplex est; Vniuersalis, & Particularis. Vniuersalis vocatur capacitas, quam habet homo per intellectum: Particularis verò respectu particularium scientiarū: nam vnus homo particularem inclinationem, & aptitudinem habet ad vnam scientiam, vel artem, quam nō habent alij: licèt vniuersali aptitudine intellectus non careant. Ad formam igitur arg. respondetur, verum esse, quod propriū primo, & secundo modo, pro aptitudine vniuersali acceptum, sit propria passio: sed hoc modo, non est proprium primo, aut secundo modo; sed quarto; quia est

propriũ, dimanans ab essentia hominis specifica: si verò accipiatur pro aptitudine particulari; solùm est proprietas iudiuiduorum; neque omnibus cõueniens: licet conueniat solis: & ideò non est proprium simpliciter: sed commune accidens, pertinẽs ad quintũ prædicabile.

6\. *Pro solutione secundi arg.* Duplex proprietas distinguenda est: Specifica, & Indiuidualis: illa dimanat ex principiis essentialibus speciei; quæ sunt Genus, & Differentia; vt risibilitas ex principiis hominis; Indiuidualis verò, ex complexione indiuiduali; ad quam cõcurrunt humores, & aliæ qualitates, & dispositiones materiæ. Vnde sequitur, quod illa semper conueniat: quia essentia specifica eodẽ modo se habet semper: Indiuidualẽ verò, non necesse est semper conuenire: quia nõ sunt humores in eadem dispositione: vnde nec vocatur propria passio simpliciter, sed cõmune accidens. Talis est canities, etiam si pro aptitudine accipiatur: quæ licet soli homini propriè cõueniat; aliis verò animalibus per similitudinem tantum ad hominem; vt ex causis eius colligitur, quas tradit Arist. lib. 4. de generatione animalium, cap 5. non tamen dimanat ab essentia specifica eius; sed ex complexione hominum particulari, & ex aliis etiam causis extrinsecis, in eisdem, & solis hominibus cõcurrentibus tempore senectutis: ideo non ad quartum prædicabile, sed ad quintum pertinet.

7\. *Ad formam igitur arg.* Neganda est cõsequentia, quòd proprium tertio modo, sit propria passio simpliciter; sed solum habet similitudinem cũ propria passione. Et dum dicitur. Nõ esse necessarium semper conuenire, vt sit propria passio: negandum est etiam: quia propria passio simpliciter; ex nuda essẽtia sequitur: vnde non variatur, sed eodem modo se habet; sicut ipsa essentia: proprietates verò indiuiduorum, ex aliis causis accidentalibus, & extrinsecis dependent; quæ diuerso tempore, diuerso modo se habent: ideò tales proprietates, nõ sunt propriæ passiones simpliciter; nec sub nomine proprij, constituente quartum prædicabile, comprehenduntur.

QVÆSTIO II.

An proprium sit vniuersale, aut quartum prædicabile, respectu speciei, vel indiuiduorum?

PRO faciliori intelligentia quæst. annotandum est *Primò*; Duplex esse proprium? Vnum, quòd consequitur naturam generis, aut speciei subalternæ; & ideo vocatur propriũ Subalternum, prędicaturque de genere ipso conuertibiliter; sed cum qualibet specie, non cõuertitur: & ideò respectu generis, est proprium adæquatum: & respectu cuiuslibet speciei, inadæquatum; vt Sensibile, proprium subalternum est; quod sequitur naturam animalis, cum quo conuertitur: sed cũ nulla eius specie: ideo proprium adęquatum est, respectu animalis, sed respectu specierum inadæquatum; de omnibus tamen prædicatur eodem modo, ac de genere; quamuis non proximè; sed remotè; hoc est, in Quale proprium: secundum regulam Antepraedicamentalem ab Arist. traditam, ca. 3. Antepraedicamentorum. Quod quando aliquid prædicatur de aliquo; quæcunque prædicantur de tali prædicato, prædicãtur de eius subiecto, & de omnibus contentis sub illos, & eodem genere prædicationis, secundum omnes interpretes: vt animal prædicatur de homine, & leone; & sensibile de animali, prædicatione proprij: & ideo necesse est, quod idem sensibile prædicetur de homine, & leone, sub eodem animali contentis, prædicatione

catione etiam proprij. Aliud est proprium, quod sequitur speciẽ infimã & de illa prædicatur proximè, adæquatè, & cõuertibiliter: de indiuiduis verò eiusdẽ, inadæquatè; quia cum nullo cõuertitur: & remotè, quia media specie; sed prædicatione proprij, quia in quale proprium.

8. *Secundo notandum est*, Vtrunque proprium definitum esse, ab Arist. 1. lib. Topico. cap. 4 illa definitione: *Proprium est, quod non indicat, quid est esse rei, soli autem inest, & conuersim prædicatur.* Quia non minus conuertitur proprium Subalternum, cum specie Subalterna: quam sequitur: vt sensibile cum animali; ac proprium Infimũ, cum infima specie, vt risibile cum homine: quãuis nec illud cõuertatur cũ speciebus inferioribus, neque hoc cum indiuiduis: quia respectu inferiorum, neutrũ est adęquatum proprium. Quod vero dicitur, non indicare quid esse rei: hoc tãtum significat; quod est, non pertinere ad essentiam, sed esse accidens eius, quamuis à posteriori, per illud cognoscamus essentiam: & in hoc sensu videatur indicare; quid est esse rei: sed sensus definitionis prior est, vtrunque est etiam definitum à Porphyrio, dũ ait proprium quarto modo (quod solum est proprium simpliciter) esse, quod conuenit, omni, soli, & semper.

De vtroque etiam proprio, tam Subalterno, quam infimo, quæritur, an sit vniuersale, & quartũ prædicabile, respectu speciei subalternæ, vel infimæ, quam sequitur, vel solum respectu inferiorum specierum, aut indiuiduorum. Et ratio dubitandi est manifesta: quia nihil est vniuersale, nisi respectu pluriũ; sed species, quã sequitur vtrũq; propriũ, vna tantũ est, nã cũ ea cõuertitur: ergo respectu illius, non erit vniuersale, aut prædicabile, sed solũ respectu specierũ inferiorum, aut indiuiduorum, quæ plura sunt.

Prima opinio asserit, Proprium non esse vniuersale, nec quartum prędicabile, 9.
respectu generis, aut speciei, quam proximè sequitur, sed respectu inferiorum. Sic Louanienses. cap. præsenti, Fonseca 5. Meta. cap. 28 quæst. 19. sectio. 2. Et plures moderni probant: *Primo*, Quia vniuersale ad plura se extẽdit, quam subiectum, de quo prædicatur: ergo si cum eo conuertatur, nõ erit respectu illius vniuersale. Probatur Antecedens: nam vniuersale ex vi nominis, significat id, quod non est particulare, sed ad multa particularia extenditur: ergo repugnat esse vniuersale, respe[illegible] vnius particularis subiecti: vnde [illegible] species sit vnũ partic[illegible] subiect[illegible] erit proprium vn[illegible]sale respectu illius.

Secu[illegible], Quia ratio vniuersalis, & ratio proprij, oppositæ sunt: ergo non possunt eidem respectu eiusdem cõuenire; sed proprium dicitur aliquid, respectu speciei, quam sequitur; ergo repugnat dici vniuersale, respectu eiusdem. Probatur antecedens: nam vniuersale dicitur respectu multorum: vt probat definitio eius, quod sit vnum in multis: proprium verò, respectu vnius tantum, vt ex eius etiam definitione patet, qua dicitur: *soli autem inest*: ergo sunt rationes oppositæ.

Secunda opinio affirmat; Proprium esse vniuersale, & prædicabile, respectu speciei, quam sequitur; & non solum respectu indiuiduorum. Hãc sequitur Alber. Mag. tract 5. de proprio, ca. 1. Caiet. & Sot. quæst. 1. huius ca. Tolet: in fine eiusdem, & etiam plures moderni.

Probatur ex Arist. & Porph. Ex Arist. quidem, quia definitio quam tradit de 10.
proprio, non conuenit ei respectu inferiorũ, sed solũ respectu speciei: ait enim, *Soli autem inest, & conuersim prædicatur*: hoc est, soli speciei: de qua solum prædicatur

catur conuertibiliter, & non de inferioribus speciebus, aut indiuiduis, ergo séc. Arist. proprium, respectu solius speciei, esse proprium, atque adeo vniuersale, & quartum prædicabile. Porphyrius etiam, Proprium quarto modo, dicit esse illud, quod conuenit, omni, soli, & semper: quas conditiones non videtur habere, nisi respectu speciei; & cap. vlt. huius libri, enumerans ea, quę conueniunt quarto prædicabili, ait esse prædicabile de specie, quam sequitur.

Item ratione probatur: *Primò*. Quia modus prædicandi, sequitur modum essendi, quem res habet, ex propria natura, aut ex modo, [illegible]ncipitur ab intellectu: sed prop[illegible] modo na[illegible]ali essendi, atque etiam [illegible]concipi[illegible]b intellectu, respicit speciem [illegible]quam principium proximum; à quo dimanat: species verò inferiores, aut indiuidua remotè tantum, & per participationem speciei: ergo rationem vniuersalis, & prædicabilis in Quale, proprium primo habet, respectu speciei, & quasi secundario, respectu indiuiduorum.

Secundò; Prædicabilia ordinantur ad demonstrationem, sicut prædicamenta: ergo propositiones necessariæ, & per se, ex quibus demonstratio cóficitur, pertinet ad prædicabilia: sed tales sunt illæ, in quibus proprium prædicatur de specie, vt homo est risibilis; pertinebunt igitur ad quartum prædicabile, cum non sit aliud ad quod pertinere possint: & ideò proprium erit vniuersale, & prædicabile, respectu speciei.

11. *Nostra sententia* duabus conclusionibus explicatur. *Prima*, *Proprium non est vniuersale respectu solius speciei, sed respectu inferiorum specierũ, vel indiuiduorũ.* Probatur hęc ex definitione vniuersalis, nempe. *Vnum in multis, & de multis*: sed Species, non est multa simpliciter; sed vnum: quamuis sit multa, secundum rationem virtualé; qua participatur à multis: ergo respectu illius, non potest proprium esse vniuersale. Probatur Consequentia: quia multa simpliciter nó sunt, nec dicũtur, nisi illa, quæ actu sunt multa, ac distincta: in specie verò, nec indiuidua multa sunt, nec distincta, sed vnũ; nec species ipsa, est in eis multa, sed etiam vnum: ergo proprium respectu solius speciei, non est vniuersale.

Secunda conclusio. Esse tale vniuersale, hoc est proprium, aut quartum prædicabile; nec habet proprium in ordine ad solam speciem, nec in ordine ad sola indiuidua: sed in ordine ad indiuidua, vt participant rationem speciei. Vt autem conclusio hæc, & præcedens, melius intelligantur, notandum est; In proprio, sicut in quocunque alio prædicabili, duo esse consideranda: & rationem communem vniuersalis: quam omnes participant, & in qua conueniunt & rationé specialé, ex tali modo prædicãdi desumptam, per quam distinguuntur, Ratio ergo vniuersalis, vt sic, petit plura pro termino: & ideò eam non habet propriũ, respectu speciei, vt in prima conclusione probatum est: quia species, non est multa simpliciter; sed vnum: rationem vero specialem, talis vniuersalis, & prædicabilis, non habet solum respectu indiuiduorum: quia nó dimanat ab eis, nec primò, & per se, est proprium illorum: sed speciei, à qua primò & per se emanat, & de qua, per se primo prædicatur, in Quale proprium, vnde in ordine ad illam, habet per se primò, specialem modum prædicandi, per qué distinguitur à cæteris prædicabilibus. Sed quia ad rationé talis vniuersalis, requirũtur talia multa, sicut ad rationem vniuersalis in communi, multa simpliciter, adhuc proprium non est tale vniuersale, respectu solius speciei, nisi cum

ordine

ordine ad indiuidua, à quibus ratio essentialis eius, & consequenter propriũ ipsum, ab ea dimanans participatur.

Ex hac doctrina; non solùm declaratur vtraque conclusio, sed colligitur hoc argu. *quo probatur secunda.* Proprium, vt est quartum prædicabile, sic definiendũ est. Propriũ est, quod prædicatur de pluribus in Quale proprium, sed primum non habet, respectu solius speciei: nempe esse prædicabile de multis; nec secundum, nempè, in Quale proprium, habet respectu indiuiduorum, nisi cum ordine ad speciem, ratione cuius prædicatur de illis, in Quale proprium: ergo completam definitionem quarti prædicabilis; nec habet à sola specie; nisi cum ordine ad indiuidua, nec à solis indiuiduis, nisi cum ordine ad speciem.

Arg. verò primæ opinionis: Solùm probãt, quod proprium nõ habet rationem vniuersalis, vt sic, respectu speciei, sed indiuiduorum: non tamen, quòd specialem rationẽ talis vniuersalis, ex modo prædicandi desumptam, non habeat ab specie, cum ordine ad indiuidua.

Arg. Secundæ opinionis: Solùm probat, eandem rationem specialem, talis vniuersalis, aut quarti prædicabilis, habere ab specie, non tamen, sine ordine ad indiuidua: & quia vtrumque continet nostra sententia, non est necessarium, argumenta aliarum in particulari soluere; sed ex annotata doctrina, facilè a quocunque soluentur.

Solùm restat, vno verbo explicandum id, quòd à quibusdam dubitari solet, an proprium, vt est quartum prædicabile; vna, & eadem relatione, secundum speciem, referatur ad speciem, & indiuidua, aut ad genus, & inferiores species, vel diuersis: ita vt vna ad speciem, & alia ad indiuidna. *Cui respondeo*, Vna, & eadem referri, *quod ita probo*: Relatio, sumit suam vnitatem specificam à termino formali: sed species, & indiuidua, habent eandem rationem terminandi relationem proprij: ergo vna erit respectu omnium. Probatur minor, proprium refertur ad speciem, & indiuidua tanquam ad principium, à quo emanat, & tanquam ad subiectũ, cum quo cõuertitur: sed species, & indiuidua, habent eandem rationem principij, atque subiecti: cum indiuidua ratione speciei, vtrumque habeant: ergo habent eandem rationem formalem terminandi, & pro vnico termino formali accipienda sunt; à quo vnitatem specificam habet relatio proprij.

CAPVT VI.

De Accidenti.

TEX. PORPHYR.

Accidens autem est, quod adest & abest, præter subiecti corruptionem, &c.

Breuis explicatio textus.

INtentum Porphyrij, cap. pręsenti est, explicare naturam Accidentis? quod est quintum prædicabile. Agit autẽ tria in toto Capite. *Primò* Tribus definitionibus definit Accidẽs. *Secundò*; Quadam diuisione illud diuidit, *Tertiò*, Cuidam tacitæ obiectioni respondet. 1.

Prima definitio accidẽtis est. *Accidens est, quod adest, & abest, præter subiecti corruptionem.* Vt albedo inhæret in pariete, & potest separari ab illo, sine corruptione eius. Secũda definitio eadẽ ferè est. *Accidens est, quod cõtingit eidẽ inesse & nõ inesse.* Postrema definitio. *Accidens est, quod neq; est genus, nec differentia, neq; species, neque proprium, inest autem subiecto* Datur hæc definitio, per negationem aliorum prædicabilium, à Porphyriò, vt explicetur proprius modus prædicandi accidentis.

2\. Diuisio accidentis est. Accidens aliud est, Separabile, vt dormire; aliud Inseparabile, vt albedo cygni. Sed poterat obijcere aliquis aduersus Porphyrium, quòd prima definitio accidentis non sit bona, vel quòd hæc diuisio sit mala: quia secundum primam definitionem, omne accidens potest separari à subiecto: ergo nullum erit inseparabile: sed diuisio asserit, accidens aliud esse separabile, aliud inseparabile: ergo sibi contrariantur. Ideo respondet Porphyrius, in 3. part. hac distinctione: Duobus modis contingit separari à subiecto: Secundum rem, aut secundum considerationem intellectus: & primo modo, non omne accidens potest separari à subiecto; bene tamen secundo modo: & definitio intelligitur primo aut secundo modo; diuisio verò, solùm secundo modo, ideò non sunt contrariæ.

QVÆSTIO I.

An accidens sit vniuersale, & respectu quorum id habeat?

3\. PRobatur, Accidens non esse vniuersale, duobus arg. *Primò*, Quia vniuersale, non habet à parte rei aptitudinem essendi in multis, aut prędicandi de illis: nec respicit inferiora relatione reali; sed solum habet talē aptitudinem, per intellectum abstrahentem illud, vel comparantem ad inferiora; ad quæ solum dicit respectum rationis; sed Accidens à parte rei, habet aptitudinem essendi in subiecto: ergo etiam habebit aptitudinem prædicandi de illo: & cum distinguatur ab eo realiter, per relationem realem illud respiciet, vt albedo hominem: ergo accidens non est vniuersale respectu subiecti: imò nec potest prædicari de illo: quia quod ab alio distinguitur, realiter, non potest de eo prædicari, cum distinctio realis falsam efficiat prædicationem.

Secundò. Vniuersale dicitur esse in multis, & posse prædicare de multis, etiam si illa multa non sint actu, in rerum natura, sed solum in potentia: vt patet de Sole, & Luna: sed Accidens non pôt prædicari de subiectis, nisi actu existentibus: ergo nō est vniuersale, nec prædicabile. Probatur minor: quia nullo homine existente, in rerum natura, falsum erit dicere: Homo est albus, aut Petrus est albus. 4.

Pro solutione huius quæstionis, *Notandum est primo.* Accidens duobus modis considerari. *Primò*, in ordine ad sua inferiora quidditatiua: vt color respectu albedinis, & nigredinis; aut albedo, respectu huius, & illius albedinis: & hoc modo, non constituit quintum prędicabile, sed primum, secundum, vel tertiū: nam vel genus est, vel species, aut differentia. *Secundò* consideratur in ordine ad subiecta; quibus inhæret: vt album in ordine ad hominem, vel parietem. Et hoc modo constituit quintum prædicabile, quia prædicatur in Quale accidentale.

Secundò notandum: Accidens dupliciter considerari: In abstracto, & in cōcreto: & primo modo consideratum, non dicit subiectum, sed solam formam; vt albedo, & color, & cùm hæc distinguātur realiter, à subiecto, non prædicantur de illo: falsum est enim dicere, Homo est albedo: consideratum verò in cōcreto, dicit subiectum, vt album: & à diuersis subiectis abstractum per intellectum, vt ab homine, & pariete, est vniuersale, & prædicabile respectu illorū; à quibus solùm distinguitur ratione; nec habet aptitudinem prædicandi de illis à parte rei, sed solum per intellectum; nec denique ad illa refertur relatione reali, sed rationis; sicut cætera prædicabilia, ad sua inferiora: sed quia accidēs, respi-

respicit subiectum, secundum modum inhærentiæ actualis in eo, & hoc modo prædicatur de illo; requirit actualem existentiam subiectorum, de quibus prædicatur: alioqui non erunt veræ prædicationes: & in hoc distinguitur à cæteris prædicabilibus, quæ cùm essentialia sint; vt genus, species, & differentia; vel propriæ passiones, consequentes essentiam, vt quartum prædicabile, abstrahunt ab existentia, & prædicantur de inferioribus, secundum naturalem connexionem extremorum: ideoq; non requirunt actualem eorum existentiam.

5 *His suppositis*; Conclusio respondens quæstioni est: ***Accidens in concreto sumptum, est quintum prædicabile: non respectu inferiorum quidditatiuè, sed respectu subiectorum, à quibus abstrahitur, & de quibus prædicatur, in Quale accidentale: & hoc modo sumptum definitur à Porphyrio, duplici definitione, inferius explicanda.*** Probatur hæc conclusio: Quia accidens hoc modo sumptũ, est vnum in multis accidentaliter, & ideo prædicabile de multis in Quale accidentale, distinctumque à cæteris quatuor prædicabilibus.

6 ***Ad primum arg.*** Neganda est minor; quod accidens habeat aptitudinem realẽ inhærendi, aut essendi in multis, à parte rei: nam si sumatur in abstracto, verum est, sed sic non est vniuersale, nec prædicabile: sed dicit formam accidentalem, realiter distinctam à subiectis, & realiter eis inhærentem: quæ non potest realiter prædicari de illis, propter realem distinctionem: si verò sumatur in concreto, respectu subiectorum, à quibus abstrahitur; vniuersale est, & prædicabile; vt expositum est.

Ad secundum. Distinguenda est minor: nam vt accidens sit vniuersale, & prædicabile; satis est, quòd plura subiecta, secundum potentiam existentia respiciat: sed ad exercitium prædicationum, requirit actualem existentiam subiectorum: & in primo, conuenit cum cæteris prædicabilibus: à quibus distinguitur, in hoc secundo, propter modum distinctum prædicandi, accidentalem, quem habet: nam accidens respicit subiectum, secundum actualem inhærentiam in eo: actualis verò inhærentia, petit actualem existentiã subiecti: quia nihil potest inhærere, nisi actu existenti: de alijs verò prædicabilibus, diuersa est ratio, quantum ad exercitium prædicandi; iam explicata.

QVÆSTIO II.

An diuisio accidentis in accidens separabile, & inseparabile, sit bona?

DVobus argumentis, videtur probari; quod non sit bona. Primò: Quia accidens secundum Porphyrium, duobus modis potest separari à subiecto, secundum rem, & per intellectum: ergo nullũ accidens erit inseparabile. Probatur Cõsequentia: quia accidens inseparabile secundum rem, est separabile per intellectum: vnde non bene diuiditur accidens, in duo membra. 7

Secundò. Quia si omne accidens est separabile, per intellectum: ergo hæc diuisio, comprehendit propriam passionem; quæ licèt non possit separari secundum rem, potest tamẽ per intellectum: vt risibile, potest separari ab homine: quia cùm non sit de essentia eius: potest homo intelligi sine illo. Et ex hoc sequitur, quartum prædicabile, & quintum, non distingui. Probatur Consequentia: quia propria passio, quæ constituit quartum prædicabile, pertinet ad quintum, cùm sit accidens inseparabile.

Pro solutione quæstionis; ***Annotanda est distinctio*** quam tradit D. Thom. quæst. vnica, de spiritualibus creaturis, art. vltimo

timo ad 7. vbi ait. Duplicem esse operationem intellectus, per quam vnum separat ab alio: Vna est simplex abstractio; per quam illud vnum sine alio cognoscit, sine affirmatione, & negatione: vt dum intelligimus albedinem, existentem in pariete, non intellecto pariete: non tamen negando, quòd in eo sit. Altera est abstractio composita, per quam vnum sine alio intelligimus, illud de eo negando: vt si dum intelligimus, albedinem sine pariete: negemus eam de pariete: dicentes, paries non est albus.

Secundò notandum est; quòd hæc est differentia, inter accidens separabile, & propriam passionem; quantum ad secundum modum abstractionis à subiecto: quòd subiectum accidentis inseparabilis, non solùm potest intelligi sine illo, sed etiam cum opposito, salua eius essentia: vt cygnus; non solùm potest intelligi sine albedine, sed cum nigredine, quæ non repugnat essentiæ eius. Sed subiectum propriæ passionis; quamuis possit intelligi sine illa, non tamen cum opposita: cuius ratio est, quia cum propria passio dimanet ab essentia, à qua impossibile est dimanare oppositam: impossibile est etiam, quod cum opposita intelligatur; sed accidens inseparabile, non dimanat ab essentia subiecti: ideo non repugnat, quod idem subiectum, cum opposito accidente intelligatur. Exempli gratia: sine risibilitate, potest intelligi homo; non tamen cum hinnibilitate, quia repugnat hinnibilitatem dimanare ab essentia eius: sed cygnus, non solùm potest intelligi sine albedine, sed etiam cum nigredine. quia cùm albedo non dimanet ab essentia eius, non repugnat, quod cum nigredine opposita intelligatur.

Conclusio nostra est. Diuisionem esse bonam. Probatur. Quia vtrumque membrũ, verè datur in rebus; verum accidens est, & tantum continet, quantum diuisum: ergo adæquata est, & bona diuisio: sed intelligenda est realiter, & non per intellectum: ita vt sensus sit. Accidens, vnum est separabile, à subiecto realiter: & aliud realiter inseparabile, ab eodem: & ex hoc soluitur primum argumentum.

Ad secundum. Neganda est consequentia; quia accidens commune, separari potest per intellectum, vtraque abstractione; simplici, & composita: ita vt non solùm negari possit de subiecto, sed etiam oppositum ei attribui: quod non habet passio: quia cum dimanet ab essentia: repugnat oppositam passionem conuenire subiecto. Itaque commune accidens, omnibus modis potest separari per intellectum à subiecto: proprium verò non omnibus modis: & hoc sufficit, vt ad quintũ prædicabile non pertineat.

Sed vt melius natura huius prædicabilis intelligatur: Triplex alia differentia; notãda est; quam habet respectu proprij. 10 *Prima est.* Quòd proprium dimanat, ex principiis essentialibus subiecti: accidens commune, non dimanat ab eis: sed ex aliis causis prouenit. *Secunda.* Quòd passio, primò conuenit speciei, secundario verò indiuiduis: accidens commune, ex opposito; primò conuenit indiuiduis; & ratione eorum speciei. Et ratio huius differentiæ est: quia proprium proximè dimanat à natura specifica, sed commune accidens, ex particularibus causis indiuidualibus sequitur. *Tertia* differentia est. Quod proprium prædicatur per se, de subiecto, accidens verò, quod est quintum prædicabile, per accidens.

QVAESTIO III.

An definitiones accidentis, intelligantur à Porphyrio, de inhærentia reali accidentis in subiecto, vel secundo intentionaliter, de affirmatione, & negatione?

Vide-

11 Videtur hoc secundo modo intelligi, & non primo; quod probatur ex eodem Porphyrio: qui vltimam definitionē, assignauit per negationem aliorum prædicabilium, ergo definit accidens vt prædicabile: & consequenter, non per realem inhærentiam, sed per prædicationem. Et præterea, quia vt explicaret diuisionem, non esse contrariam primæ definitioni, docuit, accidens non solū secundum rē, sed per intellectum posse separari à subiecto: ergo dum illud asserit, posse adesse, & abesse subiecto; in prima definitione, non de reali inhærentia, sed de prædicatione loquitur.

Et ratione deinde probatur. *Primò.* Quia accidens secundum realem inhærentiam, nō pertinet ad Dialecticum, sed ad Philosophum ergo in Dialectica, non per illam debet definiri, sed per prædicationem Dialecticæ propriam.

Secundò. Accidentia rationis, qualia sunt secundæ intentiones; dum prædicantur de primis; pertinent ad hoc prædicabile, & nō habent realem inhærentiam in subiecto, sed solūm sunt obiectiuè in intellectu: & tamen eis conueniunt definitiones accidentis: ergo non intelliguntur de reali inhærentia, sed de prædicatione; *Hanc sententiam tenent* Caiet. cap. præsenti, dubio 1. Iauel. tra. 4. de quinque prædicabilibus, cap. 6. Sotus in expositione textus, & eandem dicit esse probabilem, Tolet. dub. 3.

12 *Secunda opinio affirmat*; Easdem definitiones, intelligi à Porphyrio de reali inhærentia accidentis: *Et hæc est probabilior. Probatur* efficaciter ex Porphyrio, qui vt explicaret primam definitionem, non esse contrariam diuisioni, tradit diuersos modos separationis, accidentis à subiecto; nempe realem, & per intellectū: quod non esset necessarium, si definitio intelligeretur de prædicatione; & non de reali inhærentia: nam prædicatio, separationem dicit per intellectum, si sit negatiua.

Probatur secundo: quia eodem modo sumitur accidens in definitionibus, sicut in diuisione, sed diuisio non potest intelligi de prædicatione; sed de reali separatione: nam in primo sensu, nullum accidens esset inseparabile: ergo definitiones de reali inhærentia intelliguntur.

Ad primum testimonium, respondetur: Non per solam negationem aliorū prædicabilium, definisse Porphyrium accidens, sed per realem inhærentiam, quam in vltimo verbo definitionis posuit. *Secundum testimonium*, potius probat nostram sententiam.

Ad primum arg. respondetur: quòd realis inhærentia, fundamentum est secūdæ intentionis: quam necesse fuit explicare per definitiones, vt natura huius prædicabilis, melius intelligeretur.

Ad secundum dicimus, Entia rationis, non habere realem inhærentiam in subiecto, sed intelligi à nobis per similitudinem, ad accidentia realia; quæ illam habent: & ideò de illis etiam loquimur, ac si realiter inhærerent: quare per similitudinem, applicantur eis definitiones accidentis.

QVAESTIO IIII.

An prima definitio accidentis sit bona?

13 Ratio dubitandi est, quia multa sunt accidentia, quæ subiectum corrumpunt, vt morbus lethalis, combustio & mors: ergo eis non conuenit definitio: quia non possunt adesse, & abesse, præter subiecti corruptionem.

Difficultas huius quæstionis, in eo consistit: an ea quæ enumerantur in argumento, sint accidentia, vel non? Et *prima opinio*, negat esse accidentia, sed potius, dicit esse destructiones substantiæ,

vel prædicata substantialia priuatiua. Probat; quia corruptio, vel mors, est dissolutio principiorum vitæ: sed principia vitæ sunt substantialia: ergo corruptio, & mors, erunt potius quid substantiale, quam accidentale.

Pro solutione quæstionis, *notandum est*, mortem dupliciter sumi posse: primo pro corruptione rei, vt in fieri; hoc est, dum fit: aut pro corruptione in facto esse, vel iam facta: & certum est, vtroque modo sumptam, modum saltem accidentis habere, & consequenter subiectum: & cum sit quasi mutatio priuatiua, non solum habet subiectum; sed etiam terminum, quasi per eam factum: & subiectum eius est materia; quæ à forma, quæ corrumpitur, ad formam de nouo aduenientem mutatur: vt à forma hominis, quæ desinit esse in materia; ad formam cadaueris, quæ de nouo aduenit. Terminus autem corruptionis, est non esse rei; vt non esse hominis: denominat autem corruptio materiam, tanquam subiectum; in quantum est mutatio eius: & etiam terminum, nempe rem corruptam, ad cuius non esse terminatur: & ita materia denominatur priuatiuè, mutata per corruptionem, tanquam subiectum huius accidentis priuatiui: & id quod desinit esse per eam; dicitur non esse, vel esse mortuum, aut corruptum: & sicut est accidens materiæ; tanquam subiecti, in quo intelligitur inhærere; ita respectu illius conuenit ei definitio accidentis: quia adest, & abest materiæ præter eius corruptionem: terminum verò non denominat, vt subiectum; sed tanquam terminum, quẽ destruit: & ideo nõ est accidens, respectu eius, nec conuenit ei definitio accidentis.

14 *Nostra igitur sententia est. Illa omnia, quæ in arg enumerantur, esse accidentia, vel saltem modum accidentum habere: quibus suo modo conuenit definitio.* Quod probatur euidenter de morbo etiam lethali, hac ratione. Morbus adest, & abest, sine subiecti corruptione: ergo conuenit ei definitio accidentis. Probatur antecedens: quia quamdiu durat morbus, subiectum manet; & eo absente, etiam manet: ergo adesse, & abesse potest, præter corruptionem eius.

Secundò, probatur de combustione, & morte: nam ista habent modum mutationis priuatiuæ: sed mutatio habet subiectum, vt docet Arist. 1. & 5. lib. Phys. ergo est accidens; quare modum accidentium habere debent, quibus definitio conueniat.

Et ex his respondetur ad arg. Morbum esse accidens: & posse adesse, & abesse subiecto, præter corruptionem eius: quia quandiu durat, non est corruptum; sed manet. De combstione verò, & morte, dicimus esse accidentia priuatiua, materiæ; cui adsunt, & absunt, præter corruptionem eius: non tamen sunt accidentia hominis, vel domus; sed illum, & hãc denominant, tanquam terminos. Quod vero ad veritatem propositionum attinet; nempe: Homo est mortuus; vel Domus est combusta: veras esse dicimus; vt communis modus concipiendi, & loquendi tenet: quia sensus est: Homo desijt esse, aut Domus: & verus quidem; quia non denominantur, vt subiecta; sed vt termini corruptionis: quasi dicatur hominem, & domum, per mortem, aut combustionem periisse: mors namque appellatur, corruptio hominis: quia est priuatio vitæ: non verò combustio domus; sed talis corruptio.

Circa rationem tandem Accidentis. *duo sunt notanda*: *Primum*. Duobus modis 15 sumi accidens; nempe pro accidente Prędicamentorum, & pro accidente Prædicabili: & hæc acceptio est vniuer-

salior

falior,quia non solum comprehendit vera accidentia;sed illa etiam,quę licèt sint substantiæ,modo tamen quodam accidẽtali se habent ad alia:&ideo ex parte modi se habendi, videntur ea respicere tanquam subiecta;vt differentia, respectu generis,accidens prędicabile vocatur;licet sæpè sit substantia:quia adesse, & abesse potest generi,salua eius essentia. Accidens verò prædicamentale, solum cõprehendit vera accidentia: sed ex alia parte,idem accidens;vt prædicabile, minus vniuersale est: quia accidens prædicamentale,absolutè comprehendit omnia accidentia vera:accidens verò prędicabile,non cõprehendit ea; nisi sub limitata consideratione:hoc est, quatenus subiecto adesse & abesse possunt; vel prædicari,&nõ prędicari de illo. Albedo enim, aut nigredo;sicq; de cęteris accidentibus, duobus modis considerantur. *Primò*. Secundum proprias essentias; vt in eis sunt Genera,Species,& Indiuidua: & sic pertinent ad specialia prædicamenta,& non ad quintum prædicabile; sed ad primum, secundum,vel tertiũ. *Alio modo*, in ordine ad subiectum; cui adesse, & abesse possunt:& sic pertinẽt,ad quintum prædicabile.

Ex quibus intelligitur, distinctio quædam,satis necessaria prædicationis accidentalis:nam vna est Accidentalis;ab accidente prædicamentali; quando prædicatum,verum est accidens,inhærens subiecto, de quo prædicatur. Alia est accidentalis,ab accidente prædicabili, & non prædicamentali; cuius prædicatum, non est verum accidens subiecti; sed modo accidentali se habet ad illud; in quantum adesse & abesse potest ei,præter eius corruptionem:vt hæc prædicatio; Homo est albus;accidentalis est, ab accidente prædicamentali, & etiam prædicabili: hæc verò, Animal est rationale:non ab accidente prædicamentali; sed solùm ab accidente prædicabili.

Secundo notandum est. Quòd Accidens: 16
vt est quintum prædicabile; non est definiendum per plures species,vel plura indiuidua;tanquã subiecta: quia licèt vera sint subiecta accidentis; tam hæc, quam illa:quodlibet tamen est inadæquatum:itaque definiendum est per aliud vniuersalius;quod sit quasi adæquatum subiectũ eius,& in plurali sumptum, adæquatus terminus relationis eiusdem accidentis; vt prædicabilis. Vnde,talis erit eius adæquata definitio. Accidens est, quod prædicatur de pluribus, in Quale accidentale. Per quam definitionem, ratione vltimæ particulæ, patet distingui à cæteris prædicabilibus. Et hæc de prædicabilibus annotasse sufficiat.

QVAESTIO V.

An inhærentia aptitudinalis, sit de essentia accidentis?

INhærentia duplex est, Actualis, & Aptitudinalis: *Actualis*,est modus quidam, 17
per quem accidens vnitur subiecto, vt ab eo sustentetur:& porportionatur, modo per se substantiæ,per quem in se, & per se subsistit,independenter ab alio: vel sicut modus Subsistentiæ,est vltimus terminus naturæ substantialis, per se existentis,à quo completur, & constituitur in supposito:ita inhærentia actualis, est vltimus terminus naturæ accidentalis,actu existentis,complens eam, & constituens,in subiecto:& tandem, sicut subsistentia,præsupponens actualem existentiam, non distinctam realiter à natura substantiali,sed per quam est extra causas,distinguitur ex natura rei, ab eadem natura substantiali,per se existente: eadem ratione, inhærentia actualis accidentis,pręsupponens nostro modo intelligendi,naturam accidentalem actu existentem;

-stentem; distinguitur ab ea, ex natura rei.

Alia est inhærentia *Aptitudinalis*: quæ non est aliud; quàm aptitudo eiusdem naturæ accidentalis, ad actu inhærendum subiecto; vt si Deus separet accidens à subiecto; peribit modus actualis, inhærentiæ eius; per quem actu inhærebat subiecto: sed adhuc erit aptum ei inhærere: & hæc aptitudo inhærendi vocatur inhærentia aptitudinalis.

Et de inhærentia actuali, certum est apud omnes; quod non sit de essentia accidentis; quia sine illa potest esse accidens; si non naturaliter, saltem diuina virtute: & verè manet quantitas Eucharistiæ, sine inhærentia actuali; quam habebat in substantia panis. Ex quo euidens argumẽtum deducitur, probans non pertinere ad eius essentiam; & cum eadem ratio sit de cæteris accidentibus; sequitur actualem inhærentiam, nulli accidẽti esse essentialem: in quo etiam assimilatur subsistentiæ substantiali: de qua euidens est, eam non pertinere ad essentiam naturæ substantialis: cùm sit in fide certum; Naturam humanam Christi, non habere propriam substantiam; sed terminatam esse, subsistentia verbi Diuini. Ideo solùm quærit titulus quæstionis, de inhærentia aptitudinali; An sit de essentia accidentis.

18 *Et est prima opinio* Scoti in 4.d.12. quæ. vnica, & Antonij Andreæ 7.Meta quæ.4. cum cæteris Scoti discipulis; asserentium, non pertinere ad essentiam eius; sed extra illam esse. *Probant id primo*. Quia inhærentia, est relatio accidentis ad subiectum; vel relationem saltem includit: ergo non potest esse de essentia alicuius accidentis absoluti: imò aliquã rationem accidentalem, debet prǽsupponere in eo, cui conuenit; per quam fundetur talis relatio: & ex consequenti essentiam accidentis, eam fundantem: quare extra illam omnino erit.

Secundo. Si inhęrentia aptitudinalis est de essentia accidentis; omnibus æquè conuenire debet; quia quæ essentialia sũt; omnibus illius ordinis debent æquè conuenire: sed neque conuenit omnibus; neque æquè potest conuenire: ergo non est essentialis. Probatur minor, quia modus, quẽ habet quantitas Eucharistiæ, separata à substantia, est accidens: cùm terminet naturam accidentalem: & repugnat ei aptitudo inhęrendi; cùm sit modus essendi per se, & independenter à subiecto: ergo non conuenit omnibus accidentibus: sed neque æqualiter: quia iam conueniret eis vniuocè; quod videbimus esse falsum.

Secunda opinio est communis, & vera, quod inhærentia aptitudinalis sit de essentia accidentis. Ita D. Tho. in. 4. d. 18. q. & art. 1. q. etiam 1. Capr. in. 4. d. 2. q. 1. ad 1. contra 5. & 6. conc. Herue. quodlib. 4 q. 9. Iauel. 7. Meta q. 1. Caiet. 7. c. de ente, & essentia, q. 15. Et colligitur euidenter ex doctrina Arist. 7. Meta. tex. 2. vbi asserit accidentia, non esse entia, sed entis entia: hoc est substantiæ, ad quam in sua entitàte, dicunt attributionem: sed esse entia substantiæ; est posse eam afficere, secundum proprios modos intrinsecos; ergo aptitudo ei inhęrendi, est eis essentialis, ex mente Aristotelis.

Probatur etiam ratione. Quia esse per se, & esse in alio, sunt modi intrinseci substantiæ, & accidentis; diuidentes per se ens; sed esse per se, secundum aptitudinem; hoc est, aptum esse ad subsistendum per se; est de essentia substantiæ: ergo aptum esse ad inhærendum eidem substantię; erit de essentia accidentis. Probatur minor, quia substantiã esse talẽ entitatẽ cui debetur subsistẽta per se, essentiale est ei: & hoc est, esse radicẽ, vnde oritur 19

sub-

subsistentia; esse ei esséntiale: ergo etiam est esséntiale accidénti, esse talē naturā, cui debetur actualis inhærentia in subiecto: quod est, esse radicem actualis inhærentiæ: & radix hæc, est inhærentia aptitudinalis, quæ etiam erit ei essentialis.

Ad primum arg. Neganda est maior: quòd inhærentia actualis, sit relatio: sed est modus absolutus, includens, respectū quendam transcendentalem, de quo neganda est minor: quòd non possit esse, de essentia absoluti, sicut cætera prædicata transcendentalia, vt videbimus in prædicamento ad aliquid. Vbi probabimus, quòd licèt relatio prædicamentalis, quæ vocatur secundum esse, non possit pertinere ad essentiam absoluti, respectus tamen transcendentales, & secundū dici, ad essentiam plurium absolutorum necessariò pertinent.

Ad secundum. Neganda est prima consequentia, quòd inhærentia aptitudinalis, conueniat æqualiter omnibus accidétibus, aut vniuocè: nam cùm conueniat eis per attributionem ad substantiam, vel sit ipsamet attributio ad substantiam, non potest eis conuenire vniuocè: quia repugnat attributio vniuocationi. Et præterea, vnicuique conuenit secūdum proprium modum attributionis ad substantiam: quod sufficit analogiam constituere, vt in antepрædicamentis, cap. 2. ostendemus. De modo autem per se, quantitatis Eucharistię, non est certum: quòd illum habeat: sed probabile; quòd immediatè sustentetur à Deo, & etiam si illum habere dicatur; non est natura accidentalis, cui debetur actualis inhærentia: sed modus, cui per se non debetur: sicut inhęrentiæ actuali, non debetur alia inhærétia: alioqui esset processus in infinitum: sed cum sit ratio, vel modus inhærendi, non dicitur propriè inhærere: nec modo illi, per se essendi quantitatis, debetur inhærentia: quia non est natura accidentalis; sed entitas quædam modalis, supernaturaliter concessa accidenti: vt sit per se, hoc est, sine dependentia actuali à substantia: quæ entitas, accidentalis est; quia modum essendi tribuit accidenti. Itaque, naturæ accidentali, tantùm conuenit aptitudinalis inhærentia, per se; sicut ei solùm debita est actualis: modis verò, non conuenit per se: sed ratione naturæ, cuius sunt modi: sicut, nec per se inhærent; sed ratione naturæ: & cum modus ille, nec sit natura accidentalis, nec modus per se; ex propria natura conueniens accidenti; non est ei vllo modo debita, actualis inhærentia; nec erit essentialis ei inhærentia aptitudinalis.

COM-

COMMENTARII IN LIBRVM CATEGORIARVM, Aristotelis Stagiritæ; quæ Prædicamenta appellari consueuerunt, Vnà cum dubiis, & quæstionibus, hac tempestate agitari solitis.

BREVE PROOEMIVM.

De inscriptione huius libri.

QVamuis vocabulum Græcum Categoria; ex prima eius impositione, à prædicatione, seu prædicato dictum sit: communi tamen Dialecticorum, & Philosophorum consensu, iam accipitur, pro integra ordinatione prædicatorum essentialium: eademque est significatio prædicamenti: quod sic possumus describere. Prædicamentum, est dispositio prædicatorum essentialium, superiorum atque inferiorum, sub vno quodam supremo genere, quod nihil est superius, vsque ad indiuiduum, quo nihil est inferius. Vnde liber categoriarum, aut prædicamentorum, scribitur opus hoc: id est, Liber ordinationum, quibus prædicata disponuntur, secundum diuersos gradus essendi, à supremo genere, quod quasi caput totius ordinationis est; vsque ad infimas species & indiuidua.

De inuentore artis prædicamentalis.

COmmunis consensus scholæ, iam tenet, primum inuentorem huius artis, fuisse Aristotelem. Ille enim primus fuit, qui omnes gradus essendi, sic disponere docuit, vt ad certas quasdam classes reducerentur, omnes res mundi: & facilè possemus naturam, & essentiam cuiuscunque inuenire, ad propriam eius categoriam, aut prædicamentum recurrendo.

De fine huius operis.

CVM ex simplicibus, aut incomplexis rebus, efficiantur prædicamenta, patet ad Primam operationem intellectus, quę est simplicium apprehensio, pertinere: & ad perficiendam Secundam; quæ versatur circa compositionem, & diuisionem, proximè ordinari. Sed tamquam ad finem vltimum, ad Demonstrationem ad quam omnia, quæ in Dialectica tractantur, ordinari constat.

An de vocibus, vel de rebus agatur in prædicamentis?

AB omnibus refutatur, sententia nominalium: qui dixerunt, de vocibus principialiter agere opus hoc, sicut & tota scientia Dialecticæ. Quod ex eo probatur falsum: quia voces tantum sunt instrumenta; quibus loco rerum vtimur, nō valentes res, de quibus disputatur, ad scholas afferre: vt Arist. docet. 1. lib. Elenchorum. Res igitur sunt, ex quibus ordinatio prædicamentalis constituitur, mediis vocibus significatæ: & ideo de rebus principaliter, minus principaliter de vocibus, tanquam de conditionibus necessariis, agit ars prædicamentalis.

De obiecto huius operis.

OBiectum verò huius partis Dialecticæ, est categoria, seu prædicamentum, in communi consideratum; prout omnes ordinationes prædicamentales, sub se

sub se comprehendit. Quòd probatur inde: quia sub eo proximè continentur, omnia, quæ in arte hac tractantur, & rationem eius proximè participāt: quæ duo propriæ conditiones obiecti sunt.

De modo procedendi, & ordinatione huius operis, cum cæteris partibus Dialectica.

2 MOdus procedendi, quem Aristot. seruat, in hoc opere, simplex est. Quia per definitionem, & diuisionem, procedit: per quas docet, quonam modo simplicia sint ordinanda in prædicamentis.

Quod verò ad ordinem huius operis inter cæteras partes Dialecticæ attinet, sic explicari debet: vt primum locum teneat, inter omnes: quia ordinatio simplicium, & ordinata cognitio eorum, quasi ianua est, per quam ad reliquas partes Dialecticæ; & ad totam ipsam scientiam ingredimur.

Ad quam scientiam pertineat, de prædicamentis agere?

LIcèt nonnulli afferant, ad nullam scientiam determinatam pertinere; artem prædicamentalem, sed intellectum per lumen naturale, nulla scientia media; notitiam huius artis habere posse, & ideò, nec ad Dialecticam, nec ad Metaphysicam pertinere. Nihilominus, cùm prædicatorum ordinationes, non possint fieri sine arte, vel scientia, necessario dicendum est, ad scientiam pertinere; & in primis ad Metaphysicam: cuius ratio satis est per se manifesta, & nota: quia de ente reali vniuersalissimo agit: ergo ad eam pertinet, omnes modos entis realis considerare, secundum rationem propriam, abstrahendi à materia: sed prædicamenta non sunt aliud, quàm rerum ordinationes, ex quibus proprios modos entis cognoscimus: ergo hæc ars ordinādi res, secūdum diuersos modos essendi, ad Metaph. propriè pertinebit: & etiam ad Dialecticam; sed diuersa ratione: nam ad illam, secundum proprias entitates; ad Dialecticam verò, in ordine ad prædicationes, enuntiationes, & syllogismos.

CAPVT PRIMVM.

De æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis.

TEXTVS ARIST.

AEquiuoca dicuntur, quorum nomen solum commune est; secundum verò nomen, substantiæ ratio diuersa.

Textus expositio.

INtentum Arist. in hoc primo ca. est, explicare naturam nominum AEquiuocorum; Vniuocorum, & Denominatiuorum: nam cùm ex rebus fiant prædicamēta, vt significantur per voces, ex modo significandi vocum, maximè dependet distinctio rerum, quæ in prędicamento collocandæ sunt: & ita, ex applicatione harum trium vocum; tria alia constabunt. 3

Primum; quæ nam sint à prædicamentis excludenda. *Secundum*; ex quibus prędicamenta constituenda sint. *Tertium*; quonā modo res vnius prædicamenti, prædicari possint de rebus alterius.

Diuiditur autem caput, in tres partes; in quarum *Prima*, proponit Arist. definitionem æquiuocorum: in *Secunda*, definitionem vniuocorum: & in *Tertia*, definitionem denominatiuorum.

Definitiò æquiuocorum talis est. ***AEquiuoca dicuntur, quorum nomen commune est; ratio verò substantiæ nomini accommodata, diuersa.*** Quæ duas continet partes. ***In prima dicitur***, quòd æquiuoca debent habere nomen commune, vt significe-

tur, distincta esse ab eodem nomine : & esse res significatas per ipsum: vt canis latrabilis, sydus cæleste, & piscis marinus, quæ sunt res significatæ; per hoc nomen canis: distincta quidem hæc sunt ab eo, sed non dicuntur æquiuoca, nisi vt per nomen significantur: quia res non pertinent ad Dialecticam; nisi vt significantur per voces.

Et ex hoc desumpta est communis illa distinctio, qua distinguuntur æquiuoca; in AEquiuoca æquiuocata, & AEquiuoca æquiuocantia: ita vt æquiuoca æquiuocata, sint res; quæ, vt significantur tali nomine, dicuntur fieri æquiuoca in eo. AEquiuoca verò æquiuocantia, sint voces ipsæ; quæ, ex tali modo significandi, res efficiunt æquiuocas.

4 *Secunda pars definitionis est*, in qua dicitur, quod ratio substantiæ, accommodata nomini æquiuoco, sit diuersa. Per rationē verò, intelligitur definitio: vel conceptus quidditatiuus; in his, quæ non habent definitionem. Definitio igitur, vel conceptus æquiuocorum, vt significantur nomine æquiuoco, omnino diuersus esse debet: ita vt in eo nullo modo conueniant: sed solùm habeant nomen commune.

Definitio Vniuocorum hæc est. Vniuoca dicuntur *Quorum & nomen commune est, & secundum nomen eadem substantiæ ratio*. In qua, per rationem substantiæ, definitio; vel conceptus vniuocorum intelligitur: qui idem esse debet, & non diuersus, sicut diuersum esse diximus in æquiuocis.

Definitio Denominatiuorum sic habet: *Denominatiua dicuntur, quæcunque ab aliquo, solo differentia casu, secundum nomen habent appellationem*. vt a fortitudine, fortis. In qua tria continentur, quia in denominatione tria sunt: Forma denominans: Res denominata: & Denominatiuum nomen: tali ordine intelligenda; vt res denominata dicatur talis, à denominatiuo nomine: & hoc dicatur denominatiuum, à forma: & ita forma, sit quasi origo, totius denominationis. Gratia exempli: Fortis, nomen denominatiuū est, in quo res denominata, est Petrus ipse. Forma verò, à qua denominatur, est fortido. A qua nomē ipsum denominatiuum, casu debet differre: vt significetur deriuatio denominationis eiusdem, quam à forma, res denominata accipit.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum definitio vniuocorum, conueniat denominatiuis. 5

PRima opinio tenet; denominatiua simul esse vniuoca, sed diuersa ratione: nam in quantum appellationem habent ab alio, dicuntur denominatiua: in ordine tamen ad res denominatas: de quibus prædicantur, verè sunt vniuoca: vt album, respectu albedinis, à qua denominatur, denominatiuum dicitur: sed respectu huius, & illius corporis: nempe parietis, & hominis, de quibus prædicatur, vniuocū est: quare omnibus denominatiuis conuenit definitio vniuocorum. Ita Sotus q. vnica huius cap. ad secundum. Quam sententiam probabilem dicit esse Caiet. in expositione definitionis denominatiuorum. Et videtur probari ex definitione vniuocorum: quia nomen denominatiuū commune est omnibus subiectis; de quibus dicitur: vt album, homini, & parieti: & ratio significata; quæ est forma accidentalis, eadem est etiam in eis; vt albedo in eisdem, ergo conuenit eis integra definitio.

Et potest probari secundo: quia omne vniuersale, debet esse vniuocum: vt in quæst. vltima vniuersalium diximus: sed inter vniuersalia, quartum, & quintum prædicabile, sunt denominatiua: vt risibi-

risibile, & album probant: ergo denominatiua sunt vniuoca, & eis verè & proprie conuenit definitio vniuocorum.

Secunda opinio, est Toleti; qui quamuis negare omnino videatur, denominatiua esse vniuoca; vnum tamen asserit, ex quo videtur contrarium colligi: nempe illam particulam definitionis vniuocorum (ratio substantiæ) intelligi, de definitione quidditatiua, vel descriptiua: ita, vt sufficiat ad rationem vniuoci, quòd definitio descriptiua, eadem sit in omnibus vniuocatis. Ex quo colligitur, nomina propriæ passionis, vt sẽsibile, aut risibile, esse vniuoca, respectu subiectorũ, de quibus prædicantur: vt sensibile respectu hominis, & equi.

6 ***Nostra tamen sententia est, Denominatiuis nullo modo conuenire definitionem vniuocorum***, ita tenet Caiet. cap. præsenti, & est expressa sententia Arist. cap. de substantia. Vbi denominatiua asserit, non prædicari de subiectis, nomine, & ratione: quia forma significata per nomen, non est quidditatiuè in eis, sed accidentaliter.

Et ratione probatur: quia in definitione vniuocorum dicitur (quorum nomen est commune; ratio verò substantiæ eadem.) Per rationem autem substantiæ, intelligunt omnes, aut definitionem quidditatiuam, aut quidditatiuum conceptũ: quæ propriè ad substantiam rei pertinẽt: sed hoc non reperitur in denominatiuis: quia res significata per illa; neque est definitio quidditatiua, respectu inferiorum: nec quidditatiuus conceptus eorum, sed forma accidentalis: ergo non sunt vniuoca.

Ad primum arg. Distinguenda est minor: nam ratio significata per nomen, duobus modis potest esse communis, vel eadẽ in inferioribus essentialiter; aut acidẽtaliter: & primo modo, communis esse debet, vt nomen sit vniuocum, hoc enim intelligit Arist. per illa verba (ratio substantiæ nomini accommodata) in definitione vniuocorum: quia ratio substantiæ, idem est ac ratio essentialis. significatum verò denominatiuorum, solũ est commune, & vnum inferioribus, accidentaliter: & ideò non potest eis conuenire definitio vniuocorum.

Secundum arg. Soluitur alia distinctione. Vniuocum duobus modis accipitur; propriè pro eo, cuius non solum nomen commune est vniuocatis; sed definitio, vel conceptus quidditatiuis: & hoc tantum definiuit Arist. cap. præsenti. Aliud est vniuocorum, improprium: cuius significatum commune est inferioribus, solum accidentaliter: & hoc modo improprio, denominatiua possunt dici vniuoca: qui licèt non sufficiat, vt eis cõueniat definitio vniuocorum, sufficit tamen, vt sint vniuersalia, & prædicabilia: nam ad rationem vniuersalis, sufficit aliquid esse vniuocum, solum, vt distinguitur contra æquiuocum & analogum: quod habent denominatiua, per impropriam vniuocationem.

TRACTATVS DE NOMINVM Analogia.

8 TRactatio de natura,& ratione Analogiæ,maxima ex parte pertinet ad Metaphysicam:cum præcipuè reperiri possit in ente vniuersalissimo; quod proprium obiectum eius est: atque etiam in passionibus eius,& in accidenti; quod nomen prędicamentis est commune:Sed propriè pertinet ad Logicam; vt ex ea cognoscatur;Analoga excludenda esse à prædicamentis,atque etiam à syllogismis, & aliis argumentationibus: quæ in solis terminis vniuocis commodè fieri possunt. Aristoteles verò, non definiuit analoga cap.præsenti;sed solum æquiuoca,& vniuoca:quia cum sint quasi media,inter hęc extrema;cognitis vniuocis,& æquiuocis, facilè est analoga cognoscere.De quibus, quinque tantum disputanda sunt: *Primum*, quid sit analogia.*Secundum*; quotuplex sit.*Tertium*; vtrum analogum possit abstrahi, aut præscindi ab analogatis. *Quartum*;an ens sit analogum; ad Deum, & creaturas:& ad entia creata, substantialia, & accidentalia: & qua analogia, hæc omnia significet.*Quintum*; an accidens,respectu nouem prædicamentorum accidentium, analogum sit, vel vniuocum.

Explicatur quid sit Analogia.

9 SI Analogiam ex ipsiusmet nominis significatione definire velimus; dicendum erit,non esse aliud; quàm proportionem,aut conuenientiam, seu comparationem inter multa, eodem nomine significata:nam græcum nomen est; quod in latinum trãsferens Quintilianus,proportionem vocauit:Tullius verò, in vno loco,conuenientiam;in alio verò, comparationem,aut proportionem. Et omnes istæ significationes, diuersis analogis conuenire possunt; vel eisdem sub diuersa consideratione: vt dum diuersas analogiæ species enumerabimus, constare poterit.

Si verò rem potius significatam nomine analogiæ consideremus;quàm etymologiam eiusdem nominis: definitionem analogorum ex definitionibus æquiuocorum, & vniuocorum assignatis ab Arist.cap. præsenti facilè possumus colligere.Nam analoga, ex communi sententia scholæ, medium quoddam sunt;inter æquiuoca & vniuoca. AEquiuoca verò sic definit Arist. *Quorum nomen est commune; ratio verò substantiæ nomini accõmodata,omnino diuersa:vt canis,respectu latrabilis,piscis, & syderis cœlestis*. *Vniuoca, quorum nomen est commune;ratio verò substantiæ,nomini accommodata,omnino eadem.* Analoga igitur erunt, *Quorum nomen est commune: ratio verò substantiæ nomini accommodata;neque omnino diuersa, neque omnino eadem*. Secundum quam;analoga vtrumque extremum participant: conueniunt enim cum æquiuocis, & vniuocis in nomine;quod commune debet esse in omnibus:in re verò, aut conceptu per nomen significato;partim conueniunt,& partim differunt: conueniunt quidem cum æquiuocis,in eo; quod diuersus debet esse simpliciter:& in hoc differunt ab vniuocis;in quibus idem simpliciter debet esse: sed differunt ab eisdem æquiuocis,in eo; quod non omnino diuersus est;sed aliquo modo vnus,vel idem: & in hoc assimilantur vniuocis. Vnde sequitur maiorem similitudinem habere cum æquiuocis. Et hæc est ratio,propter quam cum æquiuocis enumerari solent; & etiam æquiuoca appellari:quia parum ab eis distinguuntur.

Ita-

Itaque, conceptus analogi, quantum
10 ad res significatas, nō est vnus, sed plures: quia analogata diuersa sunt: ratione tamen proportionis, vel attributionis, seu proportionalitatis, quandam habent similitudinem; & eius ratione, aliqualem vnitatem: & hoc est rationem substantię nomini accomodatam, non esse omnino diuersam, nec omnino eandem; sed proportionalem, vel similem.

Quotuplex sit Analogia?

11 CAietanus in opusc. de Analogia nominum, cap. 1. 2. & 3. triplicem Analogiam distinguit. ***Primam Inæqualitatis***, quæ reperitur in generibus, respectu suarum specierum; à quibus ratione differentiarum, secūdum inæqualitatem perfectionis participatur: vt in animali; respectu hominis, & leonis: perfectius enim participatur ab homine, ratione perfectioris differentiæ, & ideo inæqualiter ab vtroque. sed hanc analogiam, dicit; non esse talem simpliciter; nec facere nomen analogum: quia in generibus verè vniuocis, reperitur: & solū potest vocari Analogia physica; quia procedit ex diuersis formis physicis, maioris & minoris perfectionis.

Secunda species Analogiæ est, Proportionis; vnius ad alterum, vel plurimum ad vnum: & hęc etiam vocatur attributionis: quia proportio quam habet vnum ad alterum, vel multa ad vnū; habitudo quædam ad illud est; quæ attributio etiā vocatur: vt sanum, dicitur analogum proportionis, & attributionis; quia de vrina, & medicina dicitur; secundum proportionem, quam habent cum sanitate animalis; in quantum vrina, est signum sanitatis; medicina verò causa: & hoc est dici per attributionem ad illa: quare sanum respectu animalis, vrinæ & medicinæ; dicitur analogum proportionis, seu attributionis.

Tertia species Analogiæ est, Proportionalitas; Proportionalitas vero, non est aliud, quam similitudo, vel proportio duarum proportionum. 12
Gratia exempli: inter tria, & sex, reperitur proportio dupla: & eadem reperitur inter quatuor, & octo: deinde inter has duas, proportiones duplas, reperitur alia proportio, aut similitudo, in eo consistens; quod sicut se habent tria ad sex; ita quatuor ad octo Hæc igitur proportio, & similitudo duarum proportionum, vocatur proportionalitas. Et ideo nomen illud, quod significat plura, inter quæ reperitur; vocatur analogum proportionalitatis. Vt risus, significat risum hominis verum; & quasi metaphoricum risum prati; quod dū floret, quandam hilaritatem ostendit, similem ei, quam ostendit homo, dum ridet. Dicitur autem de vtroque nomen risus: nempe de homine ridēte, & de prato florido secūdum proportionalitatem: quia sicut se habet risus hominis, ad hominē; sic floriditas prati, ad pratum. Quare analogum proportionalitatis vocatur.

Ex his tribus speciebus analogiæ; prima à nullo reputatur vera, nec sufficiens ad constituendum nomen analogum: sed omnes dicunt, non esse analogiam simpliciter; sed solum secundum quid. Et ratio omniū est; quia in generibus, & pluribus alijs vniuocis, reperitur; sine præiudicio vniuocationis.

Analogiam verò proportionis, seu attributionis, recipiunt omnes; tanquam 13
veram, & sufficientem, ad constituendum nomen analogum. ***Et ratio est manifesta***. Quia sola attributio vnius ad alterum, vel multorum ad vnum, efficit; vt non omnia eodem modo, nec æqualiter significentur: sed illud vnum, simpliciter tale appelletur; cætera verò non, nisi secundum quid: ergo sola attributio facit nomen analogum. Probatur consequen-

ria ex definitione analogorum: Analoga sunt, quorum nomen est commune: ratio verò substantiæ; nec omnino eadem, nec omnino diuersa: sed eo ipso; quod significata ita se habent; vt omnia dicantur per attributionem ad vnum: ratio, sub qua; significata primo, per se, & principaliter ei conuenit; cæteris verò per attributionem ad illud: ergo non est omnino eadem in omnibus: quia si eadem esset æquè primo; & sine dependentia ab aliis; conueniret singulis; vt patet in vniuocis: quare necesse est dicere; quod sola attributio efficiat analogiam.

Secundò; Sola attributio tollit vniuocationem: ergo sola facit nomen analogum. Euidens est consequentia: quia vbi est attributio significatorum; non est æquiuocatio nominis; cum aliquid sit eis commune, præter nomen; nempe similitudo illa, & correspondentia, quam facit attributio: si ergo attributio tollit vniuocationem; necesse est eandem efficere nomen analogum: quia nullum datur medium, inter vniuocum, & æquiuocum; præter analogum. Cæterum probatur primum antecedens; ex definitione vniuocorum. Vniuoca sunt, quorum nomen est commune; ratio verò substantiæ nomini accommodata, omnino eadem: sed attributio efficit, vt ratio non sit omnino eadem, nec æqualiter participetur ab omnibus; sed primo ab vno, à reliquis verò cum dependentia ab eo: ergo tollit vniuocationem.

14 De analogia verò proportionalitatis; non est certum, quod sit talis simpliciter; ita vt sola sufficiat efficere nomen analogum: sed, *prima opinio tenet*; quod sufficiens sit; non minus quam analogia attributionis. Ita Caietanus vbi supra: ita etiam videtur sentire D. Thom. de veritate, q. 2. art. 11. ita deniq; plures moderni.

Secunda opinio est aliorum modernorum; qui hac distinctione vtuntur. Proportionalitas, duobus modis potest reperiri, inter significata nominis; *Primo sic*: vt non significetur ipsa per illud nomen; sed alia ratio communis eorum: & hoc modo sumpta, non sufficit ad efficiendum nomen analogum. Quod verò nō significetur per nomen; videtur manifestum: quia animal, solum significat naturam sensitiuam, communem speciebus; non proportionalitatem inter eas repertam. 15

Secundò, ita, vt per nomen ipsa analogia significetur; & hæc sufficiens erit ad constituendum illud analogum: & quia nullum est nomen impositum, quo significetur: nulla datur talis analogia: daretur tamen, si imponeretur nomen ad eam significādam. Cuius rationem, vel exemplum non afferunt; sed vtrumque afferre possumus: exemplum quidem; in hoc nomine; principium: quod analogicè dicitur, de fundamento domus, de puncto; quod est principium lineæ, & de præmissis demonstrationis, per se notis: & inter hæc, nulla est attributio; sed omnia æqualiter, & per se significantur: sola proportionalitas reperitur: quia sicut se habet fundamentum domus, ad domum ab eo incipientem; sic se habet punctum ad lineam; & principia demonstrationis, ad demonstrationem: & quia per nomen significatur (cum ratione proportionalitatis, videantur significare tria illa: & non ratione alterius conceptus eis communis) sufficit constituere analogiam.

Ratione verò probari potest: quia proportionalitas præsupponit necessariò; diuersa esse illa, inter quæ reperitur, sed ab ea recipere aliquam similitudinem, & vnitatem: ergo efficit, vt ratio significata per nomen, non sit omnino diuersa, sed nec omnino eadem; quia aliqualis est similitudo, & vnitas in ea: quare sola effi-

la efficit nomen analogum.

Tertia opinio tenet; Proportionalitatē
16 quomodocunque repertam, inter significata eiusem nominis, non sufficere ad constituendum nomē analogum: sed necesse est, vt sic reperiatur; quod vnum eorum sit absolutè tale, per suam formam, aut per suum esse: aliud verò, non sit absolutè tale per suum esse; sed vt substat tali proportioni, vel comparationi ad aliud. Exemplum esse potest in risu; qui ita significat risum hominis, & floriditatem prati; vt illi quidem per proprium esse sit absolutè talis: hæc verò non, nisi in quantum talem habet proportionem, aut proportionalitatem cum eo. Manifestum est enim floriditatem prati, non esse nec vocari risum; nisi per ordinem ad risum hominis. Ita sentit pater Frācisus Suarius, to.2.suæ Meta.disp. 28.sect.3.n.11.

Nostra sententia tribus conclusionibus explicatur. *Prima est. Proportionalitas, non est vera analogia: nec sufficit analogum nomen facere nisi per illud significetur.* Hæc videtur mihi euidens; vt *probat hoc arg.* Res non habent analogiam, aut vniuocationem; nisi in quantum per voces significantur: ergo nec sunt analoga proportionis, vel attributionis; nisi in quantum, vt eam habentes, significantur. Cuius euidens signum est, quod quia diuerso modo significantur, per diuersas voces; fieri potest; vt æquiuocè per vnam; vniuocè verò per aliam significentur: Vt Canis, nomine bestiæ latrabilis, Piscis, & Sydus, æquiuocè significantur; & vniuocè eadē designantur per nomen substantiæ: ex eo, quod substantia significat conuenientiam essentialem eorum: canis vero nullam. Vt igitur nomen sit vniuocum: necesse est, significet conuenientiam multorum: & eodem modo, vt sit analogum; necesse est, vt significet diuersitatem simul, & conuenientiam multorum: sed analogata, habent conuenieniiam, aut similitudinem, ratione proportionalitatis, aut attributionis: cum sint diuersa simpliciter; ergo non possunt, vt analogata significari: nisi proportionalitas ipsa, vel attributio significetur.

Secundo probatur. Quia licet significata alicuius nominis, vniuocam habeāt 17
conuenientiam; si tamen non significentur, vt eam habent; non erunt vniuocata, nec nomen quo significantur, vniuocum; sed conuenientia se habebit materialiter tantum, aut concomitanter; & erit, quasi non esset, ad effectum efficiendi nomen analogum: ergo licet aliqua habeant inter se conuenientiam analogicam; si hæc non significetur, materialiter, & quasi concomitanter se habebit; & erit quasi non esset; ad effectum constituendi nomen analogum. Quare necesse est per nomen significari.

Secunda conclusio. Proportionalitas, aliquando significatur per nomen analogum: & ideo, si significata sufficit constituere speciem distinctam, ab analogia attributionis; efficiet eam distinctam: & ita fatendum erit, esse actu, in rerum natura, diuersas species analogiæ. Hæc est contra secundam opinionem: quæ negat, diuersas esse species analogiæ, & analogorum; nempe proportionalitatis, & attributionis: quāuis fateatur, esse possibilis; si nomen imponatur, ad significandam proportionalitatem multorum.

Probatur efficaciter, exēplo risus; quo significatur, floriditas prati, simul cum risu vero hominis; ex eo solum: quia sic se habet pratum, dum floret, præ se ferens quandam hilaritatem; sicut se habet homo, dum ridet: sed hæc est proportionalitas: ergo significatur floriditas prati; in quantum habet proportionalitatem cū risu hominis: quare falsum erit; quod proportionalitas nunquam significetur

significata, potest reperiri simul cum vno, & altero extremo: ergo non facit medium; quod est, non efficere nomen analogum: Probatur minor: quia etiamsi species animalis, apprehendantur ab intellectu, sub proportionalitate; hoc est, vt ita se habet leo, ad suum esse animalis, quod participat ab animali; sicut homo, ad suum, quod ab eodem participat; eadem intelligitur natura animalis in eis: ergo non desinunt esse vniuoca: & ex consequenti, non apprehenduntur, vt analoga: nec essent analoga, si sub eadem proportionalitate significarentur, per nomen: quia vt probatum est, eodem modo significantur per nomen: quo apprehenduntur per intellectum.

Probatur deinde aduersus tertiam: Quia proportionalitas, ratione sui, non facit floriditatem prati esse, aut vocari risum; sed ratione attributionis, quam causat in ea, ad risum hominis: ergo nec ratione sui, facit eam analogatum risus, aut risum esse analogum, sed ratione attributionis. Probatur minor. quia si ratione sui, faceret eā analogatū, omnia alia, in quibus reperitur, faceret analogata: sed probauimus, ea nō facere: ergo nec facit floriditatē prati analogatū risus, nisi ratione attributionis, quam causat in ea: quia attributio, vera est analogia, & per se efficit nomen analogum.

Ex his conclusionibus sequitur, proportionalitatem, non esse veram analogiam; nisi vt per se coniunctam attributioni: & ratione huius, non ratione sui: & ideo non facere distinctam speciem analogorum; vllo modo, sed omnia analoga, esse attributionis, vt docuit expresse D.Th.1.p.q.13. ar.6. vbi ita ait. *In omnibus nominibus, quæ de pluribus analogicè, dicūtur; necesse est, quod omnia dicantur per respectū ad vnum: & ideo illud vnū, oportet, quod ponatur in definitione omniū.*

Et probatur, hac ratione. Inæqualitas sola, nō sufficit analogum facere, nec sola proportionalitas, etiam per nomen significata: sed præter has, sola attributio restat, de qua probatum est per se facere nomen analogum: ergo solùm datur analogia attributionis, & sola analoga attributionis. Nomine autem attributionis, intelligimus, quamcunque habitudinem, vnius ad alterum, vel multorum ad vnum; per ordinem, ad quod dicantur talia. Et hoc modo intellecta, tertia opinio vera esse potest, asserens, proportionalitatem non facere analogiam: nisi vnum eorum, inter quæ reperitur, dicatur absolutè tale per suum esse, aliud verò, non nisi per habitudimem ad illud; eiusmodi enim habitudo, sub nomine attributionis comprehenditur, & proportionalitas, à qua causatur ratione illius, & non ratione sui, facit nomen analogum.

Ad exemplum primæ opinionis, Respondent aliqui. Principium esse æquiuocum; à consilio: quia à consilio impositum est ad diuersa significanda. Alij vero dicunt, Esse analogum proportionalitatis. Sed vtrumque videtur falsum: primū quidem, quia Arist.5. lib. Meta. c.1. enumerans principia omnia, diuersæ rationis, asserit; conuenire in ratione principij his verbis. *Omnibus igitur principiis commune est primum esse, vnde aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Ergo principium. non est æquiuocum. Probatur consequentia: quia æquiuoca non possunt conuenire nisi in solo nomine. Quia verò non fit analogum proportionalitatis, ex dictis sequitur, quia proportionalitas non sufficit ad efficiendum nomen analogum. Dici ergo posset; Principium esse analogum attributionis: quia primo, & per se significat, principium, à quo per veram originem procedit aliud, secundum esse & per attributionem ad hoc principium

V dicitur

dicitur de reliquis. Vel, cui non placuerit, analogum hoc modo esse: dicat potius, esse vniuocum, quàm æquinocum: qui hoc vltimũ expressè, est cõtra Arist.

Ad rationem verò: Negandum est antecedens, quòd proportionalitas præsupponat diuersa esse illa; inter quæ reperitur: nam licèt supponat esse distincta; tamen indifferenter potest reperiri inter ea, quæ vniuocè conueniunt; & inter ea, quæ conueniunt solo nomine: & ideò, nõ facit per se nomen analogum.

Ad testimonium D.Tho. respondeo. Eam sententiam, absq; dubio, rectè tractasse in eodem loco primæ partis, à nobis citato, vbi tam expressè tenet oppositam.

An necesse sit rem, vel conceptum, significatum nomine analogi, intrinsecè solum reperiri in principali analogato, in cæteris verò solum per extrinsecam denominationem?

251 SVpposito, quòd solum dentur analoga proportionis, seu attributionis; dubitatur: an necesse sit; quod significatum eorum, solùm reperiatur formaliter in principali analogato; in cæteris verò, nõ formaliter: sed solùm per extrinsecam denominationem: vt videmus, in hoc nomine, sanum; quod significat sanitatẽ: & hæc, solùm reperitur formaliter in animali, quod est principale analogatum: in vrina verò, & medicina; solùm per extrinsecam denominationem: in illa quidem; tanquam in signo, & in hac, tanquam in causa.

Et prima opinio aliquorum asserit; necessarium esse; quòd in solo principali reperiatur formaliter, & intrinsecè. Quod probari potest, quia in eo solo hoc modo reperitur, per se primò; cætera verò, solùm videntur esse, quasi attributiones ad illud: ideo Arist. de accidentibus dixit; non esse entia, sed entis entia, hoc est, aliquid substantiæ: sed attributio, non videtur esse; nisi quædam extrinseca denominatio: ergo solùm in eis reperietur, per extrinsecam denominationem.

Secunda opinio est communis, omniũ modernorum, negans hoc esse necessarium: sed indifferenter esse posse, in omnibus formaliter, vel solum in principali, secũdum diuersam naturam, & conditionem eorum. Et hæc est expressa sẽtẽtia D.Th. in 1. d.19.q.1. *& est vera, & à nobis amplectenda. Probatur*; Ratione, & Exemplis: Ratione quidem; quia attributio est, quæ facit analogiam: sed hæc potest reperiri inter ea: quæ formaliter participant rationem, vel conceptum analogi; sicut reperitur inter ea, quorum vnum tantum formaliter eam participat: ergo vtroque modo se habere possunt analoga, & non vno tantum, vt asserit prima opinio. Probatur minor: quia bene potest intelligi, quòd vnum, vel plura participent rationem formalem significatam: quam non habeant, nisi cum dependentia, & attributione ad vnum, in quo per se primò reperiatur.

Probatur secundò Exemplis. Nam ens dicitur analogicè, de substantia & accidente, atque etiam, de Deo, & creaturis, vt inferius probabitur: sed entitas, quam significat; non solùm reperitur formaliter in substantia, sed etiam in accidentibus: nec solùm in Deo; sed etiam in creaturis: ergo, non est necessarium, quod solum in principali analogato reperiatur formaliter. Probatur minor. quia creatura, entitatem habet intrinsecam, & formalem, productam in rerum natura, per creationem, aut per aliam actionem: ergo non reperitur in solo Deo: quamuis, per se, in eo tantum; & per participationem, & attributionem, ad ipsum, in creatura. Et in accidentibus, reperitur etiam entitas propria, formalis, & intrinseca: quamuis

quamuis non sine intrinseca dependentia à substantia, vt in quantitate, & qualitate manifestum est.

Sed respondent aliqui, pro prima opinione; Accidens non esse ens, sed entis ens: hoc est; esse aliquid substantiæ: vt sæpe asserit Arist. & hoc est non habere aliam entitatem; nisi attributionem ad substantiam, in quadam denominatione extrinseca consistentem, sibi autem intrinsecum, & essentialem. Sed hoc non potest esse verum, vt ex eadem solutione, in primis colligitur. Nam si accidens, est entis ens: ergo est ens substantiæ: habet igitur veram entitatem, per quam afficit substantiam. Quod videtur probari euidenter, his experientiis. Quantitas in Eucharistia non inhæret substantiæ, sed ab ea est separata: & tamen est vera entitas, quam videmus, & tangimus. Albedinem etiam sentimus, per visum, & calorem, per tactum: ergo euidenter probatur; quòd hæc accidentia, & similia, non sint extrinsecæ attributiones, aut denominationes: sed verę entitates reales: quia sola denominatio extrinseca, nō sētitur, nec potest esse per se, obiectum sensus.

25 *Et confirmari potest*. Quia accidentia hæc, habent suos effectus formales, in subiectis; in quibus sunt: nec solum formales; sed reales, & physicos: vt albedo; facit parietem, realiter, & formaliter album: & calor, facit aquam realiter, & formaliter calidam: sed effectus isti, non possunt procedere à causis in sola denominatione extrinseca consistentibus, sed ab his, quæ veram, & intrinsecam habent entitatem realem: per cuius realem virtutem eos producunt: ergo accidentia, veram, & intrinsecam habent entitatem: alioqui, intellectus & voluntas; quæ sunt accidentia, superaddita substantiæ animæ rationalis, ad operandum; non erunt, nisi denominationes extrinsecæ, ei superadditæ. Quod patet esse falsum; cùm sint potentiæ reales; per quas tanquam per virtutes reales, elicit anima veras & reales operationes.

Ad argumentum verò. Neganda est consequentia: quia, licèt solùm in principali analogato, reperiatur prima & per se ratio significata per analogum; in cæteris verò, solum per attributionem ad illud; intrinsecè tamen, & formaliter reperiri potest: quia attributio, hoc non tollit; vt probatum est.

An conceptus formalis analogorum, sit vnus & abstractus ab analogatis; vel multiplex: & ab eis an abstrahi possit?

26 Conceptus, quem format intellectus de aliquo: duplex est; vt cap. de differentia notauimus: formalis, & obiectiuus. Conceptus formalis, est qualitas mētis, quam intellectus producit; vt sibi faciat obiectum actu præsens, & illud intelligat: nam per hanc qualitatem, sibi perfectè repræsentatur. Conceptus verò obiectiuus, est obiectum, quod intelligitur; in quantum per formalem repræsentatur. Et de vtroque procedit quæstio: & ideo habebit duplicem partem. *In prima* disputabimus, de vnitate conceptus formalis. *In secunda*, de vnitate conceptus obiectiui.

Sed conceptus formalis, etiàm est duplex: Vnus est, conceptus vocis significantis. Alter, conceptus rei significatæ. Et de primo certum est; quòd sit vnus: quia nomen analogum, est vna vox simplex: ergo per vnum simplicem conceptum, à nobis intelligitur. De conceptu verò formali rei significatæ, per nomen analogum, procedit quæstio, *An sit vnus?*

Prima opinio tenet; Dari vnum conceptum formalem rei significatæ, per analo-

V 2 gum, ita

gum: ita Scotus, loco inferius citando. Herueus quodlib.2.qu.7. Sotus cap. præsenti. Fonseca.4.Meta.cap.2.qu.12.sect.5.P. Franciscus Saurius, tomo.1.suæ Met.dis.2. sect.1.sed diuerso modo procedunt: nam Scotus vnum conceptum formalem ponit: quia tenet, ens esse vniuocum: vniuoca verò, vnico conceptu formali medio, sua vniuocata significant. P. Suarius, ideo ponit vnum conceptum formalem: quia vnum etiam ponit obiectiuum, abstractum ab analogatis. Herueus & Sotus, licèt non ponant eundem conceptum obiectiuum; asserunt tamen formalem esse vnum. Et tandem Fonseca ponit vnum formalem non distinctum sed confusum: quia non repræsentat distinctè analogata; sed confusè.

27 Probatur duplici arg. Primò; quia analogum, non solum est vna vox simplex, & non æquiuoca; sed vnam habens significationem, ex sua impositione: sed voces significant mediis conceptibus; ergo significabit, medio vnico conceptu formali. Quod experientia videtur probari: nam audito nomine Entis, aut alterius analogi, non concipit intellectus analogata, sub determinato conceptu, vt substantiam, vel accidens; sed vnum quid nempe entitatem, ergo non format plures conceptus formales eorum, sed vnum eiusdem entitatis.

Secundò; Quia si conceptus formalis analogi, non est vnus, sed plures: ergo tot formabit conceptus intellectus, audito nomine, quot analogata habet: vnde si hæc fuerint decem; vt contingit in ente, significante omnia prædicamenta, vel etiam si fuerint viginti, tot conceptus simul formabit intellectus: quod videtur impossibile. Probatur consequentia, quia si plures format; non est maior ratio, quare duos tantum, & non plures. Nec etiam, quare formet conceptum potius horum, quàm aliorum: ergo vel tot, quot sunt analogata; vel tantum vnum.

Secunda opinio, Negat conceptum formalem analogi, esse vnum: quam sequitur Ferra.1.contra gent.cap.34. & cum eo plures moderni: ***Et hac videtur nobis probabilior.*** 28

Et probatur primò. Quia analogum conuenit cum æquiuoco, in eo; quod significat multa simpliciter, diuersa: non tamē omnino diuersa, sed secundum quid eadē: & in hoc distinguitur: sed audito nomine æquiuoco, format intellectus diuersos conceptus formales, propter diuersitatem significatorum: ergo audito nomine analogo; formabit etiam plures simpliciter: licèt non omnino diuersos; sed aliqualem similitudinem habentes.

Secundò. Vnitas conceptus formalis, sumitur ex vnitate conceptus obiectiui, per illum repræsentati: sicut vnitas imaginis, ex vnitate rei repræsentatæ: sed conceptus obiectiuus analogi, non est vnus, vt in 2. parte quæstionis probabitur; ergo nec erit vnus formalis. Errant enim satis apertè illi, qui non ponentes vnum conceptum obiectiuum analogatorum, sed plures admittunt nihilominus vnitatem conceptus formalis: contra quos euidenter concludit, ad hominem, hoc argumentum quia nullam potest habere vnitatem conceptus formalis; quam non accipiat ab obiectiuo.

Ad primum arg: Concedendum est antecedens, ex ea parte; qua dicit, analogum esse vnam vocem simplicem: & ideò vnus datur conceptus eius; sed negandum, quòd vnam habeat significationem: sicut non habet vnam rem significatam, sed plures, atque diuersas simpliciter, ad quas significandas, vnica impositione fuit

fuit imposita: quia licet plures sint res; omnes tamen habent attributionem ad vnam: & ideo vnica voce, & vnica impositione, ad eas significandas; possunt designari.

Ad experientiam verò, in eodem argu-
29 *mento adductam,* Concedimus; quod audito nomine analogo, non concipit intellectus analogata; sub expresso, aut distincto conceptu; bene tamen sub confuso actuali: vt in secunda parte dicetur. Nec tamen concipit vnum quid, eis commune; sed plura, simpliciter diuersa; sub ratione tamen communi, solum secundum quid; propter attributionem, quam habēt ad vnum.

Ad secundum. Concedendum est totum; quod assumit; & negandum; esse impossibile, quod decem conceptus formet intellectus; si decem sint significata analogi: vt contingit in ente; vel etiam plures, si plura habeat significata. Non est enim impossibile, intellectum tot simul formare conceptus; sub vnitate eiusdem vocis, tot res significantis; quot satis est manifestum, in æquiuoco: quo audito; nullus negat, tot formare conceptus intellectum, quot sunt significata eius; plura vel pauciora: & in analogo, est alia ratio particularis: quia non solum plures conceptus, habēt ordinem ad vnam vocem; sed etiam ad vnam rem, principaliter significatam; ad cuius conceptum ordinantur omnes alij.

Et ex hoc intelligitur; non dari conceptum formalem, analogis cōmunem, atque distinctum, à conceptibus analogatorum; sed plures tantum eorundem. Vnde, nullus datur conceptus formalis entis; præter conceptus prædicamentorum.

Secunda pars quæstionis, de vnitate conceptus obiectiui analogorum.

Dvplicia sunt analoga; vt dubio præcedenti insinuauimus. *Quædam sunt;* quorum significatum non reperitur formaliter, & intrinsecè; nisi in principali analogato; in cæteris verò, per denominationem extrinsecam: vt sanum, quod sanitatem significat; sicut album, significat albedinem: & tamen sanitas, non reperitur formaliter; nisi in solo animali: in vrina verò, & medicina, solum per denominationem extrinsecam; signi, vel causæ. *Alia sunt analoga;* quorum significatum reperitur formaliter, in omnibus analogatis; sed per se primo, & principaliter, in vno tantum: in reliquis vero, per intrinsecam dependentiam, & attributionem ad illud: & de vtrisque procedit quæstio. *An habeant vnum conceptum communem, & abstrahibilem ab analogatis?* Sed de primis primo dicendum est; deinde de aliis.

Est igitur prima opinio modernorum. Quod hæc analoga, significent vnum conceptum obiectiuum; quem intellectus abstrahit ab analogatis. *Probatur primò* quia hæc analoga, non sunt æquiuoca: ergo nō habent solam vocem communem; sed aliquid etiam, per illam significatum: sed quæcunque ratio communis potest abstrahi à particularibus; quæ in ea conueniunt: ergo datur conceptus horum analogorum, abstrahibilis ab eis.

Secundò: quia audito nomine, sanum, potest aliquis concipere, aliquam rationem communem sanitatis, non considerando rationes particulares, aut distinguendo diuersas; quas habet, in animali, vrina, & medicina; & cōceptus iste communis est eis: ergo est vnus, & abstractus ab eisdem; secundum particulares rationes consideratis.

Secunda opinio est communis, & vera: quod ab his analogis, non possit abstrahi conceptus communis, sed ea proximè significare

rationes particulares analogatorum, aliquo modo similes, vel proportionatas; in ordine ad vnum principale. Ita Caiet. opusc. de analogia nominum, cap.5. Sotus praesenti, q.1.art.2. Corol.3. Fonseca 4. Metap.
31 cap.2.quaest.1.sect.6. vers.3. discrimen.

Et probatur ratione. Quia haec analoga; significant vnam formam, solum existentem in principali analogato; non in alijs; in quibus solum est, per extrinsecam denominationem; vt sanum, significat formam sanitatis in solo animali inhaerentem, non in vrina, & medicina; quae solum dicuntur sana per extrinsecum respectum; causae, vel signi, ad sanitatem animalis: sed à re, formaliter significata, & per solam extrinsecam denominationem; non est abstrahibilis, vna ratio, vel conceptus communis: quia forma, & signum, vel causa, se habent; tanquam causa, & effectus: quorum rationes diuersae sunt; licet ordinem dependentiae, vel attributionis habeant, & ideo non datur conceptus eis communis: ergo nec dabitur conceptus communis, horum analogatorum.

Secundo, quia conceptus vnus, & communis multis, formaliter debet in eis reperiri: sed conceptus horum analogatorum, solum reperitur formaliter in principali analogato: vt patet de conceptu sanitatis: ergo non est vnus omnibus eis communis.

Sed respondeat aliqui, pro prima sententia. Conceptum horum analogatorum, non esse solius formae; sed abstrahere ab inclusione formae, aut ratione signi, vel causae: ita vt vniuersalior sit; solum dicens, vniuersalem rationem sanitatis: & non particularem sanitatis formalis: & hunc conceptum abstractum, formaliter reperiri in omnibus: nam esse causam sanitatis; formaliter, & intrinsece, reperitur in medicina: & esse signum; formaliter conuenit vrinae: sicut sanitas actualis; formaliter conuenit animali.

Haec tamen solutio falsum supponit. Quia 32 nomen sanum; impositum est ad significandum, veram, & actualem sanitatem: vnde in communi modo loquendi, & concipiendi; illud solum Vocatur sanũ, quod formalem habet sanitatem: sicut nomen risus; impositum est ad significandum verum risum hominis; quem solum intelligimus, audito hoc nomine: ergo non significant eiusmodi analoga, vniuersaliorem illam rationem; sed ex eo, significant minus principalia analogata; quia intrinsecam habent attributionem, ad formam existentem in principali analogato; per nomen primario significatam. Nec vera est illa ratio communis, vniuersalior; & abstrahens à formali, & intrinseca sanitate; quam obijcit argumentum; sed ficta: quia formae, signo, & causae: nihil datur commune: sed solum haec appellantur sana, per attributionem ad illam; propter quam ei aliquo modo assimilantur: sed similitudo non est intelligibilis, sine rationibus particularibus eorum: & ideo, nec est ab eis abstrahibilis: imò, nec intelligibilia sunt particularia significata; nisi actu intellectis rationibus particularibus: non quidem distincte; & expresse; vt significantur propriis nominibus: sed confusè tantum: & hoc modo significantur nomine communi, & analogo: cuius ideo, non potest dari conceptus obiectiuus, communis; abstractus ab analogatis.

Ad primum arg. Concedendum est antecedens, cum prima consequentia: minor verò distinguenda: nam ratio com- 33 munis, duplex est: Communis simpliciter; aut Secundum quid: illa reperitur in vniuocis: haec in analogis: & illa solum, abstrahiblis est; à particularibus rationibus vniuocatorũ: haec verò, nullo modo potest

do potest abstrahi; à particularibus rationibus analogatorum sed necessariò debet eas actu confuso includere. Ratio huius discriminis est: quia ratio communis simpliciter; est ratio naturæ, aut modi, in inferioribus existentis; communis verò secundum quid; nihil est, præter proportionem, aut attributionem, inter rationes particulares: & ideo, non est intelligibilis, sine inclusione actuali particularium: saltem confusa: & ex consequenti; nisi intellectis particularibus, actu confuso; hoc est, non distincte nec expresse, vt significantur propriis nominibus: & hoc est, non esse abstrahibilem conceptum communem ab eis: quia conceptus, qui à particularibus abstrahitur; nō includit ea actu, sed solum in potētia.

34 *Ad secundum*. Distinguendum est antecedens: quia dupliciter contingit, concipere rationem communem, audito nomine analogo: non conceptis particularibus. Distincte, & expresse; aut solum confusè. Actu igitur expresso, & primo modo, concipi nequit ratio communis, secundum quid; non conceptis particularibus; sed secundo modo: quia communis illa ratio; non est aliud, præter particulares proportionatas: & ideo, necessario conceptas actu, eodem conceptu: non actu expresso, aut explicito; sed confuso, & quasi implicito.

Maior est difficultas, de alijs analogis; quorum ratio, vel forma significata formaliter, & intrinsecè, reperitur in omnibus analogatis: licet primò, & per se in vno; in alijs verò, per intrinsecam dependētiam, & attributionem, ad illud & tale analogum, est ens; secundum communem, & veram sententiam: & ideo, in illo placet exemplum ponere. Cum enim forma significata, quæ est entitas; formaliter reperiatur, in substantia, & accidentibus; videtur abstrahi posse, rationem communem entitatis, à particularibus rationibus prædicamentorum, quam participabant omnia, tanquam formam intrinsecam.

Et est prima opinio, quæ asserit, Conceptum analogi, vnum simpliciter esse, & abstractum, à particularibus rationibus analogorum: & ideò ratione distinctum ab eis. Ita Iauellus 4. Meta. quæst. 1. Sotus vbi supra. Probatur testimonijs Arist. & D. Th. deinde rationibus. Arist. 4. Meta. tex. 7. asserit; Metaphysicam considerare ens; in quantum ens: quasi dicat, non vt substantiam, vel accidens; sed sub ratione vniuersaliori, entitatis realis; datur ergo ratio vniuersalior, substantia, & accidente: quam necesse est, esse abstractam ab eis, vnam atque communem. Probatur consequentia; quia vniuersale, est quid abstractum à particularibus, eisque commune. 35

Et D. Tho. 1. part. quæst. 5. art. 3. ad primum, ait: *Substantiam, quantitatem, & qualitatem contrahere ens applicando illud ad aliquam quidditatem, seu naturam: sed contractio non potest intelligi, nisi respectu alicuius communis, quod determinatur ad particularia*; ergo sentit ens: & quodcūque ex his analogis significare cōceptū communem, & abstractum ab analogatis. 36

Probatur etiam ratione; *Primò*: quia entitas formaliter, & intrinsecè est in substantia, & accidēte: ergo in eo cōueniunt, vel assimilantur, quod vtrumque formaliter est ens, sed cuiuscunque conuenientiæ abstrahi potest conceptus communis eis, quæ eam habent; ergo abstrahibilis est conceptus communis entitatis, in qua assimilantur substantia, & accidens, & iste erit vnus, atque ratione distinctus ab eis.

Secundò: quia concipere possumus de re aliqua, quod sit ens, & dubitare an sit substantia, vel accidens: ergo in conceptu entis

entis, neutrum includitur secūdum particularem rationem, aut modum intrinsecum. Probatur consequentia; quia si includerentur speciales rationes; certò cognosceremus, quænam ei conueniret, eo ipso quod concipimus esse ens; & ideo non haberet locum dubitatio. Sed si non includuntur speciales rationes in eo cōceptu, erit abstractus, & vnus: cum nihil includat diuersitatis, sed solam conuenientiam: ergo datur vnus conceptus analogi abstractus ab analogatis.

37 Probatur *tertiò*; quia si non datur conceptus abstractus, & communis entis; erit quasi aggregatus ex omnibus rationibus specialibus prædicamentorum. Ita vt qui dicit ens, dicat substantiam, quantitatem, qualitatem, & cætera prædicamenta: sed talis conceptus de nullo analogato potest prædicari; ergo falsæ erunt omnes istæ prædicationes; substantia est ens, quantitas est ens, qualitas est ens, quod est absurdum. Probatur consequentia; quia sensus earum erit, substantia est substantia, quantitas, & qualitas, & sic de cæteris, qui est manifestè falsus.

Hanc sententiam defendit P. Franciscus Suarius 1. tom. suæ Meta. disp. 2. sect. 1. additque tria: *Primum*, hunc conceptum obiectiuum entis sic esse præcisum ab inferioribus, vt in eo non includantur actu distincto, vel confuso modi intrinseci eorum, videlicet per se, & in alio. *Secundū*, ens non significare immediatè substantiam, & accidens; sed illum conceptum communem, & abstractum; quo medio descendit ens ad vtrumq;. *Tertium*, hunc conceptum communem non solum esse vnum, vt abstractum ab inferioribus, sed etiam, vt ad illa comparatur: & hoc addidit propter quandam opinionem aliorum modernorum, qui dicunt, vt abstractum esse vnum, non tamen vt comparatum ad inferiora: quia in illis, vt expressè conceptis diuersificatur; quam sententiam specialiter referre necessarium non puto. In his autem tribus, satis consequēter loquitur doctissimus pater.

Secunda opinio est aliorum modernorū, 38 qui concedunt conceptum entis abstrahi posse à particularibus substantiæ, & accidentis, & vt sic abstractum ab eis esse vnum simpliciter; sed comparatum, cum eisdem, vel consideratum in eis expressè conceptis, hoc est vt propriis nominibus significantur, non esse vnum, sed fieri in eis diuersum. Quod probari potest, quia communis ratio entitatis, vt est in substantia, & accidenti, non distinguitur ab eis, licet in abstractione distinguatur, sed conceptus expressi eorum sunt diuersi; ergo ratio entis, vt in eis existens, non potest esse vna, sed debet esse diuersa.

Tertia opinio, negat omnino dari vnū 39 conceptum obiectiuum simpliciter abstractum ab analogatis, quam sequuntur Capre. in 2. d. 2. q. 1. & apud ipsum Aureol. Ferra. 1. cont. gent. cap. 20. Deca Hispalens. in 1. d. 2. q. 1. Caiet. in opusc. de ente & essentia, ca. 1. p. 2. & tract. de nom. analog. c. 5. & 6. Sōc. 4. Metaph. q. 2. Pere. 2. lib. Phys. c. 2. in fine. Fland. 4. Meta. q. 5. art. 6. Fons. 4. Meta. c. 2. q. 2. P. Gabr. Vazquez. 1. p. d. 22. c. 5. & d. 114. c. 2. & plures alij. *& hæc est probabilior sententia.*

Probatur aduersus primam, & secundam, testimonijs Arist. & D. Tho. Arist. enim 4. Meta. c. 2. duo asserit; nempe quod ens multipliciter dicitur, & quod dicitur ad vnum, vel ad vnam naturam: ex vtroque autem colligitur, quod non detur vnus conceptus eius abstractus ab analogatis, quod sic probo. Nam si multipliciter dicitur; ergo non vno modo, nec per vnum conceptum, sed per plures: & si dicitur in ordine ad vnum: ergo in suo conceptu includit multa. Probatur consequentia; quia vbi datur vnum, vel multa ad

ta ad vnum ordinata, ibi est multiplicitas; sed si multa includit in suo conceptu, non potest talis conceptus esse vnus, quia multa diuersa sunt; ergo non datur vnus conceptus obiectiuus entis. Et 8. Meta.c.6.tex.16. asserit, ens statim esse substantiam, quantitatem, & qualitatem, hoc est, immeditatè ad illa descendere; & non vt vniuocum, quod non nisi medio vnico conceptu eis cõmuni, descendit ad vniuocata, vt animal ad hominem, & equum, ergo sentit. non habere conceptum communem; nam eo mediante, descenderet ad substantiam, & accidens.

Et D.Th.1. p.q.13.art.5. ita ait. ***Neque enim in his, quæ analogicè dicuntur, est vna ratio sicut in vniuocis, nec totaliter diuersa sicut in æquiuocis, sed nomen quod sic multipliciter dicitur, significat diuersas proportiones in ordine ad vnum.***

Ex quibus verbis hoc arg. colligitur. Conceptus entis, apud D. Th. significare diuersas proportiones in ordine ad vnum: sed non potest significare diuersas proportiones in ordine ad vnum, nisi diuersa illa, quæ tales habent proportiones, simul significet, & hæc sunt analogata, ergo nõ potest abstrahi cõceptus eius ab analogatis, nec esse vnus simpliciter.

Probatur deinde ratione aduersus primam sententiam, desumpta ex definitione analogorum, quam admittunt omnes. Analoga sunt, quorum nomẽ est commune, ratio verò substantiæ nomini accommodata, nec omnino eadẽ: neque omnino diuersa: sed ratio substantię est conceptus obiectiuus; ergo iste non est omnino idem, nec omnino diuersus; sed diuersus simpliciter, & idem secundum quid. ratione attributionis, quare sequitur, non esse abstrahibilem ab analogatis, inter quæ attributio, & diuersitas reperitur, nec potest esse vnus simpliciter.

Secundo, Si conceptus entis abstrahitur, aut præscinditur à substantia, & accidenti, ergo distinguitur ratione ab illis: sed quæ distinguuntur aliqua distinctione, vt sic distincta, non se includunt; ergo conceptus entis, vt sic præcisus à modis intrinsecis substantiæ, & accidentis, nec eos potest includere, nec in eis includi. Primum probatum est falsum; sed probatur etiam falsum esse secundũ quia conceptus entis est transcendens; ergo includitur in quacunque entitate, siue sit completa, siue incompleta, siue sit natura, vel modus: alioqui si non includit ens, erit nihil.

Probatur tertio. Quia si conceptus entis est abstractus simpliciter à modis intrinsecis, & eos non includit actu, vt fatetur prima sententia; sequitur sic esse vnum, vt nullam includat diuersitatem. Probatur consequentia; quia tota diuersitas substantiæ & accidentis, est per modos intrinsecos per se, & in alio, si ergo hos non includit actu, sicut genus non includit actu differentias, erit vnus simpliciter, & consequenter vniuocus.

Respondet prima sententia. Quòd licèt non includat actu modos, & in hoc conueniat cum vniuoco, differt tamen ab eo quòd conceptus vniuocè eodem modo, aut ęqualiter participabilis est ab vniuocatis, conceptus verò analogi, vt entis ex propria natura, est diuerso modo participabilis ab analogatis secundum attributionẽ vnius, vel multorũ ad vnum, & hoc satis est, vt non sit vniuocus, sed analogus. ***Sed hæc solutio sic impugnatur.*** Conceptus entis non potest esse diuerso modo participabilis; nec potest vllam habere diuersitatem, nisi per diuersos modos intrinsecos per se, & in alio, per quos determinatur ad esse substantiæ, & accidentium; ergo repugnat vllam habere diuersitatem, aut diuerso modo esse partici-

cipabilem, nisi per ipsos modos: sed dum ab eis abstrahitur, eos non includit, ergo non potest esse diuerso modo participabilis.

42 *Et confirmari efficaciter potest hoc modo.* Conceptum communem abstrahi à particularibus nō est aliud, quam rationem communem cognosci sine particularibus, aut eis non cognitis; ergo conceptum entis abstrahi à modis per se, & in alio, est cognosci rationem entis, non consideratis modis, neque ordinem ad illos; nam eo ipso, quòd consideraretur ordo ad illos, non esset cōceptus abstractus: sed nullam potest habere diuersitatem ratio entis sine modis, aut sine ordine ad illos; ergo si ab eis abstrahatur, erit conceptus omnino vnus, & idem, non minus, quàm conceptus vniuocus: & ens ipsum non erit analogum, sed vniuocum.

Probatur deinde aduersus secundam opinionem. Primò. Quia si semel admittitur conceptus entis abstractus à particularibus substantiæ, & accidentis, & esse vnum; sequitur ens esse vniuocum. Probatur consequentia: quia illum conceptum abstractum, & vnum, significat primo ens; ergo ratio significata per nomen est eadem, & nomen commune, vt dicitur in definitione vniuocorū. *Secundò;* quia repugnat conceptum in abstractione esse vnum, & non in inferioribus expressis: ergo semper est vnus. Probatur antecedens: quia si semel abstrahitur ab eis; ergo distinguitur ratione sic abstractus ab eisdem, vt expresis; sed comparatus ab eos est idem conceptus, qui consideratur in abstractione, & non alius: ergo erit etiam ratione distinctus: & ideo eandem habebit vnitatem, quam ei tribuunt in abstractione.

Quonam modo conceptus analogi contineat analogata?

Nostra igitur sententia tenet; *Conceptum obiectiuum entis, & cuiuscunque analogi, non esse simpliciter abstrahibilem ab analogatis; sed eos necessario includere.* Circa modum verò, quo ea includat, non conueniunt omnes, qui eam sequuntur. Duo tamen sunt apud eos recepta. *Primum;* quòd ea includat actu, & non solum in potentia; quia hoc vltimum nec tollit vnitatem conceptus, nec vniuocationem nominis. *Secundum;* quòd non includat eos actu explicito, distincto, vel expresso; quod est dicere; non includere eos, vt significantur proprijs nominibus; sed in quantum sub nomine communi significantur, vt sub nomine entitatis, vt de ente loquamur. Et ratio huius est, quia ens significat substantiam, & accidens, in quantum habent attributionem: sed sub proprijs nominibus eam non habent, sed sub nomine communi entis significata, & confusè contenta; ergo hoc tantum modo significantur nomine analogo, & continentur in conceptu eius, & non sub expresis conceptibus, aut nominibus.

Differunt igitur, quantum ad modum eos includendi. Nam Soncinas, & Herueus vbi supra, asserunt conceptum, quem immediatè significat ens, esse hoc disiunctum, substantiam, vel accidens. Hoc tamen ab omnibus, ferè reijcitur. *Primò;* quia conceptus per determinatam vocē significatus, debet esse determinatus; disiunctum verò illud, nec determinatè dicit substantiam, neque accidens. *Secundò;* quia ens significat multa per attributionem ad vnum; ergo significat omnia simpliciter, hoc est, sine disiunctione. Probatur consequentia: quia attributio non versatur inter multa disiunctè significata, sed absolutè.

Nec etiam significat analogum sua analogata copulatiuè, ita vt conceptus entis sit sub-

sit substantia, & accidens: quia ex eo sequeretur omnes propositiones, in quibus prædicatur, de quolibet eorum esse falsas: vt substantia est ens: accidens est ens: quia sensus earum esset, substantia est substantia, vel accidens; accidens est substantia, vel accidens.

Propterea, *est secunda opinio aliorum*. quòd ens primaria significatione, significet ens per se, quod est substantia & ens simpliciter, secundario verò accidentia, taquā aliquid eiusdem substantiæ. Sed hoc etiam videtur falsum: quia analogum per se primo significat multa cum attributione, ergo non significat primo solum analogatum principale, sed omnia; quamuis principale significatum sit dignitate primum.

44 *Tertia opinio* est Ferra. & Caiet. vbi supra, quòd analogum significet immediatè, & per se omnia analogata; in quantum inter sese habent attributionem, & ens significet immediatè decem prędicamenta, in quantum nouem, accidentium, dicuntur per attributionem ad substantiam. *& hæc est probabilior, & tenenda.*

Sed pro eius explicatione tanquam certum debet præsupponi; quod analogum aliquo modo sit superius cuilibet analogato, vt bene Caiet. in opusc. de analogia, cap. 5. non solùm secundum vocem, quæ communis est analogatis, nam hoc etiam habet æquiuocum, sed aliquo modo secundum rationem, aut conceptum significatum: qui cùm aliquo modo debeat etiam communis esse; consequenter debet esse superior: & si communis est aliquo modo, debet esse abstractus ab eis.

Sed vt hęc intelligantur melius, adnotat bene Caiet. vbi supra, duplicē esse abstractionē, qua vnum abstrahitur ab alijs. *Vna est* per quam vnum cognoscitur sine alio, aut eo non cognito. *Alia,* per quam eadem res cognoscitur alio modo, quàm sit in se: vt cum in se habeat modum expressum, atque distinctum, cognoscitur quasi implicitè & confusè. Et primus modus abstractionis constituit abstractionem simpliciter, & pertinet ad vniuoca, quæ sic abstrahuntur á suis vniuocatis. Secundus non facit, nisi abstractionem secundum quid, & pertinet ad analoga: quæ non possunt primo modo abstrahi, nec alio, nisi secundo. Itaque substantia duobus modis considerabilis est: aut secundum conceptum expressum per proprium nomem substantiæ, significatum: aut secundum conceptum confusum, & quasi implicitum: qui non videtur esse alius, quam entitas principalis, cui attribuuntur accidentia. Et hoc modo significatur nomine entis, cuius proprius conceptus est entitatis primæ, ac principalis: & minus principalium; quæ sunt accidentia secundum particulares modos inhærendi ei, atributa; quæ est substantia. Et conceptus iste aliquo modo est abstractus respectu conceptuum expressorum; inter quos, vt sic expressos, nulla attributio, nullus ordo, nulla dependentia, aut similitudo significatur, & ratio abstractionis in eo consistit, quod licèt per conceptum entis omnia concipiamus actu; & similiter dum omnia simul concipimus per propria nomina; per conceptum tamen entis concipimus ea, cum attributione, & similitudine; quæ per conceptus proprios repræsentata, nullam habent attributionem, nullum ordinem, nullam similitudinem, vnde sequitur, conceptum entis; ita prædicari de quocunque, vt suo etiam modo prædicetur, de alijs, & hoc est esse aliquo modo superiorem respectu singulorum; & ex consequenti, abstractum eodem modo ab eis; & vt talem prædicari de singulis.

X 2 Sed vt

45. Sed vt modus prædicandi entis de singulis prædicamentis intelligatur, *aduertamus secundo*. quod licet conceptus entis includat substantiam,& accidens actu confuso, vt explicatum est; in prædicatione tamẽ applicatur singulis, iuxta propriam naturam; vt dum prædicatur de substantia, applicatur ei, vt primo enti, cui attribuuntur accidentia; & dum prædicatur de aliquo accidenti, applicatur eidem, vt attributo substantiæ. Sensus igitur huius propositionis, *Substantia est ens*, iste est: Substantia est entitas prima, cui attribuuntur accidentia; & quantitas est ens, id est, habet entitatem per modum extensionis, attributam substantiæ. Et ratio huius est, quia omnia significãtur secundum attributionem ad vnum: ergo de illo vno prædicatur, tanquam de eo, cui attribuuntur cætera; & de cæteris, vt illi attribuuntur. & eadem attributio, est ratio probter quam, licèt conceptus entis multa, ac diuersa contineat, verè possit prædicari de singulis; quia cum de quolibet prædicatur, ex proprio modo ipsius applicationis, & attributionis, illud tantum dicit in recto; cætera verò in obliquo, vt attributio ipsa significata inter eos petit.

46. Si autem dicas secundum sensum harũ prędicationum, nõ prædicari ens de singulis prædicamentis, tanquam superius, sed tanquam æquale; imo prædicatione identica, aduersus id, quod dictum est, superius esse, saltem secundum quid. *Probatur vtrumque*. *Primum quidem*; nam prædicatum huius propositionis *substantia est ens*; non est aliud, quam substantia est entitas prima, cui proportionatur accidentia, & hoc patet conuerti cum subiecto, imo esse idem prorsus cum eo; & ideo non solum esse propositionẽ æqualis, sed identicam. Respondeo prædicari prædicatione æquali simpliciter, superioris verò secundum quid, identica verò nullo modo: *Primum manifestum erit*, si consideremus conceptum entis secundum diuersos modos; quibus prædicatur de omnibus: nam de substantia, vt de primo, cui cætera attribuuntur: de singulis verò accidentibus secundum particulares modos, quibus attribuũtur substantiæ. Consideratus igitur conceptus entis cum his omnibus modis, qui ei conueniunt, vt analogo adęquatè sumpto, cum ei conueniant ratione analogiæ attributionis, superior erit formaliter respectu singulorum analogatorum, licèt tantum secundum quid, quamuis æqualis simpliciter seclusa hac consideratione. Et quod sit superior formaliter secundum quid, probo: quia dum prædicatur de vno secundum modum applicationis ad illud, prædicari potest de cæteris, secundum proprios modos eorum; quod manifestũ est, non habere subiectum; ergo secundum modum prædicandi non conuertuntur, licet quantum ad rem significatam conuertantur.

Et ex hoc sequitur, easdem propositiones non esse itendicas, sed formales analogi, quia licet eadem res sit prædicatũ, & subiectum, diuersum habet modum in prædicato, quam in subiecto in duobus consistentem: in primo quidem; nam in prædicato maiorem habet extensionem, cũm sic prędicetur de vno secũdum proprium modum illius, vt possit etiã prædicari de cæteris, secũdum proprios modos eorũ. In secundo verò, licèt tam prædicatum, quam subiectũ huius prædicationis, *Substantia est ens*; significet eandem rem; expressius tamen atque distinctius significatur per subiectum tanquam per propriũ nomen, quam per prædicatum, tanquam per nomen commune. Et modus iste significandi diuersus efficit, 47.

vt pro-

vt propositio sit formalis; & ideò non identica, sicut non est identica, prædicatio, in qua definitio prędicatur de definito, licèt eadem res sint; ex eo solum, quod expressius significatur per prædicatum, quam per subiectum.

48 *Et ex his non erit difficile arg. contrariæ opinionis soluere:* Nam testimonium Arist. verum continet, quod Metaphysica considerat ens, in quantum ens; hoc est, non secundum aliquam rationem particularem alicuius prædicamenti; nec secundum rationes omnium expressas, atque distinctas: sed secundum rationem attributionis ad vnum, nempe ad substãtiam: hanc enim non habent sub propriis nominibus significata; sed sub nomine entis omnibus communi, sub quo similitudinem quandam in entitate habent, & vnitatem secũdum quid, sub qua abstrahi possunt, etiam secundum quid à propriis rationibus expressè significatis. Et sic abstractum ens consideratur in quantum ens, & potest esse obiectum Metaphysicæ; quia licèt sit analogum; consideratum tamen sub tali modo abstrahendi à materia, vt consideratur in metaphysica, vnam rationem, sub qua, obiectam habet, à qua scientia ipsa sumit vnitatem specificam.

Testimonium verò D. Th. petit modum, quo ens cõtrahatur per modos particulares substantiæ, & accidentis. *Et difficultas consistit in hoc:* Quia si non datur communis conceptus eius ab ijsdem modis abstractus, sed includens eos, non videtur posse contrahi per illos; quia contrahens debet esse extra rationem contrahibilis. nam si in eo includatur, iam erit contractum per illud. *Respondeo:* Eodem modo contrahi ens per modos per se, & in alio, quo ab eisdem abstractum est; sed abstrahitur ab eis, solum secundũ quid hoc est, sicut idem à se ipso diuerso modo significato; ideo solũ potest cõtrahi per seipsum, vt diuerso modo significatum. Gratia exempli, ens in suo conceptu includit modos intrinsecos per se & in alio; actu quidem, non tamen sub expresso conceptu, sed sub implicito, & confuso; hoc est, non vt propriis nominibus significantur, sed nomine communi entis, & diuersus iste modus includendi eos sufficit, vt dicatur abstractus ab eis secundum quid; conceptus verò non cõtrahitur, nisi vt abstractus est: nam contractio, & abstractio, mutuò sibi correspondent: ergo eodem modo contrahitur conceptus entis per modos intrinsecos sub expresso conceptu significatos, quos tamen hoc modo non includit, sed sub confusa ratione; vt semper sit verum (adhuc in contractione analogi, quæ solum est secundum quid, sicut abstractio) quod contrahens sit extra rationem contrahibilis. Hunc sensum explicuit D.Th. in alio loco: & ita vnum testimonium explicamus per alterum. Locus autem est, quæst. 1. de veritatate, art 1. vbi sic agit *Quod primò intellectus concipit quasi notissimum, & in quo omnes conceptiones resoluit, est ens: vnde oportet, quod omnes aliæ conceptiones intellectus, accipiantur ex additione ad ens, sed enti nihil potest addi, quasi extranea natura per modum, quo differentia additur generi; quia qualibet natura essentialiter est ens, sed secundũ hoc aliqua dicuntur addere supra ens, in quantũ exprimũt ipsius modũ, qui nomine ipsius entis non exprimatur.* Et infra. *Substantia non addit supra ens aliquam differentiam, sed nomine substantiæ exprimitur specialis modus essendi.*

50 *Ad primum arg.* Concesso primo enthymemate, distinguenda est minor syllogissimi: quia qualis fuerit conuenientia multorum; talis erit abstrahibilis conceptus ab eis; si conueniant simpli-

45. Sed vt modus prædicandi entis de singulis prædicamentis intelligatur, *aduotamus secundo*. quod licet conceptus entis includat substantiam,& accidens actu confuso, vt explicatum est; in prædicatione tamẽ applicatur singulis, iuxta propriam naturam; vt dum prædicatur de substantia, applicatur ei, vt primo enti, cui attribuuntur accidentia;& dum prædicatur de aliquo accidenti, applicatur eidem, vt attributo substantiæ. Sensus igitur huius propositionis, *Substantia est ens*, iste est: Substantia est entitas prima, cui attribuuntur accidentia; & quantitas est ens, id est, habet entitatem per modum extensionis, attributam substantiæ. Et ratio huius est, quia omnia significãtur secundum attributionem ad vnum: ergo de illo vno prædicatur, tanquam de eo, cui attribuuntur cætera; & de cæteris, vt illi attribuuntur. & eadem attributio, est ratio propter quam, licèt conceptus entis multa, ac diuersa contineat, verè possit prædicari de singulis; quia cum de quolibet prædicatur, ex proprio modo ipsius applicationis, & attributionis, illud tantum dicit in recto; cætera verò in obliquo, vt attributio ipsa significata inter eos petit.

46. Si autem dicas secundum sensum harũ prędicationum, nõ prædicari ens de singulis prædicamentis, tanquam superius, sed tanquam æquale; imo prædicatione identica, aduersus id, quod dictum est, superius esse, saltem secundum quid. *Probatur vtrumque*. *Primum quidem*; nam prædicatum huius propositionis *substantia est ens*, non est aliud, quam substantia est entitas prima, cui proportionatur accidentia, & hoc patet conuerti cum subiecto, imo esse idem prorsus cum eo; & ideo non solum esse propositionẽ æqualis, sed identicam. Respondeo prædicari prædicatione æquali simpliciter, superioris verò secundum quid, identica verò nullo modo: *Primum manifestum erit*, si consideremus conceptum entis secundum diuersos modos, quibus prædicatur de omnibus: nam de substantia, vt de primo, cui cætera attribuuntur: de singulis verò accidentibus secundum particulares modos, quibus attribuũtur substantiæ. Consideratus igitur conceptus entis cum his omnibus modis, qui ei conueniunt, vt analogo adęquatè sumpto, cum ei conueniant ratione analogiæ attributionis, superior erit formaliter respectu singulorum analogatorum, licèt tantum secundum quid, quamuis æqualis simpliciter seclusa hac consideratione. Et quod sit superior formaliter secundum quid, probo: quia dum prædicatur de vno secundum modum applicationis ad illud, prædicari potest de cæteris, secundum proprios modos eorum; quod manifestũ est, non habere subiectum; ergo secundum modum prædicandi non conuertuntur, licet quantum ad rem significatam conuertantur.

Et ex hoc sequitur, easdem propositiones non esse itendicas, sed formales analogi, quia licet eadem res sit prædicatũ, & subiectum, diuersum habet modum in prædicato, quam in subiecto in duobus consistentem: in primo quidem; nam in prædicato maiorem habet extensionem, cùm sic prędicetur de vno secũdum proprium modum illius, vt possit etiã prædicari de cæteris, secũdum proprios modos eorũ. In secundo verò, licèt tam prædicatum, quam subiectũ huius prædicationis, *Substantia est ens*; significet eandem rem; expressius tamen atque distinctius significatur per subiectum tanquam per propriũ nomen, quam per prædicatum, tanquam per nomen commune. Et modus iste significandi diuersus efficit, 47.

vt pro-

vt propositio sit formalis; & ideò non identica, sicut non est identica, prædicatio, in qua definitio prędicatur de definito, licèt eadem res sint; ex eo solum, quod expressius significatur per prædicatum, quam per subiectum.

48 *Et ex his non erit difficile arg. contrariæ opinionis soluere:* Nam testimonium Arist. verum continet, quod Metaphysica considerat ens, in quantum ens; hoc est, non secundum aliquam rationem particularem alicuius prædicamenti; nec secundum rationes omnium expressas, atque distinctas: sed secundum rationem attributionis ad vnum, nempe ad substātiam: hanc enim non habent sub propriis nominibus significata; sed sub nomine entis omnibus communi, sub quo similitudinem quandam in entitate habent, & vnitatem secūdum quid, sub qua abstrahi possunt, etiam secundum quid à propriis rationibus expressè significatis. Et sic abstractum ens consideratur in quantum ens, & potest esse obiectum Metaphysicæ; quia licèt sit analogum; consideratum tamen sub tali modo abstrahendi à materia, vt consideratur in metaphysica, vnam rationem, sub qua, obiectam habet, à qua scientia ipsa sumit vnitatem specificam.

Testimonium verò D. Th. petit modum, quo ens cōtrahatur per modos particulares substantiæ, & accidentis. *Et difficultas consistit in hoc:* Quia si non datur communis conceptus eius ab ijsdem modis abstractus, sed includens eos, non videtur posse contrahi per illos; quia contrahens debet esse extra rationem contrahibilis. nam si in eo includatur, iam erit contractum per illud. *Respondeo:* Eodem modo contrahi ens per modos per se, & in alio, quo ab eisdem abstractum est; sed abstrahitur ab eis, solum secundū quid hoc est, sicut idem à se ipso diuerso modo significato; ideo solū potest cōtrahi per seipsum, vt diuerso modo significatum. Gratia exempli, ens in suo conceptu includit modos intrinsecos per se & in alio; actu quidem, non tamen sub expresso conceptu, sed sub implicito, & confuso; hoc est, non vt propriis nominibus significantur, sed nomine communi entis, & diuersus iste modus includendi eos sufficit, vt dicatur abstractus ab eis secundum quid; conceptus verò non cōtrahitur, nisi vt abstractus est: nam contractio, & abstractio, mutuò sibi correspondent: ergo eodem modo contrahitur conceptus entis per modos intrinsecos sub expresso conceptu significatos, quos tamen hoc modo non includit, sed sub confusa ratione; vt semper sit verum (adhuc in contractione analogi, quæ solum est secundum quid, sicut abstractio) quod contrahens sit extra rationem contrahibilis. Hunc sensum explicuit D. Th. in alio loco: & ita vnum testimonium explicamus per alterum. Locus autem est, quæst. 1. de veritate, art. 1. vbi sic agit *Quod primò intellectus concipit quasi notissimum, & in quo omnes conceptiones resoluit, est ens: vnde oportet, quod omnes aliæ conceptiones intellectus, accipiantur ex additione ad ens, sed enti nihil potest addi, quasi extranea natura per modum, quo differentia additur generi; quia qualibet natura essentialiter est ens, sed secundū hoc aliqua dicuntur addere supra ens, in quantū exprimūt ipsius modū, qui nomine ipsius entis non exprimatur.* Et infra. *Substantia non addit supra ens aliquam differentiam, sed nomine substantiæ exprimitur specialis modus essendi.*

Ad primum arg. Concesso primo enthymemate, 50
distinguenda est minor syllogissimi: quia qualis fuerit conuenientia multorum; talis erit abstrahibilis conceptus ab eis; si conueniant simpliciter

45. Sed vt modus prædicandi entis de singulis prædicamentis intelligatur, *adnotamus secundo*. quod licet conceptus entis includat substantiam, & accidens actu confuso, vt explicatum est; in prædicatione tamẽ applicatur singulis, iuxta propriam naturam; vt dum prædicatur de substantia, applicatur ei, vt primo enti, cui attribuuntur accidentia; & dum prædicatur de aliquo accidenti, applicatur eidem, vt attributo substantiæ. Sensus igitur huius propositionis, *Substantia est ens*, iste est: Substantia est entitas prima, cui atribuuntur accidentia; & quantitas est ens, id est, habet entitatem permodum extensionis, attributam substantiæ. Et ratio huius est, quia omnia significãtur secundum attributionem ad vnum: ergo de illo vno prædicatur, tanquam de eo, cui attribuuntur cætera; & de cæteris, vt illi attribuuntur. & eadem attributio, est ratio probter quam, licèt conceptus entis multa, ac diuersa contineat, verè possit prædicari de singulis; quia cum de quolibet prædicatur, ex proprio modo ipsius applicationis, & attributionis, illud tantum dicit in recto; cætera verò in obliquo, vt attributio ipsa significata inter eos petit.

46. Si autem dicas secundum sensum harũ prędicationum, nõ prædicari ens de singulis prædicamentis, tanquam superius, sed tanquam æquale; imo prædicatione identica, aduersus id, quod dictum est, superius esse, saltem secundum quid. *Probatur vtrumque*. *Primum quidem*; nam prædicatum huius propositionis *substantia est ens*; non est aliud, quam substantia est entitas prima, cui proportionatur accidentia, & hoc patet conuerti cum subiecto, imo esse idem prorsus cum eo; & ideo non solum esse propositionẽ æqualis, sed identicam. Respondeo prædicari prædicatione æquali simpliciter, superioris verò secundum quid, identica verò nullo modo: *Primum manifestum erit*, si consideremus conceptum entis secundum diuersos modos; quibus prædicatur de omnibus: nam de substantia, vt de primo, cui cætera attribuuntur: de singulis verò accidentibus secundum particulares modos, quibus attribuũtur substantiæ. Consideratus igitur conceptus entis cum his omnibus modis, qui ei conueniunt, vt analogo adęquatè sumpto, cum ei conueniant ratione analogiæ attributionis, superior erit formaliter respectu singulorum analogatorum, licèt tantum secundum quid, quamuis æqualis simpliciter seclusa hac consideratione. Et quod sit superior formaliter secundum quid, probo: quia dum prædicatur de vno secundum modum applicationis ad illud, prædicari potest de cæteris, secundum proprios modos eorum; quod manifestũ est, non habere subiectum; ergo secundum modum prædicandi non conuertuntur, licet quantum ad rem significatam conuertantur.

Et ex hoc sequitur, easdem propositiones non esse itendicas, sed formales analogi, quia licet eadem res sit prædicatũ, & subiectum, diuersum habet modum in prædicato, quam in subiecto in duobus consistentem: in primo quidem; nam in prædicato maiorem habet extensionem, cùm sic prędicetur de vno secũdum proprium modum illius, vt possit etiã prædicari de cæteris, secũdum proprios modos eorũ. In secundo verò, licèt tam prædicatum, quam subiectũ huius prædicationis, *Substantia est ens*; significet eandem rem; expressius tamen atque distinctius significatur per subiectum tanquam per propriũ nomen, quam per prædicatum, tanquam per nomen commune. Et modus iste significandi diuersus efficit, 47.

vt pro-

vt propositio sit formalis; & ideò non identica, sicut non est identica, prædicatio, in qua definitio prędicatur de definito, licèt eadem res sint; ex eo solum, quod expressius significatur per prædicatum, quam per subiectum.

48 *Et ex his non erit difficile arg. contrariæ opinionis soluere:* Nam testimonium Arist. verum continet, quod Metaphysica considerat ens, in quantum ens; hoc est, non secundum aliquam rationem particularem alicuius prædicamenti; nec secundum rationes omnium expressas, atque distinctas: sed secundum rationem attributionis ad vnum, nempe ad substātiam: hanc enim non habent sub propriis nominibus significata; sed sub nomine entis omnibus communi, sub quo similitudinem quandam in entitate habent, & vnitatem secūdum quid, sub qua abstrahi possunt, etiam secundum quid à propriis rationibus expressè significatis. Et sic abstractum ens consideratur in quantum ens, & potest esse obiectum Metaphysicæ; quia licèt sit analogum; consideratum tamen sub tali modo abstrahendi à materia, vt consideratur in metaphysica, vnam rationem, sub qua, obiectam habet, à qua scientia ipsa sumit vnitatem specificam.

Testimonium verò D. Th. petit modum, quo ens cōtrahatur per modos particulares substantiæ, & accidentis. *Et difficultas consistit in hoc:* Quia si non datur communis conceptus eius ab ijsdem modis abstractus, sed includens eos, non videtur posse contrahi per illos; quia contrahens debet esse extra rationem contrahibilis. nam si in eo includatur, iam erit contractum per illud. *Respondeo*: Eodem modo contrahi ens per modos per se, & in alio, quo ab eisdem abstractum est; sed abstrahitur ab eis, solum secundū quid hoc est, sicut idem à se ipso diuerso modo significato; ideo solū potest cōtrahi per seipsum, vt diuerso modo significatum. Gratia exempli, ens in suo conceptu includit modos intrinsecos per se & in alio; actu quidem, non tamen sub expresso conceptu, sed sub implicito, & confuso; hoc est, non vt propriis nominibus significantur, sed nomine communi entis, & diuersus iste modus includendi eos sufficit, vt dicatur abstractus ab eis secundum quid; conceptus verò non cōtrahitur, nisi vt abstractus est: nam contractio, & abstractio, mutuò sibi correspondent: ergo eodem modo contrahitur conceptus entis per modos intrinsecos sub expresso conceptu significatos, quos tamen hoc modo non includit, sed sub confusa ratione; vt semper sit verum (adhuc in contractione analogi, quæ solum est secundum quid, sicut abstractio) quod contrahens sit extra rationem contrahibilis. Hunc sensum explicuit D. Th. in alio loco: & ita vnum testimonium explicamus per alterum. Locus autem est, quæst. 1. de veritatate, art 1. vbi sic agit *Quod primò intellectus concipit quasi notissimum, & in quo omnes conceptiones resoluit, est ens: vnde oportet, quod omnes aliæ conceptiones intellectus, accipiantur ex additione ad ens, sed enti nihil potest addi, quasi extranea natura per modum, quo differentia additur generi; quia qualibet natura essentialiter est ens, sed secundū hoc aliqua dicuntur addere supra ens, in quantū exprimūt ipsius modū, qui nomine ipsius entis non exprimatur.* Et infra. *Substantia non addit supra ens aliquam differentiam, sed nomine substantia exprimitur specialis modus essendi.*

Ad primum arg. Concesso primo enthymemate, distinguenda est minor syllogissimi: quia qualis fuerit conueniencia multorum; talis erit abstrahibilis conceptus ab eis; si conueniant simpliciter

citer

cipabilem, nisi per ipsos modos: sed dum ab eis abstrahitur, eos non includit, ergo non potest esse diuerso modo participabilis.

42 *Et confirmari efficaciter potest hoc modo.* Conceptum communem abstrahi à particularibus nõ est aliud, quam rationem communem cognosci sine particularibus, aut eis non cognitis; ergo conceptum entis abstrahi à modis per se, & in alio, est cognosci rationem entis, non consideratis modis, neque ordinem ad illos; nam eo ipso, quòd consideraretur ordo ad illos, non esset cõceptus abstractus: sed nullam potest habere diuersitatem ratio entis sine modis, aut sine ordine ad illos; ergo si ab eis abstrahatur, erit conceptus omnino vnus, & idem, non minus, quàm conceptus vniuocus: & ens ipsum non erit analogum, sed vniuocum.

Probatur deinde aduersus secundam opinionem. Primò. Quia si semel admittitur conceptus entis abstractus à particularibus substantiæ, & accidentis, & esse vnum; sequitur ens esse vniuocum. Probatur consequentia: quia illum conceptum abstractum, & vnum, significat primo ens; ergo ratio significata per nomen est eadem, & nomen commune, vt dicitur in definitione vniuocorũ. *Secundò*; quia repugnat conceptum in abstractione esse vnum, & non in inferioribus expressis: ergo semper est vnus. Probatur antecedens: quia si semel abstrahitur ab eis; ergo distinguitur ratione sic abstractus ab eisdem, vt expressis; sed comparatus ab eos est idem conceptus, qui consideratur in abstractione, & non alius: ergo erit etiam ratione distinctus: & ideo eandem habebit vnitatem, quam ei tribuunt in abstractione.

Quonam modo conceptus analogi contineat analogata?

NOstra igitur sententia tenet; *Conceptum obiectiuum entis, & cuiuscunque analogi, non esse simpliciter abstrahibilem ab analogatis; sed eos necessario includere.* Circa modum verò, quo ea includat, non conueniunt omnes, qui eam sequuntur. Duo tamen sunt apud eos recepta. *Primum*; quòd ea includat actu, & non solum in potentia; quia hoc vltimum nec tollit vnitatem conceptus, nec vniuocationem nominis. *Secundum*; quòd non includat eos actu explicito, distincto, vel expresso; quod est dicere; non includere eos, vt significantur proprijs nominibus; sed in quantum sub nomine communi significantur, vt sub nomine entitatis, vt de ente loquamur. Et ratio huius est, quia ens significat substantiam, & accidens, in quantum habent attributionem: sed sub proprijs nominibus eam non habent, sed sub nomine communi entis significata, & confusè contenta; ergo hoc tantum modo significantur nomine analogo, & continentur in conceptu eius, & non sub expressis conceptibus, aut nominibus.

Differunt igitur, quantum ad modum eos includendi. Nam Soncinas, & Herueus vbi supra, asserunt conceptum, quem immediatè significat ens, esse hoc disiunctum, substantiam, vel accidens. Hoc tamen ab omnibus, ferè reijcitur. *Primò*; quia conceptus per determinatam vocẽ significatus, debet esse determinatus; disiunctum verò illud, nec determinatè dicit substantiam, neque accidens. *Secundò*; quia ens significat multa per attributionem ad vnum; ergo significat omnia simpliciter, hoc est, sine disiunctione. Probatur consequentia: quia attributio non versatur inter multa disiunctè significata, sed absolutè.

Nec etiam significat analogum sua analogata copulatiuè, ita vt conceptus entis sit sub-

sit substantia, & accidens: quia ex eo sequeretur omnes propositiones, in quibus prædicatur, de quolibet eorum esse falsas: vt substantia est ens: accidens est ens: quia sensus earum esset, substantia est substantia, vel accidens; accidens est substantia, vel accidens.

Propterea, *est secunda opinio aliorum*, quòd ens primaria significatione, significet ens per se, quod est substantia & ens simpliciter, secundario verò accidentia, tanquā aliquid eiusdem substantiæ. Sed hoc etiam videtur falsum: quia analogum per se primo significat multa cum attributione, ergo non significat primo solum analogatum principale, sed omnia; quamuis principale significatum sit dignitate primum.

44 *Tertia opinio* est Ferra. & Caiet. vbi supra, quòd analogum significet immediatè, & per se omnia analogata; in quantum inter sese habent attributionem, & ens significet immeditatè decem prędicamenta, in quantum nouem, accidentium, dicuntur per attributionem ad substantiam. *& hac est probabilior, & tenenda.*

Sed pro eius explicatione tanquam certum debet præsupponi; quod analogum aliquo modo sit superius cuilibet analogato, vt bene Caiet. in opusc. de analogia, cap. 5. non solùm secundum vocem, quæ communis est analogatis, nam hoc etiam habet æquiuocum, sed aliquo modo secundum rationem, aut conceptum significatum: qui cùm aliquo modo debeat etiam communis esse; consequenter debet esse superior: & si communis est aliquo modo, debet esse abstractus ab eis.

Sed vt hęc intelligantur melius, adnotat bene Caiet. vbi supra, duplicē esse abstractionē, qua vnum abstrahitur ab alijs. *Vna est* per quam vnum cognoscitur sine alio, aut eo non cognito. *Alia*, per quam eadem res cognoscitur alio modo, quàm sit in se: vt cum in se habeat modum expressum, atque distinctum, cognoscitur quasi implicitè & confusè. Et primus modus abstractionis constituit abstractionem simpliciter, & pertinet ad vniuoca, quæ sic abstrahuntur à suis vniuocatis. Secundus non facit, nisi abstractionem secundum quid, & pertinet ad analoga: quæ non possunt primo modo abstrahi, nec alio, nisi secundo. Itaque substantia duobus modis considerabilis est: aut secundum conceptum expressum per proprium nomem substantiæ, significatum: aut secundum conceptum confusum, & quasi implicitum: qui non videtur esse alius, quam entitas principalis, cui attribuuntur accidentia. Et hoc modo significatur nomine entis, cuius proprius conceptus est entitatis primæ, ac principalis: & minus principalium; quæ sunt accidentia secundum particulares modos inhærendi ei, atributa; quæ est substantia. Et conceptus iste aliquo modo est abstractus respectu conceptuum expressorum; inter quos, vt sic expressos, nulla attributio, nullus ordo, nulla dependentia, aut similitudo significatur, & ratio abstractionis in eo consistit, quod licèt per conceptum entis omnia concipiamus actu; & similiter dum omnia simul concipimus per propria nomina; per conceptum tamen entis concipimus ea, cum attributione, & similitudine; quæ per conceptus proprios repræsentata, nullam habent attributionem, nullum ordinem, nullam similitudinem, vnde sequitur, conceptum entis; ita prædicari de quocunque, vt suo etiam modo prædicetur, de alijs, & hoc est esse aliquo modo superiorem respectu singulorum; & ex consequenti, abstractum eodem modo ab eis; & vt talem prædicari de singulis.

vt propositio sit formalis; & ideò non identica, sicut non est identica, prædicatio, in qua definitio prędicatur de definito, licèt eadem res sint; ex eo solum, quod expressius significatur per prædicatum, quam per subiectum.

48 *Et ex his non erit difficile arg. contraria opinionis soluere:* Nam testimonium Arist. verum continet, quod Metaphysica considerat ens, in quantum ens; hoc est, non secundum aliquam rationem particularem alicuius prædicamenti; nec secundum rationes omnium expressas, atque distinctas: sed secundum rationem attributionis ad vnum, nempe ad substãtiam: hanc enim non habent sub propriis nominibus significata; sed sub nomine entis omnibus communi, sub quo similitudinem quandam in entitate habent, & vnitatem secũdum quid, sub qua abstrahi possunt, etiam secundum quid à propriis rationibus expressè significatis. Et sic abstractum ens consideratur in quantum ens, & potest esse obiectum Metaphysicæ; quia licèt sit analogum; consideratum tamen sub tali modo abstrahendi à materia, vt consideratur in metaphysica, vnam rationem, sub qua, obiectam habet, à qua scientia ipsa sumit vnitatem specificam.

Testimonium verò D. Th. petit modum, quo ens cõtrahatur per modos particulares substantiæ, & accidentis. *Et difficultas consistit in hoc:* Quia si non datur communis conceptus eius ab iisdem modis abstractus, sed includens eos, non videtur posse contrahi per illos; quia contrahens debet esse extra rationem contrahibilis. nam si in eo includatur, iam erit contractum per illud. *Respondeo*: Eodem modo contrahi ens per modos per se, & in alio, quo ab eisdem abstractum est; sed abstrahitur ab eis, solum secundũ quid hoc est, sicut idem à se ipso diuerso modo significato; ideo solũ potest cõtrahi per seipsum, vt diuerso modo significatum. Gratia exempli, ens in suo conceptu includit modos intrinsecos per se & in alio; actu quidem, non tamen sub expresso conceptu, sed sub implicito, & confuso; hoc est, non vt propriis nominibus significantur, sed nomine communi entis, & diuersus iste modus includendi eos sufficit, vt dicatur abstractus ab eis secundum quid; conceptus verò non cõtrahitur, nisi vt abstractus est: nam contractio, & abstractio, mutuò sibi correspondent: ergo eodem modo contrahitur conceptus entis per modos intrinsecos sub expresso conceptu significatos, quos tamen hoc modo non includit, sed sub confusa ratione; vt semper sit verum (adhuc in contractione analogi, quæ solum est secundum quid, sicut abstractio) quod contrahens sit extra rationem contrahibilis. Hunc sensum explicuit D. Th. in alio loco: & ita vnum testimonium explicamus per alterum. Locus autem est, quæst. 1. de veritate, art. 1. vbi sic agit *Quod primò intellectus concipit quasi notissimum, & in quo omnes conceptiones resoluit, est ens: vnde oportet, quod omnes aliæ conceptiones intellectus, accipiantur ex additione ad ens, sed enti nihil potest addi, quasi extranea natura per modum, quo differentia additur generi; quia quælibet natura essentialiter est ens, sed secundũ hoc aliqua dicuntur addere supra ens, in quantũ exprimũt ipsius modũ, qui nomine ipsius entis non exprimatur.* Et infra. *Substantia non addit supra ens aliquam differentiam, sed nomine substantiæ exprimitur specialis modus essendi.*

Ad primum arg. Concesso primo enthymemate, distinguenda est minor syllogissimi: quia qualis fuerit conuenientia multorum; talis erit abstrahibilis conceptus ab eis; si conueniunt simpliciter 50

citer, abstrahibilis erit conceptus simpliciter communis, & vnus, vt in vniuocis; si verò solum conueniant secũdum quid, solum erit abstrahibilis conceptus communis, & vnus secundum quid. Et ita est in analogis, atque etiam in ente, cum sit analogum. Quod autem sit abstrahi secũdum quid, iam explicatum est.

Ad secundum. Concesso antecedenti, distinguendum est consequens: nam actualis inclusio duplex est; confusa, seu implicita, & distincta, vel expressa; & de hac concedendum est, negandum verò de illa, dicendumque, ex eo posse dubitationem procedere, an substantia sit vel accidens illud, de quo certò scimus esse ens; quia conceptus entis confusè tantum includit rationes particulares substantiæ, & accidentis, non distinctè; ratione verò cõfusionis occurrit dubitatio, in eo consistens, quod intellectus non cognoscit distinctè, ad quod significatum determinetur ens.

51 *Ad vltimum*. Negandum est illud, quod in antecedenti sumitur, nempe conceptum entis esse aggregatum ex particularibus conceptibus prædicamentorum; quia non includit eos per modum aggregationis, sed per modum attributionis: in qua includitur essentialiter ordo multorum ad vnum; aggregato verò repugnat ordo, cùm ex eo sit aggregatum, quia plura includit sine ordine. Includere autem omnia secundum ordinem attributionis, est includere vnum quasi in recto, & alia in obliquo. Vnde sequitur, quod dum prædicatur ens de quolibet analogato, vt in in hac propositione; Substantia est ens; non sit sensus, substantia est substantia, & accidens; quia in hoc sensu non significatur attributio; sed talis est sensus. Substantia habet entitatem primam, vel est entitas prima, cui attribuuntur accidentia: & est verissimus Nec tollit veritatem eius, quod in conceptu entis præter substantiam ita significatam in recto, significentur accidentia in obliquo: sicut nec tollit veritatem propositionis, in qua prædicatur de accidenti, quod substantia significetur in obliquo, ita vt sensus sit, accidens habet entitatem, vel est ens attributum substantiæ, tanquam aliquid eius. Ratio autem ob quam tales sensus efficiunt prædicationes istæ, est natura ipsa attributionis, sub qua significantur analogata per nomen analogum: ideo enim cuilibet applicatur idem analogum in prædicationibus, secundum exigentiam eiusdem attributionis.

Vnum adnotandum est in hoc loco; nempe vnitatem secundum quid conceptus analogi sufficere, vt diuidi possit in sua analogata, atque etiam vt analogata ipsa 52 comparari possunt, vt ab eo significata; ita vt dicamus substantiam esse perfectius ens, quam accidens; & tandem vt possit esse obiectum intellectus, & scientiæ. Ratio primi est; quia diuisio procedit ab vno ad multa; ergo in tantum aliquid diuisionis capax est, in quantum est vnum: nam si sit multiplex, secum affert diuisionẽm: vnde sicut diuisio æquiuoci in sua æquiuocata, non est diuisio rei, sed solius vocis, quia sola vox est communis; simili modo diuisio analogi simpliciter est diuisio vocis, & secundum quid, diuisio rei quia vox est communis simpliciter, sed res significata non est cõmunis, neq; vna simpliciter, sed multiplex; vna verò solum secundum quid, & ideò diuisio analogi, si ad rem attendamus, non est diuisio simpliciter, sed solum secundum quid, ad quam sufficit vnitas cõceptus eius secundum quid. vniuocum verò, quia tam ex parte vocis, quam rei significatæ vnũ est, simpliciter diuidi potest: & sola diuisio eius simpliciter talis vocari debet.

Et eodem

Et eodem modo reddenda est ratio cõparationis: nam comparatio in vna aliqua ratione fieri debet; ideo simpliciter in vniuoco debet fieri, & si propria sit in specie infima, vt docet Aristoteles 7. lib. Phys. qualiscũque verò, potest etiam fieri in analogo. ad quam sufficit vnitas secundum quid.

5 Vt autem possit esse obiectum intellectus & scientiæ analogum, sufficit eadem vnitas; quia scientia, aut potentia non sumit vnitatem specificam ex obiecto materiali, sed ex ratione formali obiectiua, sub qua in illud tendit potentia, vel consideratur à scientia, à qua maiorem accipit vnitatem analogum, dum est obiectũ potentię vel scientię.

An ens sit vniuocum respectu substantiæ, & accidentis, aut analogum, & qua analogia?

HOC est quartum, quod proposuimus tractandum; Sed pro eius notitia notari debet, ens duobus modis sumi posse: pro ente creato, quod diuiditur in decẽ prædicamenta; aut vniuersalius pro ente communi respectu creati, & increati, aut Dei, & creaturarum: & de ente, vtroque modo sumpto, potest esse quæstio, quam ideo in duas partes diuidimus. *In prima*, agemus de ente creato, an sit vniuocum respectu prædicamentorum, vel analogũ, & qua analogia. *In secunda* eadem inquiremus de eodem ente respectu Dei, & creaturarum.

Prima pars quæstionis.

54 Circa primam partem duæ sunt opiniones extremæ, & altera media. *Prima opinio extrema*, est Aureoli apud Capreolum in 1. d.2.q.1. asserentis, ens esse æquiuocum respectu substantiæ, & accidentis. Probatur testimoniis Arist. & Porphyrij. nam Arist. 8. Meta. cap. 6. tex. 16. ait. *Quodlibet prædicamentum statim quippiam esse hoc est seipso esse tale, atq; diuersũ ab alio, quod alijs verbis dici solet; prædicamenta seipsis esse diuersa, & non per differentias: sed esse seipsis diuersa, est se totis esse diuersa: & se totis esse diuersa idem est, ac esse omnino diuersa quod & proprium est æquiuocatorum.* erit igitur æquiuocum ens.

Porphy. verò cap. de specie ex mente eiusdem Arist. dixit, ens æquiuocum esse.

Hæc tamen sententia (si de propria æquiuocatione loquit[ur], & non de communi, prout comprehendit analogiam) contraria est doctrinæ eiusdem Arist. & rationi. *Probatur primum* ex 4. Meta. cap. 2. & tex. 2. vbi ait Arist. *Ens autem multipliciter dicitur non æquiuocè, sed ad vnam naturam sicut sanum,* hoc est, per attributionem multorum ad vnum.

Probatur secundum, quod sit contra rationem, ex definitione æquiuocorũ. AEquiuoca sunt, quorum nomen est commune; ratio vero substantiæ nomini accommodata omnino diuersa: sed substãtia & accidens conueniunt aliquo modo in ratione entis, cum vtrumque sit ens, licèt vnum diuersum ab alio; & ei attributũ; ergo non sunt omnino diuersa, quare nec ens potest esse æquiuocum.

Secunda opinio extrema tenet, ens esse 55 vniuocum, ita Scotus in 1. d.3.q.3. & in 3. d.8.q.2. & omnes eius discipuli, Antonius, Andreas 4. Meta. cap. 2. atque etiam nominales omnes, vt testatur Gab. in 1. d.2. q.4. *Et probatur* duplici ratione, *Prima*, ex definitione vniuocorum desumpta: Vniuoca sunt, quorũ nomen est commune; ratio vero substantiæ nomini accommodata eadem, hoc est, conceptus per nomen significatus: sed nomen ens constat esse commune substantiæ, & accidenti, & conceptus tam formalis quam obiectiuus est vnus, & idem in inferio-

inferioribus,ergo nome erit vniuocum. Probatur minor; quia substantia & accidens conueniunt in ratione entis, & distinguuntur per modos intrinsecos per se, & in alio:sed modi distinguũtur ratione ab entitate;cum eam determinent,atque contrahant ad substantiam & accidens;ergo potest intellectus concipere entitatem,nullo modo conceptis modis. Probatur hæc vltima consequentia: nam ea quæ distinguuntur ratione, benè potest intellectus separare, & vt sic separata,non se includent;quare poterit concipere rationem entis communem substãtiæ,& accidenti, in qua non includantur modi. Et talis conceptus formalis, & obiectiuus,erit vnus simpliciter, nullam includens diuersitatem.

Secundò. Quia si aliquid obstaret,quo minus conceptus entis nõ esset vnus simpliciter,& communis substantiæ, & accidenti, esset maximè diuersitas in modo essendi vtriusque; quia substantia habet modum essendi per se; accidens verò modum essendi in alio: sed hæc non obstant:ergo erit vnus simpliciter. Probatur minor;quia hæc ratio diuersitatis nõ est in entitate,nisi ratione modorum;ergo non tollit vnam rationem entitatis, atque adeò vniuocam; quemadmodum non tollit vnitatem conceptus animalis diuersitas per rationale, & irrationale; quia non est ratione naturæ sensitiuæ,sed differentiarum.

Tertiò. Intellectus potest esse certus de de aliquo,quod sitiens, & dubius an sit substantia, vel accidens; vt si quis dubitet,an aliqua Hostia sit consecrata, vel non, certò cognoscit esse ens;dubitat verò,an ibi sit substantia, vel solum accidens. Hoc autem non posset contingere, nisi intellectus concipiat rationem entis, non conceptis rationibus particularibus: substantiæ, & accidentis:qui conceptus cõmunis erit eis, & vnus simpliciter;cum non includat aliquid, ratione cuius possit vllam diuersitatem habere. Et ex consequenti, nomen ens significãs talem conceptum,erit vniuocum.

Tertia sententia media inter hęc extrema asserit, ens non esse æquiuocum,neq; vniuocum; sed analogum **Et est communis in schola, & vera** quã sequuntur Auerroes, Alixander & D.Thom. in commẽtarijs locorum Arist. inferius citandis, Prophyrius, Albertus, & Ammonius, cap. de specie in prædicabilibus,& cæteri omnes, præter citatos pro sententia Scoti.

Colligitur efficaciter ex doctrina Arist.4.Meta.cap.2.lib. 7. cap.1. & 4. & 1.l. Ethic.cap.6. vbi expresse docet,ens multipliciter dici,& non æquiuoce; sed sicut sanum de vrina, Medicina, & animali ad vnam naturam, hoc est,per attributionẽ multorum ad vnum. Quibus verbis excludit vtramque extremam sententiam: nam dum dicit ens multipliciter dici sicut sanum,tollit vniuocationem; contra Scotum; dum verò addit non æquiuocè, tollit æquiuocationem; contra Aureolum.

Probatur deinde ratione.*Primo*,ex definitione analogorum. Analoga sunt, quorum nomen est commune;ratio verò substantiæ nomini accommodata, nec omnino eadem, neque omnino diuersa: sed ita se habet ens respectu substantiæ, & accidentis; ergo est analogum,& non vniuocum. Minorem ita probo. Substantia est primum ens, habens entitatem per se independentem ab alio;accidens verò est entitas alterius,nempe substantiæ, & ideo Arist.4. Met.c.2. dixit:Accidens non est ens, sed entis ens;ergo non hàbet per se entitatem, sed per attributionem ad substantiam, quare in ipsamet ratione entitatis reperitur in primis maxima diuersitas

uersitas, & ob id etiam conceptu significato per nomen ens. Deinde reperitur aliqualis conuenientia ratione eiusdem attributionis: ergo ratio entis per nomen significata, nec est omnino diuersa, neque omnino eadẽ. Et hoc est ens esse analogum;& ideo non vniuocum.

57 Si autem dixerit Scotus, diuersitatem inter substantiam, & accidens non prouenire ex parte entitatis, sed ex parte modorum per se, & in alio, à quibus abstrahi potest, ratio entitatis & sic abstracta erit vna, quia si à diuersitate abstrahitur; ergo vt sit abstracta, non includit eam; quare erit vna simpliciter, & nomen ens eam immediatè significans, erit vniuocum. Non ergo probatur, analogum esse, aut non esse vniuocum. Hoc non tollit vim arg. quia modi intrinseci substantiæ, & accidentis, non sunt gradus perfectionis distincti ab entitate, sed ipsamet entitas expressius concepta, & significata, quæ significatur nomine entis: vnde nec ens est extra rationem eorum; nec ipsi extra rationem entis: vnde *sequitur primo*, quòd nec possit entitas concipi, sine illis actu saltem confuso inclusis; nec ipsi sine entitate. *Secundò* sequitur idem esse, quòd diuersitas substantiæ; & accidentis, vt significantur nomine entis, proueniat ex modis intrinsecis per se, & in alio; & quod proueniat ex ipsamet entitate: idem etiam esse, quòd per eosdem modos sint deuersa, & quod seipsis sint diuersa: & tandem, quòd sicut entitas non potest à seipsa abstrahi, sic nec possit abstrahi, ab eisdem modis, & ideo, neque conceptus entis eos necessariò includens, possit esse vnus simpliciter, nec vniuocus. An verò ens nõ in tota sua vniuersalitate sumptũ, sed pro ente tantum completo, abstrahi possit à substantia, & accidenti, & respectu eorum sit vniuocum, statim dicemus.

Ad testimonium Arist. pro prima sententia respondeo. Prædicamentum esse 58
primò diuersa, hunc sensum efficere; quod non differant, sicut species, per differentias continentes, diuersum gradum perfectionis à genere, in quo conueniunt; sed per modos, qui sunt ipsamet prædicamentorum entitas speciali modo concepta: vnde verum est, per proprias entitates ita conceptas, esse diuersa. Et hoc est etiam seipsis differre. Et cum infertur se totis differre, distinguendum est: nam si sensus sit; Per totam entitatem suam vnum esse diuersum ab alio, verum est; si verò; Per totam entitatem omnibus modis conceptam, falsum; quia entitates eorum concipi possunt tãquam diuersæ simpliciter, atque etiam tãquam similes, & eędem secundum quid, ratione attributionis; & ideo non concipiuntur, vt omnibus modis diuersæ. Neque in hoc sensu verum est se totis differre; esse tamen necessarium, vt ens esset æquiuocum, quia æquiuocata, vt sub eo nomine concipiuntur, & significantur, nullo modo conueniunt; Et ideo non probatur ex illo testimonio, quod ens sit æquiuocum. Prophyrius vero de æquiuoco loquitur secundũ cõmunem acceptionem, sub qua analogũ cõprehendit: nam ad intentum eius, quod erat, ens non esse genus rerum omnium, sufficiebat esse analogum.

Ad primum arg. secundæ opinionis. Negãda est minor, quod conceptus entis sit vnus simpliciter. Et cùm dicitur modos distinguendi ratione ab entitate, distinguendum est: nam duobus modis contingit aliqua distingui ratione. *Primò*, distinctione totali; ita vt conceptus vnius sic distinguatur ab alio, vt illum non includat, & hoc modo distinguitur ratione differentia à genere. *Secundo*, non distinctione totali, sed includentis, & inclusi, & ita verum est, quod concep- 59

tus entis distinguatur à modis, quos includit, & à quibus includitur, in quantum addunt supra conceptum eius rationem expressionis. Et si distingueretur conceptus entis ratione à modis in primo sensu, posset abstrahi ab eis: sed cum non distinguatur, nisi in secundo, negandum est, quod possit abstrahi, aut sine illis concipi.

Ad secundum. Neganda est minor; quod ratio diuersitatis substantiæ, & accidentis, non sit in entitate, sed ratione modorum: impossibile est enim, quòd ratione modorum sit, & non ratione entitatis, cum modi entitates sint, & ideo in conceptu entitatis includantur: est igitur ratione vtriusque: & ideo repugnat concipi ens sine diuersitate, aut ab ea abstrahi, ita vt conceptus eius sit vnus simpliciter.

Ad vltimum. Concessa maiori, distinguenda est minor: nam concipere rationem entis, non conceptis rationibus particularibus substantiæ, & accidentis, duobus modis contingit. *Primò*, non conceptis distinctè, & expressè. *Secundò*, non conceptis actu implicito, & confuso. Et in casu argumenti concedendum est, quòd concipiantur sine modis in primo sensu, non tamen in secundo: ex eo autem quod concipitur, non conceptis modis in primo sensu, fit, vt possit dubitare intellectus, an ens quod concipit, sit substantia, vel accidens. Quare talis dubitatio non probat, quòd detur conceptus entis vnus simpliciter abstractus à substantia, & accidenti, ratione cuius vniuocum esse possit.

An saltem ens completum sit vniuocum respectu substantiæ & accidentis completi.

60 Ratio dubitandi pro affirmatiua parte specialis est de ente completo; quia non videtur includi posse in differentijs, nec in modis intrinsecis, per quos diuersa sunt, accidens, & substantia; quia de modis, atque differentijs manifestū est, esse entia incompleta: ergo abstrahi poterit ab eis conceptus entis nullam diuersitatem includens. Probatur consequentia, quia totam diuersitatem efficiunt modi.

Communis tamen sententia tenenda est tanquam vera. *Quod ens completum non possit esse vniuocū ad substantiam completam & accidens completum sed non minus hoc modo esse analogum, quam si in tota sua vniuersalitate accipiatur*. Cuius ratio non eadem assignatur ab ominibus, qui ita sentiunt. Sed mihi videtur eodē ferè modo probandum esse, quòd ens completū non sit vniuocum, sed analogum; quo probatū est, vniuersaliter sumptum analogum esse. Probatur ergo duplici ratione. *Prima*. Sicut ens vniuersaliter sumptum includit actu quamlibet entitatem, quantumcunque minimam, siue sit entitas rei, siue modus, & etiam includitur in ea formaliter, & essentialiter: ita ens completum includit actu quamcunque entitatem completam, tam accidētalem, quàm substantialem; quia esse entitatem substantialem, aut accidentalem, non sunt gradus perfectionis ab eadem entitate distincti; sed sunt eademmet entitas expressiori quodam modo concepta, & significata: ergo tota diuersitas, tota attributio, quam habent inter sese, includitur in conceptu entis completi; & ex consequenti tota analogia. Quare repugnat conceptum entis completi, esse vnum simpliciter, & vniuocum. 16

Secunda ratio sumitur ex definitione vniuocorū. Vniuoca sunt, quorum nomē est commune; ratio verò substātiæ omnino eadem; ergo vniuocata debent participare ex æquo, & simpliciter cōceptum vniuoci:

vniuoci: sed substantia, & accidens completum, non participant ex æquo, nec simpliciter rationem entis completi; ergo ens non potest esse vniuocum respectu eorum. Probatur minor; quia illa participant ex æquo rationem communem, quorum quodlibet participat eam per se, hoc est, sine dependentia essentiali in eadem ab altero; & illa participant eam simpliciter, quorum quodlibet dicitur simpliciter tale, vt eam participat: sed accidens completum non participat rationem entis completi, nisi cum essentiali dependentia à substantia; nec dicitur simpliciter ens completum, sed tantùm secundum quid; imò nō dicitur ens completum, sed entis ens, vt ex Aristot. attulimus; ergo non potest participare vniuocè rationem entis completi, neque ens completum potest esse vniuocum respectu vtriusque. Et quod dicimus de ente completo, dicendum est de ente perfecto in ordine ad substantiam perfectam, & accidens perfectum; quia quantùm ad præsentem diuisionem entis attinet, eadem est ratio de vtroque; & ideo eædem rationes eodem modo probant de vtroque.

Ad arg. pro ratione dubitandi positum respondetur; Quòd licèt ens completum non includat modos intrinsecos per se, & in alio, vt separatim conceptus à substantia, & accidenti; & eodem modo; nec differentias, nec etiam in eis sic conceptis includatur: nihilominus tamen eos includit, & in eis includitur, vt concipiuntur in constitutione substantiæ, & accidentis, aut specierum. Et ratio huius est manifesta; quia ens completum, vt probauimus, includit substantiā, & accidens completum, & ab eis includitur formaliter, & essentialiter: sed non est substantia completa & incompleta sine modis, vt eam constituentibus: ergo, vt sic concepta includuntur in ente completo, & illud includunt. Quæ inclusio sufficit, vt conceptus entis diuersitatem includat sufficientem ad tollendam vniuocationem, & efficiendam analogiam.

An ens sit vniuocum respectu aliquarum rerum eiusdem prædicamenti, vel diuersorum prædicamentorum?

Explicata iam analogia entis vniuersalissimi respectu substantiæ, & accidentis; & entis completi, respectu substantiæ completæ, & accidentis completi; restant duæ aliæ, comparationes entis magis particulares. *Prima est*; an respectu duarum specierum eiusdem prædicamenti, vt hominis, & equi, Petri & Ioannis, aut albedinis, & nigredinis. *Secunda*; an respectu duarum rerum diuersorum prædicamentorum accidentium, vt albedinis & quantitatis, ens sit vniuocum, vel analogum: & non loquimur de ente vt cōpleto, sed secundum se sumpto. 64

Prima opinio tenet; Ens vniuocū esse respectu duarum rerum eiusdem prædicamenti, tam substantiæ, quam accidentis, atque etiam diuersorum prædicamentorum accidentium. Eam tenet quantum ad primum Fons. 4. Met. c. 1. q. 1. sect. 5. non negās secundū, & quantum ad vtrumque P. F. Suarius in Met. dis. 32. sect. 2. n. 21. *Probatur vtrumque hoc arg.* Duæ substantiæ & duo accidentia eiusdem prædicamenti, aut diuersorum, participant rationem entis sine vlla attributione vnius ad alterum; imo sine vllo ordine, sed æquè primo: ergo non conuenit illis analogicè, sed vniuocè. 65

Secunda opinio est aliorum, qui tenent vtroq; modò cōparatū ens esse analogum proportionalitatis. Probant; quia ens est analogū attributionis simul, & proportionis; sed in his cōparationib⁹ non significat mem-

cat membra illa secundum attributioné vnius ad alterum :ergo non potest habere aliã analogiam, nisi proportionalitatis. Quod verò hanc habeat; manifestum est; quia verum est, ita se habere quamlibet speciem eiusdem, vel diuersorũ prædicamentorum accidentium ad suam entitatem, quam participat ab ente; sicut alteram ad suam, & hæc est proportionalitas: ergo erit ens respectu illarum analogum attributionis.

44 Pro solutione huius dubij notandum est, quòd in his comparationibus *duobus modis potest sumi ens. Primo*, secundum limitatũ conceptum eiusdé prædicamenti; & hoc modo comparatum ad suas substantias, idem est cum supremo genere substantiæ. *Secundo* modo potest sumi in tota sua vniuersalitate, prout significat substantiam, & accidens. Omitto tertiam considerationem eius, quam ponunt alij quasi mediam inter vtramque, ita vt accipiatur pro conceptu minus vniuersali eo, quem habet in secunda acceptione; sed magis vniuersali, quàm supremum genus prædicamenti: & ita sit eo superius, quia conceptus iste coincidit cum secundo, quantum pertinet ad analogiam, aut vniuocationem: nam repugnat accipi vniuersalius, quàm pro rebus vnius prædicamenti; & non accipi, pro communi aliquo modo multis prædicamentis. Idem est autem accipi pro duobus, ac prout est commune omnibus, quantum pertinet ad analogiam, aut vniuocationem, iuxta communem, & probabiliorem sententiam : ergo de hac acceptione non est curandum.

Hoc supposito, *duo asserit nostra sententia. Primum*, Ens primo modo sumptum, vniuocum esse respectu rerum eiusdem prædicamenti. Probatur; quia idem est ens ita sumptum, cum supremo genere eiusdem prædicamenti, sed hoc est vniuocum respectu rerum eiusdem prædicamenti: ergo etiam ens.

Secundum est; Si ens secun do modo accipiatur in omnibus his comparationibus, est analogum, & non vniuocum. Quod sic probo : Analogum in sua propria, & integra significatione prædicatur analogicè de singulis analogatis per se sumptis, vt sanum de animali per se, aut de vrina, & medicina per se: sed ens in sua propria, & integra significatione est analogum, ergo, vt analogum, prædicatur de substantia per se, & de quolibet accidenti per se; & ex consequenti de rebus eiusdem prædicamenti, vel diuersorum prædicamentorum accidentium: sed sic sumitur in secunda acceptione, ergo prædicatur analogicè de singulis analogatis.

Ad arg. primæ sententiæ; Distinguendũ est antecedens, secundum diuersas considerationes entis explicatas: nam si secundum primam accipiatur, verum est sine attributione, aut respectu participari à duabus speciebus eiusdem prædicamenti; sicut participatur supremum genus eiusdem prædicamenti: cum quo cõuertitur: si verò accipiatur iuxta secũdã, negandum est; quia licèt duæ illæ species non participent rationem entis, cum attributione inter sese, eam tamen participant cum attributione accidentium ad ipsas, queadmodum verum est, ac necessarium, supremum genus earum, participare rationem entis cũ attributione accidentium ad illud in hac prædicatione, *substantia est ens*; alioqui non esset prædicatio analogi formaliter. Quod patet esse falsum. 45

Ad rationem alterius opinionis; Respondetur ex doctrina superius tradita, quòd proportionalitas nullo modo efficit per se nomen analogum: vnde eo ipso, quod ens nõ prædicatur secũdũ attributioné, non po-

non poteſt prædicari vt analogum. Sed de hoc ſtatim dicemus.

Secunda pars quæſtionis.

An ens ſit analogum comparatum ad ens creatum, & increatum, vel ad Deum, & creaturas?

66 Diuerſa eſt hæc entis comparatio à præcedentibus; quia non ſumitur ens in ſua vniuerſalitate, reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis; ſed reſpectu Dei, & creaturarum. Per creaturas verò non intelligimus accidentia: nam cum Deus ſit ſubſtantia, manifeſtum eſt ex dictis in prima parte quæſtionis, non poſſe conuenire vniuocè ſub nomine entis cum accidentibus; ſolum ergo intelligitur nomine creaturarum ſubſtantia creata: vnde ſenſus quæſtionis eſt: *An ſubſtantia creata, & increata, vniuocè conueniant ſub nomine entis.*

Et prima opinio aſſerit, ens ad Deum & creaturas, non eſſe vniuocum; ſed æquiuocum. Huius ſententiæ mentionem fecit D. Tho. 1. p. q. 13. art. 5. & q. 7. de potētia, art. 7. & eam videtur tenere Aureolus in 1. d. 2. quæſt. 1. (niſi fortè de æquiuoco loquitur ſub communi acceptione, vt comprehendit analogum.) Et poteſt probari: Quia entitas creata, alterius longè rationis eſt ab increata; & in infinitum ab ea diuerſa: ergo nihil poteſt habere commune cũ increata, præter ſolam vocem. Et hoc eſt, nomen vtramque ſignificans eſſe æquiuocum.

Secunda opinio, eſt Scoti in 1. d. 3. q. 1. & 3. aſſerentis, ens reſpectu ſubſtantiæ creatæ, & increatæ, habere vnum conceptum communem, & diſtinctum ex natura rei ab vtraque, ſicut ſuperius dixerat de conceptu entis; & ideo eſſe vniuocum. Eum ſequuntur eius diſcipuli.

67 Probatur à ſufficienti diuiſione; Ens ita comparatum non eſt æquiuocum; non eſt analogum: ergo erit vniuocum. Probatur prima pars antecedentis; nam ſubſtantia creata non eſt omnino diuerſa ab increata, ſed ei ſimilis: ergo non conuenit cum ea in ſola voce; ſed aliquo modo in entitate ipſa: quare non poteſt ens reſpectu vtriuſque eſſe æquiuocum. Probatur ſecunda pars hoc modo: Ens non eſt analogum proportionalitatis, neque attributionis: ergo nullo modo. Antecedens probo: quia nomen ens reſpectu Dei & creaturarum, non ſignificat proportionalitatem, quod neceſſarium eſt, vt ſit analogum: ergo non eſt analogũ proportionalitatis; ſed nec ſignificat attributionem, nam creatura ſimpliciter eſt ens; ergo non per attributionem ad Deum.

Tertia opinio eſt D. Thom. 1. p. q. 13. art. 5. quòd ens reſpectu Dei, & creaturarũ, non ſit æquiuocum; nec vniuocum; ſed analogum. quam ſequuntur iam ferè omnes, præſertim Ferra. 1. contra gent. cap. 32. Sot. q. 4. antepraedicam. P. F. Suarius in Met. diſp. 28. ſect. 3. P. Vazquez. 1. p. d. 22. ca. 5. in fine. & eſt vera, & tenenda. Et quod non ſit æquiuocum contra primam opinionem efficaciter probatum eſt arg. ſecundæ opinionis. Sed probatur, quod non ſit vniuocum aduerſus ſecundam, hac ratione: Analogum eſt, quod non participatur æqualiter, nec ſimpliciter ab analogatis; ſed ab vno per ſe primo, atque ſimpliciter; ab alio, vel aliis non per ſe primo nec ſimpliciter, ſed cum eſſentiali attributione, ac dependentia ab illo: ſed ita ſe habet ens reſpectu Dei, & creaturæ: ergo analogum eſt, & non vniuocum. Probatur minor, quia entitas cõuenit Deo per ſe, & à ſe, & conuenit ei ſimpliciter; creaturæ verò, vt creatura eſt, nõ per ſe primo, nec à ſe, ſed per participationem; & ideo non ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

Ad arg. primæ opinionis; Conceſſo antecedens- 68

cedenti, neganda est consequentia. Nam licèt infinita sit distantia inter entitatem creatam, & increatam; aliqua tamen est similitudo, per attributionem significata, quia entitas creata est quædam participatio entitatis diuinæ. Et hoc sufficit, vt non sint omnino diuersæ, & vt respectu illarum, ens non sit nomen æquiuocum.

Ad arg secunda opinionis, Negandum est antecedẽs. Et rursus dum probatur, quod ens non significat Deum, & creaturam secundum attributionem; quia creatura est ens simpliciter, distinguendum est: nã duobus modis potest significari creatura: *Primò*, nomine entis. *Secundò*, nomine entis creati, vt significatur comparatione Dei per nomen ens, vt commune ad ens creatum & increatum: & si primo modo accipiatur, non significatur cum attributione ad Deum, sed absolutè: & ideò dicitur simpliciter ens: significata verò secundò modo attributionem dicit; & ratione illius non vocatur ens simpliciter, sed secundum quid, hoc est, ens per participationem. Et ex hoc habetur, quod nomen ens, vt significat ens creatum, & increatum, analogum sit, & non vniuocum.

Qua analogia dicatur ens respectu substantiæ, & accidentis, atque etiam respectu Dei, & creaturarum?

PRima opinio est aliquorum modernorum, qui vtramque analogiam proportionalitatis, & attributionis tribuunt enti, respectu substantiæ, & accidentis, atque etiam respectu Dei, & creaturarũ. Probant hoc arg. Illud est analogum proportionalitatis, & attributionis, inter cuius analogata reperitur proportionalitas, & attributio: sed inter substantiam, & accidens; & inter ens creatum, & increatum reperitur vtraque: ergo dicetur analogum proportionalitatis, & attributionis. Probatur minor; nam verum imprimis est; quod sicut se habet substantia ad suum esse, quod participat ab ente, ita accidens ad suum, quod participat ab eodem: ergo habent inter se proportionalitatem. De attributione verò videtur manifestum; quia accidens dicitur ens per attributionem ad substantiam, & ens creatum per participationem, & attributionem, ad increatum.

Secunda opinio est. Non esse analogum attributionis, sed proportionalitatis tãtum; quia accidens vocatur absolutè ens in communi modo loquendi, & multò melius substantia creata: ergo non sunt entia per attributionem. Probatur consequentia; quia quod tale est per solam attributionem ad aliud, non dicitur tale simpliciter; sed secundum quid, vt de vrina, & medicina patet. 69

Tertia sententia est. Non esse analogum proportionalitatis, sed solius attributionis. *Hæc est conformis* doctrinæ D. Thó. *& probabilior*; ideo eam sequitur iam maior modernorum pars, sed non omnes in eodem sensu, aut propter eandem rationem eam tenent: nam quidam fatentur, non solam attributionem reperiri inter analogata, sed etiam proportionalitatem; sed hanc ideo non facere ens analogum, quia non significatur per illud; non enim significantur substantia, & accidens nomine entis, in quantum quodlibet sic se habet ad suum esse, sicut alterum ad suum, licet hanc proportionalitatem habeant, & secundum eam possint concipi ab intellectu: ergo talis proportionalitas non efficit ens analogum proportionalitatis. Probatur consequentia; quia non dicuntur aliqua analogata alicuius nominis analogi; nec nomen ipsum dicitur analogum respectu illorum, nisi ea significet, vt talem habent analogiam; sed non potest ea ita significare, nisi analogiam

logiam significando: ergo si eam non significet, vt probatum est non significare ens; non dicetur ab illa analogum, quamuis inter res significatas reperiatur.

70 *Nos verò alia via hanc sententiam defendimus*, vt superius diximus. Fatemur enim proportionalitatem, reperiri inter vtraque analogata entis, & dicimus proportionalitatem, siue significetur per nomen analogum, siue non, sufficientem non esse ad efficiendum illud analogum, quod superius agentes de speciebus analogiæ probauimus. Ideo non datur analogũ proportionalitatis; nec ens tale vocari debet, sed analogum attributionis; quia sola attributio vera analogia reputanda est;& sola illa analogum facit nomen; & semper significatur per nomen analogum. Necessarium est enim analogiam significari per nomen, vt illud analogum constituat. Quod efficaciter probatum est argumento illo pro nostra sententia ab his, qui eam alia via defendunt.

Sed *ad argumentum* alterius opinionis distinguendum est antecedens, dum dicitur accidens vocari simpliciter ens, & etiam ens creatum. Nam aliquid esse, aut dici simpliciter ens, duplicem sensum habere potest. *Primus est*, vt sit ens intrinsecè, formaliter, & non per solam denominationem extrinsecam. Et in hoc sensu verum est, accidens esse ens simpliciter, & etiã ens creatum. *Alter sensus est*, quod aliquid sit ens sine addito. Et hoc modo de nullo analogato minus principali prædicatur simpliciter analogum, sed de
71 omnibus cum illo addito (secũdum quid) Et ratio huius est; quia licèt formaliter participet rationem analogi; hoc tamen non nisi per essentialem dependentiam, & attributionem, ad principale analogatum; & ideò non nisi secundum quid. Quòd vt significaret Arist. asseruit, accidẽs nõ esse ens, sed entis ens. Et ita loquẽdum est de quocunq; alio analogato minus principali cuiuslibet analogi; cum probatum sit, omne analogum esse attributionis. Et hoc significat etiam illud cõmune proloquium (*analogum per se sumptum stat pro famosiori significato*) Cuius sensus est, quod licet omnia significet; principale tamen tantum simpliciter, & sine addito. Quare dum absolutè profertur analogum, pro eo tantum supponit.

Et si dixeris, ex hoc sequi, hanc propositionem esse veram: *Omne ens est substantia*; imò esse identicam, quod sic probatur. Ens absolutè sumptum solum supponit pro substantia; ergo subiectum, & prædicatum idem sunt. Respondeo neutrum sequi. Non primum, quod propositio sit vera, quia analogũ absolutè sumptum semper significat omnia sua analogata; sed pro solo primo stare, dicitur, si per se accipiatur; quia reliqua non sunt talia sine addito: in subiecto autem illius propositionis, omne ens est substãtia, nõ sumitur absolutè, aut per se ens; sed cum addito distributionis, quæ in nomen analogum fertur, secundum significationem analogi; & ideo in omnia analogata. Quare sicut non pro solo principali distribuitur, sic non pro solo illo supponit; & ideo non est vera propositio, quia prædicatum solum continet vnum analogatum; subiectum verò distributiuè omnia: & hæc est ratio, propter quam non potest verificari de subiecto. Quod verò non sit identica, ex eodem est manifestum, cum plus significet subiectum, quam prædicatum; atque etiam ex alio, quia licèt subiectum solum pro substantia supponeret, non significat eam expressè ac distinctè, sed confusè tantum, & in prædicato significatur distinctè, & expressè: diuersus autem modus significandi prædicati, & subiecti sufficit, vt propositio non sit identica.

Ad argu-

commune, ratio verò substantiæ, nec omnino eadem, nec omnino diuersa: sed ratio accidentis omnino est eadem: ergo non est analogum, sed vniuocum; Probatur minor: ratio accidẽtis est, esse in subiecto; sed esse in subiecto, nõ solũ formaliter, & intrinsecè conuenit omnibus accidẽtibus, sed etiam æqualiter & simpliciter; ergo nõ est diuersa in eis, sed eadẽ.

74 Huic argumento solet responderi: Quòd licèt accidentia non dicantur per attributionem ad vnum accidens; tamen omnia dicunt attributionem ad substantiam, & intrinsecam dependentiam ab ea. Et hæc sufficit vt inter sese dicantur analogicè sub nomine accidentis. Sed probatur hoc non sufficere duplici ratione. *Primò*, quia vt attributio constituat analogiam, inter significata analogata versari debet, sicut analogia ipsa: sed substantia non est analogatum accidentis, cũ non significetur eo nomine; ergo attributio accidentium ad illam, non constituit accidens analogum, sed solum ens, à quo significantur omnia.

Secundò, attributio ab substantiam æque primò conuenit omnibus accidentibus, atque etiam intrinsecè, & formaliter; ergo vniuocè conueniunt in ea: sed secundum talem attributionem significãtur nomine accidentis: ergo vniuocè, & non analogicè significantur.

Secunda opinio tenet, accidens non esse vniuocum, sed analogum. Ita Soncinas 4. Metaph. quæst. 1. ad 1. Caiet. de ente, & essentia cap. 7. quæst. 15. ad 4. P. Franciscus Suarius in Meta. dispu. 59. q. 3. Pater Vazquez, 1. p. d. 14. cap. 2 Fonseca. 5. Meta. cap. 7. q. 2. sect. 4. *& hæc est probabilior, & tenenda.*

Sed diuersis modis probatur à diuersis. Ratio aliquorum est, proportionalitas, quæ reperitur inter accidentia. Quia sicut vnum se habet ad suum esse, quod ab accidẽti participat, sic se habet aliud. Et hæc sufficit, vt accidens sit analogum respectu omnium. Sed hæc ratio insufficiens est; nam vt superius probauimus, proportionalitas nõ significatur per nomen; & ideo non sufficit illud facere analogum; & etiam si significaretur, non sufficeret.

Ideo alij, qui solam attributionem veram constituere analogiam, nobiscum sentiunt, dicunt reperiri attributionem inter accidentia; quia omnia dicuntur talia in ordine ad quantitatem, ratione cuius inhærent subiecto. Sed hoc probatur falsum. Quia nullum accidens spirituale inhæret subiecto media quantitate; neq; enim omnia accidentia sunt corporea: nam generatio substantialis inhæret materiæ primæ ante quantitatem, & relatio totius substantialis ad materiam, & formam, & relatio materiæ, & formæ inter sese: ergo falsum est, quod dicantur per attributionem ad quantitatem. 75

Alij denique probant accidens non esse vniuocum. Quia saltem respectu accidentis absoluti, & relatiui, non potest habere rationem vniuocam: nam vel cõceptus abstractus ab vtroq; est absolutus, vel relatiuus. Non absolutus, quia nõ cõueniret inferiori accidenti relatiuo. Nec potest esse relatiuus; quia non conueniret inferiori absoluto: ergo nec potest esse vniuocus. Et si dicas, nec esse relatiuũ, nec absolutum; sed abstrahere ab vtraq; ratione, vt abstrahunt cætera vniuoca à particularibus rationibus vniuocatorũ. Probatur hoc esse falsum; quia si talis cõceptus abstrahit à relatiuo, & absoluto, eo ipso debet esse absolutus. Nam si abstrahit à relatiuo; ergo iam non respicit terminum: sed quod non respicit terminum, est absolutum; ergo talis conceptus absolutus erit; & non abstrahet ab absoluto, & relatiuo.

te. analogiam in accidente., à quo non significantur omnia; sicut non facit analogiam in nomine, substantia, licet sit vnum analogatum entis cum accidẽtibus: & ob id solum attribuuntur ei accidẽtia, quod nomine substantiæ non significantur: non ergo videtur hac via efficaciter probari, quòd accidens sit analogum. Probatur minor: quia ex eo quòd accidentia attribuantur substantiæ solum sequitur, quòd non sint entia simpliciter, non verò, quod non sint accidentia simpliciter; ergo talis attributio ad substantiam facit analogiam in ente, à quo significantur omnia; non in accidenti. probatur consequentia, quia necessarium est in omnibus analogis, vnum esse tale simpliciter; aliud, vel alia secundum quid.

His tamen non obstantibus, expressa mens, D.Thom. est; *sufficere talem attributionem ad analogiam*; quia non possunt distingui duo illi modi attributionis, vnius ad alterum, & multorum ad vnum, vt eos distinguit D. Tho. nisi duobus etiam modis accipiatur, sanum; in quo vtrumque contineri affirmat. Primo quidem respectu solius medicinæ, & vrinæ; deinde respectu solius medicinæ, & animalis: nam si respectu omnium sumatur, necesse est plura attribui eidem: ergo non habebit locum attributio secunda, quæ est vnius ad alterum. Probatur consequentia: quia impossibile est, sumere ens in ordine ad decem prędicamenta, & constituere in eo attributionem vnius ad alterum, sed solum est multorum ad vnum; quia attributio vnius ad alterum, inter duo tãtum potest reperiri, non inter multa; nisi omnia sumãtur vro vno: ergo impossibile est constituere in sano, attributionẽ vnius ad alterum, hoc est medicinæ ad animal; nisi sumendo illud, prout solum significat hæc duo; & ex consequenti constituitur alius modus attributionis distinctus; qui est multorum ad vnum; accipiendo idem nomen prout ea tantum significat, quæ attribuuntur tertio.

79 *Sed ratione probatur*, sufficere talem attributionem multorum ad vnum; etiam si illud vnũ non significetur per idem nomen: quia quando attributio multorum ad vnum intrinseca est eis, vt per tale nomen significantur; vera est attributio & per nomen significata, licèt nõ significetur per nomen illud vnum, ad quod est attributio; non minus, quàm si per nomen significaretur: ergo non minus efficit nomen analogum. Probatur consequentia ex definitione analogorum: quia tale nomen significat plura, in quantum habent attributionem; ergo est analogũ: deinde quia attributio significata per nomen, vera est analogia: & ea quæ cum tali attributione significantur, vera analogata; impertinens igitur est, per nomen significari illud, respectu cuius est attributio.

Ad obiectionem principalem propositam 80 respondetur, negando inprimis, quòd hæc analogia non sit ex mente D. Tho. deinde negando etiam, quòd vtrunque modum attributionis vnius ad alterum, & multorum ad vnum, ponat D. Tho. inter ea tantum, quæ significantur eodem nomine. Nam expresse asserit; *sanum respectu vrinæ, & medicinæ, esse analogum attributionis multorum ad vnum*; sed respectu medicinæ, & animalis, attributionis vnius ad alterum: ergo non sumit sanũ vt significat omnia. Nec id reputat necessarium; sed vt significat minus principalia cum attributione ad principale, etiã non significatũ. Probatur consequentia: quia si illud accipiat secundum integrã significationem omnium, non potest vtrumque modũ attributionis distinguere; quia attributio vnius ad alterũ, nõ est nisi inter duo: Prȩterea D.Th. expresse docet,

cet, quemlibet modũ attributionis, per se facere analogiam; sed modus attributionis multorũ ad vnum, reperitur in analogatis, etiamsi illud vnum non significetur per nomen, vt iam probaui: ergo sufficit nomen analogum facere.

Ad arg. verò distinguendum est antecedens; quia modus attributionis, efficiens nomen analogum, duplex est, vt asserit D. Th. vel vnius ad alterum; & secundum hunc modum attributionis non potest esse analogia, nisi vtrumque significetur eodem nomine, vel multorũ ad vnũ; & modus ille, reperitur quidem inter significata eiusdem nominis; sed quia est in ordine ad tertium, vtroque modo contingit; nempe ad tertium significatum eodem nomine, vel diuerso. Et ratio huius est; quia cùm ea quæ attribuuntur alteri, sint multa; potest talis attributio adæquatè, atque completè significari per nomen commune omnium; vel quasi inadæquatè, & partialiter, quod est, quasi diuidi in totalem, & partialem. Et ita est in sano, atque etiam in ente, & accidente, nam sanum potest accipi in sua integra significatione; & tunc efficit quasi completam analogiam: vel potest coarctari ad sola analogata minus principalia; & efficit quasi incompletam, aut partialem, sed sufficientem; quia cum attributio ad principale, sit eis intrinseca, non possunt sine illa significari significata autem cum attributione, non possunt, nisi analogicè significari. Probatur efficaciter; quia vniuocis repugnat significari cum attributione ad principale analogatũ, cum quo apta sunt, analogiam facere: ergo analogata sunt, siue eodem nomine significetur principale, siue diuerso; Analogia quidem quasi inadæquata, & partiali; cum tamen ex modo, quo significantur, apta sint efficere analogiam completam, sub nomine vniuersaliori, quo significantur omnia, & hoc modo intelligenda est analogia accidentis. *Secundò*; possemus etiam respondere, aliquo modo significari substantiam nomine accidentis, non in recto, sed in obliquo; quia accidens idem est ac entis ens, vt dixit Arist. id est, ens substantiæ: sufficit autem ita significari, vt attributio accidentium ad substantiam, aliquo modò dicatur esse inter significata eiusdem nominis analogi: atque etiam vt aliquo modo nomen accidentis sit commune accidentibus, & substantiæ.

Nec contrarium est hoc definitioni analogiæ, quo dicitur nomen analogum 73
cõmune esse analogatis; nam commune est nomen his, quibus conuenit attributio, licèt non sit commune ei, ad quod habent attributionem; quia hoc non est analogatũ talis nominis, sed illa tantum.

Ad confirmationem Negandum est antecedens, quòd attributio accidentium ad substantiam, solum efficiat analogiam in ente, & non in accidente, sed dicendum in vtroque eam efficere; quia per vtrumque nomen significatur: sed in ente efficit quasi completam, & totalem; in accidente verò incompletam, & partialem; quia intrinsecè præsupponit illam, & intrinsecè ab ea dependet. In nomine autem substantiæ, non fit analogia; qua nec substantia habet attributionem ad accidentia, nec etiam si haberet eam, significaretur eo nomine, vt superius probatum est.

Aliud tandem quod in eadem confirmatione dicitur; attributionem accidentium ad substantiam solum efficere, quod sint entia secundum quid; non verò quod sint accidentia secundum quid, concedẽdum est; neganda tamen consequentia, quod non efficiat analogiam sub nomine accidentis. Nam ad analogiam attributionis.

onis non requiritur necessariò, quod analogata, vel aliquod eorum sit tale secun-
83; dum quid, sub particulari nomine, quo ea tantum significantur; sed sufficit, quod sint talia secundum quid respectu eius, ad quod attribuuntur: nam ex hoc habetur esse analogata cum eo, sub nomine vniuersaliori, completa, & totali analogia; & consequenter analogia incompleta, ac dependenti sub particulari nomine, quo significantur; sub quo non est necessarium, dici talia secundum quid. Sed illud esse secundum quid, quod habent ex propria natura, dicitur de eis simpliciter, vt significantur particulari nomine; & ideò sub eo dicuntur talia secundum quid simpliciter. (vt sic loquamur) Et hoc patet in accidētibus: nam dici accidentia simpliciter secundum quid, non est aliud; quam dici simpliciter entia secundum quid; quod etiam de sano dicetur respectu solius medicinæ, & vrinæ. Imò ex hoc satis clare intelligitur, vtroque nomine analogicè significari; cum vtroque nomine significentur cum attributione. & propter eandem attributionem, cum qua significantur, fit, vt sub vtroque nomine significata, dicantur talia secundum quid formaliter; vel præsuppositiuè, præsuppositione eis intrinseca; quæ omnia vniuócis repugnant. Et si tandem obijciatur, Omnes potentias ordinari ad obiectum; & hoc non sufficere vt potentia in communi, sit analogū ad illas. Respondeo, non dicere ordinem attributionis; sicut accidentia ad substantiam, sed specificationis tantum; & ideo non esse analogata.

An necesse sit accidens esse genus, si sit vniuocum?

84 MVlti ex his, qui tenent accidens esse vniuocum, negant esse genus, vt Iauellus, & Sotus vbi supra; sed non assignant eandem rationem. *Nam Iauellus ait*, ideo non esse genus; quia non est extra rationem differentiarum & modorum: sed cum transcendens sit, in eis necessariò includitur; at hoc est contra rationē generis, quod, vt supra probauimus, debet esse extra rationem differentiarum, 85 alioqui non poterit per eas contrahi. Hæc tamen ratio insufficiens est; quia, vt superius probauimus, non potest accidens includi in modis intrinsecis, & vltimis differentijs, quin eas etiam in se includat actu, licet confuso; cum sint entitates quædam accidentales: sed eas includens non potest habere conceptum ab eis abstractum, vt constat; ergo neque vniuocum. Probatur consequentia; quia talis conceptus non abstrahit à diuersitate, sed eam includit; ergo non est vniuocus; si non sit genus.

Secunda opinio est Soti asserentis, ideo accidens non esse genus, licèt sit vniuocum; quia genus pertinet ad quidditatem specierum: sed accidens non significat quidditatem accidentium, sed esse eorum in substantia; ergo non est genus. *Hoc autem Probatur falsum* duplici ratione. *Prima*; quia non minus pertinet ad rationem vniuoci, esse de quidditate inferiorum, quam ad rationem generis: si ergo accidens ideo non est genus, quia non dicit quidditatem acidentium; sequitur eadem ratione non esse vniuocum. Probatur maior ex definitione vniuocorum, Vniuoca enim sunt, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ eadem. Per rationem autem substantiæ intelligit Aristoteles & omnes, definitionem, vel conceptum quidditatiuum, in his quæ definitione carent; ergo repugnat aliquid esse vniuocum, & nō esse de quidditate inferiorum.

Secunda; quia falsum est, quod accidēs non dicat quidditatem accidentium,

 quod sic

quod sic probo. Ens pertinet ad quidditatem entium particularium, & diuiditur, vt tale, in substantiam, & accidens, tanquam in membra opposita, & adæquata rationi eius: sed substantia dicit quidditatem substantiarum inferiorũ; ergo accidens quidditatem inferiorum accidentium.

Nostra igitur sententia est, non posse accidens esse vniuocum, quin eo ipso sit genus omniũ accidentiũ, vnde qui asserit vniuocum esse, cõsequenter dicere debet esse genus. Probatur; quia nulla potest assignari ratio sufficiens excludendi vniuocum à ratione generis, vt probatum est ex refutatione aliarum opinionum.

An saltem respectu aliquorum accidentium, aut prædicamentorum, possit esse accidens vniuocum?

68 PRima opinio tenet; accidens respectu aliquorum accidentium, vt quantitatis, & qualitatis, aut etiam cæterorum intrinsecorum, esse vniuocum. Ita pater Franciscus Suarius in Meta. disp. 39. sect. 3. num. 15. & probat hoc arg. Accidens respectu horum nõ est analogum proportionalitatis, nec attributionis; ergo nullam habet analogiam, sed est vniuocũ. Euidens est consequentia; quia nullus ponit plures modos analogiæ. Sed probatur antecedens; quia analoga proportionalitatis nullam habent conuenientiam intrinsecam; vt patet de risu hominis, & prati; sed accidentia hæc, habent conuenientiam intrinsecam, cum omnia inhæreant realiter subiecto: ergo non potest esse analogum proportionalitatis accidens respectu eorum. De analogia verò attributionis probat; quia nullũ accidens horum dicitur tale, per attributionem ad alterum, vt satis est manifestũ: ergo accidens respecto eorũ non est analogum attributionis.

Nostra tamen sententia opposita est, 87 quod *nec respectu horum accidentium possit accidens esse vniuocum, sed analogum*. Probatur duplici ratione. Prima, quia sicut accidens respectu omnium accidentium, non potest abstrahi à modis intrinsecis eorum: ita nec respectu accidẽtium intrinsecorum; potest abstrahi à modis eorum; ergo sicut non est vniuocũ, sed analogum respectu omnium; ita nec respectu horum. Probatur antecedens: quia ideò respectu omniũ non potest abstrahi à modis, quia modi non sunt aliud, quam entitates quædam accidentales, expressiùs significatæ; & propterea necessè est, vt sub significatione vniuersali accidentis, actu, licet confuso, comprehendantur. Quo supposito, conceptus accidentis nec abstractus, neque vnus esse potest; sed eodem modo se habet ad intrinseca, si cum illis solis comparetur, vt ex se patet: ergo nec respectu eorum potest esse vniuocum.

Quod verò sit analogum, eadem ratione probatur, qua probauimus esse analogum respectu omnium; quia intrinseca 88 accidentia, significant cum attributione ad substantiam; sicut sanum, si respectu sanorum extrinsecorum, quæ sunt vrina, & medicina, solum accipiatur; ergo continet modum attributionis multorum ad vnum, sufficientem ad efficiendum nomen analogum; vt probatũ est.

Ad argumentum alterius sententiæ. Negandum est antecedens; quod accidens respectu intrinsecorum non sit analogum attributionis. Quia licet non significet ea cum modo attributionis vnius ad alterum, bene tamen cum attributione multorum ad vnum, nempe ad substantiam, cuius aliquid sunt, & vt aliquid eius significantur. vt de accidenti respectu omnium diximus.

Ex quibus sequitur, qua analogia accidens sit

dens sit analogum, tam respectu omnium accidentium, quam solum respectu intrinsecorum; nempe analogia attributionis multorum ad vnum.

An verò respectu accidentium completorum vniuocum esse possit, vel etiam sit analogum; eodem modo respondendum est, & eisdem rationibus probandum, quod sit vniuocum, sed analogum, quibus probatum est de ente in ordine ad sola entia incompleta. Et hęc sint satis de analogia nominum.

CAPVT SECVNDVM.

De diuisione eorum, quæ dicuntur & sunt.

TEXTVS ARIST.

Eorum quæ sunt, alia dè subiecto aliquo dicuntur, in subiecto verò nullo sunt &c.

Textus expositio.

1. INtentum Aristotelis est tradere duas diuisiones; vnam eorum quæ dicuntur, aliam eorum quæ sunt; & hoc tantum agit in toto capite, quod ideo non eget diuisione.

Prima diuisio non est rerum, sed vocum, vt significant res; quia complexio non conuenit rebus, sed vocibus, vt eas significant. Asserit ergo Arist. *Ea quæ dicuntur: quædam cum complexione, alia sine complexione dicuntur.* quasi dicat, voces, quæ significant res, alias esse complexas, vt homo albus; alias incomplexas, vt color, aut animal. Quod idem est, ac si dicatur: quasdam esse simplices; alias compositas.

Secunda diuisio rerum est. Sed vt intelligatur, notari debet: Quod esse in subiecto, & dici de subiecto, particulari quodam modo sumuntur ab Arist. in hoc capite. Nam esse in subiecto, sumit pro vera, & reali inhærētia in eo; & dici de subiecto, tanquam de quidditatiuè inferiori; vt animal de homine, & homo de Petro.

Hoc supposito, diuisio talis est. *Eorum quæ sunt, quædam de subiecto dicuntur, & in subiecto non sunt*; vt homo, qui dicitur de Petro; non est tamen in eo per realem inhærentiam, sed substantialiter; ideò non vt in subiecto. *Alia in subiecto sunt sed de nullo subiecto dicuntur*; vt accidentia singularia; nam hæc albedo in pariete inhæret, sed de nullo subiecto dicitur; quia nō habet inferiora quidditatiuè, de quibus prædicari possit; licèt accidentaliter dicatur de pariete, & alijs corporibus. *Alia de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt*; vt accidentia abstracta à suis inferioribus, nempe genus à speciebus, & species ab indiuiduis; color enim de albedine, & nigredine dicitur; & in pariete, & homine inhæret. *Alia denique sunt; quæ nec sunt in subiecto, nec dicuntur de subiecto*, vt singulares substantiæ, Petrus & Ioannes.

CAPVT TERTIVM.

De regulis prædicatorum essentialium.

TEX. ARISTOTELIS.

Quando alterum de altero prædicatur vt de subiecto, quæcunque de eo, quod prædicatur dicuntur, omnia etiam de subiecto dicuntur.

Textus expositio.

INtentum Arist. est tradere duas regulas prædicatorum essentialium, & hoc tantum agit in toto capite. *Prima* regula est, *quando aliquid prædicatur de aliquo tanquam de subiecto*, hoc est, tanquam de quidditatiuè inferiori; *quæcunque dicuntur de prædicato, necesse est prædicari de subiecto*. Ita se habent quæcunque prædicata, po- 1

dicitur non subalternatim posita ab Aristotele. Probatur minor; qua quantitas diuiditur in successiuam, & permanentem, tanquam in duo genera, quorum vnum non est sub altero, & habent differentiam communem; nam differētia cōtinui, communis est vtrique; atque etiā differentia discreti, si quidem, tam quātitas permanēs, quam successiua diuiditur in continuam, & discretam.

Secundò; quia eadem sunt genera subalterna, & subalternatim posita: sed ea quorum vtrumq; est sub tertio, sunt subalterna respectu illius; cum vtrumq; sit sub eo: ergo erunt subalternatim posita.

Ad primum testimonium respondetur; Quod cum diuerso modo habeatur in diuersis translationibus; per aliud expressum, à nobis citatum, explicari, & intelligi debet, in quo nō potest esse dubium, nostram sententiam contineri.

Ad aliud testimonium dicemus, genera subalterna, aut subalternatim posita, vtraque comprehendere; nempe ea, quorum vnum est sub altero, & quorum ambo sunt sub tertio.

Ad arg. Concedendum est antecedēs cum consequentia, & dicendum: Quod regula Aristotelis, quātum ad hanc partem, clarissima est, si per alia testimonia expressa eiusdem intelligatur; eam verò difficilem fecerunt, qui prædicta testimonia non viderunt.

Secunda pars quæstionis.

SEcunda pars quæstionis quærit, *An genera non subalternatim posita, possint habere differentiam communem.* Quod vt melius intelligatur, Notandum est, duplicem esse differentiam; Constitutiuā, & Diuisiuam; Superiorem, etiam atq; inferiorem: Vt, sensibile est constitutiua animalis, & diuisiua viuentis; & corporeum est differentia superior respectu viuētis, sed [illegible] le verò inferior respectu eiusdem. Intelligetur ergo quæstio de inferiori diuisiua; nam de superioribus non est dubium, quin possint esse communes. Circa quam est *prima opinio* Soti asserentis, genera nō subalternatim posita, quorum vnum nō est sub altero in eodem prædicamēto, sed vtrumque sub tertio, non posse habere differentiam communem; & multo minus genera diuersorum prædicamētorum. Quem etiam sequūtur alij, etiam si nobiscum dicant hæc esse subalternatim posita.

Probant duplici testimonio Ari[illegible] 1. lib. Topic. cap. 2. loco 22. vbi affirmat, de pluribus prædicari genus, quam differentiam. Secundum habetur 1. li. de partibus animalium, cap. 3. vbi dicit, tot esse differentias, quot sunt species: sed si eadem differētia duobus generibus, quæ sunt sub tertio, communis sit, vtrunque erit falsum; ergo non est admittendum. Probatur minor; nam si eadem differentia diuisiua viuentis, communis est duabus speciebus subalternis, sub eo contentis; cum de illis prædicitur genus; prædicabitur etiam hæc differentia cōmunis; & ideo non prædicabitur differentia de paucioribus, quam genus. Et preterea, in minori numero erunt differentiæ, quam species; cum vna differentia sit communis duabus speciebus.

Probant deinde ratione; quia sicut repugnat idem indiuiduum esse sub duplici specie; ita repugnat eādem speciem esse sub duplici genere: sed si eadē differētia Diuisiua sit cōmunis duobus generibus, sequitur eandem speciem contineri sub duplici genere: ergo impossibile erit. Probatur minor; quia differentia Diuisiua generis constituit speciem sub eo, vt rationale diuidens animal cōstituit hominem sub eo; ergo si animal, & planta habent differentiam communem, talis

differentia constituit speciem sub vtroque genere; & eadem erit species animalis, & plantæ, quod absurdum est.

Secunda opinio tenet; genera non subalternatim posita, nõ semper, aut necessariò habere differentiam communem; sed aliqua posse eam habere. ***Et hæc est probabilior & tenenda.*** Et explicatur duabus cõclusionibus. *Prima*: ***Genera subalternatim posita quorum vnũ est sub altero, habent omnes differẽtias Cõstitutiuas superiorum generum communes, & Diuisiuas aliquas non tamen omnes.*** Exẽpli gratia; animal & viuẽs, habent differentiã Diuisiuã substãtiæ communem, vt corporeũ; & etiam Constitutiuã corporis; sed neutrum habet differentiam Constitutiuam alterius, quæ Diuisiua est proximi generis. Ita Arist. in vltimis verbis huius capitis. Et colligitur euidẽter ex prima regula huius capitis; quia si genus superius prædicatur de generibus inferioribus, quæ sunt species subalternæ: sequitur de eisdem prædicari differentiã Constitutiuam eiusdem generis superioris, quæ illud constituit, & de illo prædicatur.

Secunda conclusio; genera non subalternatim posita secundum primam opinionem; quorum vnum non est sub altero, sed vtrumque sub tertio easdem differentias Constitutiuas superiorum generũ habẽt communes; & aliquam Diuisiuam superioris generis, possunt habere communem; licèt non necessariò, nec semper habeant: sed genera diuersorũ prædicamentorũ, quæ sola dicuntur non subalternatim posita, nullam. Prima pars huius conclusionis euidens est in animali, & planta, quæ habent differentiã Diuisiuam, & Constitutiuam corporis cõmunem. Secunda verò, expressa est apud Arist. 6. Topic. ca. 2. loco 41. vbi eam probat hac ratione. Animal diuiditur in gressibile, & volatile, tanquã in diuersas species subalternas; & ideo in diuersa genera, quæ sub se habent alias species, & tamen vtrique generi, communis est differentia bipedis; ergo duo genera, nõ subalternatim posita, communem habent differentiam Diuisiuam superioris generis. Vtitur autẽ Aristoteles his differẽtijs loco essentialium, quas ignoramus. Et confirmatur; quia quantitas diuiditur in successiuam, & permanentem, tanquam in diuersas species subalternas; quarum vna non est sub altera, sed vtraque sub tertia; & habent communes differentias continui, & discreti. Si autem dicatur, quæ sit ratio propter quam, non semper nec necessariò habeant talia genera differentiam communem, sed aliqua habeãt illam, & alia non. Respõdeo: rationem esse; quia aliqua sunt magis similia alijs: & ideo possunt habere maiorem conuenientiam.

Pro solutione argumenti, ***Notandum primò;*** quod differentia communis, quam habent aliquando illa genera, quorum vnum non est sub altero, sed vtrumque sub tertio; eo ipso, quod communis est, non est vltimatè Constitutiua eorum; quia differentia vltimatè Constitutiua, distinguit speciem, quam constituit, à quacunque alia: sed differentia communis, non distinguit inter se illas species, quibus est communis; ergo non est vltimatè constitutiua earũ. Gratia exempli. Differentiæ continui, & discreti, communes permanenti, & successiuæ quantitati, non distinguunt eas inter se; sed solum quantitatem continuam à discreta: & ideo harum sunt vltimatè constitutiuæ, non illarum.

Secundò notandum. Differentias quasdam esse vniuersales, quæ totam lineam prædicamenti diuidunt; vt corporeum, & incorporeum: Alias verò praticulares solum diuidentes vnum, vel alterum genus.

genus particulare alicuius partialis lineæ; vt differentiæ diuidentes animal. Et ideo genera etiam sunt duplicia; quædam vniuersalia, quorum quodlibet cótinet integram lineam; vt corpus, & spiritus: alia particularia partiales lineæ; vt animal, vel planta. Et differentiæ vniuersales non possunt esse communes; nec vniuersalia genera, possunt habere aliquam differentiam communem. Et huius ratio est manifesta; quia vniuersales differentiæ habent vniuersalem oppositionem. Particulares verò oppositæ, non sunt formaliter oppositæ, sed diuersæ; ideo repugnat illas esse communes, non istas.

Tertiò notandum. Quod cum dicimus, genera vniuersalia, quæ continentur sub tertio, non posse habere differentiam communem; & particularia posse habere, non loquimur de differentia Constitutiua superiori, quam certum est, & necessarium, habere communem: nam corpus, & spiritus, sunt vniuersalia genera, & habent communem modum intrinsecum substantiæ; qui licèt non sit differentia, quia substantia non est genus; est tamen similis superiori differentiæ; & non minus eum includeret, si esset vera differentia. Et ratio huius est euidens, quia, quidquid includitur in prædicato superiori, debet includi in inferiori, sed differentia Constitutiua superioris generis includitur in eo; ergo necesse est includi in quolibet genere inferiori. Loquimur ergo de differentia Diuisiua cô superioris generis. De qua dicimus. Cômunem esse posse inferioribus, licèt hoc non sit necessarium; nec semper contingat, sed aliquando; vt differentiæ continui, & discreti, quæ sunt diuisiuæ quantitatis, communes sunt quantitati permanenti, atque successiuæ.

6 *Notandum quartò.* Quod hęc differétia Diuisiua superioris generis, quam dicimus posse esse communem duobus generibus sub eo contentis, non est adæquata alicui eorum, sed inadæquata; ita vt, per alias differentias distinctas ab ea, adæquatè constituantur. Gratia exempli, Bipes communis est differétia, gressibilis, & volatilis animalis; sed inadæquata vtrique; quia per proprias differétias gressibilem, & volatilem adæquatè constituuntur.

Ex his respondetur ad vtrumque testimonium Arist. Negádo minorem, nempe quod ex nostra sentétia sequatur, genus nó prædicari de pluribus, quam differentia; aut non esse tot differentias, quot sunt species. Neutrum enim sequitur. Nam cum differentia, quę potest esse communis duobus generibus, quæ continentur sub tertio superiori, nó sit Constitutiua eiusdem superioris generis, sed Diuisiua; ideo inferiorem necesse est de paucioribus prædicari, quam genus ipsum; vt bipes de paucioribus, quam animal. Et de hac loquitur Arist. in primo testimonio, non de constitutiua, de qua manifestum est, quod de eisdē omnino prædicetur, de quibus prędicatur genus; quod constituit. De tot enim prædicatur sensibile, de quot prædicatur animal. Quod verò dixit Aristoteles in secundo testimonio, tot esse differentias, quot sunt species, verissimum est; nam licèt vna possit esse communis duabus speciebus subalternis, positis sub tertio genere superiori; non tamen est vltimatè cóstitutiua earum; sed habent alias, per quas constituuntur, & distinguuntur. Illa verò quæ communis est, licèt non cóstituat eas adæquatè; tamen suam habet speciem propriam, quam adæquatè constituit. Vt bipes non constituit adæquatè animal volatile, aut gressibile; sed adæquatè constituit animal habens duos

pedes. Vnde intelligitur, quod etiam si vna differentia inadæquata, cõmunis sit duabus speciebus; nihilominus tot sunt differentiæ, quot species; cum nulla sit species, quę non habeat propriam differentiam adæquatè constitutiuam: neque vlla differentia, quę non constituat adęquatè suam speciem.

Ad argumentum. Negandum est antecedens, quod sicut non potest idem indiuiduum esse sub duplici specie, sic nõ possit vna species esse sub duplici genere, est enim diuersa ratio de indiuiduo, ac de specie. Nam differentiam indiuidualis adęquatè, & vltimatè determinat speciem; & ideo repugnat eandem differentiã indiuidualem, determinare duplicem speciẽ diuersam: sed differentia specifica, cum sit prædicatũ commune, & possit inadæquatè conuenire duobus, & neutrum adæquatè, aut vltimatè constituere; potest ex consequenti esse communis illis.

CAPVT QVARTVM.

continens diuisionem incomplexorum in decem prædicamenta.

TEX. ARISTOTELIS.

Eorum, quæ secundum nullam complexionem dicuntur, vnumquodque aut substantiam significat, aut quantum, &c.

Textus expositio.

1 INtentum Aristotelis in præsenti capite, est explicare, simplicia esse debere illa, ex quibus prædicamenta constituẽda sunt. Diuiditur autem in duas partes, in quarum prima ponit Arist. vniuersalem diuisionem incomplexorum in decem prędicamenta. In secunda asserit, & probat eadem incomplexa, ex quibus prędicamentum fit, non esse affirmationes, aut negationes, sed ex eis posse affirmationes & negationes fieri.

Diuisio talis est. Ens incomplexum, aut simplex, aliud est substantia, vt homo, vel equus; aliud quãtum, vt corpus, aut linea; aliud quale, vt album; aliud ad aliquid, vt duplũ, dimidium; aliud, vbi, vt esse in foro; aliud, quando, vt heri, aut hodie; aliud, situs, vt iacere, sedere; aliud habere, vt armatum esse; aliud agere, vt secare; aliud pati, vt secari.

Sed simplicia hæc (inquit Aristot. in secunda parte) secundum se considerata, non sunt affirmationes, nec negationes; quamuis ex eis si aliquo verbo, aut copula vniantur, possint fieri affirmationes, & negationes. Quod ita probat. Omnis affirmatio & negatio, est vera aut falsa: sed simplicia, vt homo, aut albedo per se sumpta, non dicunt veritatem aut falsitatem, vt notum est; ergo non sũt affirmationes, aut negationes. Sed si ea cõiungas verbo aliquo, affirmationem, aut negationem statim efficies; vt si homini & albo adiungas verbum, est, resultabit hæc affirmatio, homo est albus. in qua iam reperitur veritas aut falsitas.

QVAESTIO I.

Ex quibusnam rebus per se componatur prædicamentum?

QVinque sunt, de quibus dubitari potest, an & quomodo pertineant ad prædicamentum, vt exclusis his, quæ ad ipsum non possunt pertinere, intelligi possit, ex quibusnam per se componatur. 1 *Primum*, est ens rationis, quod ex eo videtur primò ad prædicamentum pertinere, quia prædicamentum, sicut propositio, aut syllogismus, quoddam ens rationis est; ergo nõ quomodocũq; , sed formaliter, pertinebit ens rationis ad prædicamentum.

Secundò,

Secundò, Prædicamentum fit ex generibus & speciebus; sed genera, & species sunt entia rationis; ergo ex entibus rationis fiet prædicamentum.

Vera tamen sententia est, ex solis entibus realibus fieri; & ideo entia rationis non pertinere ad prædicamentum, nisi per quandam similitudinem; ratione cuius, quoddam prædicamentum, vel potius similitudinem prædicamenti excogitare possumus, vt in tractatu nostro, de natura entis rationis diximus. Ita sẽtiunt D. Tho. 5. lib. Meta. lect. 9. & quæ. 7. de potentia art. 9. Capreol. in 1. d. 8. quęst. 2. & d. 29. q. 1. ad 5. Sotus c. 4. antepræ dicamen. quæst. 2. ad 4. Fõseca 5. Metaphy. c. 7. quæst. 6. sect. 1. & cæteri omnes.

Probatur testimonio Arist. 5. lib. Meta. cap. 7. tex. 14. vbi docet entia per se diuidi in decem prædicamenta; ens autem per se, apud ipsũ (vbicũque de eo loquitur) & ens reale, idem sunt.

Probatur deinde ratione: quia entia rationis nec veram habent entitatẽ, nec veram essentiam, sed ab intellectu excogitatam ad similitudinem entitatis, & essentiæ realis: sed verum prædicamentũ ex vero ente, veramque essentiam habẽte debet fieri; ergo non fit ex entibus rationis, sed solum ex realibus. Quod constabit, si per singula prædicamenta discurramus; videbimus enim prædicamẽtum substantiæ, qualitatis, & quantitatis, ex veris naturis realibus fieri.

5 Sed pro solutione arg. *Notandum est*. Prædicamentum fieri ex prædicatis realibus: non tamen realiter, aut ex natura rei distinctis: quia vt probauimus cap. de differentia, genus, & differentia, eiusdẽ rei conceptus reales obiectiui sunt, diuersos gradus essentiales significantes; & solùm ab intellectu distincti. Species verò ex eis componitur, non tanquam tertia res ab eis distincta, sed tanquam tertius conceptus obiectiuus, totalis atque completus; & ideo non est compositio realis, sed rationis. quia licèt reales sint conceptus componentes, & compositi, non tamen distincti, nisi ratione; quare non possunt realem compositionẽ facere. Ita ergo de prædicamento intelligendum est, ab intellectu distinguente prædicata essentialia fieri; ita vt sicut ante operationẽ eius, non sunt distincta prædicata, nec ideo plura; sic non potest prædicamentum dari, sed est opus eiusdem intellectus, qui distinguens prædicata, ea ordinat, ac disponit, prædicamẽtumque ex eis efficit.

Secundò notandum, Prædicamentum 4 duobus modis, considerari. *Primo*, quasi pro materiali, nempe pro naturis rerũ, ac prædicatis earum, quæ in linea prædicamentali ordinantur; & sic acceptum reale est; quia tam prædicata essentialia, quàm naturæ, in quibus fundantur, realia sunt, licèt non realiter distincta. *Secundo* modo consideratur quasi pro formali, hoc est, pro ordinatione ipsa, ac dispositione prædicatorum, quæ necessariò supponit distinctionem eorum: & hoc modo sumptum non est quid reale, sed rationis: vnde sequitur prædicamentum formaliter sumptum, ens rationis esse; & pro fundamento esse ens reale. & hoc secundo modo consideratur à Meta. sed primo modo à Dialectica.

His explicatis, *ad vtrumque arg.* simul respondemus. Concedendo, quòd genera, species, & prædicamentum formaliter sumpta, entia rationis sint; negamus tamen, quòd aliquo modo pertineant ad prædicamentum; quia illa solum dicuntur pertinere ad prędicamentum, ex quibus prædicamẽtum fit: sed prædicamentum solùm fit ex prædicatis, quæ in eo ordinantur, & non ex ordinatione ipsa,

ſicut cætera entia artificialia, ſolùm dicuntur fieri ex materia; vt ſtatua ex ligno; domus ex lignis, & lapidibus; ergo entia rationis non pertinent ad prędicamentum, nec genera, & ſpecies formaliter ſumpta; ſed ſolùm pro fundamentis realibus.

De complexis.

5 SEcundum, de quo dubitari poteſt, ſunt cõplexa, quæ ſic diſtinguuntur à quibuſdam: Quædam ſunt cõplexa, quæ vnam tantùm rem ſignificant, & æquiualent voci ſimplici eam ſignificanti. Et talia ſunt definitiones ſubſtantiarum, vt animal rationale, aut viuens ſenſibilę. Alia ſunt complęxa, quæ non vnam rem, ſed plures ſignificant. Et talia ſunt definitiones accidentium, in quibus præter illa, quæ pertinent ad eſſentiam accidẽtis, includitur ſubiectũ, vt per illud, explicetur intrinſecus ordo accidentis ad ipſum, & complexa illa pertinent per ſe ad prædicamentum; hæc verò ab eo excludenda ſunt.

Probant ex Porphyrio, cap. de ſpęcie, vbi prædicamentum ſubſtantiæ conſtituens, pro genere viuentis poſuit corpus animatum; & etiam animal rationale, pro quodam genere, in quo exiſtimauit homines, cum dęmonibus conuenire; ſed hæc ſunt complexa ſubſtantialia: ergo ex mente Porphyrij ponenda ſunt in prædicamentis.

Deinde ratione, quia loco definiti, licèt ponere definitionem eius, nihil extrinſecum includentem; vt loco hominis, animal rationale; quia talis definitio ſimplici definito æquiualet; ergo in recta linea prædicamentali licebit ponere loco generis, & ſpeciei, cuiuſcunque propriam definitionem; quæ cùm ſit complexum quid; ſequitur ex complexis ſubſtantialibus fieri per ſe prædicamẽtum.

6 *Noſtra ſententia eſt oppoſita, quòd nullum complexum pertineat ad prædicamentum,* & eſt expreſſa apud Ariſt. c. præſenti, vbi ita ait. *Eorum quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, vnumquodq; aut ſubſtãtiã ſignificat, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid &c.* Quibus verbis complexa omnia, ſiue ſubſtantialia, ſiue accidentalia ſint, excludit à prædicamento, & ſolum ens incomplexum diuidit in decem prædicamenta.

Sed ratione *probatur*; quia recta linea prædicamentalis ex ſolis generibus, & ſpeciebus fit, vt in prædicamento ſubſtantiæ, ex ſubſtantia, corpore, viuenti, animali, & homine: ſed complexa, ſiue ſint definitiones ſubſtantiarum, ſiue accidentiũ, nõ ſunt genera, neque ſpecies: ergo ex eis non fit prædicamentũ. Quod probatur etiam ex definitione eius. nam prædicamentum eſt prædicabilium ordinatio: ſed prædicabilia ſunt quædam vniuerſalia, de quorum ratione eſt eſſe ſimplicia, vt quæſtione vltima vniuerſali vidimus: ergo ex ſolis ſimplicibus fit prædicamentum, non ex complexis.

Ad Porphyrium reſpondetur. Complexa poſuiſſe loco ſimplicium, nõ quia intelligeret ad prædicamentum pertinere, ſed vel maioris explicationis gratia, vel quia ſimplicia genera nõ cognouit. Propter primam rationem poſuit corpus animatum pro viuenti, & propter ſecundum animal rationale pro genere hominum, ac dæmonum. 7

Ad rationem vero negamus, quod ſemper loco definiti, liceat ponere definitionẽ, etiam nihil includentẽ extrinſecum, ſed ſolum licet quantum ad æquiualentiam veritatis, quia de quibus prædicatur definitum, neceſſe eſt prædicari definitionem: ſed vbi modus ſignificãdi determinatus, eſſe debet, atq; diſtinctus in definitione, & definito, nõ licèt eã loco definiti ponere. Et ita eſt in propoſito, quia

quia res non ponitur in prædicamento, quomodocunque significata; aut cóccepta, sed per modum generis, aut speciei, & ideo per modum incomplexi; cùm ergo definitio nõ habeat modum generis, aut speciei ratione complexionis, sequitur nec habere modum prædicamentalem, quare non potest loco definiti in prædicamento poni. Ad formam ergo argum. Dum dicitur, definitio licèt sit complexa, æquiualet simplici definito. Distinguendum est antecedens, quia æquiualet definito, quantùm ad veritaté rei; non tamen quantùm ad modum significandi simplicem, & omnino necessarium ad lineam prædicamentalem; & ideo non potest loco eius in prædicaméto poni, quamuis in propositione, vel in alijs casibus ponatur.

De partibus Physicis, & Metaphysicis.

PArtes rei duplices sunt; Physicæ, & Metaphysicę; & partes Physicę adhuc duplices, quędam sunt essétiales, vt materia, & forma, & aliæ integrantes, quæ adhuc sunt in duplici differentia: nam quędam sunt eiusdem rationis, vt partes aquę, aut ligni, & ideo vocari solent homogeneę; aliæ diuersæ rationis, vt caput, & manus, & vocantur eterogeneæ & integrantes non sunt essentiales; sed substantiales, autentitatiuæ appellari possunt. Partes Metaph. sunt genus, & differentia: sed de genere certum est, quòd per se pertineat ad prædicamentũ, quia habet modum substantiæ completæ. De solis ergo differentijs tanquam de partibus Metaph. & de materia, & forma, ac partibus integrantibus, tanquam Phisicis procedit quęstio. An per se sint in prędicamento? Et primo de his dicẽdum est, deinde, de partibus Metaphysicis.

Sed prius explicandum est *Quid sit per se pertinere ad prædicamentum*. Duo sunt in prędicamento. Primum est, series ipsa seu ordinatio prædicamentalis superiorum, & inferiorum; ex quibus fit, quasi quędam linea recta, per quam ascendere, atque descendere possumus, ab indiuiduo, quod toties lineę fundamentum est, vsque ad genus supremum; quod est quasi caput. Sic linea prędicamenti substantiæ procedit à genere supremo, quod est substantia, per diuisionem eius in species; quæ sunt corpus, & spiritus: & rursus per diuisionem corporis in viuens, & non viuens: deinde per diuisionem viuentis in animal, & plantam: & tandem per diuisionem animalis in hominẽ, equum & leonem; & ex his diuisionibus generum in species per differentias, resultat linea hæc, quæ appellatur series, aut ordinatio; nempe substantia, corpus, viuens, animal, homo Petrus. Et pro hac linea recta supponit prędicamentũ, quotiescunque de eo loquimur. Præter hanc verò habet prædicamétum quasi duo latera, quibus quasi circundatur; & latera hęc fiunt ex differétijs oppositis, per quas genus diuiditur in species. Vt latus eiusdem prædicamenti substantiæ nobis fit notissimum ex his quatuor differétijs corporeum, animatum, sensitiuum, rationale.

Ex his intelligitur iam, quid sit esse per se in prędicaméto, vel ex quibus fiat per se prædicamentum; idem est enim ac poni in recta linea prędicamétali, vel ex aliquo fieri eandem rectam lineam; nam latera prædicamenti extra ipsum sunt, & quasi ornatus eius. Dum ergo quærimus de partibus tam Physicis, quam Metaphysicis, an per se sint in prædicamento, vel ex eis fiat prædicamentum; sensus est. An per se sint in recta linea prædicamentali.

ad entitatem: atque etiam, quod possint fieri substantiæ completæ: negamus tamen, quod per se pertineant ad prædicamentum. Et ratio est; quia quamdiu sunt in toto, ab eo dependent, & incópletum modum essendi habent. Quod verò separari possint ab eo, solum probat, quod dum separatæ fuerint, pertinebunt per se ad prædicamentum, quia non erunt iã partes; hoc verò solum est, posse pertinere, non verò pertinere actu.

De partibus verò Metaph. quales sunt differentiæ, dixerunt quidam, quos citat Fonseca 5. Meta. cap. 8. q. 2. pertinere ad prædicamentum qualitatis, cum prædicentur de speciebus in quale quid. Sed hoc apertè falsum est; quia licèt aliquam similitudinem habeant cum qualitatibus in modo prædicandi, verè sunt conceptus essentiales, & vt tales concipiuntur ab intellectu componente speciem ex eis simul, ac generibus; ergo non sunt verè qualitates, nec vt verè qualitates concipiuntur, sed per quandam similitudinem earum: & ideo non possunt pertinere ad prædicamentum qualitatis. Solum potest esse dubium, *An singula differentiæ per se pertineant ad illud prædicamentum, in quo collocantur genera, quæ diuidunt, & species, quas constituunt?*

13 *Et est prima sententia* Ammonij, cap: de substantia, asserentis per se pertinere quaslibet differentias ad proprium prædicamentum, quod probat hoc arg. Nam aut differentiæ excluduntur à prædicamento, quia simplicees conceptus sunt; vel quia incompleti; sed vtraque ratio cõcurrit in generibus; ergo vel genera excludi debent, vel collocari differẽtię; sed genera excludi non possunt, vt notũ est; ergo nec differentiæ excludi debent. Probatur minor, quia conceptus generi, vt talis non est compositus, quamuis, si sit species subalterna, in quantum est species, componatur, ergo est simplex: & est vera pars speciei, non minus, quã differentia; ergo incompletum quid.

Nec soluitur argu. si dicatur genus esse totum potentiale; quia etiam differẽtia est totũ actuale, vt prædicatur de specie, continens totum, quod species; nam vt pars non posset de ea prædicari; ergo pertinebit ad prædicamẽtũ sicut genus.

Communis sententia omnium expositorum, cap. præsenti, & sequenti, differentias excludit à recta linea prædicamẽtali, & solum eis concedit, vt latera prædicamenti constituant; quod est extra prædicamentum simpliciter esse.

Et probatur duplici ratione. *Prima;* differentia formaliter sumpta, solum dicit partem speciei: ergo formaliter est quid incõpletum; sed recta linea prædicamenti solũ constituitur ex prædicatis cõpletis, quæ sũt genera, & species; ergo differentiæ non pertinent per se ad illã. 14

Et si dicas totum includere, quod species, cum includat genus saltem materialiter; ergo habet modum totius completi; sicut genus, ex eo solum, quod includit differentias in potentia, dicitur habere modum totius completi, & pertinere per se ad prædicamentum. Contra hoc est, quod differentia eodem modo includit genus, ac accidens in concreto, nempe per modum subiecti, & ideo significatur nomine adiectiuo, vt rationale; quare non includit pe se totum, quod species, sed quasi per accidens: vnde nec habet modum vnius per se. Sed genus per se, & formaliter est totum potentiale; per se, & formaliter includens totum, quod species, quamuis vnum actu, nempe gradum propriæ naturæ, & aliud in potentia, nempe gradum differentialem; & ideo modum habet totius, atque completi per se; & per se efficitur ex eo prædicamentum.

15 *Secundò probatur*: Recta linea prædicamenti constituitur ex prædicatis per se, formaliter & essentialiter ordinatis: sed differentia non ordinatur per se, & formaliter cum genere: ergo non pertinet per se ad rectam lineam prædicaméti. Probatur minor; quia differentia non includit per se, & formaliter genus; vt rationale nõ includit per se, & formaliter animal, sed extra rationem eius animal est; ergo non potest cum eo constituere lineam prædicamentalem; nec per se pertinere ad prædicamentum.

Ad arg. alterius opinionis iam respõsum est; quia differentia formaliter, & per se nõ est totum, sed pars; genus verò formaliter, & essentialiter habet rationem totius potentialis, & completi; & ideo per se, & formaliter collocatur in prædicamento, à quo excluditur differentia, propter rationem incompletam.

An, & quomodo indiuidua ponatur in prædicamento?

16 PRima opinio est Iauelli in sua Logica, tit. 5. cap. 1. asserẽtis, indiuiduum per se non pertinere ad prędicamentum, sed reductiuè ratione speciei, quam participat. Quod probari potest ex Porphyrio ca. de specie, vbi terminos, quibus clauditur prædicamentum, asserit esse supremum genus, & infimam speciem, vltra quam non licèt ascendere ad indiuidua, quia sunt infinita; ergo sentit non pertinere per se ad prædicamentum; & præterea si infinita sunt, quemadmodum de illis non datur scientia, ita ad prædicamentum non per se pertinebunt; quia pars ista, scientiæ Dialecticæ pars est.

Sed opposita opinio, (quod Indiuiduum per se sit in prædicamento tanquam Basis, & fundamentum eius) *vera est & tenenda*. Eam sequitur Fonseca 5. Met. ca. 7. quæ. 7. sect. 2. & quæst. 8. sect. 3.

Et ratione probatur, quia indiuiduũ est ens per se completum, & in se continẽs omnia prædicata rectæ lineæ prædicamentalis, quibus per se subiicitur; & de quo per se, & formaliter prædicantur, Substantia, Corpus, Viuens, Animal & Homo; ergo nihil ei deficit, vt in prædicamento sit tanquam fundamentũ eius.

Ad argum. respondetur, Porphyrium posuisse pro extremis prædicatis essentialibus prædicamenti genus supremũ; 17 & infimam speciem: præsupponendo indiuiduum esse extremum, tanquam fundamentum omnium prædicatorũ. Quod verò sint infinita indiuidua, non tollit indiuiduum pertinere per se ad prędicamentum, etiam si actu essent infinita; quia non pertinent ad prædicamentum vt distincta, vel vt efficiunt numerum; sed vt participant de prædicatis essentialibus, & ea sustentant, & hęc ratio eadem est in omnibus, siue sint infinita, aut solum finita. Ex quo etiam intelligitur, indiuiduum ad scientiam prædicamentalem pertinere posse, non quidem vt obiectum eius, sed tanquam id, ex quo, vt fundaméto integratur obiectum, nẽpe prędicamentum, quod est pars totius obiecti Dialecticæ scientiæ.

Quonam modo res infinitæ ponantur, aut excludantur à prædicamento?

IN communi tantum dicendum est hoc loco de rebus infinitis; nã in particulari suis locis de illis agemus, nempe in prædicaméto substantiæ, & quantitatis. 18 Nunc verò hac distinctione explicandũ est dubium hoc. Duobus modis potest esse aliquid infinitum; aut secundum essentiam, vt Deus; aut secundum aliquam rationem accidentalem extensionis, aut intensionis, vt linea, si daretur infinita, aut albedo habens infinitos gradus intensionis. Et infinitum secundum essentiam,

tiam.

etiam non pertinet ad prædicamentum, vt probatur cap. sequenti; de reliquis verò probabitur cap. de quātitate, quod ad prædicamenta propria per se pertineant, non minus quam finitæ quantitates, aut qualitates.

QVAESTIO II.

An res sint ponendæ in prædicamentis sub nominibus abstractis vel concretis.

91 DE his, quæ pertinent ad prædicamētum substantiæ, certum est, sub nominibus concretis collocanda esse in prædicamento, & nō sub nominibus abstractis: vt species humana, & genus animalis, sub nominib⁹ hominis, & animalis, & non sub nominibus animalitatis, & humanitatis, & sic de reliquis. Et huius ratio est, quia prædicamentum fit ex rebus completis; sed per nomina abstracta non significantur substantiæ, tanquam entia completa, sed solum per cōcreta; ergo sub concretis, & non abstractis ad prædicamentum pertinebunt. Probatur minor, quia per nomina abstracta significantur, nō vt species, vel genera, sed vt principia generis, & speciei; vt nomine animalitatis significatur natura sensitiua, vt principium animalis; & nomine humanitatis natura rationalis, vt principium hominis: ergo significantur modo incompleto, & non prædicamentali.

De solis ergo accidentibus procedit quæstio. *An abstracta, vt albedo, & color; vel concreta potius, vt album & coloratum, ponantur in prædicamento qualitatis* & sic
30 de cæteris prædicamentis.

Et antequam alias sententias proponamus, reijcienda est ea, quam Caiet. tenet, opusc. de ente, & essentia, cap. 7. vbi distinguit duas considerationes prædicamentorum, Logicam, & Metaphysicam; & in prædicamentis Logicè consideratis, abstracta esse collocanda, non concreta; quia ordinantur ad prædicationes, quæ melius in abstractis, quam in concretis exercentur: sed sub consideratione Metaphysica, concreta, & non abstracta: Hoc tamen ab omnibus refutatur, quia prædicamenta eadem sunt in Logica, & Metaphysica: ergo ex eisdem rebus, & eodem modo conceptis significantur. Quod verò in ordine ad prædicationes potius abstracta, quam concreta ponenda sint, etiam est falsum; quia cum concreta, quibus significantur formæ accidentales, vt sunt in subiecto, notiora nobis sint, melius in concretis exercentur prædicationes. Sed hæc ratio non est sufficiens ad variandum modum significandi rerum prædicamentalium; & ideò sub vtraque consideratione Logica, & Metaphysica disponendæ sunt in prædicamentis.

Tenet ergo *prima opinio*. Abstracta, accidentium non collocari in prædicamēto, sed sola concreta. Ita Niphus 5 Meta. quæst. 3. & 7. Toletus quæst. 2. post prædicamentorum, & alij ex moderuis. Et probāt ex Aristotele ipso, cap. præsenti, vbi prædicamenta in concreto enumerauit, iuxta translationem Boetij; quamuis Argiropilus in abstracto ea posuerit, & 1. lib. Topic. cap. 7. & lib. 4. cap. 1. loco 4. etiam in concreto secundum vtramque translationem.

Probant deinde ratione. *Primò*, quod abstracta non ponantur. *Secundò*, quod 22
ponantur concreta. Ratio primi est, quia perfectior est substantia accidentibus: sed substantiæ non ponuntur in abstracto, quia significantur tanquam partes, & ideo modo incompleto: ergo multò minus collocanda erunt accidentia in abstracto.

Ratio secundi est, quia si non ponerentur

 tur

tur cócreta; maximè quia sunt entia per accidens, cum significent formam, & connotent subiectum, vt album; & ex forma, & subiecto tanquam ex duobus entibus in actu non fiat vnum per se, sed per accidens; sed hoc est falsum: ergo nō sunt à prædicamento excludenda. Probatur minor, quia ex actu, & potentia, secundum Arist. 2. lib. de anima, tex. 2. fit vnum per se: sed subiectum se habet vt potentia, & forma vt actus: ergo ex tali compositione resultabit vnum per se, quod est concretum.

Secunda opinio opposita est, quia sola abstracta accidentium dicit collocanda esse in prædicamento, ita D. Tho. opusc. de ente, & essentia, cap. 7. ad finem. Scotus quæst. 5. vniuersalium, & quæst. 11. prædicamentorum. Auicenna lib. 3. suæ Meta. cap. 3. Iauellus 5. Meta. quæst. 16. Sotus cap. de quantitate, quæst. 1. Venetus cap. præsenti. Villalpandus cap. de genere, quæst. 4.

22 Probatur testimonio Arist. 3. lib. Topic. cap. 1. loco 3. & 4. vbi asserit iustitiam esse in genere, hoc est in prædicamento, non iustum.

Et etiam ratione, quia concretum significat res diuersorum prædicamentorum, nempe subiectum, quod est substátia; & formam, quæ est accidens: ergo nō potest pertinere ad vnum prædicamentum determinatum. Imò ad nullum potest pertinere, quia prędicamenta fiunt ex entibus per se: sed ex rebus diuersorum prędicamentorum, cum sint primò diuersæ, & in actu, non potest fieri vnum per se: ergo concretum non potest collocari in prædicamento. Probatur minor, quantum ad hoc vltimum ex Arist. 7. Meta. tex. 25. vbi docet expressè album, & musicum non habere vnam essentiam determinatam, & per se, & ideo non posse per vnam definitioné essétialē explicari: sed esse entia per accidés.

Pro solutione huius quæstionis duo ***notanda sunt*** circa concreta, & abstracta accidentium. *Primum est* circa naturam concreti, quæ explicanda est per similitudinem concreti substantialis. Natura autem substantialis habet actualem existentiam, per quam est in rerum natura sola ratione ab ea distinctam; & vltra hanc habet subsistentiam, quę est modus quidam substantialis, per quam vltimò terminatur, atque completur, & constituitur in supposito, si non sit rationalis; & si rationalis sit, constituitur in supposito simul, & persona; vt natura humana Petri habet actualem existétiam, per quam est in rerum natura; & subsistentiā quæ est vltimus actus eius, & per quam constituitur persona: vnde persona Petri, est cóposita ex humanitate actu existente, & subsistentia, aut personalitate. Et cum humanitas se habeat per modum potentiæ, hoc est, terminabilis per subsistentiam: & subsistentia sit tanquā actus substantialis eam terminás, atque complens; sequitur personam esse vnum per se substantiale. Est etiam concretum singulare quælibet persona, & à multis personis abstrahitur naturam communis sic terminata, & completa. Et sic abstracta significatur nomine concreto cómuni: vt nomen homo, significat naturā humanam subsistentem, & completam in communi, quæ est idem, ac homo in communi. 23

Simili modo natura accidentalis, vt albedo, habet actualem existentiam, per quam est in rerum natura sola ratione à se distinctam; & etiam alium modū per quem vltimò terminatur, & completur, qui modus nō est subsistentia, sed actualis inhærentia in subiecto. Ex hac igitur natura accidentali actu existenti in rerum natura, & ex modo actualis inhęrentiæ 24

rentiæ

rentiæ in ſubiecto, componitur hoc cõcretum, quod eſt hoc album, vel illud. Et ab his concretis ſingularibus abſtrahitur concretum commune, vt album, ſignificans naturam albedinis actu inhærẽtem in ſubiecto. Et cõpoſitio hæc eſt per ſe, quia fit ex natura accidentali ſe, habente tanquã potentia quaſi ſubſtãtiali; hoc eſt, ex natura, vt terminabili, & ex modo actualis inhærentiæ, tanquam ex actu quaſi ſubſtantiali eã terminante. Ex potẽtia autẽ ſubſtantiali, & actu ſubſtãtiali, fit vnum per ſe; & ideo concretum accidentale reſultãs ex tali compoſitione, eſt vnum per ſe; ſed quia modus iſte, quo terminatur natura accidentalis, eſt actualis inhærentia in ſubiecto, cõcretũ hoc per ſe, vt album, connotat ſubiectũ, in quo inhæret natura accidentalis, ita completa,. & terminata. Gonnotare autem ſubiectum non eſt aliud, quàm ſimul denotare illud, tanquam quid extrinſecum, cui quaſi affixa eſt natura accidentalis. Et ratio huius connotationis eſt, quia modus per quẽ terminatur hæc natura, imperfectus eſt ſicut ipſa; & ideo non poteſt per ſe illam ſuſtentare, ſed indiget adminiculo ſubiecti extrinſeci, cui quaſi affixa ſit. Et propterea talis modus non dicitur ſubſiſtẽtia, aut exiſtẽtia per ſe, ſed actualis inhærentia, vel actualis inexiſtentia.

Ex quibus intelligitur, *concretum accidentale duobus modis ſumi poſſe. Primò*, vt ſolùm ſignificat compoſitum quid ex natura accidẽtali, & proprio modo actualis inhærentiæ; connotat verò ex conſequenti ſubiectum, in quo inhæret, & concretum hoc, eſt vnum per ſe; quia nõ cõponitur ex natura accidentali, & ſubiecto: ſed ex ſola illa, & termino, ſeu actu proprio ſubſtantiali, qui eſt actualis inhærentia, eo modo, quo componitur concretũ ſubſtantiale ex natura ſubſtãtiali, & proprio modo ſubſiſtentiæ: ſubiectum verò non pertinet ad hanc compoſitionem, ſed extra illam connotatur, tanquam quid extrinſecum, cui affixa eſt natura per actualem inhærentiã; cõnotatur tamen per ſe. *Alio modo* ſumitur concretum accidentale per modum aggregati ex vtroque, nempe ex natura accidentali, & ſubiecto, ita vt tanquã cõpoſitum ex vtroque ſignificetur. Et hoc modo non eſt vnum per ſe, ſed per accidẽs: quia licet componatur ex ſubiecto, vt ex potentia; & ex forma accidentali, vt ex actu: potentia tamen illa ſubiecti, quam habet ad recipiendã formam accidentalem, accidentalis eſt; quia omnibus modis eſt extra eſſentiam eius, iam omnino completã per principia, & partes ſubſtantiales. Ex potentia autem accidentali, & actu etiam accidentali, non poteſt fieri vnum per ſe, ſed per accidẽs; quia fit ex duobus entibus iam completis in proprio eſſe ſubſtantiali, & ad diuerſa prædicamenta pertinentibus: nẽpe ex ſubiecto, & natura accidentali, iã completa per proprium modum actualis inhærentiæ. Et hoc eſt fieri ex duobus entibus in actu, ex quo infertur eſſe vnũ per accidens. Et ſi dicatur, quòd ſicut ex potentia ſubſtantiali, & actu ſubſtantiali fit vnum per ſe ſubſtantiale; ita ex potentia accidentali ſubiecti, & actu accidentalis formæ, poteſt fieri vnum per ſe accidentale. Reſpondeo impoſsibile eſſe, quòd ſit vnum accidentale, & per ſe; quia potentia accidentalis ſubiecti non poteſt eſſe per ſe reſpectu illius, quia eſt alterius generis à ſubſtantia; ergo reſpectu ſubiecti eſt potentia per accidens: ſed ſubiectũ concurrit per talem potentiam ad cõponẽdũ concretum, ſimul cũ forma accidentali; ergo concurrit per potentiam, non per ſe, ſed per accidens: quare nõ poteſt per illã efficere vnũ per ſe

se componẽdo simul cum alio; sed eo ipso, quod efficit vnum accidentale, cum ipsummet sit substãtia, efficit vnum per accidens.

27 *Secundò notandum est*, circa naturã abstractorũ accidẽtium, quod vt in cõmuni modo concipiendi, & loquẽdi accipiuntur, significãt naturam accidentalem, vt abstractã à subiecto, abstractione Physica, & non Metaphysica: qua abstrahuntur vniuersalia à particularibus. vnde significant eam, nõ per modum inhærẽtis, in subiecto; sed per modum quasi per se subsistẽtis, ad similitudinem substantiarum: vt albedo, quæ verè inhæret subiecto, nomine albi significatur per modum inhærẽtis; sed nomine abstracto albedinis significatur, vt abstracta Physicè à subiecto; & propterea nõ per modũ inhęrẽtis, sed per modum per se subsistẽtis cõpleti; & ideò tanquam vnum per se.

Ex tota hac doctrina colligo tres conclusiones, quibus nostra sententia explicatur. *Prima est. Concretum accidentale ex sola natura accidentali, & proprio modo actualis inhærentiæ compositum per se collocatur in prædicamento.* Probatur hac ratione. Prędicamẽtum fit ex entibus per se, & completis; sed cõcretum hoc, est vnũ per se, & completũ: ergo per se pertinet ad prædicamentum. Probatur minor. Ex potentia substantiali, & actu substantiali componitur vnum per se, vt docet Arist. 2. lib. de anima, tex. 2. sed concretum accidentale compositum ex natura accidẽtali, vt terminabili, & ex proprio modo actualis inhærẽtiæ terminante, cõponitur ex eadem natura, vt in potẽtia substãtiali ad suum terminum, tãquam ad actũ substãtialem; & ex termino ipso, tanquã actus eius substãtialis; ergo est vnũ per se, atque completum, cùm contineat natura accidentalem completam per proprium modum.

28 *Secunda conclusio. Concretũ secundo modo sumptum*, vt significat compositũ Physicum ex subiecto, & forma accidentali, *non ponitur in prædicamento*. Probatur, quia prædicamentum fit ex entibus per se: sed concretum accidentale hoc modo sumptum est ens per accidens; ergo non pertinebit ad prædicamẽtum. Minorem probo; quia ens per accidens est, quod componitur ex pluribus entibus in actu, hoc est, iam completis in suo esse substãtiali: sed concretum sic sumptum, componitur ex subiecto iam completo in toto suo esse substantiali, & ex natura accidentali, etiam completa per proprium modum actualis inhærẽtiæ; ergo ex multis entibus in actu.

Tertia conclusio. Abstracta Physica accidentium, vt in communi modo concipiendi, & loquendi significantur, per se pertinent ad prædicamentum, vt albedo, color, &c. Probatur, quia significant naturam accidentalem per modum per se existentis, ac subsistentis: ergo tãquam vnum quid per se, & prædicamentale. Si verò ab his abstractis abstractione Physica (quæ potius habent modum concretorum substantialium) accipiantur alia abstracta Metaphysica, vt ab albedine albedineitas, & à colore coloreitas, abstracta hæc non pertinent per se ad prædicamentũ, sicut nec abstracta substãtiarum; quia significant naturam modo incõpleto, hoc est non tanquam genus, aut speciem; sed tanquam principia generis, & speciei.

Ad testimonium Arist pro prima sentẽtia, Concedendum est, vtroque modo enumerasse prædicamenta, in cõcreto, & 29 in abstracto; quia tam concretum per se, quàm abstractum per se, pertinẽt ad prædicamenta; & solum cõcretum per accidens excluditur.

Ad primum arg. distinguenda est maior;

ior; quia duobus modis possumus loqui de rebus; aut secundum se, & hoc modo perfectiora sunt abstracta substantiarũ, quàm accidentium; vel, vt tali modo abstrahuntur ab intellectu, & sic accepta perfectiora sunt abstracta accidentium, in cõmuni modo concipiendi, & loquẽdi; quia significant naturam, licèt accidentalem, vt abstractam abstractione Physica; & ideo per modum naturarum per se subsistentium, atque completarũ; abstracta verò substantiarum significant naturam, licèt substantialem, abstractã tamen abstractione Metaphysica; & ideo modo quodam incompleto, tãquã principium, generis, & speciei. Quare illa pertinent per se ad prædicamẽtum, hæc non: sed abstracta accidentium, quæ accipiuntur Metaphysicè, etiam excluduntur à prædicamento.

30 *Ad aliud*, quod de concretis dicitur in eodem arg. Respondeo, Concretum, vt compositum ex subiecto, & accidenti, esse vnum per accidens, licèt componatur ex potentia, & actu; quia potentia, & actus, non sunt substantiales, ex quibus Arist. affirmat fieri vnum per se, sed potentia accidentalis substantiæ, & actus accidentalis formæ, ex quibus fit vnum per accidens.

Ad testimonium Arist. pro secunda opinione respondetur, quòd si loquatur de genere pro prædicamento, iuxtà, sumit pro concreto accidentali, & hoc modo sumptum, verum est, non esse in genere, hoc est, in prædicamento, vt expositum est.

Et eodem modo respondetur ad arg. quòd concretum, vt significat compositum ex rebus diuersorũ predicamentorum, non potest pertinere ad vnum prædicamẽtũ determinatum; imò nec ad vllum predicamentum; bene tamen, vt significat cõpositum ex sola natura, & proprio eius modo actualis inhærentiæ, quod est vnũ per se.

Si autem aduersus nostram sententiã aliquis ita arguat, Accidentia in concreto definiũtur vnica definitione, vt albũ, quod sit disgregatiuum visus; & definiũtur, vt dicunt subiectum, & formam accidentalem, ita, vt subiectum sit definitum materiale, tanquam denominatũ à forma, & hæc sit definitũ formale, vt denominans subiectum: ergo sunt vnum per se, etiam vt includunt subiectum; & ideo pertinebunt ad prædicamentũ, cõtra secundam conclusionem nostrã. Respondeo, quòd concretum duobus modis includit subiectum, vt ex nostra doctrina est manifestum. Primò, tanquam per se connotatum, & non significatum; & tunc concretum est vnum per se, quia solùm significat naturam per proprium modum actualis inhærẽtiæ completam: subiectum verò per se connotat. Secundo modo includit subiectum, vt per se significatum; & hoc modo est vnum per accidens. Dum ergò definitur in concreto, primo modo sumitur, & est vnum per se, includens naturam, & subiectum, vt per se connotatum, non vt cõponentia vnum, sed vt ordinata; quia cũ subiectũ per se connotetur, per se ordinatur cum natura completa illud connotante: ideo efficit vnum per se, non entitate, sed ordine, quod per vnam definitionem explicari potest.

QVÆSTIO III.

An necesse sit prædicamenta distingui realiter, aut ex natura rei, vel sufficiat distingui ratione?

PRima opinio affirmat necessariò esse ponẽdã distinctionẽ realẽ inter prædicamenta. Ita Ven. 3. l. suæ Met. c. 31. Niphus 4. Meta. q. 4. & l. 5. q. 12. quos videtur sequi Caiet. 1. par. quæst. 28. art. 1. 31

Pro-

Probant primò, quia diuisio entis in decem prædicamenta est realis; ergo diuiditur ens in diuersas entitates reales: sed diuersæ entitates reales sunt realiter distinctæ, quia quæ sola ratione distinguuntur, sunt eadem entitas realis; ergo necesse est prædicamenta distingui realiter. Probatur prima consequentia; quia sicut animal diuiditur in diuersa animalia; & color in diuersos colores, ita ens in diuersas entitates.

Secundò, prędicamenta sunt primo diuersa; ergo in entitate non conueniunt vniuocè; sed si non distinguerentur realiter, conuenirēt in vna aliqua entitate multis cōmuni; ergò sicut repugnat eis talis conuenientia, sic repugnat identitas realis, aut non distinctio; necesse est ergo distingui realiter.

32 *Secunda opinio*, nō ponit distinctionē realem inter omnia prædicamenta, sed realem, vel formalem, saltem ante operationem intellectus; ita vt necessarium sit illa habere rationes formales ex se, & sine dependentia ab intellectu distinctas. Et quia hanc distinctionem formalem solent vocare ex natura rei, dicunt necessariū esse, quòd prædicamenta distinguantur realiter, aut ex natura rei; ita vt non sit posibile solum per intellectū distingui. Ita Ioannes Gandauen. quē citat Fonseca 5. Meta. c. 7. q. 6. sect. 1. & licèt eum refutare videatur, sect. 2. cōcl. 2. sect. tamen 3. in fine sententiam eius sequi videtur: Affirmans prædicamentorū distinctionem, non pendere ab intellectu, sed ante operationē eius omnia distingui.

Et probatur hoc arg. Prædicamenta cō-
33 tinent diuersos modos essendi; ergo diuersas rationes formales, ante operationem intellectus distinctas; quod est non distingui sola ratione, sed quasi ex natura rei. Probatur consequentia, quia modus essendi rerū nō pēdet ab intellectu, ergò nec depēdebit ab eius operatione, quòd diuersi sint, vel non, sed ex propria natura erunt distincti.

Tertia opinio ferè cōmunis est iam in schola, quòd nec prædicamēta necessariò distinguātur realiter, nec ex natura rei; sed satis sit, aliqua distingui ratione, cum fūdamento in re. Ita D. Th. 11. lib. Meta. lect. 9. q. 2. ad 18. Sotus cap. de quātitate, quæst. 1. Toletus, q. 5. ex communibus prædicamentis omnibus, & ex modernis multi.

Et quòd non sit necessaria distinctio rea- 34
lis inter prædicamenta, euidenter colligitur ex duobus locis Arist. Nā in hoc lib. prædicamētorum distinguit duo prędicamenta, actionis, & passionis. Et 3. libro Physic. tex. 19. asserit, & probat, actionē, & passionem non distingui realiter, sed eundem motum realem esse actionem, prout procedit ab agente, & passionem prout recipitur in passo; vt eādem calefactionem, per quam ignis calefacit lignum, esse actionē, prout ab eodem igne procedit, & passionē, prout recipitur in ligno; ergo euidenter sequitur ex vtroq; testimonio non esse necessariò ponendā distinctionem realē inter prædicamēta.

Probatur secundum, quòd nō sit neces- 35
sariò ponēda distinctio ex natura rei, sed *rationis sufficiat. Primo*, quia inter diuersos gradus essentiales eiusdem rei, non est necessariò ponenda distinctio ex natura rei; sed sufficit per intellectum distingui vt cap. de differētia probauimus; sed prædicamenta possunt in eadem entitate conuenire, in qua reperiatur ratio vtriusque, & non distinguantur rationes eorum per diuersos gradus essentiales, sed solum per diuersos modos essendi, vt substantia ab accidentibus per modum per se, & accidentia inter sese per diuersos modos inhærendi in substantia: ergo non est necessarium distingui ex natura

rei

rei sed sufficit per intellectum. probatur consequentia, quia minus differunt modi, quàm gradus essentiales.

Secundo probatur, quia non est ponenda distinctio ex natura rei, vbi sufficit distinctio per intellectum: sed sufficit distinctio rationis ab intellectu facta inter prædicamenta; ergo non est ponẽda formalis, aut ex natura rei. Minorem probo, quia quotiescunque aliqua sunt distincta ex natura rei, non possunt in eodem reperiri, nisi per realem compositionẽ, cùm sint multa, ex quibus resultat vnum, quod non potest fieri, nisi per compositionem: sed actio, & passio, quæ sic distinguũtur, sunt in eodem motu sine compositione; & in multis alijs plures reperiũtur rationes formales sine cõpositione reali, vt in attributis diuinis iustitiæ, & misericordiæ; ergo nõ debẽt poni distinctæ ex natura rei, vel ante intellectũ, sed satis est ab intellectu distingui. Sed talis distinctio facta ab intellectu inter aliqua prædicamẽta, quæ non sunt distincta realiter, necessariò esse debent cum fundamẽto in re, & ideò distinctio rationis raciocinatæ. Nam cum sint rationes formales primò diuersæ, non possunt separari ab intellectu in eadem re, nisi virtualiter in ea contineantur. Et hæc virtualis continentia fundamentũ est, vt possit intellectus vtramque separare, ac distinguere, concipiendo vnam sine alia. Gratia exempli, in Petro nullum est fundamentum distinguendi illum à seipso; quia repugnat, quòd differat à se formaliter; & ideò non potest distingui distinctione rationis ratiocinatæ, sed solũ rationis ratiocinãtis, hoc est solo officio intellectus. Sed actio & passio, quæ reperiũtur in eodem motu, quasi virtualiter distinctæ sunt ante intellectum; quia verè ante operationem eius reperitur in motu, quod procedat ab agente, & recipiatur in passo; & ideo fundamentum tribuunt eidem intellectui, vt concipiat motum, vt procedentem ab agente, non concipiendo illum, vt receptum in passo eodem conceptu, sed alio; & diuerso quidem: quia verum est, procedere ab agente ita conceptum, nõ esse recipi in passo. Et hoc est distincta esse ab intellectu actu, & formaliter illa, quæ à parte rei solùm erant distincta virtualiter: esse autem distincta virtualiter non est aliud, quàm posse formaliter distingui. Et hãc distinctionem rationis ratiocinatæ, dicimus sufficere inter aliqua prædicamenta, licèt alia distinguãtur realiter; sed nulla esse distincta formaliter ante operationem intellectus, quia talem distinctionem formalem non admittimus.

37 *Ad primum arg.* Distinguẽdum est antecedens, quia duobus modis potest intelligi diuisionem esse realem. Primo, ita vt tam diuisum, quàm membra sint realia, & non entia rationis. In quo sensu admittimus diuisionem entis in decem prædicamenta, esse realem. Secundo, potest intelligi esse realem, ita vt membra sint realiter distincta. & in hoc sensu negamus, quod sit realis. Et possumus exemplum ponere in diuisione boni in honestum, vtile, & delectabile, quam omnes concedunt esse realem in primo sensu, & negant in secundo: quia sæpe contingit mẽbra non esse distincta realiter, aut ex natura rei, sed sola ratione. Et hac distinctione supposita, Neganda est etiam consequentia, quod sit diuisio entis in diuersas entitates reales, si per diuersas entitates reales intelligantur realiter distinctæ.

Ad secundum, respondeo distinguendo antecedens, quod prædicamenta sint primò diuersa; hoc enim dupliciter potest intelligi. Primo, secundum rationes

formales, & in hoc sensu verum est, sed sic intelligendum, vt non conueniant vniuocè in aliquo gradu superioris naturæ: nec distinguātur per alios gradus inferiores essētialis perfectionis, sicut distinguuntur species per gradus essentialis perfectionis diuersos à genere; sed vt distincta sint prædicamenta, per diuersos modos essendi intrinsecos, atque inclusos in eadem ratione entitatis, in qua analogicè conueniunt, & ita verum est per easdem suas entitates, & non per alios gradus perfectionis esse diuersa; & ideo seipsis esse diuersa, quod verè, & propriè est esse primò diuersa; nec speciebus conuenit, sed per differentias dicūtur differre. Secundo modo potest intelligi esse primò diuersa secundum entitates reales, ita vt non possint in eadē entitate reali plura conuenire; & hoc modo apertè falsum est, vt de actione, & passione ostendimus, quarum rationes formales in eodem motu reali reperiūtur; sed nihilominus sit reperta, & ab intellectu distincta, primo diuersa sunt modo iam explicato.

QVÆSTIO. IV.

Vtr. prædicamenta sint decem, ita vt nec plura esse possint, nec pauciora?

33. QVidam quos citat Plot. lib. 1. AEneade 6. vsque adeò prædicamenta multiplicarunt, vt infinita posuerint. Sed eorum sententia hac ratione falsa probatur: quia si verum est de omnibus rebus à Deo factis, quod in numero, pōdere, & mensura sint ab eo factæ, vt sacræ literæ docent; quantò magis de generibus, atque speciebus, quibus essentiæ rerum continentur: sed ex his efficiuntur prædicamenta; ergo finita erunt.

Sed inter eos, qui pro certo tenent finita esse, *tres sunt opiniones diuersæ. Prima eorum, qui plura quam decem posuerunt* quos citat Simplicius in commento prædicamentorum. & potest probari hoc argumento. Pro causa efficiente ponitur prædicamentum actionis, & pro causa materiali receptiua eiusdem actionis ponitur prædicamentum passionis; ergo pro aliis duabus causis, formali, & finali, debent poni duo alia prædicamenta; quia non est maior ratio, ob quam pro illis, quam pro his multiplicentur.

Secunda opinio fuit eorum, *qui pauciora, quàm decem posuerunt.* sed diuisi sunt. Nam Plato in Dialogis de ente, & vno, qui alijs nominibus vocantur, Sophista, seu Parmenides, vnum tantum prædicamentum videtur ponere vniuersalissimum entis, quod supremum genus rerum omnium vocat, sub quo particularia genera, & species collocantur.

Probâtur hoc arg. Ens est genus vniuersalissimum entis; ergo sub eo ordinari possunt genera omnia, & species: sed vna ordinatio sub quo primo genere, est vnum prædicamentum; ergo vnū tantū prædicamendum ponendum est, & non plura. Probatur maior, quia si ens non esset genus, ideo maximè quia est transcendens; & propter transcendentiam includitur in omnibus differentiis, contra propriam cōditionem generis, quod debet esse extra rationem differentiarū; sed hæc ratio nō est sufficiens; nam licet ens vniuersaliter sumptum, prout commune est, tam entibus incompletis, quā completis, hoc habeat; si tamē pro solis completis accipiatur, non includetur in differentijs, quia differētiæ non sunt entia completa; & eadem ratione, neque in modis intrinsecis; & ideo poterit esse vniuersalissimum genus omnium rerum completarum, ex quibus fit prædicamētum. Sed etiam si ens non posset esse genus omnium rerum; accidens saltem videtur 39.

dètur

detur esse genus omnium accidentium; & ideò vnum tantum prædicamentum omnium accidentium esse ponendum, & aliud substantiæ; & ita duo tantum, & Hæc fuit sentẽtia Zenocratis, & Andronici, quos citat Simplicius vbi supra.

Alij verò antiquiores Philosophi, quos citat Plotinus lib. 1. Aneade cap. 29. posuerunt quatuor; nempe substantiam, qualitatem, relationẽ, & modũ rei. Et potest probari ex doctrina Arist. qui 1. lib. Topicorum, cap. 7. quatuor posuit prædicata: sed prædicamentum non est aliud, quam prædicatorum ordinatio: ergo ex quatuor prædicatis non possunt plura, quam quatuor fieri prædicamenta. Plotin. verò lib. 2. Aneade 6. cap. 13. quinque posuit; nempe, motum, quietem, identitatem, diuersitatem, & ens.

Scaliger verò exercitatione 65. posuit nouem; quia prædicamentum vbi vel prædicamentum quando, & quantitatem reducit.

Tertia opinio est eorum, qui decem tantum prædicamenta ponunt, ita vt nec plura sint, nec pauciora. quam primus videtur insinuasse Architas Tarentinus, Pythagoræ discipulus, & postea Arist eam in scholas introduxit. *Et hæc iam est communis & tenenda.* quam secutus est D. Aug. lib. de Categoriarum, cap. 8. & D. Tho. non solùm eam sequitur, sed probat 3. lib. Phys. lect. 9. & 5. Meta lect. 5

Ratio autem D. Tho. hæc est Prima substantia, quæ est indiuiduum substãtiæ, vt Petrus, aut Ioannes, est fundamentum omnium prædicatorum essentialiũ; ergo secundũ diuersos modos essendi, & prædicandi de illa, numerus prędicamẽtorũ sumi debet; sed vno ex tribus modis potest se habere prædicatum respectu illius. Nam vel pertinet ad quidditatem eius, vel extra illã est: & si ad quidditatem pertinet, est prædicamentum substantiæ: si verò extra illam; vel sumitur ab aliquo ei formaliter inhærente, & ex hoc distinguuntur tria prædicamenta; quia prędicatum ab aliquo inhærente sumptum, vel conuenit primæ substantiæ modo absoluto, aut cum respectu ad aliud. Si modò absoluto, tunc vel ratione materiæ, & est prædicamentũ quantitatis; vel ratione formæ, & est prædicamentum qualitatis, si verò cõuenit cum respectu ad aliud, est prædicamentum ad aliquid. Vel sumitur ab aliquo extrinseco, hoc est, non inhærente primæ substãtię; & ex hoc distinguũtur sex alia prædicamẽta. Quia vel sumitur ab eo, quod est mẽsura extrinseca, quasi per modum cõtinentis quæ dicitur locus; & erit prędicamentum vbi; nam vbi, naturaliter saltẽ, dicitur esse in loco, aut circumscribi loco: aut ex tali dispositione, quã corpus habet in loco, quia stat, vel sedet; & est prædicamentum situs: Vel ab eo, quod est mensura extrinseca successiua, quale est tempus; & est prædicamentum quando, quod non videtur esse aliud quam tempori accommodari, & ab eo mensurari. Si verò prædicatum accipiatur ab extrinseco, quod non est mensura, sed propriè dicitur habere, vt habere vestẽ aut arma, quod est vestitum, aut armatum esse, efficitur prædicamentum habitus. Et si accipiatur ab extrinseco, à quo procedit efficiẽter, est prædicamentum actionis. Et si ab extrinseco, cui actio, aut effectus imprimitur, est prædicamentũ passionis. Sequitur ergo decẽ tantũ esse prædicamenta; nec plura esse multiplicãda; quia ad hæc decem capita facilè reduci possunt omnia entia creata.

42. *Ad arg. primæ opinionis* respondet D. Th. 3. lib. Phys. lect. 5. post medium negando consequentiam, quod pro causa formali, & finali, ponenda sint duo alia prædicamenta; quia causa formalis simul

mul cum materiali, intrinsecæ partes substantiæ sunt, ex quibus componitur; & ideò ad prædicamētum eiusdem substantiæ reducuntur: causa autem finalis non habet specialem modum prædicamentalem, sicut efficiens, sed solùm mouet voluntatem, attrahendo eam ad sui amorem; & motio hæc extrinseca quædam ratio est, minimè prædicamentalis: quare pro ea non est multiplicandū prædicamentum, sicut pro efficiente, à quo egreditur actio, secundum speciale modum prædicamentum constituentem.

Ad argum. de ente, & accidente, in fauorem Platonis, & aliorū Philosophorum, vnum vel duo tantum prædicamēta ponentium proposita. Respondetur. Ideò ens nō esse genus omnium entium, nec accidens omnium accidētium, quia genus debet esse vniuocum; ens verò, & accidens non sunt vniuoca, sed analoga, vt superius probauimus: ergo non sunt genera.

Ad *arg. illorum qui quatuor ponebant prædicamenta*, propter quatuor prædicata Dialectica, quæ posuit Arist. Respondeo, prædicata Dialectica diuerso modo sumi ac prędicamenta; nempe ex ordine ad commune subiectum, cum quo possunt constituere propositionem Dialecticam; prædicamenta verò ex diuersis modis essendi vniuersalissimis. & ideò maiorem habent extensionem, & maiorem numerum efficiunt, quā prædicata, vt quæst. 5. vniuersalium probauimus.

Ad arg. tandem pro sententia *Scaligeri* de reductione prædicamenti, vbi, ad locum, vel prædicamenti, quando, ad quātitatem. Respondemus diuersam rationem formalē habere, vbi, à loco, & quādo, etiā à quantitate (vt suis locis probabitur) & ideo non posse ad prædicamētum quātitatis reduci, sed distincta prędicamenta ab ea constituere. *Quare nec pauciora sunt ponenda prædicamenta, quam decem, nec plura.*

CAPVT QVINTVM continens prædicamentum substantiæ.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Substantia autem est, quæ propriè & principaliter, & maximè dicitur, quæ neque in subiecto aliquo est; neque de subiecto aliquo dicitur, &c.

Textus expositio.

INtentum Aristo. est explicare naturam substantiæ, quæ est primum prædicamentum. Diuiditur autem caput in tres partes. *In prima* præsupposita diuisione substantiæ in primam, & secundam substantiam, explicat quid sit prima, & quid sit secunda substantia. *In secunda* parte comparat primam & secundam substantiam inter se, atque etiam inter se secundas; & docet, quænam sit perfectior altera. *In tertia* enumerat sex proprietates substantiæ. 1.

Definitio primæ substantiæ his verbis continetur. *Substantia, quæ propriè, principaliter & maximè dicitur, est quæ neque de subiecto aliquo dicitur; neque in subiecto aliquo est.* Et tria illa verba, quæ propriè, principaliter, & maximè dicitur, ad definitum pertinent, non ad definitionem. Et sensus eorum est: substantia nō sub ratione cōmuni, & impropria acceptā pro essentia rei, siue substantialis, aut accidētalis; sed propriè pro ente per se: & quæ ratione sui, hoc est propria virtute substat, siue sustentat tā accidētia, quā secūdas substantias, & ideo maximè vocatur substātia, est illa, quæ neq; de subiecto aliquo dicitur, id est, de quidditatiuè inferiori; nec in subiecto aliquo est per-

per realem inhærentiam. Vt Petrus oprië est substantia, cùm sit ens per se, propria virtute substet, siue sustentet, on solùm albedinem, & cætera accidë- a; sed etiam secundas substantias, quæ int prædicata vniuersalia superiora; vt ominem, animal, viuens, & substantiã. t non dicitur de subiecto, quia nullum ibet inferius se quidditatiuè, de quo catur, nec est in subiecto; quia non in- reret alicui.

Definit deinde secũdam substantiam. in plurali dicens. *Secunda substantiæ nt species, & genera, in quibus prima sub- ntia insunt.* Vt homo, & animal, sunt cundæ sustantiæ, in quibus primæ sub- ntię, vt Petrus & Ioãnes insunt, id est, ib quibus, tanquam subiecta sub prædi- itis continentur. Nam secundæ substã- æ sunt in primis, tanquã superiora præ- cata in subiectis quidditatiuè inferio- bus; & ideo actu & formaliter. Primæ rò in secundis, tanquam subiecta, de ibus prædicantur; & propterea, non a- u, & formaliter, sed quasi sub potentia rum, eo ferè modo, quo species dicun- r esse in genere.

Comparat in tertia parte primas sub- ntias cum secundis; deinde secundas er se. Et inter primam & secũdas sub- ntias asserit, *Primam esse perfectiorem:* obatque, quia substantia est, quæ sub- t alijs, aut quæ sustentat alia: sed pri- substantia propria virtute sustentat, omnibus substat, id est non solùm ac- entibus, sed ipsismet secũdis substan- ; secunda verò substantia non substat ione sui, sed ratione primæ, in qua, & ra sustentatur, nec substat primis sub- itijs: ergò prima substantia est magis stantia, quàm secunda. Vt Petrus est gis substantia, quàm homo; quia ra- ie sui substat albedini, & reliquis ac- tibus, atque etiam eidẽ homini: ho- mo verò non ratione sui, sed ratione Pe- tri in quo sustentatur, dicitur sus- tentare accidentia; nec Petrum ipsum sustentat; sed ab eo sustentatur.

Comparat deinde secundas substanti- as, & ait. Quod, *si species comparentur cum genere, magis substantia est quàm genus:* si verò cũm alia specie, æqualis est ratio substãtiæ in vtraque. Probat primũ du- plici argumẽto. *Primo*, quia illud est per- fectius in quocunq; ordine rerum, quod magis accedit ad perfectissimum eiusdẽ ordinis. Et inter species animalis illa e rit perfectior, quæ magis accedit ad hu- manã, quæ est perfectissima species talis generis. Sed species magis quàm genus accedit ad primam substantiam, quæ est perfectissima, vt homo magis accedit ad Petrum quàm animal: ergo erit perfe- ctior substantia genere. *Secunda*, inter substãtias illa est perfectissima, quæ om- nibus substat; ergo ex alijs illa erit per- fectior altera, quæ pluribus substat: sed species pluribus substat, quàm genus; er- gò erit perfectior illo. Probatur minor, quia substat omnibus, quibus substat ge- nus, hoc est eisdem accidentibus, & eis- dẽ prædicatis superioribus; & præterea substat eidẽ generi; genus verò non sub- stat speciei. Gratia exempli, homo sub- stat omnibus accidentibus, & omnibus prædicatis superiorib. quibus substat a- nimal, & etiã ipsi animali; at verò animal non substat homini, sed in eo sustẽtatur.

Si verò species comparentur inter se, vt homo cum leone; *neutra dicitur magis substantia quam alia.* Probat, qui vna non substat pluribus, sed eisdem prorsus ac- cidentibus, & prædicatis superioribus substant & vna non substat alteri, quia neutra est in alia.

In vltima parte capitis enumerat sex proprietates substantiæ, quarum *prima* est, *non esse in subiecto*. Et de prima substã- tia

tia euidens esse ait, quia Petrus in nullo subiecto est, sed in se, & per se subsistit. Sed quòd conueniat secũdis substantiis, probat duplici ratione. *Prima*, quia si in aliquo essent tãquã in subiecto; maximè in prima substantia, in qua inhęrent omnia accidentia: sed in ea nõ possunt esse tanquam in subiecto; ergò in nullo. Probat minorem, quia secundæ substantiæ prædicantur de primis, tanquã de quidditatiuè inferioribus, ergò nõ sunt in illis, tanquam in subiectis. Probatur consequentia, quia esse in aliquo tanquã in subiecto, est esse in eo per realem inhærentiam, sicut est accidens: sed secundæ substantiæ sunt de quidditate primarũ, vt homo, & animal de quidditate Petri; ergo non sunt tanquam in subiecto.

4. *Secunda ratio* est, Quæ sunt in aliquo tanquam in subiecto, vt accidentia, prædicantur quidem nomine de subiectis, sed ratione non possunt prædicari, quia ratio, est definitio, seu conceptus quidditatiuus. sed definitio albi non est definitio hominis; ergò non prædicatur de illo nomine & ratione, sicut prædicantur vniuoca, sed solo nomine: at verò secundæ substantiæ prædicãtur de primis nomine, & ratione, vt homo de Petro, quia definitio hominis, est definitio Petri; ergò non possunt esse in eis tanquam in subiecto. Et ideo *non solùm primis substantiis conuenit hac proprietas*, videlicet non esse in subiecto, *sed etiam secundis*.

5. *Secunda proprietas Substantiæ est, vniuocè prædicari*: quòd non intelligitur de prima substantia, Et ideo certum est hãc proprietatem solùm conuenire secũdis. Sed non solùm conuenire ait, generibus & speciebus, quæ verè & propriè sunt secũdæ substantiæ, sed etiam differentiis earum: quia de quibus prædicatur species vniuocè, necesse est etiam prædicetur eius differentia. Quod verò secundis substantiis, & differentiis cõueniat probat Ari. hac ratione; Vniuoca sunt, quorum nomẽ est commune, ratio verò substantiæ eadem; sed nomen secundæ substantiæ commune est primis, de quibus prædicatur, & definitio eadem, vt nomẽ homo commune est Petro, & Ioanni, & definitio eius etiam est eadem, atq; illis communis, vt notum est; ergò prædicatur de eis vniuocè.

Tertia proprietas est. Hoc aliquid significare. Quid autem intelligat per Hoc aliquid. Certum est intelligere substantiam singularem, & per se subsistentẽ; & ideo asserit, quòd licet videatur hęc proprietas conuenire secundis substantiis, quia homo, & animal videntur significare aliquid per se subsistens; solum tamen conuenit primis. Secundæ verò non significant hoc aliquid, sed potius Quale quid, Quale quidem significat, quia sunt quasi formæ vniuersales primarum substantiarum; & formæ videntur habere similitudinem qualitatis, cuius vna species est forma, & figura: sed quia sunt prædicata substantialia, dicuntur significare Quale quid.

Quarta proprietas substantiæ est, Nullum habere contrarium vt Petro & Ioanni nihil contrarium esse potest. Et hæc proprietas tam primis, quàm secundis substantiis conuenit, sed non quarto modo (inquit Aristoteles) quia aliis etiam, vt quantitati est communis. 6

Quinta proprietas est, non suscipere magis. & minus, quemadmodũ suscipiunt qualitates: nam vnũ calidum magis est calidum quàm alterum; quia plus habet gradus intensionis: hos autem gradus non habet substantia; & ideo dicitur non suscipere magis & minus.

Vltima proprietas substantiæ est, Vt vna

numero

numero permanens cõtraria suscipere posit: vt Petrus idem numero permanens, modò potest esse calidus, & postea frigidus. Hæc autem proprietas non videtur conuenire secundis substantiis, sed solùm primis; quia solùm prima substantia est vna numero, secunda verò vna specie, vel genere; ergò quòd vna numero perseuerans, suscipiat in se contraria, soli primæ conuenire potest.

Sed aduersus hanc proprietatem proponit arg. Aristoteles. Quia videtur cõ-
7. uenire alteri, nempe propositioni; quæ vna numero permanẽs, de vera fit falsa, & de falsa fit vera. Vt hęc propositio; Petrus sedet vera est eo sedente, stãte verò falsa, & permanet eadem; ergò cõuenit illi; quòd vna numero permanens suscipiat contraria. Et respõdet duobus modis. Primo, quòd licet suscipiat cõtraria; non tamen eodem modo, ac substantia, sed diuerso: nam substantia suscipit cõtraria per sui mutationem, quia suscipit ea in se formaliter; & ideo mutatur ea suscipiens. Sed propositio sine sui mutatione; sed solùm per mutationem alterius extrinseci; nempe rei, de qua aliquid enuntiatur. Dum ergo dicitur, proprium esse substantiæ suscipere contraria, intelligitur per sui mutationem. & hoc modo, nec propositioni, neque alijs conuenit. Secunda solutio eadem ferè est; negat enim propositionem suscipere contraria; quia suscipere contraria est subiectum moueri ab vno in alterum, amittẽdo vnum, & acquirendo alterum. Propositio verò, dum ex vera fit falsa, nõ mouetur à veritate in falsitatẽ; nec amittit vnã; & adquirit alteram, sed mutatio solùm se tenet ex parte significatæ; & ideo propositio non dicitur suscipere contraria.

QVÆSTIO I.

Quodnam sit supremum genus prædicamenti substantiæ?

Videtur nullũ habere genus supremum, quod sic probatur. Si haberet aliquod, maximè esset substantia: sed hæc non potest esse genus; ergò nullum habebit. Minorẽ probo; quia si substantia in cõmuni, vt ab omnibus substantiis abstracta, esset supremum genus huius prædicamenti, sub quo comprehenderentur omnes substantiæ, & ideò vnum tantum esset prædicamẽtum pro eis cõstituẽdum; sequeretur, etiam accidẽs in communi; esse supremum genus omniũ accidentium; & ita vnum prædicamentũ constituere, sub quo ponantur accidẽtia omnia: quare duo tantũ prædicamenta erunt. Probatur consequentia, quia sicut substantia vniuersaliter sumpta, prout communis est cõpletis, & partialibus, transcẽdens est, & in vltimis differentiis includitur; nec est vniuoca respectu omnium; sed analoga, quia prius de completis substantijs; posterius verò de partibus, & cum intrinseca dependẽtia ab illis dicitur, & ideò nõ potest esse genus, quia genus debet esse vniuocum, & non transcẽdens, ne includatur in vltimis differentiis, sed extra rationem earum sit Si tamen pro substantia cõpleta in communi accipiatur; nec erit transcendens, quia non includetur in differentiis; nec analoga, sed vniuoca, quia æqualiter de omnibus dicetur; & ideò poterit esse genus. Eodem modo accidens, quamuis vniuersaliter sumptũ, sit transcendens, & analogum, & ideo non possit esse genus; si tamen pro completo tantum sumatur, non erit transcendens, neque analogum, sed vniuocum; quia æqualiter dicetur de omnibus accidẽtibus cõpletis, & ideo poterit esse genus.

Pro *solutione huius quaestionis*, *Notandum est quinque esse acceptiones substãtiæ*, vt colligitur ex doctrina Arist. c. præsẽti, & 5. Meta. ca. 8 text. 15 atque etiam ex D. Tho. in Cõmentariis eiusdem loci, & de potentia, quæst. 9. art 1. ad 4. & 5.

Primo accipitur pro essẽtia rei. Et hæc acceptio communis est accidentibus, in quibus etiam reperitur essentia; & ideo non est propria neque vniuoca: sed analoga, quia nihil reale potest dari cõmune, & vniuocũ substãtiæ, & accidẽtibus.

Secundo accipitur substantia pro ente, per se, in quo duo includuntur, vnũ negatiuum, quod est non esse in alio; aliud positiuum, quod est esse entitatem, adeò perfectam, cui debetur existẽtia, & subsistẽtia per se, ita vt sine adminiculo alterius, sustẽtetur. Vnde acceptio hęc duas includit. Primã, & quæ in ordine erit secũda, qua accipitur substãtia pro ente, quod nõ inhæret alteri; vel vt dici solet, prout distinguitur contra accidẽs, quod constat inhærere. Et hæc etiam acceptio cõmunis est; & analoga, & ideo impropria; quia sub ea comprehendit substantia, non solùm cõpletas substantias; sed etiam incompletas, seu partiales, de quibus verum est, quòd non inhæreant. Nã licet sint in toto; non tamen per realem inhærentiam, sed componẽdo illud substantialiter. Substantia verò de completis, & incompletis non vniuocè, sed analogicè dicitur.

Tertia acceptio in ordine est, *pro illo positiuo, quod includit eadem particula per se*, nempe pro entitate completa, cui debetur existentia, & subsistentia per se. Sed adhuc acceptio hæc communis est, & analoga, & ideo nõ ita propria; quia cõprehendit substantiam finitam, & infinitam, creatam, & increatã, quibus nihil potest esse commune vniuocũ: nam substantia creata intrinsecam depẽdentiam & attributionem dicit ad increatã, quæ est Deus. Quare substantia completa, cui debetur existentia, & subsistentia per se, analoga erit respectu vtriusque.

Quarto modo accipitur pro substãtia cõpleta, & finita in communi, hoc est, abstracta à particularibus substantiis completis, & finitis. Et hoc modo sumpta, est supremũ genus prædicamenti substantiæ, quod diuiditur in corpoream, & in incorpoream prima diuisione; ex qua resultat secundũ genus corporis, quod diuiditur in viuens, & non viuens; & rursus, viuens, in sensibile, & in insensibile; & tandẽ, sensibile, quod est animal, in hominẽ, equũ, & leonem. Et ex his diuisionibus, resultat, prædicamentum substantiæ, his prædicatis constans; substãtia, corpus, viuens, animal, homo, vsque ad Petrum. 10

Vltima acceptio est, pro cõpleta substantia secundum quandam proprietatem eius, quæ est substare accidentibus, aut etiam prædicatis superioribus quidditatiuis. Substare verò idem significat, quod sustentare illa. Et substantiam hoc modo sumptam diuisit Arist. in principio huius capitis in primã, & secundãm. Sed in hac acceptione non potest prædicamentum cõstituere, quia non sumitur essentialiter.

Ex his colligitur conclusio hæc, per quam respondetur quæstioni. *Prædicamentum substantia habet supremum genus determinatum; & hoc est substantia completa, & finita, in communi considerata.* Probatur hoc arg. Supremũ genus prædicamẽti est illud, à quo deriuãtur genera, & species eiusdẽ prædicamenti, & ipsum non deriuatur ab alio: sed has conditiones habet substantia completa, & finita? ergò est supremum genus prædicamenti substantiæ. Probatur minor, quia hæc non deriuatur ab alio prædicato superiori vniuoco, sed immediatè continetur sub

ente

ente analogo; & ab ea deriuantur genera, & species, ex quibus efficitur recta linea prædicaméti, vt exéplis probatũ est.

11 *Ad argum. respondetur*, negando consequentiam; quia diuersa est ratio de substantia, & accidenti, in duobus: in primo quidem. Nam substantia dicit particularem, & determinatum modum essendi; accidens verò plures modos essendi dicit, nullum determinans, sed confusa ratione. Secundò, accidens quantumcunque abstrahatur, aut sumatur pro solo accidenti incompleto, analogũ est, propter intrinsecam attributionem ad substantiam, cum qua significat accidentia omnia; & ideò non potest esse genus, nec determinatum genus vnius prædicaméti. Substãtia verò sumpta pro completa, & finita, vniuocam rationem, atque cómunem dicit respectu omnium substantiarum completarum, ex quibus fit prædicamentum; & propterea potest esse supremũ genus determinati prædicaméti.

QVAESTIO II.

Vtrum Deus ponatur in prædicamento substantiæ?

12 QVamuis ex his, quæ in quæstione præcedenti diximus, nempe substantiam completam, & finitam, esse supremum genus prædicamenti substantiæ, colligi posset, Deum, qui substantia infinita est, non pertinere ad hoc prædicamentum; plures tamen eum in prædicamento esse affirmant, & ideo speciale disputationem postulat.

Tenet igitur *prima opinio*, Deum esse in prædicamento substantiæ. Ita Greg. & Gab. in 1. d. 8. q. 3. Holcoth quæ. 6. & Ioannes Baconius d. 9. q. 1. & probatur testimonio Arist. 4. Topicorum cap. 2. loco 17. vbi ait, Deum esse in genere animalis & separari ab homine per propriam differentiam immortale, his verbis. *Si differentiam, vt genus assignauit, vt si immortale genus Dei; nam differentia est animalis immortale.* Et loco secundo eiusdem capitis. *Si differentiam in specie posuit, vt immortale id ipsum, quod est Deum esse. &c.*

Deinde probatur ratione. Primò, quia si aliquid obstaret, quo minus Deus esset in prædicamento, maximè, esse substantiam infinitam: sed hoc non obstat; ergo nihil. Probo minorem, quia esse aliquid infinitum non obstat quo minus sit in alijs prædicamentis; vt si daretur linea infinita, esset in prædicamento ~~substantiæ~~; quantitatis. & si daretur calor infinitè perfectus secundum intensionem, esset in prædicamento qualitatis; ergo etiam si Deus sit substantia infinita, poterit esse in prædicamento substantiæ.

Secundò, per mysterium incarnationis Deus factus est homo vniuocè nobiscum: ergò verè, & propriè est in specie humana tanquam indiuiduum huius naturæ; & etiam sub genere animalis: sed quod est sub genere, & specie, est etiam in prædicamento, quod ex generibus atque speciebus fit; ergo Deus verè & propriè est in prædicamento substantiæ per humanam naturam, quam assumpsit. 13

Secunda opinio negat Deum, vt Deus est, in prædicamento collocari. Et hæc est communis, & vera, quam ex Philosophis tenuerunt Mercurius Trismegistus in Epimandro cap. 1. Auerroes, disputatione 7. & con. Algazelem cap. vltimo. Auicenna 8. Meta. cap. 4. & cum his omnes interpretes Arist. Ex sanctis patribus August. lib. de cognitione veræ vitæ cap. 3. Anselmus in Monologio cap. 26. & cum eis Boetius 1. li. de Trinitate ca. 6. Ex scholasticis verò omnes, præter Nominales illos pro opposita sententia citatos. ita mag. in 1. d. 8. & ibidem Albertus Magnus, Scotus d.

Bona. Richard. Duran. AEgidius. D. Tho. 1. lib. contra gentes cap. 24. & 25. & ibidem Ferra. & 1. par. quæst. 3. art. 5. & ibidem Caiet. Alexand. Alensis 1. par. q. 48. memb. 5. art. 2. & 3.

Et probatur duplici ratione, *Prima*, quia Deus ita est purus actus, vt tam essentiale sit ei suum esse actuale, quàm sua essentia: ergo nihil est potentiale in Deo, quod per modum contrahibilis cōcipi possit. Quare repugnat in Deo esse genus. Probatur vltima consequentia, quia genus essentialiter est cōtrahibile: sed quod non est in genere, non est in prædicamēto; ergo repugnat Deum esse in prædicamento.

Secundò, quia si Deus esset in prædicamento, aliquod genus daretur commune Deo & creaturis: sed nullum genus potest dari eis commune; ergo non erit Deus in prædicamēto. Minorem probo, quia genus debet esse vniuocum: sed nihil potest dari commune vniuocum Deo & creaturis; propter intrinsecam dependentiam, & attributionem creaturarum ad Deum, sine qua non possunt intelligi; ergo nec potest dari genus commune.

Ad testimonium Arist. Respondetur, Deorum nomine nō veros Deos intelligere; cùm certum fuerit apud ipsum, vnū tantùm esse, sed substantias quasdam superiores, subtilissima corpora habentes, quas plures philosophi rationales esse dixerunt; homine quidem perfectiores, quia immortales; cum eo tamen conuenientes sub genere animalis rationalis; distingui verò per differentias, mortale & immortale, de quibus asserit, quòd in prædicamento sint collocandæ, si verum est, quod dentur.

14 *Ad primum argumentum*, Concessa maiori, distinguenda est minor; quia esse aliquid infinitum, dupliciter intelligi potest; aut secundum essentiam; aut secundum aliquam rationem accidentalem extensionis, aut intensionis. Et infinitum primo modo, non potest esse in aliquo prædicamento; ideoque Deus excluditur à prædicamento, quia est ens infinitum secundum essentiam. Infinitum secundo modo ad prædicamentum pertinere potest; quia licet sit infinitum secundum rationem accidentalem; finitum tamen est secundum essentiam, per quam in prædicamento collocari debet; & non ratione accidentis. Et talis esset linea infinita, si daretur, aut calor infinitus secundum intensionem: nam linea finitam haberet essentiam quantitatis continuæ, & calor etiam finitam essentiam qualitatis; licèt illa haberet infinitā extensionem longitudinis accidētalem, & calor infinitam intensionem gradualem, quæ accidentia infinita non obstarent, quo minus in suis prædicamentis collocarentur. Et huius ratio est, quia prædicamenta constituuntur ex rerum essentijs, non ex earum accidentibus.

Ad secundum arg. Respondeo, Christū verè, & propriè esse in genere, & specie; atq; etiam in prędicamento, ratione humanæ naturæ, & consequenter verbum Diuinum, cui natura humana vnita est in persona, per illam ponitur in prædicamento substantiæ. Sed ex hoc non sequitur, quod verbum Diuinum ratione diuinæ naturæ, aut diuinæ personæ ponatur in prædicamento. Sic igitur loquendum est in hac materia, vt absolutè dicamus. Primò, Christum esse in prædicamento substantiæ, quia simpliciter, & absolutè est homo, & hic homo. Secundò, Deum etiam absolutè esse in prædicamento substantiæ, quia absolutè verum est Deum esse hominem; sed quia hoc habet ratione humanæ naturæ, & non ratione naturæ diuinæ, aut diuinæ personæ; negandum est, Deum vt Deus est,

eſt, vel, vt perſona eſt diuina, eſſe in prædicamento. Et hoc modo intelligitur communis, & vera opinio, quam ſequimur, quæ non minus vera eſt modò, quã fuit priuſquam Deus fieret homo; quia ea, quæ conueniunt Deo poſt incarnationem, pertinentia ad humanam naturã, non conueniunt ratione ſui, ſed ratione eiúſdem humanæ naturæ; & ideò nihil ponunt in Deo, vt Deus eſt, quod non habuerit ſemper. Sed quæret aliquis, *An licèt Deus non ſit per ſe in prædicamento, reductiuè ſaltem in aliquo poſſit collocari.* Cui reſpondet Fonſeca; poſſe quidem in illis prædicamentis, quæ extrinſecam denominationem continent; vt in prædicamento, vbi, in prædicamento actionis, & habitus. *Ego verò nec reductiuè in prædicamento eſſe admitto*; quia ita tenet D. Thomas 1. p. quæſt. 3. art. 5. & cum eo Richardus in 1. diſt. art. c. 4. quæſt. 1. Probatque hac ratione. Res illa dicitur pertinere ad aliquod prædicamentum reductiuè, quæ deficit à ratione perfecta, & completa talis prædicamenti, vt partes, & modi; ſic enim punctum pertinet ad prædicamentum quantitatis, & brachiũ ad prædicamentum ſubſtantiæ: ſed Deus excedit potius in infinitum omnes rationes prædicamentales; ergo non eſt reductiuè in aliquo prædicamento. Quod D. Auguſtinus his verbis docuit 5. lib. de Trinitate cap. 1. *Sic intelligamus Deum (ſi poſſumus) ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum, ſine intelligentia creatorem, ſine ſitu præſentem, ſine habitu omnia continentem, ſine loco vbique totum, ſine tempore ſempiternum, ſine vlla ſui mutatione mirabilia facientem, nihilque patientem.*

Hæc Auguſt. ex quibus intelligitur, etiam denominationes extrinſecas aliquorum prædicamentorum, non propriè, ſed abuſiuè Deo conuenire; ideò nõ eadem ratione, aut vniuocè in eiſdem conuenire cum creaturis; & conſequenter propter illas, nec reductiuè pertinere ad aliquod prædicamentum.

QVAESTIO III.

Vtrum Angeli & corpora cæleſtia ſint in prædicamento ſubſtantiæ?

Circa corpora cœleſtia, & Angelos in 16
ordine ad conſtitutionem prædicamentalem, *Prima opinio* fuit Commentatoris 10. Metaph. cap. vltimo, commento 16. excludentis vtraſque ſubſtantias à prædicamento. Quam ſententiam ſecuti ſunt Ioannes Gandauenſis 10. Metaph. quæſt. 22. Niphus ibidem quæſt. 6. & quãtùm ad ſolos Angelos Plotinus lib. 1. Aeneade 6. AEgidius Romanus in commentariis huius prædicamenti, & quodlibet quæſt. 8. Albertus Magnus in prædicamẽtis tract. de ſubſtantia, cap. 12.

Et de corporibus cœleſtibus probant hoc arg. Corruptibile & incorruptibile differunt genere; ergo differunt prædicamento: ſed corpora cæleſtia ſunt ſubſtantiæ incorruptibiles; ergò differunt prædicamento a ſubſtantiis corruptibilibus. Probatur antecedens ex Ariſt. 10. Meta. cap. vltimo, vbi id expreſſe docet. Deinde ſubſtantiæ corruptibiles ponuntur in hoc prædicamento; ergò corpora cœleſtia non ſunt in eodem, nec etiam in alio, cùm non ſint in aliquo prædicamento accidentium; quare non erunt omnino in prædicamento.

De Angelis verò probatur teſtimonio Ariſtot. 10. Meta. tex. 30. vbi pręter primũ principium, quod eſt Deus, ponit quaſdam alias ſubſtantias, quas vocat intelligentias, ad mouendum corpora cæleſtia. Et has dicit non habere materiam, ſed eſſe puros actus, ac ſempiternos: ſed ſubſtantia, quæ eſt purus actus, nihil habet potentiæ; ergo non habet genus.

Probatur consequentia, quia genus est totum potentiale. Deinde, quæ non habent genus, non possunt habere speciem, nec prædicamentum: quia species componitur ex genere, & differentia, & prædicamentum fit ex generibus, & speciebus; ergo ex sententia Arist. intelligentiæ, quas nos vocamus Angelos, non sunt in prædicamento; qui simplices etiam substantias eas appellauit 29. lib. Meta. tex. 22. quasi nullam habentis compositionem: ex quo etiam sequitur nec habere prædicamentum; quia ea quæ sunt in prædicamento, composita esse debent saltem ex genere, & differentia.

17 Vnde sequitur euidenter falsam esse sententiam Duran. & contradictionem implicare in 2. d.3. quæst. 1. num 12. & Marsilij in 1. q.2. qui cum Angelos ponant in hoc prædicamento; negant nihilominus vllam prorsus habere compositionem, etiam ex genere, & differentia.

Probatur deinde ratione, quia Angeli sunt substantiæ simplices, in quibus non est composito ex materia, & forma; ergò nec est composito realis ex potentia, & actu: sed compositio ex genere & differentia, quæ est ex potentia & actu Metaphysicis, fundatur in compositione reali ex potẽtia, & actu; ergò nec est in illis compositio ex genere, & differentia; & consequenter non sunt in prædicamento.

Secunda opinio tenet, *non solum corpora cælestia sed etiam Angelos collocari in hoc prædicamento Et hæc est communis, & vera.* quam sequuntur quantum ad corpora cæleſtia, omnes interpretes Aristotelis in præsenti capite. Et quantum ad Angelos non solum illi, sed scholastici omnes (præter citatos pro opposita) cum magistro in 1. d.8. & D. Thom. 1. p. q. 50 art. 2. ad. 1. & 3. & q.88. art. 2. ad 4 *Et probatur imprimis de corporibus cælestibus* testimonio Arist. 5. Meta. tex. 15. 7. Meta. tex. 5. & lib. 8. tex. 1. quibus locis expressè docet esse composita, non solum ex materia & forma; sed etiam ex partibus integrantibus, eo modo, quo corpus nostrum componitur ex capite, brachio, & cæteris membris. Ergo etiam ex mente eius erunt composita ex genere & differentia. Probatur consequentia, quia compositio hæc minor est alijs, & in compositione ex materia, & forma fundatur.

Probatur etiam ratione, quia corpora cœlestia, præter compositiones physicas ex materia, & forma, atque ex partibus integrantibus, habent aliam etiam physicam, ex subiecto, & accidenti materialibus; nam & quantitatem habent, & lucem recipiunt à sole; ergò habent omnes compositiones physicas possibiles; quia præter prædictas res, non possunt aliæ excogitari; ergò necesse est esse composita ex genere, & differentia. Probatur consequentia; quia vbi potentia realis est, & actus realis, poterit intellectus conceptum potentialem sub ratione contrahibilis formare, qui est conceptus genericus; & etiam conceptũm actualem, & contrahentem, qui est conceptus differentialis; & ex vtroque componere speciem. Quod verò genus, & speciem habet, in prædicamento ponitur; ergò euidens est corpora cœlestia in prædicamento substantiæ collocari. 18

De angelis verò tria asserunt doctores omnes citati, præcipuè. D. Th. *Primum*, quod in eis sit vera, & realis compositio ex actu, & potentia; aut ex esse & essentia. *Secundum*, quòd verè componantur ex genere, & differentia. *Tertium*, quòd per se ponantur in prædicamento substãtiæ. Et omnia sunt vera, ac necessaria.

Sed probanda sunt singula. & vt probet 19 primum

primum. D. Tho. vbi supra, nempe, quòd in Angelis sit compositio realis ex actu, & potentia, præsupponit, quòd in rebus materialibus duplex compositio realis reperitur. Prima ex materia, & forma, ex quibus natura earum componitur, vt natura humana ex corpore, & anima. Natura verò ita composita adhuc nō est completa, sed respicit actum realem, per quē completur; & actus iste vocatur esse eius, per quod constituitur suppositum, aut persona; ergò natura est potentia realis respectu proprij esse, per quod completur; & esse est actus realis eius, & ex vtroque fit vnum, nēpe suppositum, aut persona, quod non potest fieri, nisi per realē compositionem; quia compositio realis est, per quam ex duobus ex natura rei distinctis fit vnum; ergò præter compositionem ex materia, & forma, reperitur in his rebus compositio realis ex essentia, & esse; siue ex natura, & proprio actu, per quod completur.

20 Hoc supposito *probat*, Quòd licèt prima compositio non reperiatur in Angelis, quia carent materia; secunda tamē necessariò sit in eis ponēda. Quia hęc est differentia inter esse diuinum, & creatū; quòd diuinum non est receptum ab alio, sed essentialiter habetur: quia prædicatum est essentiale Dei, sicut esse bonum, aut sapientem: esse autem creatum extra essentiam rei creatæ est; & ideò non habet illud essentia, nisi à Deo cōmunicetur; & hoc est esse receptum à Deo; ergò essentia creata, verè, & realiter est in potentia ad recipiendum esse à Deo; & esse receptum à Deo, actus realis eius est. Vnde sequitur, intra substantiam Angeli reperiri potētiam realem, & realem actū; ex quibus cùm fiat vnum, nempe completa substantia eius, non potest fieri nisi per realem compositionem. Et ita probatum est primum.

Ex *quo probari potest secundum*, quòd sit in eis compositio ex genere, & differētia, hoc argument. Intellectus cognoscit naturam Angeli tanquam potentiam realem determinabilem per actum essendi; ergo potest formare in eadem natura cōceptum perfectibilem, ac determinabilem; & conceptum perficiētem, ac determinātem: sed isti sunt conceptus genericus, & differentialis, ex quibus componitur species; ergò in Angelo est compositio speciei, ex genere, & differentia.

Ex quo euidenter *probatur tertium*, quod Angelus sit in prædicamento. Quia prædicamentum fit ex generibus, & speciebus essentialiter ordinatis: sed Angelus habet genus, & speciem; ergò ordinabilis erit in prædicamento.

Ad arg primæ opinionis de corporibus cælestibus, respondet D. Th. 1. p. qu. 66. art. 2. ad 2. & quæst. 88. art. 2. ad 4. distinguendo maiorem; quia genus duplex est, Physicum, & Logicum, seu Metaphysicū. Genus physicum est materia; quia primò reperitur in ea potentia realis, quæ prima radix est, & fundamentum Metaphysici generis in rebus materialibus. Genus autem logicum; aut Metaphysicum, est natura abstracta à speciebus, & differentijs, vt substantia à corporea, & incorporea. Ad formam igitur argumenti, dum in maiori dicitur, corruptibile, & incorruptibile differre genere: distinguendū est, de genere physico, & logico; & de illo concedendum, quia corpora incorruptibila constant materia diuersæ speciei, à materia corporum corruptibiliū, & ideò dicuntur differre genere physico quod est materia. 21

22 Et ita intelligendum est testimonium Aristotelis, in quo propositio illa continetur. Sed de genere logico nō est verū, nec de eo loquitur Aristoteles; quia corpus corruptibile, & incorruptibile, com

mune genus habent, nempe corpus abstractum ab vtroque, & sub illo collocátur in prædicamento substantiæ. Non ergo sequitur, differũt genere physico; ergò differunt prædicamento; quia genus physicum, quod est materia; nõ est genus prædicamentale; sequeretur autem bene, si differrent genere logico.

Quamuis etiam *posset secũdo responderi*, loqui Aristotelem de genere logico, aut metaphysico. Sed alio modo esset eadem maior distinguenda, dum dicitur, corruptibile, & incorruptibile, differunt genere. Nam genus prędicamẽtale duplex est, supremum & intermedium; & cócedendum est differre genere intermedio, non supremo; quia corpus diuiditur in corpus corruptibile, & incorruptibile, tãquam in duo genera intermedia. Et sub vno cotinẽtur corpora cęlestia, sub alio corruptibila, & ita differunt genere intermedio, sed nõ supremo; quia sub eodẽ genere corporis, & substantiæ continẽtur, & in eo conueniunt. Vnde nec differũt prędicamento; quia ea solũ dicuntur differre prædicamento, quæ sub diuersis generibus supremis continentur; vt animal, & scientia; illud enim sub supremo genere substantiæ, scientia verò sub supremo genere qualitatis continetur.

23 *Ad testimonia Arist.* in quibus loquitur de intelligẽtijs, Respõdeo, sempiternas esse, & materia carere, & ideo non habere potentiã ad non essendum, quia nõ habẽt principiũ corruptionis, sicut substãtiæ corporũ corruptibilium, quę ratione materię habeãt in se principium non essendi. Et ideo vocantur ab Aristotele intelligentiæ actus; non tamen puri, quia cùm triplicem compositionem habeant necessariò, nempe ex esse, & essentia; ex subiecto, & accidenti, habent enim intellectum, & voluntatem, quæ sunt vera accidentia superaddita substantiæ eorũ, & præterea ex genere, & differentia, necesse est triplicem quoque potentiã habere; quia quælibet compositio suo modo fit ex actu, & potentia. Quare sicut ab his potentiis, ea non excludit; sic nec potuit excludere à prædicamento.

Ad arg. Negãdũ est antecedens, quòd Angeli, ita sint substãtiæ simplices, vt in eis non sit compositio realis ex potẽtia, & actu; atque etiam ex genere, & differẽtia: non enim sequitur, non habent compositionem ex materia, & forma; ergò nec ex actu, & potentia: quia compositio ex actu, & potentia, vniuersalior est cõpositione ex materia & forma, & communis substãtiis materialibus, & immaterialibus, quia non fundatur necessariò in materia, sed in natura ipsa reperitur, ex eo quòd creata est, & esse receptum ab alio habet. Et cum talis sit natura Angelorum (licèt spiritualis) necessariò includit hanc compositionem intra propriam substantiam; & consequenter cõpositionem ex genere, & differentia, quę proximè in ea fũdatur; quamuis radicaliter, & remotè fundetur in materia, in rebus materialibus. 24

QVÆSTIO IIII.

Qualisnam sit diuisio substantiæ in primam, & secundam: vniuoca, vel analoga? 25

VT meliùs intelligatur quæstio, *notandum est*, quatuor modis accipi posse tam diuisum quàm membra huius diuisionis. *Primò* sic accipiuntur, vt diuisum sit reale, & membra sint secundæ intentiones. Sed tunc diuisum secundum esse reale duobus modis accipi potest. Aut pro substantia reali secundũ essentiam; aut secũdum proprietatem substandi: & si primo modo accipiatur, sensus diuisionis erit. Substantia realis, vna est vniuersalis, alia particularis; aut vna est subiectum, alia prædicatum. Et erit

diuisio

diuisio subiecti realis in diuersa accidentia rationis. Si verò secúdo modo, diuersus erit sensus, nempe, Substantia realis, vt substás, vna est primum subiectum in propositione, alia secundum. Et erit diuisio quasi accidentis realis, in diuersa accidentia rationis.

26 *Secundo modo* potest accipi, ex opposito, ita vt diuisum sit ens rationis, & mébra realia, videlicet prima, & secunda substantia secundum esse reale, eritque sensus. Subiectum in propositione, vnum est prima substantia realis, aliud secunda subst. realis. Et erit diuisio accidétis rationis, in diuersa subiecta realia.

Tertio modo accipitur, ita vt tam diuisum quàm membra sint entia rationis; & sensus sit. Subiectum propositionis aliud est primum, aliud secundum; vel aliud particulare, aliud commune; & cùm hęc diuersa subiecta, sint quasi species subiecti abstracti à communi, & particulari, erit diuisio sic sumpta generis in species.

Vltimo accipi possunt, tam diuisum, quàm mébra pro substantia reali, secundum proprietatem realem substádi, eritque sensus. Substantia realiter substans accidétibus, & prædicatis superioribus, vna est prima, quæ propria virtute substat; alia secunda, quę substat virtute primæ. Et erit diuisio analogi in analogata; quia secunda substantia non dicitur substare, nisi per attributionem ad primam, cùm eius virtute substet.

27 Ex his quatuor modis sumendi hanc diuisionem, secúdus excludi debet; quia nullus est, qui sic accipiat diuisionem; & verè est præter mentem Aristotel. atque impertinens ad propositum eius; quia cùm diuisum ordinetur ad cognitionem membrorum, si pro ente rationis accipiatur, non poterit deseruire ad ea cognoscenda. Hoc ergò modò prætermisso, secundùm alios tres, sunt quatuor opiniones diuersæ.

Prima asserit esse diuisionem subiecti in accidentia; quia primo modo eam cósiderat. Ita Ant. in principio huius capitis. Probat à sufficienti diuisione; quia hæc diuisio non est æquiuoci in æquiuocata, cùm aliquid præter nomen diuidatur. Nec est diuisio totius in partes, quia diuisum prædicatur de membris, imò vnum membrum de alio: nam verum est, quòd prima substantia sit substantia: & cùm secunda substantia sit vniuersalis, verum est etiam prędicari de prima, quę est singularis; & tamen neque totú prædicatur de partibus; neque vna pars de alia: ergò non diuiditur per hanc diuisionem substantia, tanquam totum in suas partes. Nec est diuisio generis in species; quia vna species non prædicatur de alia, secunda verò substantia prædicatur de prima. Et præterea si diuisio esset generica, daretur genus superius generalissimo huius prędicaméti, quòd cùm sit secunda substantia, erit alterum membrú huius diuisionis, & ideo inferius diuiso, tanquam species sub genere. Nec tandé est analoga; primò quia si substantia realis in ratione substandi diuiditur, cùm substare non sit essentia substantiæ, sed proprietas eius, non diuideretur substátia, sed quædam propria passio eius. Deinde, diuisum non conueniret secundæ substantiæ; quia diuisum est substantia sub ratione substandi, cum substare sit subiectum; & secunda substantia non possit esse subiectum, sed prędicatum, nó posset ei conuenire.

Secunda opinio eodem modo accipit diuisum, pro substantia reali, & membra pro secundis intentionibus; non tamen pro substátia reali secundum essentiam, sed secundum proprietatem realem substandi. Et affirmat esse diuisionem ac- 28

ciden-

cidentis realis, in accidentia rationis; quia propria passio substandi, accidens reale est; membra verò, accidentia rationis, nempe substãtia vniuersalis, & particularis. Pro hac sententia referuntur Louanienses, & Toletus, sed nihil tale apud eos inuenire potui.

Tertia opinio, integram diuisionem su-
29 mens pro secundis intentionibus, asserit esse generis in species: quem sequuntur plures moderni. Et probant hac ratione. Diuisum, quod est subiectum in communi, æqualiter participatur à prima & secunda substantia, & ab vna sine dependentia ab altera; ergò est diuisio vniuoca, atque generica. Probatur antecedẽs; quia quãdo in propositione copula absoluitur à tempore, non pendet veritas eius à singularibus, vt in hac, homo est risibilis; ergò non substat homo, qui est secunda substantia, prædicato risibili, cum dependentia à prima substantia. Et in propositionibus contingentibus singularibus, non dependet veritas à secũdis substantiis, sed solùm à primis, quibus cõueniunt accidentia sine dependentia à secundis.

Vltima sententia tenet, diuisionem esse analogi in analogata. Sed qui eam sequũtur, non eodem modo eam accipiunt; sed quidam diuisum pro reali substantia, & membra pro secundis intentionibus secundum primum modum; & ita substantia realis diuiditur in diuersas secundas intentiones, vniuersalem, & singularẽ; aut subiecti, & prædicati. Ita Sotus, q. 1. ad primum, & Caiet. cap. etiam præsenti. *Sed plures alij analogam esse affirmant, tã diuisum, quàm membra accipientes realiter.* Ita Albertus Magnus in prædicamentis tractat. 2. de substantia, c. 3. Iauellus 5. Meta. q. 7. Toletus, q. 1. & expresse D. Th. q. 9. de potentia, art. 1. ad. 6. *Et hæc videtur mihi probabilior.*

Sed *duo sunt probanda*, vt maior proba- 30
bilitas eius fiat manifesta. *Primum*, quòd tam diuisum, quàm membra sumantur realiter, & non pro secundis intentionibus. *Secundum*, quòd sic accepta sit diuisio analogi in analogata. *Probatur primũ* ex Arist. qui non posuit hanc diuisionem expresse; sed eam posuisse intelligimus ex eo, quod vtrumque membrum definiuit, Ergo sic sunt membra diuisionis, sicut definiuntur. Sed definiuntur secundũ esse reale; ergò efficiunt diuisionem realẽ. Probatur minor, quia prima sic definitur, Substantia, quæ propriè, principaliter, & maximè dicitur, &c. Sed excellentiæ istæ nõ conueniunt ei ratione secundæ intentionis; sed propter naturam realem perfectissimam: ergo realiter, & non per secundam intentionem definitur. Secundæ etiam substantiæ definiuntur, quòd sint genera, & species, quibus insunt primæ; id est sub quibus ponuntur in prædicamento; ergo definiuntur, vt ponuntur in prædicamento: sed non ponuntur in prædicamento, vt denominãtur à secundis intentionibus, sed vt sunt genera, & species Metaphysicæ, atque reales; ergo realiter definiuntur.

Præterea, comparans Arist. vtrumque 31
membrum diuisionis, ait, primam substãtiam esse magis substantiam, quàm secundam; quia propria virtute substat accidentibus: sed substare est actus realis, cũ sit realiter sustentare accidentia; ergò comparantur secundum esse reale, & nõ intentionale; & ideo realem diuisionem efficiunt.

Probatur tandem: quia eandem substantiam diuidit Arist. in primam, & secundam, cuius proprietates postea enumerat; sed proprietates sunt reales, vt manifestum est; ergo substantia realiter diuiditur in primam, & secundam.

Probatur deinde ratione. Primò, quia repug-

repugnat diuisum, & membra, sumi pro secundis intentionibus, vt ponunt aliæ sententiæ; ergò omnes sunt falsæ. Probatur antecedens de diuiso, nam membra diuisionis sunt secundæ intentiones subiecti, & prædicati, vt ex definitionibus vtriusque colligitur, secundò intentionaliter intellectus: sed nulla datur secũda intentio communis subiecto, & prædicato, prçter rationem vniuersalem entis rationis; ergo hæc erit diuisum. Et sensus diuisionis erit, Ens rationis aliud est subiectum, aliud prædicatum: quod patet esse absurdum; cùm ens rationis in communi consideratum nihil denominet; & si denominaret, non magis substantiam, quàm accidentia. Ex quo intelligitur, nec diuisum huius diuisionis posse esse subiectum in communi; quia non magis denominat substantiam, quàm accidens; siquidem vtrumque potest indifferenter esse subiectum propositionis. Probatur etiam de membris, quòd non accipiantur pro secundis intentionibus: nam membra sunt subiectum, & prædicatum, vt asserit prima opinio: sed prædicatum est nobilius subiecto, cùm sit forma propositionis: ergo secunda substantia, vt est membrum diuisionis, erit nobilior prima, quod expresse est contra Aristot. sæpè docentem in textu, primam substantiam esse nobiliorem secunda.

31. Hoc supposito probandum est secundum, quod diuisio sit analogi in analogata. Sed vt probetur, Notandum est, *Substantiam tribus modis posse considerari. Secundum essentiam: secundum vltimum actum substantialem eius, qui est subsistentia: vel secundum proprietatem sustentandi accidentia.* Essentia substantiæ est, esse gradum quendam entitatis realis perfectæ, hoc est; independentis ab alio, & cui debetur subsistentia per se; & licèt non possit esse in rerum natura, nisi actu existens; neque completa, nisi per subsistentiam: neutra tamen pertinet ad essentiã eius, sed extra illam est. Nec tamen sunt accidentia; sed actus quidam substantiales eius, ita vt per existentiam sit in rerũ natura; & per subsistentiam vltimò compleatur, & in persona, aut supposito constituatur. Proprietas verò substandi, sequitur substantiam iam completam, aut iam subsistentem. Itaque hæc tria ita se habent; vt esse entitatem perfectam, & ex se independentem, sit essentia substãtiæ; ex quo duo alia procedunt hoc ordine, vt subsistentia sit prius, deinde verò illa mediãte, procedit substare: illa quidem tanquam modus substantialis; substare verò tanquam proprietas; sed vtrũque extra essentiam eiusdem naturæ; quæ quidem ponitur in prędicamento secundum essentiam. Sed quia hæc non facilè cognoscitur à nobis, voluit eam Arist. manifestare per intimam proprietatem, sustentandi accidentia: & ideò substantiam diuisit, secũdum proprietatem substandi, vt definitio primæ substantiæ euidenter ostendit: Vnde sensus diuisionis est; Substantia, quæ est ens completum, atque perfectum, cui debetur subsistentia per se, ratione cuius est quasi sustentatiua aliorum, vna est prima, alia secunda; hoc est, primò, & per se habet esse in singulari, & quasi secũdario in vniuersali.

Ex hac doctrina colligitur hoc argu. quo 33. probatur diuisionem realiter sumptam esse analogi in analogata. Analogum est nomen, quod ita conuenit suis significatis, vt vni per se primò, atque simpliciter; aliis verò non nisi cum intrinseca dependentia, & attributione ad illud; sicut ens conuenit substãtiæ, & accidenti. Sed substantia sumpta realiter in ratione substãdi (vt probatum est sumi in hac diuisione) conuenit primæ substantiæ primò,

& per se: secundę verò non nisi cũ intrinseca dependétia, & attributione ad illã; ergò habet se vt analogum respectu vtriusque, & vt tale diuiditur in ea tanquam in analogata. Probatur minor, quia substare, aut sustentare alia propria virtute, conuenit primæ substantiæ; & per participationem eius conuenit secundis.

34. *Ad arg. primæ sententiæ*, quæ contendebat probare, diuisionem non esse analogam propter duo. *Primum*; quia diuisum, est substantiæ ratione in substandi; ergò non diuiditur substantia, sed quædã propria passio eius. *Et respondemus* concedendo, quod non diuiditur substantia secũdum essentiam; sed in quantum conuenit illi propria passio substandi, per quam manifestatur eius essentia; sicut posset diuidi animal, in quantum est sensibile. *Secundum erat*, quod si substantia diuiditur in ratione substandi, non poterit conuenire secundę substantiæ; quia substare est esse subiectum; & secunda substantia est prædicatum. *Respondetur*, secundas substantias vtramque rationem habere, subiecti, & prædicati: & ad hanc diuisionem potius pertinent, tanquam subiecta, quæ realiter substant accidentibus, quam vt prædicata. Fuit autem conuenientius diuidere substantiam, per illam proprietatem realem substandi, quam per secundas intentiones, vt ratio prædicamentalis eius manifesta fieret, & etiam constaret, quo modo potest esse fundamentum secundæ intentionis.

QVÆSTIO V.

35. *Quod sit formale definitum definitionis primæ substantiæ?*

PRima opinio est Soti, quam sequuntur plures moderni; Definitum fomale huius definitionis, esse secundam intentionem primæ substantiæ in cõmuni, quæ abstrahitur à particularibus, secundis intentionibus, denominantibus Petrum, & Ioannem, cæterasque secũdas substantias, materiale verò, rationem primæ substantiæ realem, in qua conueniũt omnes primæ substantiæ; nõ vt realis est: sed vt denominatur à secunda intẽtione: & ex vtraq; fieri vnum definitum totale, atque completum. Sicut in definitione generis diximus; formale definitum, esse secundã intentionem generis, materiale verò naturam genericam in communi, ab eo denominatam.

Probatur ex definitione primæ substãtiæ tradita ab Arist. quæ sic habet. *Prima* substantia est, quę nec de subiecto aliquo dicitur, nec in subiecto aliquo est, & continet negationem prædicationis, & negationem fundamenti. Nã ex eo non prędicatur de subiecto prima substantia, quia non est in subiecto: ergò definitum erit prima substantia realis pro fundamento, & quasi materiali; & secunda intentio, aut negatio eius, pro formali.

Deinde probatur ratione, quia primæ substantiæ, vt Petrus, & Ioannes, duobus modis possunt considerari: aut secũdum esse reale substantiæ singularis: vel vt denominantur à secunda intentione: & si primo modo considerentur, nihil reale commune, & vniuocum habere possunt, ergò neque aliquid reale eis cõmune potest esse definitum. Probatur antecedens: quia singularia vt singularia, sunt primò diuersa, sicut sunt vltimò distincta: ergò non possunt habere vniuocam conueniẽtiam: nam si eam haberent, per alias differentias essent ab ea separanda, & sic procederetur in infinitũ. Ex quo sequitur, solũ posse definiri primã substantiã, vt denominatam à secunda intentione.

Tertiò, si aliquid reale commune esset definitum, duo absurda sequerentur: primùm, quòd definitio non conueniret definito. Quod sic probo. Definitum est 36.

aliquid

aliquid reale, commune omnibus primis substantijs: ergò prædicatur de illis, atq; in illis est: sed definitio asserit primam substantiam non dici de subiecto, nec esse in subiecto; ergò non potest ei conuenire. Secundum, quod sequitur, est; Definitum non esse primam substantiam, sed secundam. Probatur consequentia: quia prima substantia non est prædicatũ commune, sed subiectum singulare: Secunda verò substantia est prædicatum commune, quod prædicatur de primis: sed illud est reale prædicatum cõmune, quod prædicatur de primis substantijs; ergo est secunda substantia. Quare non potest esse definitum in definitione primæ.

37. *Secunda opinio* est Caietani cap. præsenti, vbi asserit, indiuidua, seu primas substantias, vt Petrus, & Ioannes, duobus modis considerari posse; vel vt participant naturam humanam; vel vt habent modum particularem subsistendi. Et vtroque modo habent conuenientiam vniuocam: sed prima est conuenientia naturæ, secunda verò modi: & ideò illa vocatur specifica, hæc modalis: nam subsistentia in qua conueniunt, modus est naturæ. Et prima conuenientia significatur per hoc nomen, homo; secunda per hoc nomen, prima substãtia: quia prima substantia significat substantiam per se subsistentem, abstractam ab hac, & illa prima substantia, vt à Petro, & Ioanne. *Definitum* ergò huius definitionis, *quasi materiale, sunt omnes primæ substantiæ: formale verò, est communis illa ratio particulariter subsistendi, & adæquatum, prima ipsa substantia, vt conueniunt in eadem ratione modali.* Hæc est expressa sententia D. Thomæ, 1. part. quæst. 29. artic. 1. ad 1. vbi ita ait: Licèt hoc singulare, vel illud definiri non possit; tamen id, quod pertinet ad communem rationem singularitatis, definiri potest. Et sic Philosophus definit substantiam primam: & hoc modo definit Boëtius personam; & quæst. 30. art. 4. ad 2. licèt persona sit incommunicabilis, tamen ipse modus existendi incommunicabiliter, potest esse pluribus communis. *Et hæc videtur mihi probabilior & tenenda.*

Quæ probatur testimonio Arist. & ratione. 38. Aristot. enim volens definire primam substantiam, his verbis eam explicauit: *Substantia, quæ propriè principaliter, & maximè dicitur, &c.* Quibus euidens est significari, proprias excellentias primæ substantię; quæ non possunt ei conuenire, in ordine ad secundam intentionem; sed secũdùm propriam naturam realem per se subsistentẽ: ergò secũdum eam definitur, & non vt determinata à secunda intentione. Et sic potius definiri debuit, quàm per secundam intentionem: quia nisi cognoscatur natura realis eius, non potest intelligi modus, quo fundamentum est secundæ intentionis.

Sed ratione probatur eadem sententia. *Primò*, quia prima substantia, & persona, solùm in hoc distinguuntur, quòd prima substantia, ad quamlibet naturam substantialem se extendit; persona verò solùm ad naturam rationalem, atque intellectualem: sed personam definiuit Boëtius, secundum modum realem subsistẽdi, li. de duabus naturis in principio (inquiēs) *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia.* Ita enim intellexit hãc definitionem schola Theologorum; ergò prima substantia eodem modo potuit definiri ab Arist. Quòd verò sic fuerit definita, probat testimonium citatum.

Secundò, quia prima substantia definitur secundùm rationem, per quãm ponitur in prædicamento, tanquam fundamentum reale totius prædicamenti: sed euidens est, in prædicamento non collocari, vt denominatur à secunda 39.

intentione; quia sic non est fundamentum reale; sed secũdum realem naturam per se subsistentem, & sustentantem omnia; ergo secũdũ eã definitur, & nõ vt denominatur à secunda intẽtione subiecti.

Ad testimonium Arist. pro prima sententia, Respondetur, quòd prima substantia per proprium modum realem subsistendi, habet etiam reales negationes inhærendi in subiecto, & prædicandi de illo, & ideò definitio, secundùm has negationes reales, intelligenda est, & non secundùm negationes intentionales.

Ad primum arg. Respondetur, Negandò minorem, quòd Petrus, & Ioannes, vt sunt singulares homines, non conueniant; quia à modo singularitatis vtriusque abstrahi potest cõceptus communis modi singularitatis. Et eodem modo, primæ substantiæ; conueniunt in modo subsistendi per se; à qua conuenientia non est necesse, vt separentur per alias differẽtias, sed per easdem subsistentias, vt determinatas, atque distinctas, sufficienter separantur; & ideo non dabitur processus in infinitum.

Ad secundum negamus, quòd duo illa
40. absurda sequantur, si definiatur aliquid commune primis substantiis; nam illud commune non est, cui non conuenit definitio; sed ratio, sub qua conuenit primis substantiis: quare nec est in subiecto, nec de subiecto, dicitur; sed est communis ratio eorum, quæ nec sunt in subiecto, nec dicuntur de subiecto.

Nec etiam sequitur secundum, quòd conueniat definitio secundis substantiis; quia secunda substantia nõ est, quodcũq; prædicatur de prima: sed quod prædicatur de illa, tanquam natura generica, aut specifica: quod probatur ex definitione secundarum substantiarum, quæ sic habet. Secundæ substantiæ sunt genera, & species, quibus primæ substantiæ insunt; communis autem illa ratio, sub qua definiuntur primæ substantiæ, non est naturæ; & ideò non est generica, nec differentialis; sed solum modalis.

PRIMVM DVBIVM circa comparationes primarum, & secundarum substantiarum.

DVO restant explicanda circa textum 41.
Arist. *Primum* pertinet *ad comparationes*, quas fecit inter primas, & secundàs substantias. *Secũdum ad proprietates* eiusdem substantiæ. Hęc autem breuitatis gratia, quibusdam dubiis explicabuntur. Et primum est circa comparationes, an sint veræ. Sunt autem quatuor. Nam *primò* comparat primas substantias cùm secundis, & asserit, *Primam esse magis substantiam, quàm secundam. Secundò*, comparat secundas substantias inter se dupliciter; nempe genus cùm specie, & species inter se; & *affirmat speciem esse magis substantiam quàm genus*: sed inter species, vnam non esse magis substantiam, quàm alteram. *Vltimò* comparat primas inter se, affirmans etiam *Vnam non esse magis substantiam, quàm aliam.*

Sed aduersus has comparationes, tria argumẽta proponuntur. *Primum*, aduersus omnes; quia videntur contradicere cuidam proprietati eiusdem substantiæ, qua dicitur, substantiam non suscipere magis, & minus: quòd si ita est, falsum erit, quod vna substantia sit magis substantia quam alia, siue prima sit vel secunda.

Secundum argumentum est contra primam comparationem, in qua dicitur, quòd prima substantia est magis substantia, quàm secunda; nam secunda substantia est species, vt homo; & prima substantia est indiuiduorum, vt Petrus: sed species perfectior est indiuiduo; ergò secunda substantia erit perfectior prima; & ideo erit magis substantia, quàm illa. Proba-

Probatur minor, quia perfectio essentialis rei, sumitur ex prædicatis essentialibus: sed prædicata essentialia primò cōueniunt speciei, & per participationem eius indiuiduo; ergo perfectior erit species.

42. *Tertium est* contra comparationem secundarum substantiarum, atque primarum inter se, in qua dicit Arist. vnam speciem non esse magis substantiam, quam alteram. Quod probo esse falsum: nam illa est magis substātia, quàm altera, quæ pluribus substat: sed vna species pluribus substat, quàm alia; ergò erit magis substātia. Probatur minor; quia coruus substat pluribus prædicatis, quàm homo: quia substat omnibus, quibus substat homo; & duobus aliis, nempe bruto, & aui, quæ sunt genera inferiora animali: & inter primas substantias, vna etiam substat pluribus, quàm alia: nam coruus iste singularis, substat eisdē generibus; quibus, sicut non substat homo; ita nec Petrus: ergò erit magis substantia, quàm Petrus.

Pro solutione primi argumenti, Notandum est; Magis, & Minus, duobus modis sumi posse; Propriè, & Impropriè. Sumitur autem Propriè, pro intēsione graduali qualitatis: secundum quam; Calidum, vt quatuor, magis calidum dicitur propriè, quàm Calidum, vt duo: quia plures habet gradus intensionis eiusdem caloris. Impropriè verò sumuntur magis, & minus; pro magis, & minus perfecto, sub quacunque consideratione; siue essentiali, siue accidentali; siue intensiua, aut extensiua: in qua acceptione homo dicitur magis substantia; quàm equus: hoc est, perfectiorē essentialiter: dū ergò Aristoteles in principio capitis dicit; primam substantiam esse magis substantiam: quàm secundam: & inter secundas, speciem magis substantiam: quàm genus; in secunda significatione accipit verba illa, Magis, & Minus: sed dum asserit in fine capitis; substantiam non suscipere magis & minus: accipit ea primo modo: & ideo non est sibi contrarius.

Pro solutione secundi argumenti, *Notandum est*. Substantiam duobus modis sumi posse. Primo; quantum ad essentiam, abstrahentem ab actuali existentia, & subsistentia: & ideò quæ; solùm respicit essentialia prædicata. Secūdo, sumitur pro essentia, in ordine ad actualem entitatē; quam habet extra causas, per actualem existentiam; & completam quidem, per subsistentiam: & substantiam hoc modo sumptam, sequitur proprietas substandi accidentibus, & prædicatis superioribus: nam ex eo, quòd substantia per se subsistit: potest sustentare omnia: nunc ergo; si substantia primo modo accipiatur; perfectiùs couuenit secundæ substantiæ, quā primæ: & hoc probat argumentum: sed non sic accipitur ab Aristotele: verùm in secunda acceptione; & in quantum illi conuenit proprietas substandi: & hoc modo verum est; quòd prima substantia sit perfectior; quàm secunda: quia propria virtute substat; secunda verò, non nisi virtute eius. 43.

Tertium argumentum, alia distinctione soluendum est: nam Substare, duobus modis sumitur; Intensiuè, & Extensiuè: Intensiuè, accipitur in ordine ad virtutem substandi; & hoc modo, illud dicitur magis substare, quod propria virtute substat; & illud minus, quod virtute alterius: Extensiuè autem, in ordine ad plura, vel pauciora; quibus aliquid substat. Et ex hoc respondetur ad argumentū; quòd dum Aristoteles ait; primam substantiam esse magis substantiam: quàm secundam; vtroque modo intelligit hanc comparationem; tam intensiuè, quàm extensiuè. Et vtroque modo verum est: quia prima 41. sub-

substantia pluribus substat; quam secunda: & etiam propria virtute substat; secunda verò non nisi virtute primæ: aliæ verò comparationes intensiuè intelliguntur, non extensiuè: & ideo verum est, inter species, nullā esse, quæ substet virtute alterius. Argumentum verò solū probat, magis substare extensiuè: quod est, pluribus substare: & eodem modo, verū est; inter primas substantias, vnam, non magis substare; quàm alteram intensiuè: quia vna non substat virtute alterius; sed quælibet virtute propria. Species verò magis substantia dicitur: quàm genus, vtroque modo; extensiuè quidem: nam & pluribus substat; cùm substet ipsi generi, & cæteris. Et etiam intensiuè; quia licèt non substet propria virtute, sicut nec genus; tamen propinquius accedit ad id, quod substat propria virtute; nempe ad primam substantiam: & hoc sufficit, vt dicatur, magis substare intensiuè.

DVBIVM SECVNDVM circa tertiam proprietatem substantiæ.

An verum sit, & in quo sensu; secundas substantias, significare Quale quid?

QVòd secundæ substantiæ, non significent Quale quid, vt Aristoteles docet; duobus argumentis probo. *Primo*, quia duo tantùm possunt considerari in nomine aliquo, ex quibus intelligatur significare, Quid; vel Quale quid, nempe res significata; an sit substantia, vel Qualitas, & modus eam significandi. Nomina secundarum substantiarum, ex parte vtriusque significant Quid; hoc est, Substantiam; & non quale quid: ergo falsum est, Quale quid significare. Probatur minor: quia ex parte rei significatæ, substantiam significant: & etiam ex parte modi; cum sint nomina substantiua, significantia rem per modum subsistentis.

Secundo. Ex modo significandi, sumitur modus prædicandi: ergò si secundæ substantiæ: quæ sunt genera, & species, significant Quale quid: sequitur, quòd prædicentur de primis in Quale quid. Consequēs est falsum; ergò & antecedēs. Probo minorem, auctoritate, & ratione: nam Porphyrius ca. de genere, & specie, docuit expressè, genus, & speciem prædicari in Quid. Et ratio ipsa conuincit: quia ad interrogationem factam de specie, per Quid, respondemus, per genus: & ad interrogationem factam de indiuiduo, per speciem, vt si inquiras, quid est homo? respondemus esse animal: & si inquiras, quid sit Petrus? esse hominē: ergo vtraque secunda substantia prædicatur in Quid, & non in quale quid.

Circa sensum huius proprietatis, diuerso modo loquuntur auctores: & primus modus dicendi est Alberti Magni, tract. 7. prædicamentorum, cap. 8. vbi inquit: genera, & species, quæ sunt secundæ substantiæ, ratione naturæ genericæ, significare, Quid: sed propter differentiam, quam species continet actu, & genus potentia, significant Quale: & ideò ratione vtriusque, Quale quid: & hunc fuisse sensum Arist.

Hic tamen modus dicendi, hoc arg. *probatur falsus*. Si genus, & Species, ratione vtriusque partis essentialis, significant Quale quid: ergò prædicantur in Quale quid, contra sententiam Porphyrij; qui sciens speciem continere genus, & differentiam, & genus differentiam, in potentia, docuit expressè: vtrumque prædicari in Quid, & nō in quale quid. & est contra rationem: quia si prædicarentur in Quale quid, non distinguerentur à prædicabili differentiæ. Ideò hanc sententiam meritò refutauit Caiet. cap. præsenti.

Ipse

Ipse verò Caiet. secundum modum dicendi proponit; duo distinguens in genere, & specie: nempe naturam genericam aut specificam; quæ denominatur genus: & secundam intentionem; à qua denominantur: & propter naturam genericam, atque specificam; quæ sunt substantiæ, significant Aliquid: sed propter secundam intentionem; quę est accidens, & modum habet qualitatis; sicut albedo, & color, significant Quale; & ideo propter vtramq; significant Quale quid.

Sed hic modus dicendi, *non est minus falsus, quam primus*: quod sic probo. Secundæ substantiæ significant Quale, ratione secundæ intentionis; quæ est accidēs: ergo significant Quale accidentale: sicut albū, significat Quale, ratione albedinis: & ideo Quale accidētale. Ex quo sequitur: quòd prædicentur de primis substantijs, in Quale accidentale, & ideo prædicatione quinti prædicabilis; quòd est absurdum. Et si aliquis pro Caiet. respondeat; significare Quale accidentale; sed circa substantiam: quia naturæ generis, & speciei denominatæ, substantiales sunt. Non satis facit solutio: quia etiam album, significat qualitatem circa substantiam; cum subiectum, cui inhæret albedo, substantia sit: ergo eodem modo significant Quale, ac album, aut coloratum: sed hæc prædicantur in Quale accidentale: ergo etiam secundæ substantiæ de primis.

Pro solutione igitur huius dubij, & argumentorum, *Notandum est*. Quale quid, duobus modis accipi posse. Proprio, & Communi. Et cùm vtroque modo sumatur, per similitudinem ad veram qualitatem; quæ est forma accidentalis, quarti prædicamenti; ex propria, & communi similitudine ad illam, accipiendus est vterque modus: nam qualitas duo habet. *Primum* habet inhærere subiecto; à quo abesse potest, ipsumque circumstare, ac tali modo determinare; vt ad interrogationē de ipso factā, per Quale, propriè respondeamus per illam. Et hæc est ratio propria eius, cui assimilatur differentia quæ ad genus comparatur tanquam ad potentiam; extra cuius rationem est, & cui adesse, & abesse potest: & ideo tanquam determinans genus, ad constitutionem speciei; per modum adiacentis, adiectiuo nomine significata, prędicatur de specie: & hoc est assimilari qualitati, secundum propriam rationem eius. *Aliud habet* Qualitas, commune cùm cæteris accidentibus; quod à subiecto determinetur, quantum ad actualem eius inhærentiam; & aliquo saltem modo, quantum ad indiuiduationem: & secundæ substantiæ assimilantur qualitati; secundum hanc rationem communem, & impropriam consideratæ: quia sunt quasi communes cōceptus, & communes formæ, quæ determinantur, quantum ad subsistantiam, & indiuiduationem, à primis substantiis; in quibus subsistunt: & propter hanc similitudinem, docuit Aristoteles non significare Hoc aliquid; hoc est, substantiam singularem, & subsistentem, aduersus Platonem; qui substantias ponebat separatas à singularibus, & extra illa subsistētes: sed significare Quale; ita vt sint quasi formæ abstractæ à singularibus, solùm per intellectum: & ab eisdem determinabiles; quantū ad subsistētiam, & indiuiduationem, ad modū accidentalium: & quia verè sunt substātiæ, significare Quale quid. Deinde, cum ratio substantialis cōueniat eis propriè; ratio verò qualitatis, solū per similitudinē, in ratione cōmuni, & impropria qualitatis nominibus substantiuis significantur: prædicata quidditatiua appellantur: & in Quid; non in Quale quid, sicut differentia, dicuntur prædicari: quia differentia

est, quasi extrema sunt; & à corpore, in quo vnum inhæret; expellitur aliud: vt ab aqua, in qua est frigiditas, expellitur calor. Duas igitur conditiones, ad propositum necessarias, debent habere contraria. Primam; quòd sint formæ positiuæ: quia sunt species eiusdem generis. Secundam; quòd respiciant idem subiectum; in quo vtraque inhærere potest, & aliam ab eo expellere.

53. Ex quibus intelligitur, *Primò*, quòd ex quatuor generibus oppositionis, tria reperiuntur in substantia: nempe Priuatiua; quia substantia, dum generatur; fit ex priuatione sui: vt homo, ex non homine id est, ex materia; in qua est priuatio animæ rationalis. Contradictoria; vt inter hominem, & non hominem: Relatiua; vt inter Petrum & Ioannem; quatenus sunt eiusdem speciei. Sola oppositio contraria, ei repugnat; propter perfectionem suæ naturæ: quia cùm substantia tam perfectæ naturæ sit, vt ei debeatur subsistentia per se; repugnat ei, quòd sit forma inhærens subiecto: & ideò; quòd cùm alia forma se expellat ab illo; vt in definitione contrariorum dicitur: nec in tota latitudine sui prædicamenti, potest talis imperfectio reperiri. Et hoc est potissimum fundamentum huius proprietatis, quam ei tribuit Aristoteles.

54. *Secundò* intelligitur, quonam modo concedendum sit, substantiam habere contrarium; & quo etiam modo negandum: nam de impropria contrarietate, pro quacunque oppositione, concedendum est: de propria verò, pro vltimo tantum genere oppositionis supra posito, negandum. Et quia quarta proprietas, intelligitur ab Arist. solum de propria; verissima est eius sententia, quòd substantiæ nihil sit contrarium.

55. *Pro solutione argumentorum notandum est*; quòd inter oppositiones, prima, & quasi fundamentum cæterarum, est priuatiua; quæ in quocunque genere, & prædicamento reperitur: nam ex duabus differentijs oppositis, per quas diuiditur genus; vna se habet respectu alterius, tanquam priuatio: quia imperfectior est illa: & ideò quasi priuatur perfectione alterius: vt in differentijs, per quas diuiditur viuẽs; in sensibile, & in insensibile; & animal in rationale, & irrationale, patet: nam insensibile, quasi priuatio sensus intelligitur: & irrationale, quasi ratione carens. Quòd verò sit fundamentũ aliarum, probatur: quia substãtia est fundamẽtum aliarum rerum; inter quas reperiuntur aliæ oppositiones: sed priuatiua oppositio, reperitur in prima generatione eiusdem substantiæ: quia quælibet substantia generatur, ex priuatione sui in materia: vt homo ex non homine; & ex consequenti, quæcunque alia generantur, vel fiunt; ex sui priuatione fieri intelliguntur: vt calidum ex non calido; hoc est, ex priuatione caloris in subiecto: in quo, & ex quo fit. Vnde sequitur, quod sicut priuatiua oppositio est prima, & fundamentum aliarum; ita substantia, in qua primò reperitur; est quasi radix, à qua procedunt omnes oppositiones: quæ ideò primò reperiuntur in ea: formaliter quidem, priuatiua, contradictoria, & relatiua: contraria verò, non formaliter; sed solùm virtualiter: quia formalis repugnat perfectioni eius,

Ex hac doctrina, facilè soluuntur argumẽta. nam testimonia Aristot. loquuntur de contrarietate sub ratione communi, & impropria, pro quocunque genere oppositionis; sed præcipuè pro oppositione priuatiua: de qua intelligitur: quòd principia generationis substantiæ, sint contraria: & quòd prima cõtrarietas, reperiatur in substantia: hoc est, prima oppo-

sitio; quæ est priuatiua. Dum verò substãtiam asserit, in hoc prædicamento, non habere contrarium; loquitur de contrarietate propria; vt expositum est.

56. *Ad argum.* Respondetur, Distinguendo antecedens: nam elementa ratione substantiæ non sunt formaliter, nec propriè contraria; sed ratione qualitatum. Et dum dicitur; Qualitates procedere à substantia: concedendum est; sed distinguendum consequens: quòd in substantia, primò reperiatur vera contrarietas: nam virtualiter reperitur, tanquam in prima radice, à qua procedit; non formaliter. Aristoteles verò dum negat in hac proprietate quarta, substantiam habere contrarium; de formali intelligit, non de virtuali: quia hæc non dicit imperfectionem, repugnantem naturæ substantiali; illa verò cum eius perfectione pugnat.

DVBIVM QVARTVM
circa vltimam proprietatem substantiæ.

An solis primis substantijs conueniat esse susceptiuas contrariorum: vel etiam secundis, & accidentibus.

VLtimam proprietatem substantiæ, dixit Aristoteles esse; *quòd vna numero cum sit, contraria possit in se suscipere.* Et cùm sola prima substantia, sit vna numero; secundæ verò, vnitatem tantùm specificam, & genericam habeant; ei soli videtur attributa ab Aristotele, ita vt secundis non conueniat; & multò minus accidentibus; sed primæ substantię, quartò modo: hoc est, omni, soli, & semper.

57. Sed videtur, nec omnibus primis substantijs conuenire, nec solis; sed etiam accidentibus: nam propositio accidens est; & tamen eadem permanens, nunc est vera; si res ita se habeat, vt per eam enunciatur; postea verò falsa; si res mutetur: ergò suscipit contraria. Probatur consequentia: quia veritas, & falsitas cõtraria sunt. Nec videtur satisfacere solutio, quam tribuit Aristoteles huic argumento, dicens, suscipere contraria, idem esse, ac mutari de vno ad alterum: quod verò mutatur, mutationem ipsam in se recipit, atque etiam terminum eiusdem mutationis: vt quod mutatur, dum fit calidum ex frigido; vtrumque in se recipit: sed propositio non mutatur, dum fit vera ex falsa; sed solùm mutatur res; & ex eius mutatione, fit propositio vera, aut falsa; & ideò non dicitur suscipere contraria: hæc inquam solutio non satisfacit argumento, quod ita probo. Veritas, & falsitas formalis, aut completa, non est formaliter in rebus; sed virtualiter tantùm; vt in causa: quia causant in intellectu: in hoc verò, reperitur formaliter, vt enunciante, aut iudicante: nec reperitur, nisi media propositione mentali, per quam enunciat: ergò in propositione mentali, aut in intellectu, per eam enunciante, reperitur veritas, & falsitas, tanquam in subiecto, quod formaliter mutatur; dum propositio fit falsa ex vera: quare necesse est concedere, quòd suscipiat contraria, cùm per veram sui mutationem ea suscipiat. Sed intellectus, & propositio mentalis, sunt accidentia: ergò accidentibus conuenit suscipere cõtraria; & non solis primis substantijs. Quod etiam de quantitate verum est: nã accidentia corporea, verè contraria, prius in quantitate recipiuntur; quàm in substantia: vt calor, & frigus: ergò quantitas etiam vna numero cùm sit; erit susceptiua contrariorum.

58. Iam quòd nõ conueniat omnibus primis substantijs; probatur: quia substantia spiritualis, vt Angelus: non suscipit in se vlla contraria: imò nec substantia corporea incorruptibilis; qualis est cœlum: ergò

ergò non omnis substantia prima est susceptiua contrariorum. Antecedens probatur: quia contraria disponunt subiectum, in quo sunt ad corruptionem; vt calor, & frigus: sed Angeli, & corpora cœlestia, sunt incorruptibiles substantiæ: ergo non sunt capaces contrariorum. Probatur antecedens: quia contrariæ qualitates, disponunt subiectum ad diuersas formas substantiales; vt calor ad formam ignis, & frigus, ad formã aquæ: sed diuersæ formæ substantiales, non possunt simul esse in eadem materia, vel subiecto, nec vna expelli ab eo, nisi per corruptionem compositi: ergo contraria ordinantur ad corruptionem eius: quare non possunt esse in subiecto incorruptibili.

59. Vt hoc dubium plenè soluatur, tria sunt determinanda. *Primum*: An hæc proprietas conueniat solis substantijs; vel etiam accidentibus. *Secundum*: An dato, quod conueniat solis substantijs: conueniat, non solùm primis, sed etiam secundis. *Tertium*: An si solis primis conueniat; quibusdam tantum conueniat, vel etiam omnibus: & ex determinatione horũ trium, colligi poterit; an sit proprietas hæc substantiæ, quarto modo ei conueniens.

Pro solutione primi notandum est. Primam substantiam duo habere; quorum ratione conuenit illi hæc proprietas. *Primum est*; quòd sit hoc aliquid (vt verbis Arist. vtamur) hoc est, substantia singularis, & per se subsistens; & ideò independens ab alijs. *Secundum*: quòd sit primum subiectum omnium accidentium: & ratione primi; conuenit illi esse vnam numero, manentem sub diuersis accidentibus: ratione secundi; quòd sit contrariorum susceptiua: Nam contrariè opposita, accidẽtia sunt: & ideò ratione vtriusque conuenit illi integra proprietas; nẽpe, vt vna numero cùm sit, contraria in se suscipiat: sed cùm neutrum conueniat accidentibus, (vt notum est) nec potest eis conuenire eadem proprietas.

60. *Ad arg. verò de propositione*, Respondetur hac distinctione. Propositio duplex est; vna vocalis, aut scripta; & mentalis alia: & de vocali, & scripta; euidens est, non recipere in se veritatem, aut falsitatem formalem: sed solùm est in eis veritas, tanquam in signo: quod est, esse per solam denominationem extrinsecam: vnde licèt transeant de veritate in falsitatem; non per sui mutationem id fit; quia non recipiunt hæc accidentia in se formaliter; sed solùm per mutationem rei: vnde nec suscipiunt in se contraria. De mentali verò, negari non potest; quin contineat in se veritatem, aut falsitatem formalem; cùm formaliter repræsentet rẽ, sicuti est, aut sicut non est: nec etiã negari potest, quin in intellectu iudicante sit veritas formaliter: sed adhuc sic, non dicitur propositio mentalis, aut intellectus iudicans, suscipere contraria: quia non est principale subiectum veritatis, aut falsitatis; sed medium, per quod ista recipiuntur in anima. & adhuc, nec sic sunt tanquam mediũ contraria suscipiẽs ratione sui, aut virtute propria: & ex cõsequenti, nec ea habent simpliciter; sed virtute substantiæ, cuius accidentia sunt: & ideò substantia sola est; quæ tanquam præcipuum subiectum, propriaque virtute suscipit contraria, non accidentia.

61. *Circa secundum*; An proprietas hæc conueniat secundis substantijs; Caiet. ca. præsenti, ait, hanc particularem, (vnã numero) distinguendam esse: nam vel à parte subiecti ponitur, vel à parte prædicati: & à parte subiecti posita, hunc sensum efficere; Proprium est substantiæ, quæ est vna numero; esse contrariorum susceptiuam: In quo euidens est, soli primæ substantiæ conuenire: quia sola est

vna numero. Si verò ponatur à parte prædicati; talis erit sensus: Proprium est substantiæ; vt seruata vnitate numerica, posit contraria suscipere: & sic intellectam proprietatem, etiam est euidens, conuenire secundis substantijs: quia seruata vnitate numerica, quam habent in primis contraria suscipere possunt; vt homo seruata vnitate numerica; quam habet in Petro, potest suscipere calorem & frigus. Hoc etiam modo, intelligitur proprietas hæc ab alijs expositoribus; vt Alberto Magno, Simplicio, & Villalpandeo: dicuntque sic esse locutum Aristotelem, vt hanc proprietatem communem esse omnibus substantijs efficeret.

Alij verò, negant posse secundis substantijs accommodari; vt Ammonius, & Cant. in expositionibus huius capitis.

62. *Sed nostra sententia est; hac distinctione respondendum esse:* De hac proprietate substantiæ, duobus modis loqui possumus. *Primò*, in eo sensu, in quo locutus est Arist. *Secundò*, sine vlla limitatione verborum. Et si primo modo loquendum est solis primis substantijs cõuenit hæc proprietas; secundis verò nullo modo. probatur hoc contra Gaiet. *Primò*, Arist. asserit, maximè proprium esse substantiæ, vna numero cum sit; contraria suscipere posse: ergo proprietas hæc non potest cõuenire substantiæ; nisi sit vna numero: sed secunda substantia neque in se, neque in prima substantia, habet vnitatem numericam: ergo nullo modo ei conuenit. Probatur minor. Secunda substantia in se consideratur, vt est abstracta à prima: sed, vt abstracta à prima, non est vna numero; cum sit communis omnibus primis substantijs, sed solum vna genere, aut specie: ergò non cõuenit ei hac proprietas. Cæterum, vt est cõtracta ad primam, est quidem vna numero; nõ tamen est secunda substantia; sed prima: quia homo, vt est contractus ad Petrũ realiter & formaliter; est hic homo: sed hic homo formaliter, est singularis homo: ergò formaliter prima substantia; & nullo modo secunda. Quare idem est dicere: quod secundis substantiis cõueniat hæc proprietas, vt habẽt vnitatẽ numericã in primis; ac dicere, quòd solis primis conueniat.

Secundò probatur; ex definitione secundarum substantiarum: quæ ita habet. *Secundæ substantiæ sunt genera, & species: quibus primæ substantiæ insunt*. Sed non sunt genera, & species; vt sunt contractæ ad primam, vel vt in ea habent subsistentiam: sed in quantum considerantur, ab eadem abstractæ: sub hac autẽ consideratione, repugnat eis conuenire; cùm non habeant vnitatem numericam: ergò secundis substantijs: vt sunt secundæ substantiæ, non potest accommodari hæc proprietas; vt ab Arist. assignata: sed idẽ fuit dicere: Proprium esse substantiæ; vt vna numero cum sit, contraria posit suscipere: ac excludere ab hac proprietate, secundas substantias.

Si verò accipiatur eadem proprietas, secundo modo, sine vlla limitatione verborum; scilicet ita, vt dicamus maximè proprium esse substantiæ, suscipere contraria, conuenit omni substantiæ, eodem modo, atque proprietas substandi; sed analogicè: hoc est, per se primo, & ratione sui, primæ; secundis verò, non nisi cum dependentia, & attributione ad illam. 63.

Circa tertium: An proprietas hæc conueniat omnibus primis substantijs; non conueniunt omnes: *Sed primus modus dicendi est*; solis primis substantijs corporeis, & corruptibilibus conuenire; propter argumentum à nobis factum in principio: ita Prophyrius, & Ammonius, in explicatione huius proprietatis.

Secundus modus dicendi est, communis omnium aliorum Interpretum: *Quod omnibus* 64

tibus primis substantijs conueniat. Et ita *tenendum est.* Sed duo sunt breuiter *notanda*, vt intelligatur. *Primum*, Quòd Arist. non loquitur de solis contrarijs strictè acceptis; qualia sunt primæ, & secundæ qualitates: nam veritas, & falsitas, nō sunt ita propriè contraria; de quibus loquitur in textu, negans; quòd propositio dicatur eas suscipere: sed loquitur de cōtrarijs, vniuersalibus. *Secundò notandum est.* Quòd vt proprietas hæc conueniat alicui substantiæ; non est necessarium eā suscipere omnia contraria: sed sufficit, aliqua posse suscipere, secundum conuenientiam suæ naturæ. Vnde satis est, vt corpora Cælestia sint susceptiua contrariorum; quòd possint suscipere motus contrarios; vnum ab Oriente in Occidentem; alterum ad Occidente in Oriētem. Aut motum augmenti, & decremēti circa lucem: quos cōstat suscipere Lunam à Sole. Sufficit etiam; quòd Angeli possint suscipere veritatem, & falsitatē, medio intellectu: & bonitatem, & malitiam moralem media voluntate, & actibus eius; vt dicantur esse primæ substantiæ susceptiuæ contrariorum.

65. *Ad arg. verò.* Distinguendum est antecedens: quia contraria duplicia sunt. Propria quidem; vt primæ, & secundæ qualitates, quæ ad corruptionem subiecti solent disponere: alia Minus propria, non respiciētia corruptionē subiecti: & licèt Angeli, & corpora cælestia, non possint suscipere cōtraria illa priora & propria: quia neque corrumpi possunt; susceptiua tamen sunt aliorum contrariorum: & hoc sufficit; vt proprietas hæc illis conueniat: quia non de solis primis contrarijs intelligitur ab Arist. sed de his, vel alijs.

Ex his, quæ dicta sunt, sequitur hanc proprietatem vltimam substantiæ, conuenire primis substantijs, quarto modo: quia omni primæ substantiæ, soli, & semper conuenit. Et ideò Arist. dixit, maximè proprium esse substantiæ; vt vna numerò cùm sit, contraria suscipere possit: vt significaret, alias proprietates non conuenire ei quarto modo; sed accidentibus esse communes: hanc solis primis substantijs, cum quibus conuertitur.

CAPVT SEXTVM
continens prædicamentum quantitatis.

TEX. ARISTOTELIS.

Quantum autem, aliud quidem est discretum; aliud autem continuum.

Breuis expositio textus.

1. Post substantiam, statim disputat Aristoteles de quātitate: quia inter accidentia corporea, primum est, proximè consequens naturam eiusdem substantiæ & medium, quo illi cætera inhærent. Et intentum eius est, explicare naturam quātitatis. Diuiditur autem caput hoc in tres partes: *In prima*, Diuidit quantitatem, tribus diuisionibus; ex quibus colligit numerum specierum quantitatis. *In secunda*; Explicat singulas species. *In tertia*, Enumerat tres proprietates eiusdem quantitatis.

Prima diuisio quantitatis; non assignatur expressè ab Arist. sed præsupponitur, & insinuatur: nam eo ipso, quod agit de quantitate Per se præsupponit diuisionē eius in quantitatem Per se, & Per accidens: Quantum Per se est illud; quòd à se habet partes extensionis; vt linea, aut superficies: Quantum Per accidens est; quod non habet à se extensionem; sed ab alio extenditur: vt album dicitur quantum per accidens: quia albedo, nō habet à se partes extensas; sed eas accipit, à superficie illius corporis, in quo extēditur.

Ef 3 *Secunda:*

Secunda diuisio est, (licèt tertio loco ponatur ab Aristot.) Quantum, aliud est Continuum, aliud Discretum. Continuũ est; cuius partes copulantur termino communi; vt partes lineæ, copulantur punctis. Discretum verò; cuius partes nõ copulantur termino communi; vt numerus, discreta quantitas est: quia vnitates, non coniunguntur aliquo termino; sed separatæ permanent.

2. *Tertia diuisio*, Quantum, aliud habet Positionem partium in continuo, aliud non habet talem positionem. Positio autem in continuo, duplex est: Vna quam habent partes quantitatis, in ordine ad locum: ratione cuius dicitur aliquid, sedere, iacere, aut stare. Et hæc Positio partium, non pertinet ad hoc prædicamentum; sed ad prædicamentum Situs: alia est Positio; quam habent partes, non in ordine ad locum, sed inter se; secundum quam vna dicitur anterior, alia posterior; vna dextra, alia sinistra; vna sursum, alia deorsum: & hæc est propria huius prædicamenti: secundum quam intellgitur diuisio, quæ ait; Quibusdam quantis id conuenire; alijs non. Duæ sunt enim conditiones necessariæ, vt quãtum aliquod dicatur habere positionem in continuo. *Prima*, quòd continuum sit. *Secunda*, quòd sit permanens. Et defectu primæ conditionis; nulla species quantitatis discretæ, habet talem positionem. Defectu secundæ, ex quantitatibus continuis, tempus non habet positionem; sed reliquæ quatuor illam habent: vt linea, superficies, corpus, & locus: quia habent vtramque conditionem.

3. Species quantitatis continuæ sunt quinque: *Linea*, *Superficies*, *Corpus*, *Tempus*, & *Locus*: Species verò quantitatis Discretæ, duæ sunt tantùm; nempe *Numerus*, *Oratio*. Sed probatur de singulis; quòd sint species quantitatis: vel si hoc notum sit, de aliquibus. Probat Arist. saltem, quòd sint quantitates continuæ, vel discretæ: & incipit à Numero; de quo, non probat esse quantitatem: quia per se est notũ; sed quod sit quantitas discreta, hac ratione probat. Quantitas discreta est: cuius partes non copulantur termino communi: sed partes numeri, quæ sunt vnitates; non copulantur aliquo termino communi, sed separatæ manent: ergo numerus est quantitas discreta.

De Oratione verò vtrumque probat; & esse quantitatem, & esse discretam: quia neutrum est per se manifestum. Probat quòd sit quantitas, hoc arg. Longum & breue, sunt passiones quantitatis; sed oratio mensuratur syllaba longa, & breui, (loquitur enim de sola vocali, quia hæc sola potest esse species quantitatis) ergo est quantitas. Quòd verò sit quantitas discreta, probat, sicut probauerat de numero: quia partes orationis quæ sunt syllabæ, non copulantur termino communi; sed separatæ manent.

De continuis etiam, probat eodẽ modo: & primo de Linea, Superficie, & Corpore; quòd sint quantitates cõtinuæ (præsupposito tanquam manifesto, quòd sint quantitates) hac ratione. Quantitas continua est; cuius partes copulãtur termino communi: sed partes harum trium specierum, copulantur termino communi: ergo sunt quantitates cõtinuæ. Minorem ita probat. Linea, est longitudo sine latitudine; cuius partes cõpulantur punctis: Superficies, est longitudo, & latitudo, sine profunditate; cuius partes copulantur lineis: & Corpus, est longitudo, latitudo, & profunditas; cuius partes copulantur superficiebus: ergo partes harum trium specierum copulantur termino communi. 4.

De

De Tempore verò, & Loco, supponit tanquam manifestum, quòd sint quanta: & probat, quòd sint cōtinua: de Tempore quidem hac ratione, Partes temporis, quæ sunt, præsens, præteritum, & futurū, copulantur instanti; ratione cuius fiunt vnum tempus: ergo tempus est quantum continuum. De Loco verò hoc modo. Locus, ita continet corpus locatum, vt aqua arborem; vt partibus eiusdē locati, correspondeant partes loci: sed partes locati, cū sit corpus; copulantur termino cōmuni: ergo etiam partes loci: & ita erit locus quantitas continua; sicut corpus locatum.

Prima proprietas quantitatis est, Non habere contrarium: vt bicubitum, aut tricubitum; quæ sunt quantitates, nullum habent contrarium: & hæc proprietas, communis est quantitati cum substantia vt cap. præcedenti docuit Aristoteles.

Secunda proprietas est, Nō suscipere gradus intensionis, aut remissionis: aut quod alijs verbis dicitur; non suscipere magis, & minus: sicut suscipit calor, quem dicimus esse intensum, secundum duos, aut tres gradus: non est enim vnum tempus magis tempus, quàm aliud: quia nec habet plures gradus perfectionis: & sic de cæteris speciebus quantitatis. Hæc etiam est communis proprietas quantitatis, cū substantia, & alijs: & ideo non conuenit quarto modo quantitati, sicut nec prima.

Tertia proprietas quantitatis est; quòd secundum eam res dicantur æquales; & inæquales; vt duo corpora, quæ verè sunt substantiæ: si habeant eandem longitudinem, dicuntur æqualia: sed ratione quantitatis: quia lōgitudo quantitas est: & hæc proprietas conuenit quarto modo quantitati, qui conuenit omnibus speciebus eius, solis, & semper.

QVÆSTIO I.

In quonam sit ponenda essentialis ratio quantitatis?

PRima opinio, ponit rationem essentialem quantitatis in mensura: hoc est, in eo, quòd quælibet quantitas sit mensurabilis per alteram; vel saltem suis partibus mēsuretur, atque etiam sit aliarum rerum mensura. Et potest probari testimonio Arist. qui 4. li. Physicorum, agens de tempore, quod est vna species quantitatis; illud definit dicens; esse numerum, seu mensuram motus secundum prius, & posterius. 6.

Probatur etiam ratione: quia species quantitatis, debēt distingui per rationes essentiales; sed quædam sunt, quæ non possunt distingui; nisi per rationem mensuræ: ergo hæc erit ratio essentialis quantitatis. Probatur minor. In loco, & superficie, quæ non distinguuntur, nisi ex eo; quod superficies est mensura intrinseca corporis continentis, in quo est, vt aëris, aut aquæ: & locus est superficies extrinseca corporis contenti; hoc enim modo considerata, habet rationem loci. Hæc sententia attribuitur D. Tho. opusc. 53. de natura loci in fine.

Secunda opinio, est Scoti in prædicamētis, quæst. 17. & 5. Meta. quæst. 9. vbi essentiam quantitatis asserit, esse diuisibilitatem in proprias partes integrantes: ita etiam Anto. Andr. 5. Meta. q. 10. Capr. in 2. d. 3. q. 1. Sonc. 5. Met. q. 12. Iauel. q. 10. & eādem tenere videtur D. Th. lect. 15. eiusdē lib. & in 1. d. 19. q. 1. art. 1. ad 1. Probat eam Scot. testimonio Arist. & ratione. Arist. enim 5. lib. Meta. cap. 13. definit Quantum, quòd sit diuisibile in ea, quæ insunt: hoc est, in proprias partes integrantes; ex quibus componitur: sed definitio illa explicat essentiam quantitatis: ergo hæc erit ratio diuisibilitatis.

partes molis, aut magnitudinis; quæ vocantur partes extensionis: quia ex propria natura sunt occupatiuæ loci: & sicut quælibet est distincta ab alia; ita cuilibet debetur distincta pars loci: ita vt non possint plures occupare eandem partem loci; nec in ea esse simul cum alio corpore aut parte eius: Gratia exempli: Duæ medietates digiti, sunt diuersæ partes extensionis; quia quælibet nata est occupare distinctam partem loci: ita, vt nec possit naturaliter, occupare simul eandem partem loci cum alia; nec etiam cũ alio corpore, aut parte eius: & hanc extensionem partium, vocamus molem, vel magnitudinem; quam sola quantitas habet & eam tribuit substantiæ, ac cæteris accidentibus corporeis: & in hac extensione molis, dicimus consistere essentiam quantitatis. Quæ alijs verbis explicare solet sic; nempe extensionem quantitatis esse; habere partem extra partem, vel vnam partem extra aliam, non secundum entitatem: nam hoc modo, etiam substantia, & cætera accidentia, habent partem extra partem; sed secundum molem: ita vt cuilibet debeatur distincta pars loci, quam nata est occupare. Partes verò integrantes substantiæ, & aliorũ accidẽtium; (quas enititatiuas vocamus) non sunt loci occupatiuæ;
11. sed omnes possunt in eadem parte loci esse: imò in eodem loco indiuisibili.

Tertiò notandum est. Quòd ab hac extensione partium, secundum molem; quę est essentia quantitatis, procedunt propriæ passiones eiusdem: *quarum prima est. Diuisibilitas in easdem partes extensionis*; quæ aptitudo, vel potentia, vt diuidatur, vocari potest. Nam statim ac intelligimus quantitatem, habere partem extra partem, in quo consistit extensio ei essentialis; consequenter concipimus; esse diuisibilem, in easdem partes.

Secunda proprietas est Mensura; hoc est, quòd quantitas ipsa sit mensurabilis per aliam, vel per proprias partes.

Tertia; Finitam esse vel infinitam.

Quarta; Quòd sit fundamentum æqualitatis, & inæqualitatis

Quinta est, Extensio earundem partium in ordine ad locum; quæ nõ est aliud, quàm eã sic replere locũ, vt singulis eius partibus, singulæ etiam atque distinctæ partes loci correspondeant. Quæ extensio, sic est separanda ab extensione essentiali, à qua procedit, vt intelligamus, aliud 12.
esse, quòd partes sint extensę inter sese; aliud, quòd sint extensę in ordine ad locum: esse extensas inter sese; est habere distinctam magnitudinem, & molem: quàm à posteriori explicamus per id, quod est, esse occupatiuas distinctæ partis loci, partes verò esse extensas, in ordine ad locum; est occupare, aut replere distinctas partes loci: quæ longè diuersa sunt. Nam, etiamsi quantitas non occupet locum, nec in eo extendãtur partes eius; habebunt tamen distinctam molem; & eius ratione, erunt distinctæ partes, loci occupatiuæ; licèt eum actu non occupent. Distinctio vtriusque extensionis, fit manifesta in corpore Christi, existente [illegible]: cuius quantitas, habet partes extensas inter sese, & occupatiuas distinctarum partium loci; sed non habet extensionem in 13.
ordine ad locum: quia nec totum ipsum corpus, nec partes eius occupant locum; sed modum habent essendi indiuisibilem, in ordine ad locum: & ideò totum corpus est, sub tota Hostia; & totum etiam, sub qualibet minima parte eiusdem: vnde habet extensionem essentialem in qua dicimus, consistere essentiam quantitatis: sed non habet aliam extensionem, in ordine ad locum; quam dicimus esse propriam passionem, eiusdem quan-

à qua diximus, procedere diuisibilitatem formalem, tãquam ab essentia. Hoc supposito; concedere possumus, eandem minorem arg. quòd definitio sit essentialis: sed per diuisibilitatem in ea positam, nõ intelligitur formalis; sed radicalis: quæ idem est cum extensione. Quare idem est etiam per diuisibilitatem sic sumptam, definitam esse quantitatem; ac per extensionem: in qua potius consistit essentia quantitatis; quàm in diuisibilitate formali.

Ad secundum, Concedimus, per diuisibilitatem distingui à multis, species quãtitatis; tanquam per propriam passionem nobis notiorem; ex qua cognoscimus distinctionem essentialẽ, quam habent per extensionẽ. Vel secundò, dicimus; distinguere eas per diuisibilitatem, radicaliter sumptam; quæ idem est, cum extensione: & tunc distinctio est essentialis.

QVÆSTIO II.

V. Linea, Superficies, & Corpus sint tres species distinctæ quantitatis continuæ.

18. VT ratio harum specierum intelligatur, *Notandum est*, ex D. Thom. opusc. 43. tract. 3. ca. 3. Quod licèt punctum, à linea non separetur realiter; nec linea à superficie; nec superficies à corpore: per intellectum tamen appprehendere possumus, punctum; quod omnino est indiuisibile, realiter seperatum à linea; & fingere, quod per planum ducatur: & tũc ex ductu eius, remanebit vestigium longum; sed nec latum, nec profundũ, quod vestigiũ, si versus latera extẽdatur; relinquetur aliud, nõ solũ longum; sed etiã latum; & tandẽ, si hoc eleuetur, aut deprimatur: relinquetur tertiũ aliud vestigiũ, longum, latũ, atq; profudũ: hoc est habens grossitiem. *Primum ergo* vestigiũ, est continum, & diuisibile secundum lõgitudinem, & appellatur linea: & cùm sit vestigium relictum ex ductu pucti; con- 19
tinuatur punctis: continuari verò est; quaslibet duas partes eius copulari puncto indiuisibili, & ita effeci vnum continuum. Vestigium. *Secundum*, est longum, & latum; sed caret profunditate: quia nõ habet grossitiem (vt sic loquamur) & ideò est diuisibile, secundum longitudinem & latitudinem; sed caret profunditate: & ideo est indiuisibile secundum profunditatem; & cum sit vestigium, relictum ex extensione lineæ; continuatur lineis, & appellatur superficies. *Tertium* vestigium, est longum, latum, & profundum; & cùm sit relictum ex eleuatione, aut depressione superficiei; partes eius continuãtur superficiebus: & est diuisibile, secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem: quæ appellãtur dimẽsiones quantitatis: quia quantitatem continuam, his tribus modis, quasi dimetiri possumus; hoc est secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem: & quia non sunt plures dimensiones, corpus dicitur diuisibile secundum omnem dimensionem.

De his ergo tribus, linea, superficie, & 20
corpore; duo possent disputari. *Primum*: An distinguantur realitur, aut ex natura rei; posintque separari realiter: sed quæstio hæc Philosophica est, & ideo nõ pertinet ad propositum nostrum. Nunc verò supponenda est, tanquam communis opinio; quòd distinguuntur realiter aut ex natura rei; sine dependentia ab intellectu: & quod naturaliter saltem nullum eorum potest separari realiter ab alijs. *Secundum*; quod potest disputari, est, An distinguantur specie, & ideo sint species distinctæ quantitatis continuæ: & hoc quærit titulus quæstionis.

Circa quam,est *prima opinio* Duran. in 2.d.2.q.4.asserentis,lineam, & superficiem, non esse veras species quantitatis; sed solum negationes quasdam dimensionum: vt lineā: negationem latitudinis; superficiem, negationem profunditatis. Probat hoc argumento. Quia differentia constituens, atque distinguens, speciem, debet esse positiua; cum se habeat tanquā forma; sed linea, & superficies, non habent differentiam positiuam; per quam constituantur, & distinguantur: ergo non sunt veræ species quantitatis. Probatur minor, quia solùm distinguitur linea à superficie; quod careat latitudine; & superficies à corpore, quod careat profunditate: ergo solum sunt negationes quædam latitudinis, & profunditatis; & non veræ species.

21. *Secunda opinio tenet*, lineam, & superficiem, esse entitates positiuas, & non solas negationes; sed non distingui specie. Probat hac ratione. Si linea, & superficies, distinguerentur specie inter sese, & à corpore; maximè per longitudinem distinguerentur, & latitudinem: sed per has non: ergo nullo modo. Prabatur minor: quia superficies includit longitudinem, & latitudinem: ergo non distinguitur ab ea linea, per longitudinem. Deinde corpus includit longitudinem, latitudinem & perfunditatem: ergo non distinguuntur ab eo, linea & superficies; per longitudinem & latitudinem.

Tertia sententia est communis; & vera: Quòd linea, superficies, & corpus sint veræ species quantitatis continua, atque distinctæ. Hæc est expressa apud Arist. non solùm cap. præsenti, sed 5. Meta. cap. 13. vbi singulas has species, suis descriptionibus explicat: & omnes eius interpretes in Commentarijs vtriusque loci eam sequuntur.

Prætereà *ratione probatur primò*; quòd sint veræ species quantitatis: quia extensio partium, intrinseca ratio quantitatis est; & diuisibilitas in partes, propria passio eius: sed vtraque ratio conuenit formaliter lineæ, & superficiei: illi quidem, secundum longitudinem; huic vero secundum latitudinem; & corpori secundum profunditatem; secundum quas dimensiones, extenduntur partes eorum: ergo sunt veræ species quantitatis.

Probatur deinde, quòd sint species distinctæ: *Primò*, quia multa demonstrantur in Mathematecis de his speciebus, tanquam de distinctis: Geometra enim agit de sola linea; tanquam de proprio obiecto; nihil considerans de latitudine aut superficie: & perspectiuus de linea visuali; ergò distincta species est à superficie, & corpore. 22.

Secundò; quia rationes formales diuersæ, distinguunt diuersas species: sed longitudo, quam dicit linea, est diuersa ratio formalis à latitudine; quam dicit superficies; & à profunditate, quam dicit corpus; vt ex se patet: ergo distringuitur species ab eis: & idem potest probari de superficie, & corpore.

Sed tota difficultas distinguendi has specie, in eo consistit; quod videntur posteriores, includere priores: vt corpus superficiem, & lineam; & superficies lineam. Vt ergo fiat manifestum, hanc inclusionem, non tollere differentiam specificam: *Notandum est primò*, lineam, & superficiem, duobus modis sumi posse. *Primò*, vt sunt indiuisibiles; linea quidem secudum latitudinem; & superficies secundum profunditatem: & hoc modo, non sunt species quantitatis: sicut punctum, non est species quantitatis, sed terminatiuum, & continuatiuum partium lineæ. Prabatur vtrumque: quia quantitas essentialiter est diuisibilis: ergo linea, & superficies; vt sunt indiuisibiles, non possunt esse species quantitatis: sed 23.

sunt

sunt terminatiuæ, & continuatiuæ alterius speciei: linea continuatiua partium superficiei, & superficies continuatiua partium corporis. *Secundo modo accipiuntur*; vt diuisibibiles sunt,secudū proprias dimensiones: linea secundum longitudinem;& superficies secundum latitudinem; & habent sua indiuisibilia, quibus partes eorum continuantur, & terminātur: linea terminatur, & continuatur punctis: superficies verò continuatur lineis; vt indiuisibilibus secundùm latitudinem.Et hoc modo sunt species quantitatis distinctæ;& pertinent per se, & directè;ad prædicamentum: sed secundum primam consideratioonem, solùm pertinent reductiuè ad speciem illam; cuius partes copulant; vt linea ad speciem superficiei;& hæc ad speciem corporis. Sed dum dicimus, lineam esse indiuisibilem, secundum latitudinem; & superficiem secundum profunditatem; per indiuisibilitatem, non debemus intelligere puram negationem dimensionis: sed modum positiuum; qui per negationem indiuisibilitatis explicatur: sicut per punctum omnino indiuisibile, non intelligimus puram negationem; sed modum positiuum,quo copulantur partes lineæ. Ratio huius est: quia officium copulandi partes,reale est;& positiuum: ergo non potest à pura negatione fieri;sed ab entitate positiua.

Secundo notandum est, ex doctrina D. Thom.vbi supra; sic se habere has, duas species superficiem, & corpus; vt quælibet dicat vnam tantum dimensionem, de formali; nempe vltimam: aliam verò, vel alias,de materiali; & quasi præsuppositiuè:vt superficies;de formali solum dicit latitudinem;de materiali verò, longitudinem: & corpus perfunditatem de formali;longitudinem vero, & latitudinem, quasi de materiali: & ratio huius est: quia cùm profunnditas sit dimensio continua: copulari debent partes eius indiuisibilibus secūdùm profunditatem: & tales sunt superficies;quę cum habeant dimensionem latitudinis;necesse est eam habere corpus: & quia superficies copulari debet indiuisibilibus,secundum latitudinem; quæ sunt lineæ, habentes longitudinem: ideo necesse est superficiem habere longitudinem: sed ex hoc sit manifestum, quod eas non habeat formaliter;sed solùm materialiter, & quasi per accidēs: quia propria inuisibilia;quæ per se includunt, simul sunt diuisibilia, secūdùm easdem dimensiones. Vnde quia indiuisibilia lineæ; quæ sunt puncta, non sunt diuisibilia secundum aliam dimensionem: nec linea de materiali, aut per accidens,vllam aliam dimensionem,prę ter longitudinem importat.

24. *Vltimo notandum est*; Genus, & Differantiam,ita esse accipienda in his speciebus; vt definitiones earum possimus designare, quod commune, & proximum genus earum sit,quantitas continua; sub qua collocantur: differentia verò accipienda est, in ordine ad proprias dimensiones singularum: & ita definitio lineæ talis erit.Linea,est quantitas continua, extēnsa secūndum dimensionem formalem longitudinis. Superficies, est quantitas continua, extensa secundum dimensionem formalem latitudinis.Corpus verò, quantitas continua, extensa secundum dimensionem formalem profunditatis. Nec enim ponitur longitudo in definitione superficiei; nec latitudo, in definitione corporis:quia,licèt has etiam demēsiones necessario includant; non tamen formaliter; sed solùm materialiter: imò nec per se,sed per accidens: quod hac ratione probatur. Vna species, nec componitur ex altera formaliter; nec in ea includi potest:sed linea,superficies, & cor-

pus, sunt species diuersæ quantitatis: ergo nulla potest aliam, aut alias includere formaliter.

25\. Ex tota hac doctrina intelligitur; quonam modo distinguantur linea, superficies, & corpus: non quidem, vt nonnulli opinantur; per negationem alicuius dimensionis: vt linea à superficie, per negationem latitudinis: & superficies à corpore, per negationem profunditatis: sed distinguuntur, per positiuam extensioné, secundùm dimensionem propriam: ita vt linea distinguatur à superficie, per positiuam extensionem partium, secundùm longitudinem: & superficies à corpore, per positiuam extensionem latitudinis: & corpus ab vtraque, per positiuam extensionem, secundùm dimensionem profunditatis.

Si autem dicatur Aristotelem 5. Meta. cap. 13. alio modo has species definisse; nempe, Lineam esse magnitudinem continuam ad vnum: hoc est secundùm vnam dimensionem longitudinis. Superficiem, ad duo; id est secundùm duas dimensiones, longitudinis & latitudinis. Et corpus, ad tria; id est, secundùm tres dimensiones, longitudinis, latitudinis, & profunditatis. Respondeo, ita definisse; sed definitiones istæ, non sunt distinctæ à nostris; verum eædem cum eis: & differre videntur; quia Aristoteles, non solùm formales dimensiones posuit; per quas constituuntur, ac distinguuntur: sed etiam materiales; in quibus superficies, & corpus conueniunt. Nos verò, solùm per formales definimus eas; non curantes de materialibus, quas præsupponimus necessariò includere.

Ad argum. primæ opinionis, Neganda est

26\. minor: quòd solùm per negationem alicuius dimensionis, distinguantur linea & superficies. Non enim distinguuntur; nisi per positiuam extensionem, secundum propriam extensionis rationem: quamuis vna dicat negationé dimensionis, quam includit altera: quod commune est, omnibus speciebus cuiuscunque generis: nā homo eo ipso, quòd est rationalis; dicit negationem cuiusque speciei irrationalis.

Ad arg. secundæ opinionis, Concessa maiori, Neganda est minor; quòd non distinguantur linea, & superficies; per longitudinem, & latitudinem: quia licèt superficies includat longitudinem; non tamen formaliter, sicut linea; sed materialiter tantùm: & licèt corpus includat latitudinem: non formaliter, sed materialiter: & cùm distinctio debeat esse per aliquid formale; distinguūtur istę species, per singulas dimensiones, quas includunt formaliter; & quæ non includuntur formaliter ab alijs, vt expositum est. Et si aliquis dicere vellet; superficiem dicere longitudinem aliam, distinctam à longitudine lineæ; & corpus aliam longitudinem, distinctam à longitudine lineæ, & superficiei; & aliam latitudinem, distinctam à latitudine superficiei; & ita distingui à superficie, & linea; non solùm per vnam dimensionem formalem; sed per tres etiam formales, & sibi proprias; & superficiem à linea, & corpore, per duas formales, & sibi proprias; longitudinis, & latitudinis. Quod manifestum fieret; si istæ species, saltem per potētiam Dei absolutam, separarentur realiter: tunc enim corpus haberet trinam dimēsionem; essetque longum, latum, & profundum; & superficies, longa, & lata; linea verò, solùm longa. Respondetur hunc modum distinguendi has species; per solam imaginationem excogitari posse: sed secundum rationem implicare contradictionem. Probatur, quia ex eo sequeretur: corpus habere tres longitudines distinctas; & distinctas solo numero,

mero;& eas includere formaliter:& eodem modo, duas latitudines: imò,& triplicata puncta, quibus continuantur diuersæ longitudines, & vtrumque est impossibile. *Primum quidem*: quia longitudines omnes, sunt eiusdem speciei, cùm habeant eundem modum extẽsionis partium,eundem modum cõtinuationis per
27 puncta,& eundem effectum formalem in subiecto:repugnat autem, quòd aliquid includat formaliter ,& essentialiter,tria prædicata eiusdem speciei. *Probatur secundum esse*, impossibile : quia repugnat multa accidentia, purè absoluta,& eiusdem speciei: qualia sunt dimensiones, simul esse in eodem subiecto: à quo aliquo modo accipiunt indiuiduationem. Hoc autem sequeretur; si superficies, & corpus, tot haberent longitudines, & latitudines; quas omnes tribuerent subiecto, in quo inhærerent.

Quòd verò dicitur, has species posse realiter separari, per potentiam Dei absolutam : *Falsum est*, quia manifestam contradictionem implicat. Quòd sic probo. Si corpus esset separatum à superficie, esset quantitas continua diuisibilis, secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ergo longitudo eius , continuaretur punctis; & ideò esset linea: quia linea nihil aliud est; nisi longitudo continua punctis: latitudo etiam eius continuaretur lineis: & ideo esset superficies; quare non esset separatum à linea, & superficie , vt supponitur : implicat ergo contradictionem separari, quod potest eodem modo probari , de superficie, vt intelligenti patet.

8 *Ratio autem* fundamentalis, propter quam repugnat separari vllo modo has species , est: quia non est dabilis; imò nec intelligibilis substantia, cui quantitas inhærere possit; nisi corporea : quæ ex sua natura, & essentia , nõ potest suscipere quantitatem; nisi trinę dimensionis; nempe longitudinis, latitudinis, & profunditatis : quare nec potest dari quantitas, quæ illas omnes non habeat:

QVAESTIO III.

Vtrum tempus, sit vera species quantitatis continuæ?

Occasionem dedit Arist. ipse huic quæstioni:nam capite præsenti, tẽpus enumerauit inter species quantitatis continuæ.Sed 5. Metap.cap.13. idem tempus cum motu, docuit esse quantum per accidens; ita vt à mobili , & spacio, seu alia forma, circa quam versatur , motus continuationem,& extensionem accipiat : sicut albedo eam accipit à corpore, cui inhæret. Ideo diuersæ sunt opiniones.

Prima tenet; Tempus non esse speciem quantitatis,nec habere extensionem per se; sed per accidens; sicut motum: ita pater Franciscus Suarius, tomo 2. suæ Met. disput.40. sect. 9.num.8. & cum eo multi recentiores. Habetque hæc sententia, præter testimonium Arist. plura argum. sed tria hæc sunt potissima, & difficilia *Primum*; Species quantitatis , debent esse entia realia: quia quantitas est prædicamentum reale. Sed tempus, non est ens reale : ergo non est species quantitatis. Probatur minor: nam ens reale ; quod est totum,debet habere partes reales:sed tempus, cùm sit totum, comprehendens sub se præteritum tempus,præsens,& futurum ; non habet partes reales: ergo nõ est reale. Probo iterum minorem: quia reale est illud ;quod est in rerum natura: sed nulla pars temporis est in rerum natura: nam tẽpus præteritum iam non est; futurum nondùm est; præsens verò solũ potest esse instãs,seu momentũ indiuisibile:quia cum tempus sit successiuũ, nul-

lam partem potest habere præsentem, præter indiuisibilem: ergo nullam habebit præsentem, & ideò nec realiter existentem.

29. *Secundò probatur*, quia tempus, vt definit Arist. 4. lib. Physicorum cap. 11. tex. 100. est numerus motus secundum prius & posterius: sed non est numerus discretus, qui sit species quantitatis discretæ; cùm verè sit continuum, nec habet aliam extensionem distinctam, ab extensione motus; cum quo identificatur realiter: ergo sicut motus, non est quantus per se, sed per accidens; sic etiam tempus. Probatur minor: quia tempus non est aliud, quàm duratio motus: ergo non potest habere aliam extensionem partium, distinctam ab extensione partium motus: de quo Arist. affirmat, & omnes ferè expositores eius; quòd sit quantus per accidēs.

Tertiò, Impossibile est, quod species alicuius generis pertineat ad aliquod prædicamentum; quin genus eius ac cæteræ species, ad idem prædicamentum pertineant: vt si homo pertinet ad prædicamentum substantiæ; necesse est animal in eodem prædicamento substantiæ collocari: sed duratio est genus, ad durationem Angelorū, quæ vocatur æuum, ad durationem substantiæ corporeæ, & ad durationem motus, quæ vocatur tempus: ergo omnes collocantur in eodem prædicamento: sed durationes substantiarum, non collocantur in hoc prædicamento; cùm sint indiuisibiles, nullam habentes extensionem, ergo nec poterit in eo collocari tempus.

30. *Secunda opinio*, distiguit duplicem considerationem temporis, & ait: si tēpus consideretur sub ratione extensionis partium, & diuisibilitatis in eas; non est quantum per se, sed per accidens: vnde nec est species quantitatis. Si verò consideretur sub ratione mēsuræ, hoc est, in quantū est mensura motus; sic est quantū per se, & species quantitatis continuæ. Aristoteles verò loquitur de eo 5. Metap. sub prima consideratione: & propterea ipsum connumerat inter quanta per accidens: sed cap. præsenti, sub secunda, & ideò dicit esse speciem per se quantitatis continuæ. Hanc sententiam, videntur sub hac distinctione temporis excogitasse antiqui interpretes Arist. vt commentator, D. Tho. & alij ad concilianda diuersa loca Arist. citata: & eos sequitur Soncinas 5. Meta. q. 8.

Tertia opinio, affirmat tempus esse speciem quantitatis, per se distinctam à cæteris: non solùm in ratione mensuræ, sed extensionis. Sic Fonseca, 5. Meta: cap. 13. q. 10. Toletus q. 2. huius capitis, & alij interpretes Arist. & Aristoteles ipse c. præsenti. *Et hæc videtur nobis probabilior, & tenenda.* Probatur, hac potissimum ratione; insinuata à D. Tho. opusc. 42. cap. 2. essentialis ratio quantitatis, est extensio partium: sed tempus habet distinctam extensionem partium à motu: ergo non accipit extensionem ab eo; sed habet per se. Probatur minor, nam fieri potest, vt motus habeat paruam extensionem; & tempus magnam: & ex opposito, tempus paruam; & motus magnam: ergo sunt distinctæ extensiones; & vna non accipitur ab alia. Antecedens probo, quia motus factus per idemmet spatium eiusdem longitudinis, non habet maiorem extēsionem; siue sit tardus, siue velox; & tamē extensior est duratio eius. Nam si velox sit; durabit per dimidiam horam: si verò tardus, per integram: ergo habet maiorem extensionem, atque distinctam à motu.

Respondent huic arg. moderni; quod si duratio tardioris motus, comparetur ad tempus extrinsecum; quod est duratio motus primi mobilis; vel ad tēpus imaginari- 31.

ginari-

ginarium, maior dicetur: si verò ad durationem intrinsecam, eiusdem motus; nō erit maior, vel extensior; quàm motus ipse: sed potius in motu velociori, quasi comprimuntur partes eius: sicut comprimuntur partes motus, ratione velocitatis: vnde non sequitur, durationem intrinsecam habere distinctam extensionem à suo motu, quem sequitur: licèt distinctam habeat extensionem ab eo, duratio extrinseca primi mobilis: quæ etiam non erit distincta à suo illo motu primi mobilis, quem sequitur: vt ita verum semper sit; nullam durationem, habere extensionem distinctam à suo motu; sed eam, quam habet, ab eo accipere.

Contrà hanc tamen solutionem sic arguo. Non solùm duratio extrinseca cœlestis motus, maiorem habet extensionem; quā motus ille velox; sed etiam duratio. propria eius: ergò solutio est falsa Probatur antecedens: quia duratio propria, æquiualet horæ; & ei coëxistit coëxistētia formali: quia vtraque duratio, est formaliter successiua: sed hora, est duratio extrinseca, temporis cœlestis: ergo sunt formaliter æquales: duratio autem extrinseca, extensior est motus tardioris: ergo erit etiā extēsior duratio intrinseca, & propria: quare non erit accepta ab eo.

Vnde sequitur, *non minus falsum esse;*
31. quod in eadem solutione dicitur; partes intrinsecas durationis comprimi; sicut partes motus: quia partes motus comprimuntur, ratione velocitatis, quæ est quidam modus earum: sicut condensatio, est modus; quo partes aquæ, aut alterius corporis comprimuntur: sed tempus, non est capax velocitatis, aut tarditatis; vt docet, & probat Aristoteles 4. libro Physic. tex. 96. his verbis. *Mutatio quidem omnis, velocior aut tardior est: tempus autem non est: tardum enim, & velox tempore definiũtur: velox enim est; quod in pauco tẽpore multum mouetur. Tardum autem; quod in multo parum: tempus autem non definitur tempore. &c.* Ergo repugnat, partes durationis comprimi: & ideò falsum est; quod duratio ipsa non sit maior, vel extensior tardioris motus.

Secundò probatur, In tẽpore; quod est duratio motus primi mobilis. Nam si vna circulatio cæli; per quam sol mouetur ab oriente in occidentem; quæ modò fit spatio 12. horarum, fieret spatio 24. horarum; euidens esset, duratione in tali motu cōsumptam, duplo maiorē esse ea, quæ modo consumitur: & ideò habere extēsionem duplo maiorē ea; quam modo habet: sed circulatio ipsa, non haberet maiorem extensionem; quam habet modo: ergò extensio durationis, distincta est ab extensione motus. Probatur minor. quia extensio motus, sumitur ab extensione spatij, aut localis præsentiæ; quæ per motum acquiritur: sed spatium est idem; & ex consequenti, præsentia localis in eo est eiusdem extensionis: ergo motus per illud factus, siue tardus, aut velox, eiusdem erit extensionis; & non maioris: cùm euidens sit, durationem eius, duplo maiorem extensionem habere.

Vt autem nostra sententia, & communis, melius intelligatur; notandum est. Tempus sic esse definitū ab Arist. 4. lib. Physic. Tempus, est numerus motus; secundū prius, & posterius. In qua definitione, duo dicuntur de motu. *Primum,* quod sit duratio prioris, & posterioris motus: ex quo sequitur aliud; nempe, quod sit numerus partium eius: sed numerus, dicit [illegible]cretionem, seu separationem quæ duobus modis sumitur. Primò, secundum quantitatem: & [illegible] est species quantitatis discretæ: vt tria [illegible]orpora; quæ realiter sunt discreta aut sep[illegible]ratas [illegible] cu[illegible] certo ordine numerabilita[illegible] [illegible]ese, secundum prius, & posterius: quia secun-

da vnitas, est posterior prima; & prior tertia: alio modo sumitur discretio, seu separatio; non secundum quantitatem, sed secundum qualitatem: ita vt licèt partes sint continuæ secundum quantitatem; tamen diuersas habeant qualitates; quarum ratione discretæ, aut separatæ dicantur. Dum ergo dicitur; tẽpus esse numerum motus; non de numero quantitatiuo, sed secundum qualitatem intelligitur: quia pars prior distinctam habet qualitatem, à posteriori: & qualitas hæc, modus ipse prioritatis, & posterioritatis esse intelligitur. Ideo tempus non est species quantitatis; in quantum numerus dicitur; sed in quantum est duratio continua motus, habens partes priores, & posteriores, copulatas termino communi; quod est instans.

Secundò notandum. Non esse certum,
34. quo modo distinguatur tempus à motu: sed quidam dicunt distingui ex natura rei, & ante intellectum: *quod ego probabilius esse existimo*; vt in nostris Commentarijs, super quartum librum Physicorũ ostenditur: Alij verò, non nisi ratione distingui tenent; ratiocinata tamen, hoc est habente fundamentum in re ipsa: sicut distinguuntur actio, & passio, in eodem motu. Siue autem hoc, vel illud dicatur; satis est, vt possimus intelligere tempus habere distinctam extensionem realem, vel formalem, à motu; quæ est extensio durationis.

Tertiò notandum est. Motum duplicem habere extensionem; Vnam, in quantum est via inter duos terminos A quo, & Ad quem; Aliam, in quantum durat, & dicitur extensio durationis: & neutram habet à se; sed primam à mobili, & spatio, seu termino Ad quem: secundam verò à tempore; quæ propriè loquendo est extensio durationis: ex quo intelligitur, vtroq; modo, & omni ratione esse quãtum per accidens. Tempus verò neutro modo habet extensionem à motu, aut mobili, vel spatio; sed eam habet propriam, & à se: & vocatur extensio prioris, & posterioris, secundum durationem; distincta ex natura rei, à motu, à mobili, & spatio: & ideo dicitur intrinseca. Sed eam habet dependentem à causa efficiente motum, à qua producitur idem tempus, secũdum suum esse, medio motu: nõ tanquam causa, sed tanquam causatione: quod patet non tollere; quin eam habeat per se, & ab intrinseco: nam cæteræ omnes species quantitatis, habent suas extensiones; sicut & suas entitates à causa efficiente, à qua producuntur. 35.

Quartò notandum. Quòd cùm tempus sit duratio motus: & motus sit duplex; duplex est etiam duratio. Vna est duratio primi motus, hoc est cœlestis; qui cùm sit primum corpus, motus eius dicitur primus: & cum motus iste primus sit regularissimus, hoc est, eodem modo se habẽs semper, quantum ad velocitatem; & ab eo dependeant cæteri motus inferiorum corporum, omnes etiam per eum mensurantur: & ideo dicitur mensura omnium; quia mensura debet esse certissima: & propterea eodem modo semper se habens. Et hæc est ratio, propter quam in communi modo loquendi, hæc sola duratio vocatur tempus: quia tempus videtur communis mensura omnium motuum; est tamen mensura extrinseca; cum sit distincta à cæteris motibus, per eam mensuratis. Alię sunt durationes particularium, & inferiorum motuum: quia cuilibet motui correspondet sua duratio particularis, & intrinseca; sicut quilibet habet suas partes priores, & posteriores: quæ necessariò inferunt particulares, & proprias durationes. Sed quia istæ non sequuntur ex motibus regularibus; sed modo velociori-

bus,

bus, modo tardioribus; ideo nec vocantur propriè tempora: sed tempus absolutè dicitur vnum, pro illa prima duratione primi motus.

36. Ex his credo intelligetur aliquo modo natura temporis: & ex ea; quem sensum tenuerit Aristoteles; dum tempus enumerauit inter quanta per accidens, in 5. Metaphysicorum, videlicet non habere extensionem omnino absolutam, sicut cæteras species quantitatis; sed cum ordine ad aliud, nempe ad motum: & ideo esse quasi quantum per aliud; non tamen per accidens, sicut motus: qui non habet propriam extensionem; sed quam accipit à spatio, & subiecto. Tempus verò habet quidem propriam, non omnino absolutam; sed cum ordine ad aliud: ideo non est tam per se quantum, ac cæteræ species. *Sed primum argumentum* petit distinctionem illam rerum permanentium, & successiuarum; quæ etiam habent partes diuersæ rationis: nam res permanentes habent partes quæ simul existunt, vt lignum, vel lapis: res verò successiuæ, non habent partes simul existentes; sed in successione, & transitu; vt motus: cuius partes non simul existunt; sed quædam sunt futuræ, aliæ præteritæ: & futuræ fiunt primò præsentes; deinde præteritæ: sed nec præsentes sunt per modum permanentis, aut simul existentis; sed per modum successiuè transeuntis. Denique tam partes futuræ, quàm præsentes, & præteritæ, copulantur per instantia indiuisibilia, etiam fluentia: & fiunt vnum tempus, & vna quantitas continua, & successiua. Quare licèt nulla pars temporis sit præsens, vel existens permanenter, aut tota simul; habet tamen vtrumque per modum successionis, & fluxus.

Ad formam autem primi arg. Neganda est minor; quòd tempus non sit ens reale; aut non habeat partes reales actu existentes: quia licèt non existant per modum permanentis; existunt tamen per modum successiui, hoc est continuè fluentis: & ita tempus futurum, fit præsens, & præteritum. Et licèt tempus futurum nondum sit; & præteritum iam non sit: est tamen tempus præsens, non solùm ratione instantis; sed etiam vt tempus est: non tamen habet præsentiam permanentem; sed fluentem: fit autem vnum tempus continuum, cum præterito, & futuro, ratione instantis; per quod cum eis copulatur.

Vnde sequitur falsam esse, & non necessariam ad entitatem realem temporis dependentiam ab intellectu; quam aliqui ponunt in tempore: dicentes; tempus complemétum suę essentiæ ab ea accipere: ita vt ante operationem intellectus, non sit completa. Quia cùm sit numerus motus; & numerus compleatur ab intellectu: ergo ita complebitur & tempus. Dico falsum hoc esse: quia ex eo sequitur, tempus formaliter esse ens rationis, & non dari ante operationem intellectus. Probatur consequentia: quia nihil reale potest accipere ab intellectu: si ergo accipit essentiale complementum: ergo cōplementum hoc, est ens rationis; & ita essentia temporis, erit ens rationis; cùm per ipsum compleatur. Quare non dabitur ante operationem intellectus; quod constat esse falsum; cum ante operationē intellectus detur duratio primi motus; quæ est verũ tempus. Quod vero tale complementũ non sit necessarium, probatur: quia sine illo habet tempus veras, ac reales partes, in fluxu reali consistentes; iuxta naturam entis successiui; non minus quàm motus: d quo euidens est, non dependere ab inte ctu: sic videbimus non dependere nu erum. 37.

Ad secundum, Con a est minor; quòd

quòd tempus non sit numerus, realiter discretus, discretione quantitatiua; neq; species quantitatis, ex eo quòd sit numerus; sed ex eo, quòd est continua duratio motus: à quo negandũ est, non distingui realiter: & licèt solum distinguatur ratione formali; sufficit, vt sit ens completum, & per se extensum: quamuis motus sit incompletus, atque extensus per accidens: nam actio, & passio, identificantur realiter cum motu, tamen sufficit distinctio rationis; vt actio, & passio, sint entia completa, & prædicamentalia: quamuis motus neutrum habeat.

18. *Ad vltimum*. Concessa maiori, Neganda est minor: quòd duratio in communi, sit genus, ad durationes substãtiarum, & ad tempus: sed est analogum: quod præsertim verum est ac necessarium, apud eosdem modernos; qui asserunt durationem sola ratione distingui, ab existentia rei durantis. Quo supposito, duratio substantiarum erit idem, ac existentia earum: & duratio accidentium, idem ac actualis inhærentia eorum: sed substantiæ, & accidẽti, nihil datur commune vniuocum: ergo nec durationibus eorum. Et etiam si ex natura rei distinguatur duratio, ab existentia rei durantis; cùm eam consequatur naturaliter: non potest tamen duratio in communi, esse vniuoca, respectu vtriusque: quia sicut accidens habet esse secundum quid; ita duratio consequens naturam eius, erit talis secundum quid; per attributionem ad durationem substantiæ: nec habere poterunt rationẽ vniuocam durationis: quare nec sequitur durationem motus, non esse speciem quantitatis: quia durationes substantiarum, non sunt in hoc prædicamen-

QVÆSTIO IV.

An locus sit species quantitatis continuæ distincta à superficie?

39. OCcasionem dedit Aristoteles huic quæstioni: quia licèt capite præsenti, enumerauerit locum inter species quantitatis; tamen 5. Metaphysicorum cap. 13. vbi de eodem prædicamento ex professo egit, & alias species quantitatis enumerauit; nullam fecit mentionem loci. Ideo *prima opinio* asserit; Locum esse speciem quantitatis, distinctam à superficie: non quidem in ratione extensionis essentiali quantitatis; sed solùm in ratione mensuræ. Probat vtrumque: quia illa distinguuntur specie, in ratione extensionis; quæ habent distinctam extensionem: sed locus & superficies, non habent extensionem distinctam; sed eandem: ergo in ratione extensionis non distinguuntur. Minor probatur. quia locus est superficies quædam: ergo est extensa secundum longitudinem, & latitudinem: addit verò continentiam locati; ratione cuius non habet nouam aliquam dimensionem; sed solùm nouam correspondentiam ad locatum: ergo non habet nouam, aut distinctam extensionem: bene tamen habet nouam rationem mẽsuræ: quia ex eo, quod continet locatum; est mensura extrinseca eius: superficies verò, non est mensura extrinseca locati; sed intrinseca locantis, in quo inhæret. Ideo Aristoteles capite præsenti, vbi rationem mensuræ præcipuè considerabat; in quantitate locum numerauit, tanquam speciem distinctam à superficie: sed 5. Metaphysicorum, vbi de quantitate agebat; præcipuè secundum rationem essentialem extensionis, non fecit mentionem loci: quia sub hac consideratione, non distinguitur à superficie.

V nde

Vnde connumerans superficiem, sufficienter connumerauit locum. Ita sentit Sotus, in hoc cap. & Masius disp. de quantitate, sect. 3. quæst. 4.

Secunda opinio tenet, Locum esse di-
40. stinctam speciem à superficie, etiam sub ratione essentiali extensionis: non quidem realiter; sed solùm formaliter. Hanc sequuntur Albertus Magnus, tract. 8. prædicamentorum, cap 5. Iauellus, tract. 5. Cante: in expositione textus, & Toletus, quæ. 2. huius capitis. Probant testimonio Aristo. in hoc cap. vbi non solùm docuit, sed probauit, locum esse speciem quantitatis continuæ, distinctam ab alijs.

Deinde ratione. Primò. Quia distinctus modus formalis extensionis, sufficit distinguere rationem formalem, & specificam duarum quantitatum: sed locus habet distinctum modum formalem extensionis: ergo distinguitur formaliter, atque specie à superficie. Probatur minor. quia superficies, vt superficies; solùm habet extensionem secundum longitudinẽ, & latitudinem: sed vt locus, addit nouum modum extensionis, correspondentem locato, quod circumscribit; in quantum partes eius, correspondent partibus locati, & puncta punctis; & ex tali correspondentia, habet nouum modum diuisibilitatis: quia diuisibilis est, ad diuisionem locati: ergo habet distinctam rationem quantitatiuam; quæ sufficit, vt sit distincta species à superficie; licèt non distinguatur ab ea realiter.

Secundò, quia proprietas maxima quãtitatis est æquale, & inæquale: sed locus, vt locus, est æqualis locato; vt docet Arist. 4. lib. Physic. tex. 13. ergo vt tali, cõuenit ei essentia quantitatis; per quam erit distincta species à superficie: cui, sicut non conuenit, æqualitas cum locato; ita nec conueniet, formalis ratio, & propria extensionis loci.

Tertia opinio duo asserit. Primùm, quòd locus sit vera species quantitatis. *Secun-* 41.
dum, quòd nõ sit species distincta, à superficie; nec in ratione extensionis, nec in ratione mensuræ; sed solùm distinguatur ab ea, per quandam rationem accidentalem, & extrinsecam: quæ est continentia aut circumscriptio locati. Hæc est expressa D. Thom. 5. Meta lect. 15. & in 2. d. 12. quæst. vnica art. 5. ad 2. & eam sequuntur Soncinas 5. Meta. qu. 40. Albertus Saxoniæ 4. lib. Phys. q. 1. Venetus cap. præsenti, Vallesius, controuersia 23. ad tyrones, Fonseca 5. Meta. ca. 13. q. 3. Pater Franciscus Suarius 2. tomo suæ Meta. disp. 51. sect. 2. nu. 9. & multi ex modernis. *Et hæc videtur mihi probabilior.*

Vt autem illam probemus, *Notandum est*; Locum duobus modis considerari. *Primò*, Mathematicè, solum pro superficie continente aliud corpus. *Secundò*, Physicè, prout addit quandam immobilitatem; ratione cuius respicit motum localem, aut etiam virtutem conseruatiuam locati. Et vtramq; rationem eius explicuit Arist. 4 lib. Physic. textu 39. sic eum definiens. Locus est, vltima superficies corporis, continentis immobilis. Capite autem præsenti, solum considerat locum, secundum primam rationẽ; vt est vltima superficies continẽs corpus: immobilitatem verò, ad libros Physic. remittit; & secundùm illam, asserit esse speciem quantitatis. *Et hoc est primum, quod nostra sententia affirmat.*

Probatur verò secundum quod non sit species distincta à superficie. Primò; quia spe- 42.
cies distinguuntur per differentias contentas sub eodem genere: ergo species quantitatis continuæ, per differentias eiusdem generis; quæ aliquem gradũ perfectionis supra illud addant: vt igitur superficies, quatenus lo[cus]; disti[n]cta species sit à superficie, vt [...] nouam

rationem formalem extensionis, aut mẽsuræ, supra eam addere debet: sed nullam addit: ergo non est distincta species.

Probatur minor. quia vel consideramus superficiem, vt actu continentem locatum; vel solùm, vt aptam continere: quod habebit, si locus; qui modo repletur corpore, vacuus remaneat: non est enim alia ratio cõsiderandi eam, vt locum: sed neutro modo considerata, addit nouam rationem extensionis, aut mensuræ: ergo nõ est vllo modo distincta species, à se ipsa, vt superficie. Probo iterum minorẽ. quia vt actu continere, nihil addit iutrinsecũ; sed continere, vel circumscribere aliud, sola denominatio extrinseca est, in circumscribente, vt patet: aptitudo verò cõtinendi, talis debet esse, qualis est actualis continentia: cùm potentia ab actu sumat speciem: ergo solum erit potentia denominandi aliud, extrinsecè contentũ, vel circundatum: sicut aptitudo in veste, denominandi corpus vestitum: sed sola denominatio extrinseca, vel sola aptitudo ad illam, non potest esse nouus gradus perfectionis, sub genere extensionis quãtitatiuæ: quod ex se dicit aliquid intrinsecum, & formale: cum sit accidẽs purè absolutum: ergo non potest distingui specie locus à superficie.

45. *Et confirmari potest.* quia si continere actiuè locatum; quamuis extrinsecè addit nouum modum extensionis, distinctum à superficie; vt tali, ideo facit distinctam speciem quantitatis; sequitur corpus passiuè contineri à loco; addere nouum modum, supra dimensiones eiusdem corporis contenti: & ideo prò continentia passiua, aliam speciem esse distinguendam; quòd nemo concedit.

Secundò probatur, quia continere locatum extrinsecè; vel aptam esse superficiem, ad [illegible] continendum, aut etiam correspondentia[illegible] partium, aut pũctorum; cum partibus, & punctis locati; non potest intelligi aliud esse, præter relationẽ: sed sola relatio non potest distinguere species quãtitatis: quia differentia quantitatis, debet esse absoluta; sicut genus: ergo non distinguitur locus specie, à superficie, sub genere quantitatis, per continentiam locati: nec aliud addere intelligitur, per quod sub eodem genere distinguatur.

Ad argumentum primæ opinionis. Distinguenda est minor; ex ea parte, qua dicit locum addere nouam rationem mensuræ: nã mensura duplex est; vt inferius explicabitur, Actiua, & Passiua: & illa solùm est extrinseca ratio quantitatis: passiua verò, quæ appellatur mensurabilitas; est intrinseca, & propria passio eius: ab illa igitur, non possunt distingui species quãtitatis; quia extrinseca: sed neque ab hac; quia communis omnibus; licèt omnibus intrinseca, tanquam communis passio.

Ad primum arg. secundæ opinionis. Concessa maiori; neganda est minor: quia continentia actiua locati, aut correspondentia secundum partes, & puncta, non est nouus modus extensionis; sed sola denominatio extrinseca, in superficie; & fortè noua relatio, ad corpus contentum: quæ non possunt locum distinguere à superficie, sub genere quantitatis continuæ.

Ad secundum. Negandum est antecedens; quòd proprium sit quantitati esse æqualem, vel inæqualem alteri; sed est accidens commune: proprietas verò eius est; quod secundum eam, omnia dicantur æqualia, vel inæqualia: & hæc proprietas communis est omnibus speciebus: & ideo non potest eas distinguere: vnde, quòd superficies continens sit æqualis locato; accidens eius est: sicut est accidens, vnum corpus, aut vnam lineam, esse æqualem

qualem alteri: quare non poteſt ex hoc diſtingui à ſuperficie; ſicut nec ſuperficies locati poteſt diſtingui ſpecie; à ſuperficie loci; ex eo, quod ſit ei æqualis.

Ad Ariſtotelem verò, Reſpondetur. Numeraſſe locum capite præſenti, tanquam ſpeciem diſtinctam à ſuperficie: quia nõdum determinauerat; quidnam locus eſſet, vſque ad quartum lib. Phyſic. Et iuxta varias ſententias, poſſet diſtingui, vel non diſtingui, à ſuperficie: interim tamẽ, propter extrinſecam continentiam, diſtingui docuit non eſſentialiter, ſed accidentaliter. Vt ex hac diſtinctione intelligeretur; modo quodam diuerſo ſe habere ad prædicationes. In Metap. verò: vbi iam conſtabat eſſe vltimam ſuperficiem continentem; non fecit mentionem eius: ſed connumerata ſuperficie, à qua non diſtinguitur ſpecie; ſufficienter connumerari intellexit.

QVAESTIO V.

An motus ſit ſpecies quantitatis continua?

PRima opinio, affirmat, eſſe ſpeciem diſtinctam à cæteris; quam tenet Fonſeca 5. lib. Metaph. cap. 33. quæſt. 8. ſect. 1. 2. & 3. & cum eo Conimbricenſes 3. libro Phyſic. cap. 2. quæſt. 2. artic. 3. in fine. Vbi aſſerunt, motum ſex modis conſiderari poſſe; primo, vt procedit ab agente; & ſic pertinet ad prædicamentum actionis. Secundo, vt recipitur in paſſo, & pertinet ad prædicamentum paſſionis. Tertio, vt eſt quaſi forma imperfecta, tendens ad perfectionem. Quarto, vt eſt acquiſitio perfectæ formæ. Quinto, vt eſt ſucceſſiuus: & his tribus modis, ad nullum prædicamentum per ſe petinet: quia eſt quid incõpletum eſſentialiter. Sed poteſt ſexto modo conſiderari; vt eſt continuus, & hoc modo pertinet ad hoc prædicamentum: ſicut tempus: ſed eſt diſtincta ſpecies ab eo: quia partes temporis copulantur inſtantibus indiuiſibilibus; partes verò motus, copulantur mutatis eſſe, etiam indiuiſibilibus: quæ valde diuerſa sũt ab ſeſe inuicem: & ideo arguunt diſtinctas eſſe ſpecies quantitatis.

Probatur teſtimonio Ariſt. 3. lib. Phyſic. in principio; vbi ait motum eſſe de genere continuorum: ſed genus continuorũ non reperitur; niſi in hoc prædicamento: ergo ſentit collocari ſub genere continuæ quantitatis; quod eſt eſſe ſpeciẽ eius. 46

Probatur deinde ratione: quia cõtinuum eſt genus quantitatis: ergo ſpecies eius erit; quidquid habet continuitatem per ſe: & diſtincta ſpecies; ſi habeat diſtinctã continuitatem: ſed motus habet vtrumque: ergo eſt ſpecies quantitatis continuæ, diſtincta à cæteris. Probatur minor: quia continuitas motus, eſt diſtincta à continuitate ſpatij, aut termini, qui fit per eum: & etiam à continuitate ſubiecti mobilis, cui inhæret: & tandem, à continuitate temporis: ergo non accipit eam, ab aliquo horum; ſed à ſe illam habet: & ideo erit per ſe quantum atque continuum. Minor probatur: quia continuitas mobilis, ſpatij, aut termini, qui fit per motum; ſiue ſit qualitas, ſiue quãtitas, vel quid aliud, eſt permanens: ſed continuitas motus eſt ſucceſsiua, ſicut ipſe motus: ergo eſt diſtincta à continuitate eorum, atque etiam à continuitate temporis ſucceſſiua: quia cum motus tardus eſt, continuitas eius eſt breuis; ſi breue ſit ſpatium, quod mobile pertrãſit; cõtinuitas temporis longa: ergo diuerſa eſt vna ab altera. Quod etiam colligitur ex continuatiuis; quæ in tempore ſunt inſtantia; in motu verò mutata eſſe, valde diuerſa.

Secunda opinio, [illegible] motum eſſe quãtum per ſe; & ex co[illegible] ſequent[illegible] ſpeciem quantitatis. *& eſt commu[illegible]*[illegible]; quam

tenet expresſè Ariſt. non ſolùm cap. præſenti; ſed etiam 5. lib. Meta. capit. 13. quibus locis expreſſis verbis docet; motum eſſe quantum per accidens, ſicut album. Et cum eo omnes ferè expoſitores. D. Thō 5. Meta. lect. 15. Albertus Magnus tractat. 8. de quantitate, cap. 4. Soncinas 5. Metap. q. 24. Louanienſes, Caiet. Iauellus, Sotus, Toletus, Mercatus in Commētarijs huius cap. P. Pereira lib. 13. cap. 1. Pater Franciſcus Suarius 2. tomo ſuæ Met. diſ. 40. ſect. 8. & probatur duplici argum. *Primò*, quia motus eſt cōtinuus; quia eſt ſucceſſiuus: ſi enim in inſtanti fieret, nullam poſſet habere ſucceſſionem: At non habet per ſe ſucceſſionem; ſed ratione termini, qui fit per ipſum: ergo nec habet per ſe continuitatem; ſed ab eo. Minorem probo. quia motus calefactionis, ideo ſucceſſi-
47. uus eſt; quia calor per eum factus habet quandam latitudinem gradualem, contrariam frigiditati exiſtenti in eodē ſubiecto: quam frigiditatem; quia non poteſt agens naturale finitum, ſimul & in momento vincere, ſed paulatim; vincitur ſucceſſiuè: & ideo ſucceſſiuè producitur calor: vnde ſi detur agens infinitæ virtutis; quale eſt Deus, potens in momēto vincere totam reſiſtentiam frigiditatis; in momento etiam, & ſine ſucceſſione producetur calor; & non habebit calefactio vllam ſucceſſionem, neque continuationem. ſignum igitur euidens eſt, quòd vtramque habet à termino; & non per ſe: quare nec erit continuum per ſe, ſed per accidens.

Secundò, quia motus eſſentialiter eſt via, fluxus, & tendentia inter duos terminos; A quo, & Ad quem: & eſt ipſum fieri termini: ergo ſecundum propriam entitatem, & eſſentiam eſt quid incompletum: à quo non conſtituitur mobile in eſſe ſimpliciter, ſed in via ad illud: & ideo excluſum ab Ariſtotele, & eius interpretibus, ab omnibus prædicamentis, & inter poſtprædicamenta collocatur qui ſunt modi quidam incompleti rerum: ſiue ergo continuitas pertineat ad eſſentiam eius; ſiue ſit propria paſſio, erit etiam quid incompletum formaliter: quare non pertinebit ad prædicamētum per ſe, nec motus ipſe ratione illius. Falſum eſt ergo, quod ratione continuitatis, motus ſit ſpecies per ſe quātitatis continuæ.

Ad teſtimonium Ariſtotelis, Reſpondetur; verba illius generalia eſſe; quæ hunc 83.
ſenſum faciunt: motus inter res continuas numerari debet: ex quo nō ſequitur eſſe per ſe continuum; ſed habere continuitatem eſſentialem, vel accidentalem: quemadmodum, ſi quis diceret, lignum eſſe de genere grauium corporum; eo ipſo non cogeretur admittere, grauitatem eſſe ei eſſentialem; ſed ſatis eſſet, ad veritatem generalis locutionis, modo accidentali ei conuenire.

Et eodem ferè modo reſpondetur ad argumentum. Conceſſa minori; quòd motus habet cōtinuitatem, diſtinctam à ſpatio, & termino: ſed negata cōſequentia; quod eam habeat per ſe: nam aliud eſt habere diſtinctā; aliud habere per ſe quia habere per ſe, dicit ex intrinſeca ſua ratione habere: habere verò diſtinctā, cōmune eſt reſpectu eius; quod eſt, habere per ſe, & ab alio, aut per accidens: cum ſit euidēs, poſſe habere diſtinctā, & cōmunicatam ab alio: vt hoc exemplo ſit manifeſtum. Albedo, habet extenſionem; quam participat à ſuperficie corporis, in quo extenditur; & eo ipſo, diſtinctam ab extenſione eiuſdem ſuperficiei: quia repugnat eandem extenſionem alicui, ineſſe, à ſe; & ab alio: & nihilominus extenſio ſuperficiei, non eſt per ſe; ſed per accidens: quocirca licèt motus habeat extēſionem, diſtinctam à mobili, ſpatio, & termino: non ſequitur eā habere per ſe: ſed

sed habet communicatam ab eis: & ideo habet per accidens: quamuis eam quoque habeat distinctã, ab extensione temporis.

QVÆSTIO VI.

An numerus sit species quantitatis discretæ?

49. EXaminatis iam speciebus quantitatis continuæ; ad quantitatem discretam veniendum est: quæ duas habet species; Numerum, & Orationem. Et prius, de numero quærimus; An sit vera species quantitatis discretæ? Et difficultas consistit in hoc; an numerus sit vnum per se: nam si ita sit, non erit difficile intelligere, sitnè species quantitatis discretæ, vel non sit: si verò non sit, nisi vnum per accidens; certum est, non pertinere id ad prædicamentum.

Prima opinio, tenet numerum esse vnum per accidens; & ideo non pertinere ad prædicamentum, nec esse speciem quãtitatis; sed esse vnum tantum per aggregationem; sicut cumulum lapidum, aut aliorum corporum: Aristotelẽ verò eum enumerasse inter species quantitatis: quia habet quandam extensionem discretam, similem extensioni quantitatiuæ, & modũ quendam vnitatis, in vulgari modo loquendi fundatum; quo dicimus ternariũ esse vnum quendam numerum, & quaternarium, esse alium distinctum. Ita Fonseca 5. lib. Meta, cap. 13. qu. 4. sectione 4. Pater Franciscus Suarius 2. to. suæ Meta. & ex modernis multi.

50. Probatur testimonio Arist. 3. lib. Phy. cap. 7. textu 68. vbi de numero ait: *Numerus est vna plura, quantauè quædam.* Et 10. Meta. cap. 9. tex. 20. *Numerus est multa vna.* & lib. 8. cap. 3. tex. 10. *Numerum,* inquit, *oportet aliquid esse; quo vnus, si vnus est: aut enim non est, sed quasi congeries, aut, dicendum est, quodnam illud sit, quod vnum ex multis facit.* Ex quibus sequitur; numerum ex mente Arist. non esse vnum per se; sed per accidens: & ideo non esse speciem quantitatis.

Quod probatur duplici arg. *Primò.* Ens per accidens, dicitur illud; quod constat ex pluribus entibus in actu: sed talis est numerus; ergo est ens per accidens. Probatur minor. nam siue accipiamus tres homines, vel tres quantitates separatas; quales sunt tres Hostiæ consecratæ, quælibet est ens actu: ergo numerus ternarius ex eis constans, erit vnum per accidẽs. Et si respondeas; Vnitates secundum entitates consideratas, non efficere vnum per se, sed vt ordinatas, secundum ordinem prioris, & posterioris; in quantum secunda præsupponit primam, & tertia primam, & secundam: & sicut per se ordinantur; ita efficere vnum per se ordine; non vnum per se entitate. Contra hoc est primò, quia ordo iste, non est realis, sed rationis; ergo non potest facere vnum per se reale, etiam vnitate ordinis. Probatur antecedens. nam vnitates ipsæ, nõ sunt ex se ordinatæ; cùm ex se non sit vna prior altera: ergo solum ab intellectu ordinari possunt: sed ordo, quem ab intellectu suscipiunt; non potest esse realis, sed rationis: ergo per talem ordinem non efficiunt vnum reale, quod in prædicamento collocari possit; sed vnum rationis. *Secundò*, quia etiam si ordo esset realis, & numerus esset vnus ordine; licèt nõ entitate; non sufficit, vt ponatur per se, in prædicamento: nam prædicamenta sunt entia realia: ergo debent esse vnũ per se, non solũ ordine; sed entitate reali: & certè, si vnitas ordinis sufficeret; nõ esset numerus alio modo vnus per se; quã ciuitas, aut exercitus: de quibus constat, non esse entia prædicamentalia.

Secundò. Vnitates non concurrunt ad compositionem numeri, per aliquam

entiarum; habebit determinatas passiones, & determinatam essentiam: erit igitur vnum per se prædicamentale. Probatur hæc vltima consequentia. quia de ente per accidens, non potest dari scientia, vt docet expressè Arist. 6. lib. Met. tex. 4.

Sed duobus modis intendunt aduersarij hoc arg. soluere. *Primò*, Distinguentes ens per accidens; quod duplex esse inquiunt; primum, secundum entitatem, quod ex multis entibus in actu constat: vt album, aut musicum: aliud casuale, aut fortuitum; quale est inuentio thesauri: & de primo ente per accidens, scientia esse potest; de quo non loquitur Aristot. sed non de secundo: quod ideo non potest esse obiectum scientiæ: quia non habet esse certum, vel fixum; sed casuale, & contingens. Verùm hæc solutio, contraria est verbis Aristot. & rationi. Probatur primum; ex his verbis eiusdem loci. *Signum autem; quòd nulli scientiæ cura est illud; neque actiua, neque factiua, neque speculatiua: neque enim qui facit domum; facit simul quæ accidunt, &c.* Probatur etiam secundum. quia ens per accidens se-

54 cundum entitatem; non habet vnam essentiam determinatam, aut per se; sed multiplicem: ergo vt tale est; nec potest habere determinatas passiones, neque vnam definitionem, per quam possint de eo demonstrari in scientia: ergo falsum est, quod possit esse scientia de illo.

55 *Alij verò*, vt Fonseca, vbi supra, alio modo intendunt soluere idem argu. dicentes numerum dupliciter considerari. *Primò*, vt est à parte rei, & sic solum dicit vnitates reales: & ideo ens reale est; non per se vnum, sed per accidēs; de quo non potest esse scientia. Alio modo consideratur, in quantum vnitates eius ordinãtur ab intellectu, secundum prius, & posterius: & hoc modo, per se vnum est; nō entitate, sed ordinatione: nec vnum reale; sed rationis: hoc tamen sufficit, vt sit obiectum Arithmeticæ. Nec est inconueniens; quod scientia realis, versetur circa ens rationis: nam multæ sunt scientiæ reales; quæ versantur circa entia rationis: vt scientia de republica (quam politicam vocant) Musica, & Dialectica.

Sed hæc etiam solutio insufficiens est, & falsum supponit: nam licèt scientiæ diuidantur in reales, & rationales: & rationales sint, quæ versantur in dirigendis operibus rationis; quibus non repugnat versari, circa ens rationis; vt de Dialectica constat: nullus tamen vocauit Mathematicas disciplinas rationales sciētias; nempe Geometriam, agētem de linea, aut Arithmeticam, de numero; sed verè reales sunt, ex communi omnium cōsensu: quia non versantur circa operationes dirigēdas, vt Dialectica, sed circa determinatas res. Sed nec politica potest inter rationales scientias numerari: quia non in dirigendis operibus rationis; sed in ordinandis actionibus ciuium, ac reipublicæ versatur: alioqui Ethica, & omnes scientiæ morales, vocarentur rationales: quod satis falsum est. Ita ergo de politica; sicut de his verum est, apud omnes: non esse rationales scientias; sed reales, & quæ circa entia realia versari debent, non circa ens rationis. Vnde sequitur, quòd si numerus formaliter est ens rationis; vt hæc solutio asserit; non possit esse obiectum Arithmeticæ.

Probatur secundo nostra sententia. Quia numerus est sensibile per se; vt docet Arist. 2. lib. de anima, cap. 6. ergo est ens reale, & per se vnum. Probatur consequentia. quia operationes sensuum, non dependent ab intellectu; sed priores sunt actibus eius: ergo nec obiecta sensuum, dependere possunt ab intellectu; sed ante operationem eius dātur in rerū natura: & ideo vera entia realia sunt. Quòd verò 56

habeant vnitatem per se, probo, quia potentia sensitiua, suam vnitatem accipit ab obiecto per se; sub quo comprehenditur numerus: ergo debet esse vnum per se; non, vt ab intellectu concipitur, sed à parte rei: quia sensus non versantur circa sensibilia, vt apprehenduntur per intellectum; sed vt in rebus sunt.

Vt autem probabilitas communis sententiæ, quam defendimus, magis pateat; & arg. (quæ verè sunt difficilia) soluantur; explicandum est: quonam modo numerus sit ens reale; & à quo habeat, quòd sit vnum per se: in hoc enim consistit tota difficultas eiusdem sententiæ. Et de numero quantum ad vnitates, nemo potest dubitare, quin sit ens reale: quia tres quantitates hominũ, vel lapidum, reales sunt: sed quæ sit illa ratio realis, à qua constituantur in ratione vnius numeri realis; ita vt separetur à cumulo lapidum, difficile explicatur; & non eodem modo ab omnibus, qui eandem sententiam sequuntur.

Itaque *prima opinio* est Soti, quæst. 2. huius cap. concl. 2. asserentis; numerũ esse ens reale, ex parte vnitatum; sed accipere complementum essentiale ab intellectu: hoc autem complementum, ait esse, ordinem prioris, & posterioris; quem intellectus tribuit vnitatibus, numerans vnam post aliam; tertiam post duas, & quartam post tres: & ita constituens numerum terminarium, & quaternarium. Numerus itaque secundùm hanc sententiam, constat ex ente reali, nempe ex vnitatibus; & ex ente rationis; quod est ordo prioris, & posterioris: & per talẽ ordinẽ vniũtur vnitates, & efficiũt vnũ per se.

5. *Vt tamen modus dicendi sustineri non potest.* quia iuxta eum; nec numerus potest esse ens reale, nec species quantitatis. Probo primum. quia vel tres vnitates efficiunt numerum ternarium, ante operationem intellectus; vel expectanda est operatio intellectus, vt efficiat numerum: si primum dicatur, falsum erit, quod dependeat ab intellectu, vel ab eo accipiat complementum essentiale: si verò 86. dicatur secundum; sequitur non esse ens reale formaliter; sed ens rationis: nec esse vnum per se: quia ex ente reali, & rationis, non potest fieri vnum per se; quod sit species realis prædicamenti: ergo si numerus pro materiali, est realis, & pro formali ens rationis; non poterit esse ens prædicamentale; nec prædicamentalis species. Vtrumq; ergo debet habere numerus, ante operationem intellectus: & quòd ens reale sit; & aliquid per se vnum. Vt autem quomodo ea habeat, ostendamus; *Notandum est*, Vnitates ex quibus fit numerus, duo habere. *Primum*, quòd quælibet sit quantitas continua, distincta ab altera. *Aliud*, quòd sint numerabiles ab intellectu, secundùm prius, & posterius: & hoc est etiam in eis reale, & intrinsecum; sicut realis est aptitudo cuiuscunque rei, vt ab intellectu intelligatur: & sicut hæc aptitudo, vocatur intelligibilitas; ita aptitudo vnitatum, vt secundùm ordinem prioris, & posterioris ordinentur; vocatur numerabilitas: sed sicut rem actu intelligi ab intellectu; non est aliquid reale intrinsecum in ea: nec est ens rationis; sed denominatio realis extrinseca, ab actu reali intellectus; per quem intelligitur: ita numeratio actualis vnitatum, non est aliquid reale intrinsecum in eis; nec est ens rationis; sed denominatio realis extrinseca ab actu intellectus reali; quo numerantur. Vnitates igitur numeri, licèt sint plura entia in actu, secundùm quantitatem continuam consideratæ; tamen aptitudo realis; vt numerentur realiter secundùm prius, & posterius, tribuit eis vnitatẽ: quia ex ea habent, vt con-

vt constituant vnum numerum realem per se. Gratia exempli: tres homines, aut tres lapides, reales vnitates sunt, secundùm quantitates reales, quas habent; & secūdùm aptitudinem realem; quam habet quælibet; vt numeretur realiter ab intellectu, post aliam, vel ante aliam, efficiunt numerum ternarium per se vnum: ex potentia per se, & actu per se; suo modo compositum: nā quælibet vnitas est in potentia; vt numeretur ante aliam, vel post aliam: & quæ ante aliam numeratur; se habet vt potentia, determinabilis per aliam, posterius numerabilem. Et cū vtrunque habeant vnitates, ante operationem intellectus, nēpe esse reales quātitates, & realiter numerabiles, secundùm prius, & posterius, per actū realem intellectus efficiunt vnū per se reale, & prædicamentale; nullū complementum
58 accipiens ab intellectu.

Ex hac doctrina duo colliguntur. Primum. quòd sicut Arist. sæpe asserit, non esse quærendam eandem certitudinem in omni materia, vel obiecto; de quo potest esse scientia: neque in omni scientia: sed quasdam sciētias esse certiores alijs: quia certior est materia, circa quam versantur; secūdùm maiorem, vel minorem abstractionem à materia: Ita nec est quærenda in quibuscunque rebus prædicamentalibus, eadem vnitas, aut idem modus vnius per se; sed quasdam habere maiorem vnitatem, & magis esse vnum per se; alias verò longè minorem, secundum minorem perfectionem suæ naturæ. Verum dummodo habeant aliquam vnitatem, sufficiet, vt in prædicamento per se collocentur, tanquam genera, vel species eius: Gratia exempli, in substantia maior reperitur vnitas, & perfectior modus vnius per se; quàm in accidentibus: & inter accidentia, maior in vno; quàm alio: sed aliqualis sufficit, vt per se sint species prædicamentales; saltem imperfectè. Et huius conditionis est numerus, & omnis quantitas discreta; quæ cùm ex propria natura debeat habere partes actu separatas; minorem possunt habere vnitatem; sufficientem tamen ad constituendas species quasdam prædicamentales imperfectas.

Colligitur secundum, nempe, quòd ea, quæ in vno genere sunt entia per accidēs; in alio sunt entia per se: vt domus, in genere naturæ, ens per accidens est; cùm contineat plura entia naturalia in actu; vt ligna, & lapides: sed in genere artificiali, est vnum per se: ita ergo de numero dicendum est, quòd vnitates eius, in genere quantitatis continuæ, sunt multa in actu; quæ in eodem genere non efficiunt vnum per se, etiam si in cumulo congregentur: sed in genere quantitatis discretæ, efficiunt per se vnum numerum; propter numerabilitatem realem, per quam suo modo vniuntur per se; vt explicatum est.

Ex hac doctrina, Respondetur ad argum. & 1. ad testimonium Arist. dicimus loqui de numero pro materiali significato; nempe pro vnitatibus: & hoc modo quanta quædam dicuntur, & vna quædam sed ratione formalis numerabilitatis, fiunt vnum per se; quam numerabilitatem, non excludit ibi Aristot. sed potius quęrit: ideó nihil contra nostram sententiam continent illa testimonia.

Ad primum arg. Distinguenda est minor: nam vnitates numeri, duobus modis considerantur. *Primò*. secundum rationem materialem; qua sunt plures quantitates, actu separatæ: & hoc modo, non efficiunt vnum per se. *Secundò*, considerantur; vt sunt numerabiles ab intellectu, secundùm prius & posterius: & ex hoc habent vnitatem, per quam cōstituunt vnum numerum. Et cùm dicitur;

Ordinem prioris, & posterioris inter vnitates, non esse realem: etiam est distinguendum: nam prius, & posterius potest sumi; vt connotatur per aptitudinem numerabilitatis; & sic est aliquid reale, in ijsdem vnitatibus, quia quælibet, ex propria natura potest numerari, secundum prius, & posterius: si verò consideretur in actuali numeratione; solū est extrinseca denominatio, in ijsdem vnitatibus: sicut intelligibilitas, in quacunque re, est aliquid reale; sed actu intelligi, solùm est denominatio extrinseca. *Et ad aliud*, quod tandem dicitur; non satis esse, quòd numerus sit vnus ordine; sed requiritur, quòd sit vnus entitate. Respondetur, numerabilitatem, non dicere solùm respectum; sed aliquid etiam absolutum; in quo conueniunt omnes vnitates; nēpe aptitudinem numerabilitatis: & ideo licèt numerus sit vnus ordine; aliqua tamen ex parte est etiam vnus entitate: & hoc sufficit, vt sit species prædicamentalis.

61 *Ad secundum*. Negandum est antecedēs; quòd vnitates non concurrant ad componendum numerum per aliquam vnionem: nam licèt separatæ sint, in quantum sunt quantitates cōtinuæ inter se distinctæ; tamen per aptitudinem numerabilitatis, quam habent in ordine ad intellectum; vniuntur inter sese, ad efficiendū vnam quantitatem discretam: de cuius ratione est; vt partes eius non copulentur termino communi materiali: hoc est, puncto indiuisibili, aut quouis alio; non tamen quòd non vniantur formaliter, ad constituendum vnum discretum: vnde licèt separatæ sint vnitates, separatione continui; sunt tamen vnitæ, vnione discreti: & ideo, licèt non efficiāt vnum continuum; efficiunt tamen vnum discretum; vt expositum est.

Et eodem modo respondetur ad confirmationem. Negando minorem; quòd numerus nihil aliud dicat, præter vnitates: dicit enim aptitudinem numerabilitatis secundùm prius, & posterius, earundem vnitatum, in ordine ad intellectum; à quo habent vnitatem sufficientem, ad efficiendum vnum per se discretū: quòd non habent eædem vnitates; vt sunt in cumulo: in quo talem ordinem numerabilitatis non dicunt: & ideo cumulus est vnum per accidens: sed numerus vnum per se.

Ad tertium, Concessa maiori, Distinguenda est minor; quòd vnitates numeri non se habeant, tanquam potentia per se, & actus per se: nam duplex est potentia; *Vna* receptiua actus per modū informationis: qualis est materia Physica; ex qua fit ens naturale: *Alia* non receptiua; sed determinabilis per actum: & est similis potentiæ generis, quod non recipit in se actum differentiæ; sed determinatur per eum, ad constitutionem speciei: & talis est potentia, in qualibet vnitate; vt determinetur per aliam, ad constituendum numerum; & ita determinans, se habet tanquam actus per se; & determinata tanquam potentia per se: & hoc sufficit, vt ex eis fiat vnū per se, imperfecta quadam vnitate; per quam constituunt vnam speciē quātitatis discretæ. Hæc doctrina colligitur ex Arist. 8. Metap. ca. 8. tex. 15. 62

QVAESTIO VII.

An forma numeri sumenda sit ab vltima vnitate, vel ab omnibus?

QVæstio hæc procedit, supposita cōmuni opinione, quam secuti sumus, quæstione præcedenti; quòd numerus sit vera species quantitatis discretæ: nam si esset ens per accidens, & non pertineret ad prædicamentum; nullam haberet formam, aut differentiam: & ideo non esset inqui- 63

inquirendum, an ab vltima vnitate desumenda sit, vel ab omnibus.

Est igitur prima opinio Capreoli in 1. d. 24. quæ.1. concl.5. distinguentis duplicem formam numeri, Partialem, & Totalem; sicut debet distingui, in quibuscunque speciebus substantiæ. Vt in homine, forma partialis est illa; quæ cum materia componit naturam hominis: & natura ipsa composita ex materia, & forma, dicitur forma totalis: vt humanitas, dicitur forma totalis hominis: quia simul cum suo modo substantiali; qui est subsistentia, componit hominem, significantem naturam completam in supposito. Formam igitur partialem numeri, ait esse vltimam vnitatem, quæ determinat præcedentes: & ita se habet, per modum actus, & formæ: & præcedentes per modũ materiæ: vt forma binarij, est secunda vnitas, determinans primam, ad constitutionem talis speciei: forma ternarij, est tertia; præsupponens duas tanquam materiam, & eas determinans per modum formæ. Formam verò totalem (inquit) non esse vltimam vnitatem; neque omnes; sed naturam ipsam numeri, resultantem ex compositione: ex qua natura simul, cum modo actualis inhærentiæ; fit completus numerus in concreto. Probat hoc vltimum hac ratione. quia in quibuscunque rebus, forma totalis; quæ est natura, resultat ex vnione partium: sed nec vltima vnitas, nec omnes simul, resultãt ex vnione partium: sed potius sunt partes; ex quibus resultat natura ipsa numeri: ergo non possunt esse forma totalis eius. Primum verò non probat; quia per se est manifestum. Hanc sententiam sequutus est prius Albert. Mag. in prædicamentis, tit.8. de quantitate, & in Cõment. sup.5 c. D Dionys. de diuinis nominibus. Imò & D. Thom. 8. Meta. lect 3. & postea Iauellus 8. Meta. q.10.

Secundam opinionem tenet Sonci. 10. Metap. q.9. vbi alio modo distinguit numerum; in eum, qui abstrahitur à particularibus vnitatibus: & solùm dicit duo tria, vel quatuor: & in eum, qui contrahitur ad particulares vnitates; & in eis consideratur: vt dum dicimus, tria corpora, tres lapides, vel tres homines Formã igitur numeri abstracti, dicit esse vltimam vnitatem; non tamen numeri contracti: sed numerum contractum se ipso constitui, in specie; hoc est, per suas vnitates simul acceptas: absque ordine primæ, vel vltimæ: vt ternarium hominũ, aut quaternarum lapidum. Et hæc sententia, videtur opposita præcedenti: quia quæstio hæc, de numero reali pro quantitatibus ipsis accepto; procedit: cuius formam, dicit, prima opinio, sumendam esse ab vltima vnitate; quod negat hæc secunda. 64.

Probat porrò Sonc 1. par. suæ opinionis; quòd forma numeri abstracti, sit vltima vnitas, hac ratione. Quia numerus abstractus, solùm reperitur obiectiuè in intellectu, constituente ordinem prioris, & posterioris, inter vnum, duo, & tria: ita vt sicut ad binarium, non perueniat, nisi per vnitatem; & ad ternarium per binarium; sicque ad cæteros semper: ergo vltima vnitas; in apprehensione intellectus, præsupponit cæteras: & ideo habet se ad illas, per modum formæ determinantis. 75.

Secundam verò partem, quod formæ numeri contracti, non sit vltima vnitas, Probat duplici argum. *Primò*, quia vbi est primum, & vltimum realiter; aliquis est ordo realis inter ea: sed inter vnitates numeri, nullus est ordo realis ergo nec datur prima vnitas realiter, neque vltima; quæ possit esse forma numeri. Probatur minor. quia si ordo realis daretur inter vnitates: aut ille ordo esset naturæ,

meri; vna pars se habet ad alias, tanquam forma, in quamtum eas determinat: & ita se habet vltima vnitas in numero, determinans aliam, vel alias, ad certum numerum efficiendum: vt secunda vnitas determinet primam, ad efficiendum binarium; & tertia determinat duas, ad efficiendum ternarium; sicque de cæteris.

Nostra igitur sententia duo asserit. Primum est. Forma essentialis, quam potest habere numerus; non sumitur à sola vltima vnitate; sed ab omnibus, in quantum habent specialem rationem extensionis discretæ.

Probatur hac ratione, deducta ex doctrina tradita. Forma essentialis duplex tantum est; Physica & Metaphysica: sed numerus non habet formam essentialem Physicam: & Metaphysica, quam habet sumitur ab omnibus vnitatibus sic ordinatis, secundum prius & posterius: ergo non à sola vltima. Probatur minor. quia differentia in quibuscunque rebus, sumitur à tota natura, sub gradu speciali concepta: vt in homine, à tota eius natura sub gradu rationalitatis: ergo differentia numeri sumitur à tota eius natura, sub tali gradu extensionis discretæ considerata: talis autem gradus extensionis discretæ non reperitur in sola vltima vnitate: sed in omnibus sic ordinatis; sicut nec discretio ipsa, in vno solo reperitur; sed inter multa: ergo nec differentia numeri, à sola vltima vnitate desumi potest; sed ab omnibus sic ordinatis: vt forma ternarij, à tribus vnitatibus sic ordinatis; vt duæ sint præsuppositæ; & ab vltima determinentur.

68. *Secundum, quod asserit, nostra sententia est; In numero considerato vt toto integrali, licet non inueniatur propria forma Physica nec Metaphysica; inuenitur tamen quadam similitudo formæ: & hac sumitur à sola vltima vnitate: imo illa sola se habet vt forma.* Probatur hac ratione. Id quod est determinabile per aliud; habet modum materiæ: & id quod determinat aliud; habet modum formæ: sed inter partes integrantes numeri, vltima vnitas se habet vt determinans præcedentes; & istæ vt determinabiles per eam: ergo istæ se habent tanquam materia, & illa tanquã forma. Et hoc voluit prima sententia, dum asseruit; vltimam vnitaté esse quasi partialem formam numeri & præsertim D. Th. qui hoc idem intellexit; non de vera forma, sed de aliqua similitudine eius. Et ideo argumentis eiusdem sententiæ, non est necessarium respondere.

Solum hoc est notandum. Hoc habere speciale partes integrantes numeri; quod cum vna se habeat per modum formæ, & aliæ per modum materiæ; variata illa, quæ se habet vt forma; ex consequenti variatur differentia essentialis numeri: quia variatur modus extensionis, ex quo accipitur: vt variata tertia vnitate idem numerus habet extensionem, in ordine ad duo, vel ad quatuor; quæ diuersa est.

Secunda autem sententia, distinctionem illam de numero abstracto, & contracto, minus bene adduxit: quia nunc loquimur de numero prædicamentali; qui est species quantitatis discretæ, & reperitur in rebus: numerus verò abstractus, transcendentalis est, cum in substãtijs, ac cæteris accidentibus reperiatur: & ideo nõ magis ad hoc prædicamentum, quàm ad cætera pertinent: imò ad nullũ & ideò non est de illo curandum.

Ad primum igitur arg. eiusdem sententiæ, Neganda est minor: quod non sit ordo realis inter vnitates numeri: nam licet non sit ordo temporis, nec naturæ, loci, vel situs; est tamen ordo numerabilitatis, quem dicit vnitas quælibet ad alias: in quantũ prius, ac posterius, numerabilis est ab intellectu; hoc est, præsupponendo eas, vel eisdem præsupposita. 69.

continuæ, atque discretæ: ergo repugnat aliquem esse numerum prædicamentalem; nisi ex his duobus generibus participet. Tunc vltra; numerus rerum spiritualium ex neutro genere participat; ergo non est species huius prædicamenti. Probatur antecedens: talis numerus non est quantitas; ergo non est quantitas discreta. Euidens est consequentia à superiori ad inferius negatiuè: & antecedens per se notum est.

Secundo. quia transcendentia non pertinent ad aliquod speciale prædicamentum; vt de ente, & accidente manifestum est: sed numerus eo modo, quo reperitur in rebus spiritualibus; reperitur in quibuscunque rebus cuiuslibet prædicamenti: ergo transcendentalis est, & non prædicamentalis. Minorem probo: nam sicut dicimus, tres Angelos, aut tres animas; sic dicimus tres albedines, tres relationes, tres actiones, & passiones; sicque de cæteris prædicamentis.

43 *Pro solutione argumentorum opposita opinionis, notandum est.* quòd sicut vnitas sumitur duobus modis; *primò*, prout vnum est passio entis; & vnitas conuertitur cum entitate: & sic accepta est transcendentalis: quia in omnibus rebus reperitur. *Secundò*; vt est vnitas specialis; quæ fundatur in quantitate rei: & hæc est propria huius prædicamenti. Ita numerus, est duplex; transcendentalis; qui constat ex vnitatibus transcendentalibus: & specialis; qui fit ex quantitatibus: & iste est species quantitatis discretæ; ille vagatur per omnia prædicamenta: & ideo neque ad hoc, neque ad aliquod aliud pertinet.

Hæc distinctio explicat sensum sanctorum Patrum; qui, vt constat ex antecedentibus & consequentibus, de numero transcendentali loquuntur; non prædicamentali. Et etiam, si aliquod verbum eorum videatur significare numerũ prædicamentalem; solùm per similitudinem intelligi debet.

Ad argum. Distinguendum est antecedens: quia si de numero prædicamentali intelligatur; non est verum; quòd solum dicat vnitates quascunque discretas, & numerabiles, secũdùm prius, & posterius: sed debet dicere vnitates speciales, & quantitatiuas; quas cum non habeat numerus rerum spiritualium; sed transcendentales non est numerus prædicamentalis; sed transcendentalis.

QVÆSTIO IX.

An oratio sit vera species quantitatis?

Difficilior est quæstio de oratione, an sit vera species quantitatis discretæ. Intelligimus autem quæstionem, de sola oratione vocali: nam mentalis, & scripta, non pertinent ad hoc prædicamentum: cum vtraque sit qualitas; illa naturalis; hæc vero quasi per artem facta: vocalis verò, quæ aut voce humana profertur, vel aliis instrumentis fit; quandam extẽsionem syllabarum habere videtur: & ideo quærimus de illa: an sit species quantitatis discretæ.

Et est *prima opinio* Louaniensium, in expositione huius capitis; qui negant orationem esse speciem quantitatis discretæ; putantes esse quantũ quoddam per accidens; sicut album, aut motus: & hanc videtur sequi Caiet. cap. præsenti, & sequuntur moderni omnes; qui numerum excludunt ab hoc prædicamento.

Et *probatur*, illis omnibus argumentis; 47
quibus probatum est de numero, esse ens per accidens: & ideo non pertinere ad hoc prædicamentum; quæst. 6. quæ non sunt hoc loco repetenda.

Sed duobus aliis specialibus probanda est. *primo.* Quia hæc tantũ sunt in ora-

tione; nempe soni syllabarum, motus instrumentorum, aut prolationis: per quem fiunt tempora consumpta eisdem prolationibus, ordo syllabarum, & significatio totius orationis: sed ex nullo horum potest oratio esse quanta per se: ergo non est admittenda ad hoc prædicamentum. Probatur minor. quia soni sunt qualitates: motus quantus per accidens: tempora quanta quidem per se continua; sed quæ non possunt efficere aliam speciem quantitatis discretæ: ordo syllabarum secundùm longitudinem, & breuitatem, pro libito mutari potest: & ideo non potest efficere quantam per se orationem: & longè minus significatio syllabarum; quam certum est, non habere ex propria natura; sed ex libera impositione hominum.

Secundò. Quia successiua non possunt habere vnitatem; nisi per continuationem: vt patet in motu; cuius partes, si semel interrumpantur per moram temporis, sic fiunt diuersæ; vt nullo modo efficiāt vnum: sed syllabæ sunt quidam motus prolationis instrumentorum interrupti: ergo sunt omnino diuersi; nullam habentes vnionem, aut vnitatem: quare non possunt efficere vnam quantitatem. Et si respondeas; ordinabiles esse ab intellectu, secundum prius, & posterius; sicut vnitates numeri: & per talem ordinabilitatem habere vnitatem. Contra hoc est: quia si semel interrupti motus prolationis, sunt ordinabiles secundum prius; & posterius: ergo etiam si per longum tempus interrumpantur, erunt ordinabiles: vnde si vna syllaba proferatur hodie, & altera post annum; efficient orationem; non minus, quàm si post dimidiam horam proferretur: imo etiam si à diuersis hominibus: quæ non solùm falsa, sed absurda videntur.

75. Secunda opinio est Iauelli in Epitome, in 5. lib. Meta. cap. 8. distinguentis duplicem considerationem orationis. Nam si consideretur, ait, in ratione extensionis quantitatiuæ; non est oratio distincta à motu, neque quantum per se; sed per accidens; sicut motus: cùm syllabæ non sint aliud, quàm motus quidam prolationis. Si verò consideretur in ratione mensuræ; est quantum per se, & vera species quantitatis discretæ, distincta à numero: cùm sit mensura discreta, & successiua. Et propterea inquit, considerans Arist. in Dialectica, rationem mensuræ in quantitatibus; docuit orationem esse speciem quantitatis. Et probauit etiam ex eadem ratione mensuræ: quia mensuratur, inquit, syllaba longa, & breui. At in Meta. vbi præcipuè considerabat rationem extensionis eiusdem quantitatis; cum connumerasset alias species; nullam mentionem orationis fecit: quo probatur ex mente eius, non esse speciem quātitatis in ratione extensionis; sed solùm in ratione mensuræ.

Tertia opinio tenet. Orationem esse secundam speciem quantitatis discretæ: quod Aristot. non solùm asseruit, cap. præsenti sed probauit. Ita D. Thom. opusc. 42. & in 4. d. 3. q. vnica, art 2. ad 5. Albertus Magnus tra. de quantitate, cap. 2. Scotus cap. præsenti, qu. 8. Soncinas 5. Meta. q. 4. Sotus q. 2. huius capitis, & in eodem Cant: & Tolet atque moderni plures. *Et hæc sententia quamuis difficilis, videtur nobis probabilior, & tenenda.*

Et probatur hac ratione. Oratio constat syllabis verè extensis secundùm prius, & posterius, sicut numerus constat vnitatibus. ergo sicut numerus est species quantitatis discretæ; sic oratio. Probatur antecedens: quia syllaba vna longior est, maioremque habet extensionem soni; quàm alia: non solum ratione temporis consumpti, quod patet esse maius; sed ratio- 76.

ratione sui; nempè vt est sonus extensus: quemadmodum tres lapides, habent substantiam extensam per quantitatem: & ideo eius ratione efficiũt speciem numeri. Quod verò syllabæ sint ordinabiles ab intellectu, secundũ prius, & posterius, ratione longitudinis, aut breuitatis; probatur: quia distincta oratio est, aut distinctus pes carminis ille, qui constat vtraque syllaba longa; ab eo, qui constat vtraque breui; vel vna breui, vel altera lõga; ex eo quòd distincto modo ordinantur syllabæ: ergo ex se sunt ordinabiles.

In quonam sit ponenda quantitas orationis?

TOTA difficultas nostræ sententiæ cõsistit, in explicanda quantitate orationis, assignandaque ratione illa, in qua dicatur consistere: circa quam, nõ eodem modo sentiunt ij, qui nostram sententiam sequuntur.

Sed prima opinio, est multorum modernorum; qui quantitatem orationis, nec in syllabis, nec in alio vllo ex his, quæ possunt considerari in oratione, consistere docet; sed in motibus prolationis discõtinuis, & ordinabilibus ab intellectu: vt in tribus motibus prolationis, quibus profertur hæc oratio: Dominus, dicunt consistere quantitatem discretam, & successiuam eius.

Hæc tamen sententia falsa est; quod probo hoc arg. Motus est quãtum per accidens: ergo numerus plurium motuum, non est prædicamentalis. Probatur consequentia; à superiori ad inferius negatiuè: numerus trium motuum, non est quantitas per se: ergo nec est quantitas discreta. Secundò, quia numerus motuũ; est sicut numerus alborum, aut Angelorum: ergo est transcendentalis, & non prædicamentalis.

Ideò secunda opinio, multorum est, non in syllabis, nec in motibus prolationis earum: sed sòlùm in temporibus, quibus motus ipse prolationis, atque etiam syllabæ mensurantur, quantitatem orationis ponens; in quantum duo, vel tria tempora consumpta in eis, ordinabilia sunt ab intellectu secundum prius & posterius.

Quod colligunt ex Arist. cap. præsentis qui orationem esse quantitatem probauit: quia mẽsuratur syllaba longa, & breui; sed longitudo, aut breuitas syllabarum sumitur ex maiori aut minori tempore; quo mensurantur: ergo in his temporibus consistit quantitas orationis, ex mente Aristotelis.

Sed nec sententia hæc videtur mihi vera; quod ita probo. Sicut numerus est multitudo vnitatum ordinabilium ab intellectu, secundum prius, & posterius: ita oratio est multitudo syllabarum ordinabilium, secundum longitudinem, & breuitatem; ex quarum diuersitate distinguũt omnes diuersas orationes: sed tempora non sunt syllabæ; imo valde ab eis diuersa: ergo multitudo temporum non potest esse oratio.

Secundò. Vel tempora distincta constituunt orationem, secundum se; vel in quantum sunt mensura syllabarum; vterque modus est impossibilis: ergo non possunt orationem constituere. Probatur minor. quia species quantitatis constituuntur per diuersas rationes extensionis: sed tempora ex eo, quòd sint mensura syllabarum; non habent specialem rationem extensionis, distinctam ab ea, quã habent, secundum quod sunt multa tempora: nam temporibus non aduenit noua ratio extẽsionis, ex eo, quòd sint mẽsura syllabarum; sicut nec ex eo, quòd sint mensura aliorum motuum: prolatio namque syllabarum, motus quidam localis est instrumentorum: ergo si hoc

 modo

sed præcipuum relinquitur; nempe extẽsio, seu dilatatio, & corpulentia soni; in qua consistit propria quantitas syllabarum: sicut in latitudine, aut profunditate, consistit extensio substantiæ; aut aliarum qualitatum.

Ad secundum. Neganda est minor: quòd syllabæ sint motus prolationis; sed sunt soni quidam dearticulati, per motus prolationum facti: de quibus negandum est; quòd non habeant vnitatem sufficientem ad constituendam orationem: habent enim eandem, quam numerus: nempe ordinabiles esse ab intellectu, secundum prius, & posterius; pro ratione longitudinis, & breuitatis. Negandum est etiam: quòd syllaba hodie prolata, possit ordinari in modum orationis: cum ea; quæ profertur post annum: quia cùm syllabæ sint ordinabiles ab intellectu proferentis; & in ordine ad concentum, & harmoniam; humanam interruptionem habere debent, in ordine ad talem finem: hoc est, tantam, & non maiorem; quæ repugnet eidem fini: repugnaret autem, si secunda proferretur post annum: imò si post mensem, aut diem: & fortè si post horam: quare non erunt ordinabiles cum tanta interruptione; nec efficient orationem.

QVÆSTIO X.

An si daretur linea, superficies, aut corpus, vel alia quantitas, actu infinita, collocaretur in hoc prædicamento?

QVæstio hæc non est absoluta; sed conditionalis: quia non disputamus modo; an possibile sit, quòd detur aliqua quantitas actu infinita, vel impossibile: sed titulus quæstionis, sub conditione quærit: an si daretur per possibile, vel impossibile, quantitas aliqua actu infinita; collocaretur in hoc prædicamento.

Et pars negatiua; quòd non collocaretur in prædicamento; *Probatur* testimonio Aristot. & D. Thom. Aristot. enim . lib. Metaph. tex. 10. ita ait. *Multitudo igitur quantum quid, si numerabilis est; magnitudo verò si mensurabilis.* Sed si multitudo daretur actu infinita; non esset numerabilis: nec corpus actu infinitum, mensurabile: ergo non essent quanta ex mente Arist. nec proinde collocarentur in hoc prædicamento.

Et D. Thom. in comment. eiusdem loci, lect. 15. docet: quòd si longitudo esset actu infinita; non esset linea: quia linea est longitudo mensurabilis; & ideo in definitione lineæ ponitur; quod sit longitudo, clausa duobus extremis punctis.

Et ratione probatur, *primò*, quia ita se habet quantitas, in suo ordine prædicamentali; sicut substantia in suo: sed substantia actu infinita, qualis est Deus; non ponitur in prædicamento: sicut diximus in 2. quæst. præcedentis capitis: ergo nec poneretur infinita quantitas in prædicamento.

Secundò. Eadem est ratio de quantitate continua, & discreta, quantum pertinet ad præsentem quæstionem. sed si daretur multitudo infinita corporum; non poneretur in prædicamento, sub genere quantitatis discretæ: ergo si daretur quantitas continua actu infinita; non poneretur in prædicamento, sub genere quantitatis continuæ. Minor probatur. quia species numeri variantur, per additionem vnitatis: vt si binario addideris vnam, transit iam in aliam speciem ternarij: si ergo daretur multitudo actu infinita; non haberet determinatam speciem; & quod non habet determinatam speciem, non potest esse sub

determinato genere: ergo nec sub determinato prædicamento. Quare infinita multitudo, non posset in hoc prædicamento collocari.

Communis tamen sententia scholæ tenet; quòd si daretur linea, vel corpus, actu infinitum; poneretur in hoc prædicamento; non minus, quàm corpus finitum. Ita Soncinas 5. Meta. quæst. 15 Iauellus ibidem, quæst. 17. Durand. in 4. d. 3. quæst. 3. Niphus 8. l. Topicorum. loco 73. Sotus quæst. prima huius prædicamenti.

Probatur testimonio Aristotelis, 8. lib. Topicorum, loco 73. vbi docet; Lineam finitam, & infinitam, esse eiusdem speciei: ex quo sequitur; idem habere genus, & differentiam: & ideo in eodem prædicamento collocari: & hoc idem sentit. D. Thom. 1. par. quæst. 58. art. 8. ad. 2.

12. Idem probatur ratione: quia, quidquid componitur ex genere, & differẽtia; collocatur in prædicamento: sed linea actu infinita, componeretur ex genere, & differentia: ergo collocaretur in hoc prædicamento. Probatur minor. quia genus lineæ, est quantitas continua: differentia verò, extensio secundum dimensionem formalem longitudinis: sed linea infinita, vtrumque haberet: nam esset quantitas continua; quia copularetur punctis: & esset extensa secundùm formalem dimensionem longitudinis: ergo esset in hoc prædicamento. Et si respondeas; esse quãtitatem finitam, ex qua efficitur prædicamentum, non infinitam; & ideo excludi à prædicamento. Contra hoc est: quod esse actu infinitam, solùm est habere partes integrantes actu infinitas: sed partes integrantes non pertinent ad essentiam rei; vt per se est manifestum: ergo etiam si sint actu infinitæ, non variabunt essentiam lineæ; sed erit linea infinita, eiusdem speciei, cum linea finita; vt ex Arist. adduximus. Et ideo collocabitur sub eodem genere, & erit in eodem prædicamento.

Pro solutione argumentorum, notandum est: aliud esse, quod aliquid sit infinitum 13. secundum substantiam; aliud secundum aliquam rationem accidentalem: quia substantia dicit essentiam rei: ergo idem est aliquid esse infinitum, secundum substantiam, & esse infinitum, secundum essentiam: & quod est infinitum secundnm essentiam, est infinitum simpliciter: sed quod est infinitum secundum rationem accidentalem; potest esse finitum secundum essentiam: quia accidentia sunt extra essentiam rei. Vnde sequitur: quòd cũ res omnes collocentur in prædicamẽto, secundum essentias; si sint infinitæ secundum essentiam; non posse collocari in prædicamento. Cuius est hæc ratio: quia prædicamenta sunt gradus essendi, finitę, ac limitatæ perfectionis: & quæ in eis collocantur, sub genere supremo; debẽt esse composita ex determinato genere, & determinata differentia; continentę gradum limitatum perfectionis, sub tali genere: ergo quod est infinitum secundũ essentiam; nec potest collocari sub determinato genere, nec constitui per determinatam differentiam: & consequenter, nec collocari in determinato prædicamento: Sed quæ solùm sunt infinita, secundum rationem accidentalem; bene possunt comprehendi sub determinato genere; & componi etiam ex determinata differentia: & ideo collocari in prædicamento: quia cùm ratio accidentalis extra essentiam sit; eam non variat; sed sub propria limitatione relinquit. Esse autem lineam, vel corpus actu infinitum; ratio accidentalis est: quia non est aliud quàm habere plures partes integrantes; ex quibus non variatur essentia, nec in perfectione crescit. Vt si corpus plures, 14. aut maiores partes integrantes habeat;

non est propter eas perfectius alio, quod pauciores vel minores habet; sed solùm accidentaliter: ergo habere partes infinitas, etiam est perfectio accidentalis: à qua non variatur essentia: & ideo non minus erit finita & limitata ad certum genus, atque ad prædicamentum.

Ad testimonia Aristotelis, & D. Thom. Respondetur; vtrumque loqui de quantitatibus existentibus; quæ sunt actu finitæ. Quid verò sentiant de infinitis; si darentur, quantum ad collocationem in prædicamento, in alijs locis à nobis citatis, pro communi sententia, explicant: asseruntque non minus in prædicamento collocari, quàm alias quantitates actu finitas. Illa verò definitio lineæ, mathematicorum est; qui de solis lineis finitis agunt; ideo eas solum describunt.

Ad primum argumentum. Distinguendum est antecedens: quia substantia, & quantitas, duobus modis considerari possunt: aut secundum rationem finiti, & infiniti: & hoc mod , non ita se habet quãtitas ad prædicar entum, sicut substantia: quia hæc si actu fit infinita, non potest esse sub terminato genere, nec componi ex genere, & differentia; & ideo nec in prædicamento collocari: bene tamen potest omnia hæc habere quantitas infinita: & rationem huius discriminis tradidimus iam. Si verò considerentur secundum ordinem prædicamentalem; eodem modo ordinantur, per diuisionem generum, in suas species.

An numerus infinitus esset in prædicamento.

SED an eadem sit ratio, de quantitate continua, & discreta; ita vt sicut continua, actu infinita, collocaretur in prædicamento; ita etiam discreta, vt nume-
85. rus infinitus; non est certum. Nam Soncinas, vbi supra, eandem asserit rationem esse de vtraque. Et Probat. quia sicut lineam esse actu infinitam, solum est habere plures partes integrantes; quod non pertinet ad eius essentiam: ita numerum esse actu infinitum, solum est habere plures vnitates; quæ sunt partes integrantes eius: ergo sicut linea actu infinita esset in prædicamento; ita numerus actu infinitus.

Ego verò contrarium sentio: quòd si daretur multitudo corporum actu infinita: non esset per se collocanda in hoc prædicamento. Quod colligo ex doctrina Arit. 8.lib. Meta: textu 15. vbi de numero ita loquitur. *Quemadmodum de numero, ablato aut addito aliquo, ex quibus numerus est, non est amplius idem numerus; sed diuersus, etiam si minimum auferatur, aut addatur: ita nec definitio, nec ipsum quid erat esse, erit amplius; ablato aliquo, aut addito, &c.* Ex quibus verbis sequitur manifesta differentia, inter quantitatem continuam, & discretam; in eo, quod continua per additionem alicuius partis, vel plurium, non variatur; sed eadem linea, vel corpus permanet: numerus verò per additionẽ vnitatis variatur: vnde intelligitur, vnitates non omnino se habere in numero, tanquam partes integrantes: sed ita esse fundamentum generis, & differentiæ; vt per additionem, vel detractionem vnitatis, varietur differentia, & species numeri. Cuius ratio satis Probabilis est: quia addita vnitate, variatur dispositio totius numeri, atque adeo discretio eius; seu discreta extensio; quæ consistebat in tali dispositione vnitatum: vt extensio specialis ternarij, in eo; quod duæ sint dispositæ sub tertia, in qua consistit differentia essentialis eius: & ideo addita vnitate soluitur species numeri, & fit alia. Et quòd hæc sit mens Aristotelis, non est dubium: quia si non desineret esse spe-

ipſammet quantitatem, & ab ea non diſtingui. Si verò dixeris, non habere; ſequitur partes eius, loco eſſe coniunctas: quod eſt impoſsibile: quia non potuerunt coniungi, cum prius eſſent ſeparatæ; niſi per motum localem; cuius non ſunt capaces ſine quantitate: ergo ab ea non diſtinguuntur realiter.

Secundò. Si quantitas eſt res diſtincta à ſubſtantia; ei inhærebit: & tunc, vel recipitur tota quantitas, in tota ſubſtantia & pars in parte; vel tota in tota ſubſtantia, & tota etiam in qualibet eius parte; eo modo, quo anima rationalis, recipitur tota in toto corpore per informationem; & tota etiam in qualibet parte: ſed hoc vltimum repugnat accidenti corporeo, ac diuiſibili, habenti partes integrãtes: ergo neceſſarium eſt primum. Ex quo ſequitur; ſubſtantiam habere à ſe partes integrantes, & non à quantitate; cùm partes eius præſupponantur partibus quantitatis, tanquam ſubiecta, in quibus recipiuntur: ſed nihil habet à ſe partes integrantes, niſi ſola quantitas; à qua cætera eas recipiunt: ergo ſubſtantia eas habens à ſe erit ipſamet quãtitas; & non diſtinguetur ab ea realiter.

Secunda opinio tenet: Quantitatem diſtingui realiter à ſubſtantia, & cæteris
289. accidentibus abſolutis. Ita D. Auguſt. 5. lib. de Trinitate, ca. 10. D. Tho. 5. Meta. lect. 15. in fine, Scotus in 2. d. 2. qu. 9. & in 4 d. 12. q. 2. Rich. in 4. d. 12. art. 1. q. 1. Duran. & Argentinas ibidem, q. 5. Ægidius Romani in 1. d. 2. q. 2. Albert. Magnus 5. Phyſic. tract. 2. art 4. Soncin. 5. Meta. q. 19. & cæteri interpretes. Ariſt. cap. præſenti. *Et hæc eſt vera & tenenda.*

Colligitur euidenter ex doctrina Ariſt. 1. lib. Phyſic. tex. 13. vbi ita arguit, contra Meliſſum antiquum Philoſophum; ponentem vnum tantum principium rerum naturalium, & illud infinitum. *Si* vnum tantum eſt principium infinitum; cùm finitum, vel infinitum ſit propria paſsio quantitatis; ſequitur præter ſubſtantiam, continere etiam quantitatem: & ideo non eſſe vnam rem, aut vnũ principium; ſed multiplex, &c. Quod argum. patet nihil probare; niſi quantitas diſtinguatur realiter à ſubſtantia: ergo ex mẽte Ariſtot. realiter diſtinguitur. Et lib. 2. de Anima, tex. 65. docet, ſubſtantiam eſſe ſenſibilem per accidens; quantitatem verò per ſe: quod non poteſt eſſe verum, ſine diſtinctione reali.

Idem probatur duplici ratione. Primò, Quia naturaliter repugnat plures magnitudines aut quantitates eſſe in eodem loco: quia hoc non poteſt eſſe ſine penetratione earum, naturaliter impoſsibili; ex eo, quòd quælibet eſt occupatiua diſtincti loci, & nata expellere aliam ab eodem: ſed vtrumque ſequitur; ſi quantitas non diſtinguatur realiter à ſubſtantia, & accidentibus abſolutis: ergo neceſſe eſt realiter diſtingui. Probatur minor, quia ſi quãtitas eſt idem realiter cum ſubſtantia, & albedine in ea exiſtente; ergo quælibet habebit propriam, & diſtinctam magnitudinem, atque extenſionem ab alia: ſed conſtat eſſe in eodem loco: ergo ſe penetrabunt.

Secundò. quia certum eſt in fide Catholica, in Euchariſtia non manere ſubſtantiam panis; ſed totam conuerti in corpus Chriſti, at experientia viſus, & tactus, docet, remanere eandem quantitatem panis: ergo ſeparatur realiter quãtitas à ſubſtantia. Et quæ ita ſe habent, vt vnum poſsit eſſe ſine alio; diſtinguuntur realiter: ergo diſtinguitur realiter quantitas à ſubſtantia. Vbi illud obiter aduerto; periculoſum eſſe negare, quod in Euchariſtia non remaneat eadem quãtitas panis; & aſſerere, corpus illud quãtum, ſpecierum Sacramentalium, nõ eſſe

dimensiones, vel quantitatem veram huius prædicamenti; sed propriam extensionem aliorum accidentium, vt albedidinis, & aliorum.

Ad primum argum. Concedimus primũ enthymema: ad id verò quod postea quæritur, an substantia permanens sine quātitate, haberet partes occupātes locũ vel separatas secundùm locum: respondeo non occupare locum, substantiam sic permanentem, nec eius partes: nec habere extensionem localem; sed modum indiuisibilem; quantum ad occupādum locum pertinet: nec tamen coniungi partes per motum localem: quia nec positiuè essent coniunctæ coniunctione locali, sed negatiuè tantum; ex eo, quòd ablata quantitate, nullam habent distantiam, aut ordinem localem. Sed de his in libris Physicorum, ex professo disputamus.

Ad secundum. Concedimus; substantiam habere proprias partes integrantes entitatiuas; sed non extensas, nec loci occupatiuas; quæ tamen extenduntur à quantitate in eis recepta. In his ergo partibus recipiuntur partes quantitatis: & ita tota quantitas recipitur in tota substantia; & partes in partibus. Negamus tamen consequentiam: quod substantia sit ipsamet quantitas: quia aliud est habere per se partes integrantes entitatiuas; aliud partes extensionis: & primum cōceditur substantiæ, & accidentibus absolutis; secundum verò soli quantitati; à qua omnia recipiunt extēsionem: quod sufficit ad distinctionem realem.

CAPVT VII.
continens prædicamentum ad aliquid.

TEX: ARISTOTELIS.

Ad aliquid verò talia dicuntur, quæcunque hæc ipsa, quæ sunt, aliorum esse dicuntur, &c.

Breuis expositio textus.

INtentum Arist. capite præsenti est explicare naturam relatiuorum. Diuiditur autem caput hoc, in tres partes; *In quarum prima*, definitionem relatiuorum, quæ suo tempore in scholis circumferebatur, proponit; cum quatuor proprietatibus, quæ ex ea sequuntur. *In secunda*, dubium quoddam circa eandem definitionem: ex cuius solutione minus bonam esse probat. Et tandem *in tertia* propriam definitionem; ex qua veram proprietatem relatiuorum colligit.

Definitio antiqua relatiuorum talis erat. *Ad aliquid talia dicuntur, quæcunque hæc ipsa, quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum.* Vt duplum dicitur ad dimidium, & magnum respectu parui; scientia habitus, atque potentia, ad sua obiecta.

Prima proprietas, antiqua relatiuorum erat; *quòd relatiua habeant contrarium*: cuius exemplum facilè designari potest: quia si habitus & virtutes sunt relatiua; inter eas reperiuntur virtus, & vitium, & alij habitus particulares contrarij: ex quib⁹ probatur relatiua habere cōtrariũ.

Secunda proprietas est: quòd relatiua suscipiunt magis & minus; nā vnũ dicitur magis simile alteri quam aliud: & idēmet vno tēpore magis, quā alio simile eidem.

Tertia proprietas est: quòd relatiua dicātur ad conuertentiam. Dici autem ad cōuertentiam, non est conuersim prædicari vnum de altero, in recto, quia vnum relatiuum, non potest prædicari hoc modo de alio: nam falsum est; quòd pater sit filius

filius. Sed prædicari vnum de alio in obliquo; vt petit natura relatiuorum: ita vt si aliquis est pater; filij pater sit; & si est simile; alicui simile esse debet. Vt autem hæc proprietas conueniat omnibus relatiuis; debet fieri debita assignatio termini: debita autem assignatio termini fiet, si terminus per se, & non per accidens assignetur. Terminus autem per se ille est, qui formalem rationem terminandi significat. Et ratio formalis terminandi est illa, quæ sufficienter terminat relationem, exclusis quibuscunque alijs, quæ in termino relationis esse possunt. Gratia exempli: pater est relatiuũ, cui pro termino, nõ bene assignatur homo, aut album, vel musicum, sed filius: quia licèt filius necessariò debeat esse homo, & aliquando sit albus, vel musicus; etiam si hæc per impossibile ab eo remoueantur, & sola filiatio remaneat, terminabit sufficienter relationem patris, & dicetur cum eo, ad conuertentiam: non cum alijs: nõ enim dicimus patrem esse hominis patrem, aut albi, vel musici: quã isti sunt materiales, aut accidẽtales termini; sed esse filij patrem: quia filius est terminus per se, & formalis.

Vltima proprietas est, quòd relatiua sint simul natura: ad quam duæ requiruntur conditiones: quarum primam tangit Arist. cap. præsenti, secundam verò in post prædicamentis cap. 3. *Prima* igitur conditio est; quòd vno existente in rerum natura; necesse sit existere aliud: & vno sublato; necesse etiam sit auferri aliud: vt posito patre, necesse est poni filium; quocũque autem deficiente, necesse est deficere aliud saltẽ sub ratione relatiui: vt mortuo filio; etiam si permaneat homo, qui erat pater, iam non permaneat in ratione patris. Sed hæc conditio, non est sufficiẽs: quia homo, risibile, ita se habent, & nõ sunt simul natura; sed homo est natura prior. *Alia igitur conditio est*, quòd vnum relatiuum, non sit causa alterius, secundum formalem rationem relatiui: licèt secundum rationẽ materialem, causa esse possit: vt pater, in quantum homo est causa filij; non in quantum pater. His igitur duabus conditionibus concurrentibus explicata manet proprietas hæc; quòd relatiua sint simul natura.

Sed aduersus hanc definitionem antiquam, proponit dubium Arist. an conueniat substantiæ, aut secundum se, vel secundum suas partes? Et respondet; quod substantiæ secundum se, non potest cõuenire: nam aqua, non dicitur esse alicuius tanquam termini (licèt possit esse alicuius possessoris) ergo substantia secũdum se, nõ est relatiua: sed partibus eius; vt brachio, vel capiti, conuenire ait: quia caput, alicuius hominis, vel animalis est caput, & etiam brachium. Ex hoc autem; quòd substantiæ conueniat talis definitio, saltem secundum partes, colligit Arist. non esse bonam: quia substantia omnino absoluta est, & prædicamentum constituit, primò diuersum à prædicamento ad aliquid: quare vt substantia non potest esse relatiua.

Ideo in vltima parte capitis, necessarium esse docet Arist. assignare aliam definitionem, quæ solum conueniat veris relatiuis. Assignat autem hãc: *Ad aliquid ea sunt, quorum totum suum, est referri ad aliud*: Vt totum esse patris, est referri ad filium, & totum esse filij, est referri ad patrem. Nihil ergo absolutum debent habere relatiua vt relatiua, sed totum esse quod habent, est referri ad aliud.

Ex hac definitione, colligit Arist. proprietatem relatiuorum esse: non solùm, quòd sint simul natura; sed etiam simul cognitione, & definitione: ita vt qui definitè cognoscit vnum relatiuum; definitè etiam cognoscat alterum: quasi dicat,

qui cognoscit vnum relatiuum; necesse est simul cognoscat alterum: & qui propriam definitionem vnius scit designare, necesse est, vt sciat designare definitionẽ alterius: vt si quis cognoscat patrẽ; necesse est eo ipso filium cognoscere: & qui scit definire patrem; necesse est, sciat etiam definire filium. Hæc Aristoteles in litera.

QVAESTIO I.

An ad aliquid, vel relatiuum constituat speciale prædicamentum?

7 DVobus modis cõsiderare possumus prædicamenta accidentium; nempe secundum ordinem dignitatis, & secundum ordinem, quo inhærent substantiæ; prius, aut posterius, magis aut minus immediatè. Et primam considerationem habuit Aristot. in Metaphys. vbi de eis agebat secundum proprias entitates: sed secundam in Dialectica; vbi modum potius, quo prædicantur de substantia, & ei inhærent, attendere debuit: & ideo in 5. Metaph. prius posuit prædicamentum qualitatis, quàm ad aliquid quia nobilior est qualitas, cùm sit accidens absolutum: sed in logica; prius posuit relationem: quia prius inhæret substantiæ; quàm qualitas: quod sic probatur. Quantitas est, quæ proximæ inhæret substantiæ corporeæ, extendendo partes eius: sed post quantitatem statim sequitur relatio: quia antequam intelligatur habere qualitates, intelligitur magna, aut parua, dupla, ac dimidia, & æqualis alteri: ergo prius intelligitur relatiua; quàm affecta qualitatibus: vnde prius relatio; quàm qualitas afficit substantiam: non quidem prioritate temporis, sed rationis: quia cùm in primo instanti temporis, in quo genita est; habeat relationes, & qualitates; prius intelligimus habere illas, quam has.

De relatione verò, quam per nomen ad aliquid intelligimus; primò inquirẽdum est. *An sit speciale genus entis*; quod non est aliud ac inquirere; an sit ratio vniuersalissima, transcendens prædicamenta omnia; vel specialis, quæ specialem modum, aut genus entis contineat; sicut quantitas, & qualitas.

Et fuit prima opinio, antiquorum Philosophorum; qui Zenonem secuti, dixerunt: Ad aliquid esse permixtum, vel inclusum in omnibus prædicamentis: & ideo non esse vnum speciale genus entis. Probatur hac ratione: quia relatio præsupponit necessariò alia accidentia in subiecto: vt si sit relatio æqualitatis, præsupponit quantitatem; & si relatio similitudinis, qualitatem; & sic de cæteris accidentibus; quia inter omnia reperitur relatio: ergo in omnibus includitur, & omnibus permixta est: quare non potest esse speciale genus entis.

Secunda opinio fuit Platonis, à quo eã accepit Arist. quòd ad aliquid sit speciale genus entis. *Et hæc est iam communis in schola & omnino vera. Probatur hac ratione.* Ens diuiditur in decem prædicamenta; tanquam in diuersos modos essendi: & accidens diuiditur in nouem; tanquam in diuersos modos afficiendi substantiam: sed relatio cõtinet diuersum modũ essẽdi, & afficiẽdi substãtiam: ergo erit speciale genus entis. Probatur minor: quia esse relationis, est ad aliud se habere; & substantiam afficit distincto modo, ac cætera accidentia: nam quantitas, eam extẽdendo afficit; qualitas eam qualificando: relatio verò ordinando eã ad aliud: quem modum, nullum aliud accidentium habet: ergo tam modus essendi, quàm afficiẽdi substantiã, specialis est, & distinctus à cæteris: quare speciale genus entis erit.

Vt autem veritas huius sententiæ intelligatur, & argumentum alterius melius

lius solui posfit. *Vnum est notandum*; nempe relationem vniuersaliter sumptam, in tria membra diuidi. *Prima relatio est*: Vniuersalis respectus, & intrinsecus omnibus accidentibus; quo respiciunt subiectum vt ei inhærere possunt. *Alia est*, respectus quidam minus vniuersalis; qui includitur essentialiter, non in omnibus; sed in quibusdam tantum specialibus accidentibus absolutis: vt respectus, quem habitus, & scientiæ, atque etiam potentiæ, dicunt ad obiectum: per quem respectum, simul cum ratione absoluta, per eũ explicata, distinguuntur specie. *Postrema relatio est*, Respectus, non pertinens ad essentiam alicuius accidentis absoluti; nec ordinans rem, in qua est ad aliud, tanquam ad subiectum, aut obiectum: vel quid simile; sed solùm tanquam ad terminum. *Et Primùm genus, relationis*, dicitur transcendentale: quia in omnibus accidentibus, essentialiter includitur; & ideo non est speciale genus entis. *Secundum verò*, vocatur relatio secundum dici: & pertinet reductiuè ad illa prædicaméta obsoluta; in quorum ratione intrinsica clauditur: vt respectus scientię, ad obiectum; pertinet ad speciem habitus: & relatio potẽtiæ ad obiectum, ad speciem naturalis potentiæ: reductiuè quidem; quia aliquid sunt, quasi complens essentiam harum specierum. *Tertium genus, relationis*, triplicem conditionem habet. *Prima, non* conuenit omnibus accidentibus; sed quibusdam tantùm; vt quantitati, qualitati, actioni, & passioni; & in quibus fundatur, & non essentialiter; sed accidentaliter. Et in hoc distinguitur à primo, & secundo genere relationum: quia nec transcendit omnia prędicamenta accidentium; sicut primum; quamuis de multis eorum accidentaliter prædicetur: hoc enim non sufficit, vt ad prædicaméta eorum reducatur: sed requiritur essentialis inclusio; alioqui omnia accicentia pertinerent ad prædicamentum substantiæ; cùm de illa prædicentur accidentaliter. Nec pertinet ad aliquod prædicamentum absolutum; vt ad secundum: quia non est essentia alicuius absoluti: vnde sequitur specialem esse rationem eius, ab omnibus distinctã, & hæc est secunda conditio eius. *Tertia verò*: quòd eius essentia habeat modũ entis completi; & totius potentialis, contrahibilis per differentias; vt quæstione sequenti explicabitur.

11 *Ad argumentum igitur*, oppositæ sententiæ, Concesso antecedente, distinguendum est consequens; quòd in omnibus includatur: nam si de essentiali inclusione intelligatur, falsum est: si verò de accidentali; concedi potest, quod includatur in omni prædicamento, aliquo modo; non tamen essentiali, sed accidentali: vnde non sequitur, quòd sit transcendens; aut quòd pertineat ad plura prædicamenta: nam ad vtrumque requiritur inclusio essentialis; vt per se est manifestum.

QVÆSTIO II.

An Ad aliquid sit speciale genus entis realis?

CONstituto iam in præcedenti quæstione; quòd ad aliquid sit speciale genus entis: sequitur disputandũ in præsẽti: *An sit speciale genus entis realis*: quod idem est, ac si quæratur, an detur relatio realis, quæ constituat speciale prædicamentum.

Et est prima opinio, negans omnino relationem realem, & reale prædicamentum ad aliquid, tenensque per solam relationem rationis, dici tale, quidquid ad aliud refertur; vt pater, & simile. Ita plures ex antiquioribus Philosophis; quos citat commentator 12. lib. Metaph. commento

19.quos secuti sunt ex Theologis, Henricus quodlib.9.quæst.3.Ocham in 1.d.qu.1.Aureolus apud Capreolum in 1.d.3.q.1. in argument. contra primam conclusionem:& ita tenent moderni quidam: quia putant, nullam esse rationem conuincẽtem; quod aliqua sit relatio realis ponenda in rebus.

Probatur testimonio Aristot.5.lib. Phys.
12. textu 10.vbi affirmat ad relationem,non terminari per se motum:& probat; quia acquiritur sine mutatione subiecti; vt si vno albo Compluti existente,fiat aliud Romæ; incipit primum album esse simile,sine noua sui mutatione; per solam mutationẽ alterius, in quo de nouo producitur Romæ albedo. Ex quo tale arg. colligitur.Aliquid fit relatiuum, sine reali mutatione sui; ergo sine aliqua entitate reali noua in se recepta:ergo relatio non est entitas realis.Probatur euidenter vltima consequẽtia: quia si esset entitas realis;cùm de nouo acquiratur,non fieret aliquid de nouo relatiuum, sine noua entitate in se recepta, nec sine reali mutatione sui: quia repugnat aliquid recipere de nouo in se entitatem realem sine sui mutatione.

Probatur deinde ratione. Primò. Quia ens reale,adæquatè diuiditur in substantiam,& accidens:sed relatio non est substantia,neque accidens; ergo non ens reale.Probatur minor, quod non sit accidens: (nam quòd relatio non sit substantia euidens est) de intrinseca ratione accidentis realis est, inhærere subiecto: si non actu, saltem aptitudine: sed relatio non inhæret subiecto vllo modo: ergo non est accidens. Minorem probo: quia proprius conceptus relationis,est esse rationem referendi aliud ad terminum:ergo relatio vt relatio, non respicit subiectum;sed terminum, nec potest inhærere: quare non erit accidens.

*Secundò.*Si relatio esset speciale prædicamentum, ex propria natura esset accidens reale, cum constet non esse substantiam:quare nec posset esse substantia, neque ens rationis: sed aliquando est substantia,& aliquando ens rationis: ergo non erit speciale prædicamentum.]

Probatur minor,quia in personis diuinis sunt relationes reales paternitatis, filiationis,& spirationis, seu processionis:& non sunt accidentia, quia accidens repugnat Deo,sed sunt relationes substãtiales:ergo relatio potest esse substantia. Deinde,relatio generis ad speciẽ, & speciei ad indiuidua,est vera relatio;cùm totum esse generis sit ad speciem, & totum esse speciei ad indiuidua: & non est accidẽs reale;sed rationis,vt vidimus in prædicabilibus:ergo vera relatio potest esse ens rationis:& ideo non erit ex se speciale genus entis realis.

Tertiò. Quia relatio non est aliud, quã comparatio duorum extremorum: vt similitudo, comparatio duorum alborũ eiusdem gradus: sed comparatio est opus rationis; quam facit intellectus, postquã naturam vtriusque cognouit: ergo non erit ens reale,sed rationis.

Secunda opinio est totius scholæ; quæ cum Aristot. ponit speciale prædicamentum relationis realis, sub nomine prædicamenti ad aliquid. *Et hæc est vera, & tenenda:* quæ (nisi ego fallor) efficaciter probari potest, his rationibus: non quidem ex doctrina Aristotelis deductis; quam in hac parte non recipiunt aduersarij;sed ex ipsa natura rerum, & ex fide Catholica.

*Prima ratio,*in natura rerum fundatur, 14
hoc modo ex natura rei, & ante operationem intellectus, magis assimulatur vnus homo alteri homini; quam equo,vel leoni:& etiam vnum album, alteri eiusdem gradus; magis,quam ei, quod non habet

habet tam intensam albedinem; sed simile non dicitur tale respectu sui, sed alterius: ergo si naturaliter est alteri simile; naturaliter ordinatur ad alterum; & naturalis ordinatio est realis: ergo vnum ad alterum ordinatur ex natura rei, & ordinatione reali: & ordinatio realis, est relatio realis: ergo dantur in rebus relationes reales. Et confirmari potest ex creatione: nam anima rationalis, ex eo quòd creatur à Deo, vocatur, & est creatura: sed creatura non dicitur ad se, sed ad aliud: ergo refertur realiter ad creatorem; dabiturque in ea relatio realis.

15. *Secunda ratio*, deducitur ex fide Catholica: secundum quam in personis Diuinis ponuntur relationes reales Paternitatis, Filiationis, & Spirationis: sed vna persona Diuina refertur realiter ad aliam; quia procedit ab ea, aut quia est principium, à quo alia procedit: vt Filius ad Patrem; quia procedit ab eo, per naturalem generationem: & in creaturis vnus homo, procedit ab alio, per naturalem generationem; vt genitus à generante: ergo iste erit filius, & ille pater per veras relationes reales.

16. Sed, vt natura relationis melius intelligatur, & argumenta facilius solui possint; *Notandum est illud*; quod D. Thom. asserit, 1. p.q. 28. art. 1. nempe; quodlibet prædicamentum, duplicem conceptum habere: Communem; in quo omnia conueniunt, saltem analogicè: & particularem; per quem distinguuntur. Communis conceptus est; esse in subiecto actu, vel aptitudine: in quo conuenit relatio cum accidentibus absolutis: conceptus verò Particularis, & proprius; non sumitur eodem modo in absolutis, & relatione: sed in illis, per modos speciales inhærendi in subiecto: & ideo absoluta vocantur; quia subiectum afficiunt, vt in se est. Vt conceptus particularis quantitatis; est inhærere substátiæ extendendo partes eius: qualitatis verò, qualificando eam; sicque de cæteris: sed particularis conceptus, & proprius relationis, non sumitur per ordinem ad subiectum: sed ad terminum, ad quem refert subiectum: vt conceptus proprius paternitatis, per ordinem ad filium, tanquam ad terminum: vnde accidentia absoluta his duobus conceptibus complentur; nempe inhærendi subiecto; & tali modo inhærendi: relatio verò duobus alijs. *Primò* quidem, inhærendi subiecto; & ideò communi cum absolutis: & *Secundo*, ordinando illud ad terminum: ideo dici solet; habere duplicem conceptum: vnum, qui dicitur esse, In; alium, qui dicitur esse, Ad.

Testimonium Aristot. hac distinctione explicandum est: Mutatio duplex est; vna Propria, & per se talis, à naturaque intenta; quæ procedit à principio intrinseco rei, per quam mouetur corpus, ad recipiendum in se aliquam perfectionem absolutam: vt materia, ad recipiendam formam substantialem: vel corpus, ad recipiendam accidentalem. *Alia Communis*, impropria, & per accidens; quæ non procedit à principio intrinseco rei, nec per se primo intenditur à natura; sed quasi per accidens sequitur. Et per primum genus mutationis, non potest acquiri, aut fieri relatio: quia natura non intendit per se relationem; cùm non sit perfectio absoluta rei: sed sequitur quasi per accidens, in vtroque extremo, ad acquisitionem alicuius formæ absolutæ, atque per se intentæ in eis; vel saltem in aliquo eorum. Vt in exemplo adducto in argumen. de albo Romæ facto de nouo; ex cuius mutatione intrinseca, mutatur ab extrinseco aliud album; quod Compluti erat. Bene ergo Arist. asserit; ad relationem non terminari per se muta- 17.

rationem, aut motum proprium, & per se; sed acquiri sine illa: non tamen vult; quod sine impropria saltem, & communi acquiratur: cum verum sit, ac necessarium, vt subiectum quomodocunque acquirat de nouo relationem realem, aliter se habeat nunc, quam prius: quæ est definitio communis, & impropriæ mutationis: satis est autem per impropriam mutationem acquiri; vt sit ens reale.

18. *Ad primum arg.* Negandum est; relationem non esse accidens: & dum dicitur, secundùm proprium conceptum non inhærere: distinguendum est. nam si sensus sit; quòd proprius conceptus relationis, non sit inhærendi; sed referendi ad terminum: verum est. Et si rursus dicatur, secundùm hunc conceptum proprium; qui est, Ad, non esse accidens: concedendum est; quia non est accidens; nisi secundùm conceptum communem inhærendi; sed est tale accidens: sicut quodlibet aliud prædicamentum, secundum proprium conceptum, non est accidens; sed secundum communem inhærendi: in quo conueniunt omnia. Et si tandem dicatur: Communem conceptum inhærendi, esse transcendentalem: & ideo inclusum necessariò, in conceptibus particularibus prædicamentorum: quia si illum non includunt; non erunt conceptus accidentium, nec proinde reales. Respondeo, Necessariò illum includere, propter transcendentiam; sicut necessariò includunt conceptum entis: eum tamen non exprimere, aut non expresè significare; sed quasi implicitè, aut confusè: quemadmodum rationale, includit conceptum entis, sed non exprimit: quia expresè non significat, nisi gradum naturæ rationalis: in quo tamen cùm includatur ens, dicitur conceptum entis implicitè, aut confusè significare; non distinctè, aut expresè: itaque conceptus proprius relationis; per quē distinguitur relatio ab accidentibus absolutis; non exprimit, nisi modum referendi ad terminum: sed quia est conceptus formæ realis, inhærentis, & referentis subiectū; quod constituit ad terminum; etiam includit implicitè esse, In; sicut includit conceptum entis.

Ratio autem; ob quam non exprimit, est: quia nomen relationis, non est impositum ad significandum conceptum inhærendi; sed conceptum referendi: in quo tamen implicitè, includitur idem conceptus inhærendi. 19.

Ad secundum. Distinguendum est antecedens: nam relatio duobus modis accipitur. *Primo*, communissimè; prout solum dicit rationem referendi, ad terminum, abstrahendo à ratione reali, vel rationis; imo à ratione substantiali, vel accidentali: & hoc modo, non efficit prædicamentum reale: quia non determinationem accidentis realis. *Secundo*, sumitur specialiori modo, pro ratione referendi reali, & accidentali: in qua acceptione constituit tertium prædicamentū: à quo excluduntur in primis relationes rationis: quia non sunt reales: & ad quod non pertinent relationes substantiales, aut diuinæ; quia diuina, propter sui excellentiam, & immensitatem; non limitantur ad ordinem prædicamentalem.

Ad tertium. Concessa maiori, distinguenda est minor: quia duobus modis comparantur aliqua: *Primò*, ex natura rei; quia rationes naturales eorum non sunt tales absolutè, sed ad alterum; vt sunt similia, aut æqualia: & talis comparatio non est opus intellectus: sed sine dependentia ab eo, reperitur in natura aliquarum rerum. *Alia est comparatio*; quàm non habene res ex propria natura: quia non sunt distinctæ: aut cùm sint absolutæ; concipiuntur in ordine ad aliud: & tâlis 20.

talis comparatio est opus rationis. Primam igitur comparationé, includunt relationes reales, aliam verò, relationes rationis: & ideo prima comparatio, tanquam realis, pertinet ad hoc prædicamentum; secunda verò, tanquam non realis, excluditur ab eo.

QVÆSTIO III.

Quodnam sit supremum genus prædicamenti ad aliquid?

21. SPecialis est ratio inquirendi de supremo genere huius prædicamenti. Quia hoc argum. videtur probari: nullũ posse habere: & ideo nec ordinationem prædicamentalem ex relatiuis fieri posse. Quia intrinseca ratio relatiuorũ est, ordinari ad terminum: ergo siue ponatur pro supremo genere relatiuum in cõmuni, vel ad aliquid; ordinabitur ad terminum: & tunc vel ad terminum inferiorem, vel superiorem, vel æqualem: non ad superiorem, neque inferiorem, propter duo. *Primũ*, quia relatio realis debet esse, inter extrema realia, & realiter distincta; vt inferius probabitur: superius autem, & inferius sunt prædicata solum ratione distincta; vt est manifestum: ergo non potest inter illa dari relatio realis. *Secundum*, quia relatiua sunt simul natura; superius verò prius natura est inferiori; vt docet Aristot. in postprædicamentis: ergo inter illa non potest esse relatio realis. Quare relatiuum in communi, ad terminum sibi æqualem ordinabitur; & realiter à se distinctum. Vnde sequitur, aut duo esse suprema genera huius prædicamenti; aut nullum. Probatur cõsequentia: quia neutrum ponitur sub altero: sed duo esse repugnat, sicut in eodẽ corpore duo capita: alioqui duo essent prædicamenta ad aliquid: ergo nullum habebit supremumgenus.

22. Propter hoc argum. diuisi sunt authores. *Et prima opinio*, tenet supremum genus huius prædicamenti, propriè loquẽdo, non esse relatiuum in concreto, vel ad aliquid; sed relationem in abstracto: quæ est ratio referendi ad aliud: & hoc modo videntur difficultatem argumenti effugere: quia relatio non refertur ad aliud; sed est ratio referendi: ideo non colligitur esse duo genera suprema. Ita Fonseca 5. Meta. cap. 15. quæst. 6. sect. 2. & 3. quod ratione vniuersali probat: quia abstracta accidentium potius, quàm concreta in prædicamento collocantur; cum significentur tanquam entia per se: concreta verò tanquam entia per accidens. Hæc tamen sententia non potest satisfacere argumen. quia licèt verum esset, abstracta magis propriè in prædicamento collocari; nihilominus quod etiam concreta aliquo modo collocentur, necessariò concedendum est; & concedit hæc sententia: quo supposito non soluit arg.

Secunda opinio, Ad aliquid, aut relatiuum, dicit esse supremum genus; potius quàm relationem: ita Albertus Magnus tract. de prædicamento ad aliquid: cap. 1. & 10. Scotus in 1. d. 21. quæst. vnica. Et tunc ad argum. respondent: Supremum genus prædicamenti esse ad aliquid, vel relatiuum in communi, prout dicit conceptum abstractum: in quo conueniunt omnia relatiua. Et hoc modo sumptum, non refertur per se ad alterum; sed per inferiora relatiua: in quibus exercetur actus referendi: vt per paternitatem, & filiationem; persimile, & dissimile: ipsum verò solùm dicit rationem communem eorum; quæ referuntur: & ita vnicum est supremum genus in concreto, habẽs sub se inferiora genera, & species; in quibus habet exercitium referendi. 23.

Sed hæc sententia falsa probatur, duplici argum.

argum. *Primò*. Conceptus communis abstractus ab inferioribus, debet continere rationem essentialem inferiorum; vt conceptus hominis, abstractus à Petro, & Ioanne, rationem essentialem hominis: sed ratio essentialis quorumcunque relatiuorum particularium, est referri ad terminum: ergo hanc debet continere conceptus communis relatiui, abstractus à particularibus: vnde sequitur relatiuum in communi, referri ad terminum in communi: sicut relatiuum in particulari, refertur ad terminum in particulari: vel non esse conceptum relatiui abstractum à particularibus.

Secundò. qui vult definire patrem in communi, non potest, nisi per communem etiam terminum eum definire; videlicet per genitum in communi, aut per filium in communi: ergo pater in communi, refertur ad filium in communi: sicut hic pater ad hunc filium: & consequenter relatiuum in communi, ad terminum in communi.

14 *Quod verò dicitur*: Exercitium referendi solùm habere relationem in singularibus; falsum est, & ex ignorantia procedere videtur: quia exercitium relationis, non consistit in aliqua efficientia, neque in actu aliquo ipsius relationis; quę in singularibus habeat: & non in conceptu communi considerata: sed solùm est ordinatio naturalis vnius ad alterum; eodem modo se habens semper: ergo non solùm in singularibus exercetur: sed etiam in vniuersalibus. Hæc solùm differentia esse potest: quòd in singularibus exercetur secundum actualem existentiam in eis: in vniuersali verò considerata, abstrahit ab existentia: & solùm in hoc sensu, vera esse potest distinctio relationis, à quibusdam assignata: in relationem; vt *Conceptam*; & vt *Exercitam*: quasi dicatur, relationem, vt actu existentem, inter singularia exerceri; quod non habet in vniuersali; sed cóceptum tantùm eiusdem exercitij. Et si aliquid aliud velit eadem sententia, vel eadem distinctio; non est admittenda.

Ideò tertia opinio tenet; Supremum genus huius prædicamenti, in abstracto, esse Relationem in communi; & in cócreto Relatiuum, vel Ad aliquid, etiam in communi. Hanc tenet Toletus quæst. 1. huius prædicamenti. *Et est probabilior, & sequenda. Probaturque*, ex communi modo concipiendi, & loquendi, de alijs prędicamentis accidentium: quæ, vt in antepredicamentis probauimus; vtroque modo sumi possunt: in *Concreto*, & in *Abstracto*: & vtroque modo accipiuntur, in diuersis locis ab Aristot: nec excludi potest omnino concretum à prędicamento; nec etiam abstractum. 15

Pro solutione autem argumenti, Notandum primò. Diuersam esse rationem formalem relatiui, & termini: nam ratio formalis relatiui, est referri ad terminum; ratio verò formalis termini, non est referri ad aliud; sed terminare relationem alterius: terminare verò nó est aliud; quàm esse id, ad quod relatiuum ordinatur: & hoc non videtur ponere aliquid in re, quæ terminat; sed est quasi denominatio extrinseca: sicut visum esse in pariete; aut quid simile.

Secundò notandum: quòd licèt diuersæ sint opiniones circa terminum relationis; an sit absolutus, vel relatiuus: certú tamen est, quod in relationibus tertij generis; quæ sunt mensurabilis, & mensuræ; terminus non est relatiuus, sed absolutus: nam mensura absolutum quid est, non dependens à mensurabili. Gratia exempli. *Scientia* sub ratione mésurabilis, per suum obiectum refertur ad illud relatione tertij generis: quam relationem terminat obiectum, sub ratio-

ratione mensuræ: obiectum verò non dependet à scientia; licèt hæc dependeat ab obiecto: & ideo scientia dicitur mensurabilis, per veram relationem: sed obiectum non dicitur mensura, per relationem propriam, aut intrinsecam; sed per solam denominationem extrinsecam, mensurabilis existentis in sciētia: & ideo dixit Aristot. obiectum non dici mensuram; quia referatur ad mensurabile: sed quia mensurabile refertur ad ipsum; tanquam ad absolutum quid. Vnde sequitur; quòd vel omnis terminus relationis absolutus est; vel aliquis saltem: quod sufficit, vt dicamus; terminum relationis in communi consideratum; vel esse absolutum; vel abstrahere ab absoluto, & relatiuo: quia in quibusdam relationibus absolutus est; & in alijs, relatiuus.

59. *Et ex hoc non est difficile respondere ad formam arg.* Concedendo primam consequentiam; quòd relatiuum in cōmuni, aut ad aliquid in communi, sit supremū genus huius prædicamenti: & etiā, quòd referatur ad terminum in communi; non inferiorem, nec superiorem; sed æqualē sibi. Negando tamen secūdam cōsequentiam: quòd duo sint suprema genera: quia terminus in communi, sub ratione formali termini; non est relatiuum: sed abstrahit ab absoluto, & relatiuo: & solùm dicit quandam denominationem extrinsecam terminandi: non prædicamentalem; sed quæ reduci potest ad idem prædicamentum, quod constituit relatiuum in communi; tanquam supremum genus; cuius terminus ipse est. Itaque terminus in communi; non potest esse supremum genus prædicamenti: quia non est formaliter relatiuus: imò nec ad prædicamentum per se pertinere; sed solùm reduci ad idem prędicamentum ad aliquid; in quantum aliquo modo pertinet ad relatiuum in communi, constituens per se hoc prædicamentum.

QVÆSTIO IIII.

An definitio relatiuorum, tradita ab Aristotele, ex propria sententia, sit bona?

Definitio his verbis cōtinetur in tex. 28. tu. *Ad aliquid sunt; quibus hoc ipsum est esse, ad aliquid quodam modo se habere.* Cuius sensus est; relatiua sunt; quorum totum suum esse, est ad terminum referri. His autem argumentis probari potest, non esse bonam. *Primò*: quia relatio duo respicit; nempe subiectum, cui inhæret, & tale denominat formaliter; & etiam terminum, ad quem refert: ergo duplicē habebit rationem formalem; vnam, secundum quam respicit subiectum, & ei inhæret; aliam, secundum quam respicit terminum, & ad eum refert. Ex quo infero; totum esse relationis, non esse ad terminum referre, aut ordinare; sed aliquid habere absolutū; quatenus respicit subiectum, & ei inhæret. Et ideo falsum esse; quod in definitione dicitur; relatiuum esse, cuius totum suum esse, est referri ad aliud. Probatur consequentia: quia relatiuum dicitur tale à relatione; sed totum esse relationis, non est referre ad terminum: ergo nec totum esse relatiui erit, referri ad terminum.

Et confirmari potest: quia hæc definitio æquè cōuenit relatiuis rationis, at quę realibus: imò relatiuis diuinis, & creatis: de quibus iam diximus, non collocari in prædicamento: ergo non est bona. Probatur antecedens, quia commune est omnibus; quòd totum suū esse, sit referri ad terminum: non enim minus verum est totum esse speciei, esse ordinari ad genus; & totum esse Patris æterni, ordinari ad filium; quàm totum esse similis ad aliud simile.

Secundò. Verba in definitione non dicunt actum; sed aptitudinem; sed definitio

nitio hæc, non potest dicere solam aptitudinem referendi; sed etiam actum: ergo nō est bona. Probatur minor. quia relatiuum non est, quod potest referri, sed quod actu refertur: alioqui illud, quod nō habet relationem; ex eo solùm, quod potest eam habere; esset relatiuum: quia sicut potest eam habere, potest etiam referri; quod patet esse falsum.

Vt definitio intelligatur, notandum est, Aristotelem, prius quam singula prædicamenta proponeret; tradidisse vniuersalem diuisionem entis realis in decem prædicamenta; & consequenter diuisionem accidentis in nouem. Vnde sequitur ex mente illius, subintelligēdum esse ens reale, in explicatione substantiæ: ita vt dicamus, substātia est ens reale, per se: & in explicationibus prædicamentorum accidentium, accidens reale: & ita definitio relatiuorum sic debet assignari. *Ad aliquid sunt accidentia realia; quorum totum suum esse, est ad aliud referri.* Et per primam particulam excluduntur relationes diuinæ; quæ non sunt accidentia: per secundam, relationes rationis; quę non sunt accidentia realia: per cæteras verò; excluduntur relationes secundum dici, & transcendentales: quia non sunt rationes referendi ad terminum: sed ad subiectum, aut obiectum, vel quid simile: relatiua verò huius prædicamenti, ad aliud ordinantur, tanquam ad purum terminū; de quo illam particulam ad aliud intellexit Arist. secundum communem expositionem omnium interpretum.

30. *Conclusio igitur nostra est; Definitionem Aristot. ita explicatam esse bonam*; quod probatur ex communi consensu totius scholæ, eam recipientis; & etiam ratione. Nam bona definitio est, quæ explicat naturam definiti; & illud distinguit à cæteris: sed hoc efficit præsens definitio relatiuorum; vt constat ex tradita expositione eius: ergo est bona.

Ad primum arg. respondent quidam. Relationem duplicem conceptum habere: Communem cum cæteris accidentibus; qui est inhærentiæ in subiecto, actu, vel aptitudine: & vocatur esse, In: & Particularem; per quem distinguitur ab eis; qui est referre ad terminum; & vocatur esse, Ad: & ratione primi conceptus, cōcedunt relationem respicere subiectum, sicut cætera accidentia; sed ratione particularis, non respicere subiectum; sed terminum: & ideo totum esse relationis, vt relationis, esse ad terminum; non relationis, vt accidentis. Et posset probari hic modus dicendi, ex D.Thom. 1 p. q. 28. art. 1. vbi aduersus Gilbertum quendam, (qui asserebat; relationem nihil ponere in subiecto, aut relatiuo; & ideo non esse inhærentem in eo; sed quasi extrinsecus assistentem) docet relationem secundum communem conceptum inhærendi in subiecto, aliquid ponere in relatiuo: & ratione huius, inhęrentem esse. Sed secundum conceptum proprium relationis, nihil ponere in eo; sed solum esse rationem referendi ad aliud.

Hæc tamen solutio falsa est; & eidem doctori sancto contraria. 31. *Probo primum*: quia relatio secundum proprium conceptum, Ad, est forma relatiua; & cōstituit subiectum formaliter relatiuū: vt paternitas, sub proprio cōceptu paternitatis; est forma relatiua; & constituit hominem in ratione formali, & intrinseca patris: ergo secundum proprium conceptum, ponit aliquid reale, & intrinsecum in subiecto, aut relatiuo. Euidens est consequentia: & probatur antecedens: quia denominatio patris, aut similis, & quęcunque alia relatiua, non est extrinseca; sed formalis: sicut denominatio albi, aut calidi: ergo ponit effectū formalem in subiecto: effectus autem formalis cuiuslibet realis formæ,

formæ; realis esse debet: ergo necesse est, aliquid reale in subiecto ponere.

Secundò, quia si relatio secundum esse. Ad, nihil ponit in subiecto, aut relatiuo; ergo secundum hunc conceptum non est aliquid reale. Probatur cõsequentia: quia omne ens reale, aut est substantia, aut accidens: ergo aut est ens per se, aut in alio. Sed relatio secundum esse, Ad, nõ est ens per se, cum non sit substantia; nec in alio, cum non ponat aliquid in subiecto: ergo non erit aliquid reale, nec efficiet prædicamentum reale.

32. *Pro vera igitur solutione arg. notandum est.* Relationem realem, secundum vtrumque conceptum, In, & Ad, aliquid ponere in subiecto; diuersa tamen ratione: nam secundũ esse, In, ponit aliquam rationem communem, & abstrahentem à particularibus prædicamentorũ: (eo modo, quo superius diximus analógum abstrahi ab analogatis) sed secundum esse, Ad, ponit rationem propriam relatiuam, distinctã à particularibus, quas ponũt cætera prædicamenta. Vt relatio paternitatis, ponit rationem realem patris in homine: sed hæc ratio licèt ponatur in subiecto, purè relatiua est: quia sic ponitur in subiecto, vt per illam non sit tale ad se; sed solũ ad aliud; nempe ad terminum: cætera verò prędicamenta, ita ponunt aliquid in subiecto, secundũ proprios cõceptus; vt per illam rationem propriam, ad se sit subiectũ; & nõ referatur ad aliud, Gratia exẽpli: quantitas secundum proprium cõceptum, ponit extensionem partiũ in subiecto; per quam in se, & ad se dicitur extẽsum: sed paternitas ita ponit rationẽ realem patris in homine; vt per illam non sit tale ad se, sed ad filium; sicque de cæteris relationibus.

Et hoc modo intelligi debet D.Th. dum in citato loco asserit; relationẽ secundũ esse, In; ponere aliquid in subiecto: sed secundũ esse, Ad, nihil ponere speciale, per quod sit tale ad se; sicut ponũt cætera prædicamenta; sed purè, & omnino ad aliud. Quem sensum clarissimè posuit alio loco, per quem hunc explicauimus; nẽpe in 1. lib. sent. d.8. q.4. ar.3. ad 4. vbi ita ait, *Debilitas esse relationis, consideratur secundum inhærentiam sui ad subiectum, quia non ponit aliquid absolutum in subiecto, sed tantum per respectum ad aliud.*

Si autem aliquis dicat: iam ergo relatio nõ solùm secundum conceptum cõmunẽ accidentis, inhærebit subiecto, sed etiam secundũ proprium, & vltimũ relationis; qui vocatur esse, Ad, aduersus illud; quod ex D.Th. adduximus; quæstione præcedẽti: videlicet conceptum proprium relationis, nõ sumi in ordine ad subiectum, sicut sumuntur cõceptus proprij accidẽtiũ absolutorũ; sed in ordine ad terminum. Præterea habebit relatio duos conceptus qui vocẽtur, In; vnũ commune cum accidentibus absolutis; & alium sibi propriũ. Probatur cõsequentia: quia tam secundũ communẽ rationẽ; quàm secundũ particularem, ponit aliquid in subiecto: ergo secundũ vtramq; ei inhæret, & in eo est. 33.

Respondeo ad primum. Secundũ vtrumque conceptum, inhærere subiecto: diuersa tamẽ ratione: nam secundum communem inhæret inhærentia communi, cũ cæteris; & abstrahente ab inhærentia absoluta, & respectiua: sed secundum conceptum proprium, inhęret inhærẽtia purè relatiua: quod est inhærere referendo ad aliud. Quod verò D.Th. dixit, propriũ conceptum relationis, non sumi in ordine ad subiectum; vt in accidentibus absolutis, verissimum est: sic autem intelligẽdũ; vt nõ sumatur in ordine ad subiectũ; vt In se, & Ad se est; sed vt refertur ad aliud; per eandem rationem relatiuam, in eo positam. In quo valde differt ratio, propria relationis, à rationib' particula-

ribus accidentium absolutorum; quæ sumuntur in ordine ad subiectum; vt est in se, & ad se; non vt est ad aliud, per tales rationes.

34. *Ad aliud verò respondeo*. Relationē habere esse, In, commune, cum cęteris accidētibus; & esse, In, particulare, per quod subiectum refert ad terminum; & per hoc esse, In, particulare, determinatur aliud, In, commune; & fit vna ratio prædicamentalis ex vtroque: quia ex determinante per se, & determinabili, per ses semper fit vnum per se: sicut quodlibet accidens absolutum; habet esse, In, commune, & particulare; & ex vtroque efficitur vnum.

Ad formam igitur primi arg. Concedēdum est primum enthymema; quo probatur relationem habere duplicem conceptum: vnum, quo respicit subiectum; alium, quo respicit terminum. Negandū tamen est, quod infertur: totum esse relationis, & relatiui; non esse ad terminum: quia illud esse, quod habet in subiecto; si consideretur in communi; abstrahit ab absoluto, & ralatiuo, & contrahitur per esse ad terminum: & per talem contractionem, ordinatur ad illum, & fit relatiuum: si verò consideretur in particulari; est esse proprium relationis: & ideo est esse relatiuum. vnde sequitur, relatiuū esse; quidquid habet relatio, & quidquid habet relatiuum: & hoc est totum esse relationis, & relatiui, esse ad aliud; vt dicitur in definitione Aristot. Ad confirmationem, responsum est, per explicationem definitionis.

35. *Circa solutionem secundi argum.* aliqui distinguunt relatum, & relatiuum, dicentes; relatiuum dicere potentiam ad referendum; relatum verò, actuale exercitium referendi: & in definitione potius explicari ad aliquid, vt relatum; quàm vt relatiuum. Hæc tamen distinctio, non habet fundamentū: quia, vt superius probauimus; exercitium referendi, vel actus referendi, non est aliud; quàm naturalis ipsa ordinatio, vnius relatiui ad aliud: quæ semper eodē modo se habet, & semper est actualis; & semper exercetur inter relatiua: quod necessario dicendum est: nam eo ipso, quòd vnum relatiuum non referatur actu, vel in exercitio ad aliud; non habebit actu in se relationem, nec erit relatiuum formaliter: & eo ipso, quòd habet in se relationem; non potest non referri actu, & secundum exercitium. Idem ergo prorsus sunt, secundum rem, & secundum rationem, relatum, & relatiuum: sed illud magis distinctè explicat actum referendi; quem etiam minus distinctè dicit aliud: ideo in definitione Arist. pro vtroque sumitur nomen, ad aliquid: & actum referendi dicit, non potentiam.

Ad arg. ergo respondetur. Distinguendo illud axioma; quod verba in definitione non dicunt actum; sed aptitudinem: nam res, quæ definiuntur, sunt in duplici differentia. *Quædam enim sunt*; quarum ratio, vel essentia in aptitudine, vel potentia consistit: & istæ, licèt definiantur per verba significantia actum; non pro actu, sed pro potentia accipiuntur in definitione: & ratio huius est: quia actus in his, non potest esse essentialis: & ideo nō bene definiuntur per actum. *Aliæ sunt*; quarū ratio, vel essentia, non consistit in aptitudine; sed in actu: & in definitione harum, non possunt verba accipi pro aptitudine: quia si ita accipiantur; non explicabunt naturam definiti: Sed pro actu debent accipi: vt rationem eius explicent. Vt si definiatur quantum; pro eo, quòd habet partem extra partem, secundùm extensionem molis: non possunt verba huius definitionis, dicere aptitudinem; sed actum: quia ratio extensionis, in actu cōsistit

sistit; non in aptitudine: sicque de cæteris. Et ita se habet relatiuum; cuius ratio, in actuali ordinatione; & relatione consistit: ideo verba definitionis eius pro actu, & non pro aptitudine accipiuntur.

QVÆSTIO V.

Vtrum omnes relationes, pertineant ad hoc prædicamentum?

37. TAnquam certum præsupponendum est; nec Diuinas relationes, nec etiam relationes rationis, collocari in hoc prædicamento: quia vt in præcedenti quæst. probauimus; prædicamentum ad aliquid, est membrum quoddam generalis diuisionis accidentis realis in nouem prædicamenta: & ideo relatiuum; quod est supremum genus, est accidens reale, atque finitum: quare nec relationes Diuinæ cùm sint substantiales, & infinitæ, possunt pertinere ad hoc prædicamentum; nec relationes rationis: quia non sunt accidentia realia.

Solum ergo procedit quæst. de relationibus realibus creaturarum; *an omnes ponantur in hoc prædicamento?* verùm non distinguuntur ab omnibus eodem modo: nam *quidam asserunt*, esse eas res in triplici differentia: *quædam sunt transcendentales*; quæ in rebus diuersorum prædicamentorum reperiuntur, eisque essentialiter conueniunt; quasi complementum essentiæ: tales sunt respectus inclusi, in essentia cuiuslibet accidentis; per
38. quos ordinatur ad subiectum, cui inhærere aptum est. *Aliæ sunt relationes*; quæ non omnibus accidentibus vniuersaliter conueniunt; sed quibusdam tantum: in quorum essentijs, etiam includuntur: vt respectus, quem dicunt habitus, potentiæ, & scientiæ ad propria obiecta; & istæ vocantur relationes secundum dici. *Aliæ denique sunt relationes*; quæ nulli cōueniunt essentialiter; sed accidentaliter conueniunt multis: & dicuntur relationes secundum esse: vt paternitas, similitudo, & æqualitas. *Alij verò solùm has vltimas relationes admittunt*; & nullam prorsus ex ijs; quæ ad essentiam alicuius absoluti pertineant. Sic videtur sentire Scot. in 4. d. 12. q. vnica. Probantque non esse admittendas. *Primò*; quia quidquid pertinet ad essentiam substantiæ, est substantia: & quidquid pertinet ad essentiam quantitatis, est quantitas: ergo si relationes reales dantur, quæ pertineant ad essentiam omnium rerum absolutarum; erunt res absolutæ: vt in substantia, erunt substantiæ; in quantitate, quantitas, & in qualitate, qualitas. Et si ad essentiam aliquarum rerum tantum pertineant; vt ad essentiam habitus, aut potentiæ; erunt etiam potentiæ, & habitus. Hæc autem falsa sunt: ideo falsum erit tales relationes ponere.

Probatur secundò. quia si intra essentiam absolutorum admittantur relationes istæ; aliud absurdum erit concedendum: nempe, quòd tales essentiæ componantur, ex entitate absoluta, & relatiua; diuersis non solum specie; sed genere.

Alij denique præter relationes accidentales, vel secundum esse, admittunt 39.
intra essentiam absolutorum transcendentales: non tamen relationes secundùm dici; nisi solo nomine: nam habitus, inquiunt, potentia, & scientia, purè absoluta sunt; nec dicunt respectum realem ad obiecta, sed absolutam proportionem cum eis; quam proportionem non possumus intelligere, nec explicare; nisi per quendam respectum; quem intellectus concipit in eis: & ideo de eis loquitur; quasi de respectiuis: cùm tamen non sint verè respectiua; sed absoluta: licèt in communi modo loquendi, respe-

Nu ctiua

ctiua dicantur: & propterea appellentur vel tiua secundum dici.

Vltimus modus dicendi, concedit, præter relationes secundum esse, transcendentales; & secundum dici; & vtrasque pertinere ad essentiam absolutorum: sed eas ita confundit; vt omnes esse appellandas transcendentales asserat: & ita relationem realem creatam, in duo tantùm membra diuidendam esse; nempe in transcendentalem, & prædicamentalem: ita vt sub *primo* membro; tam respectus, qui omnibus prædicamentis absolutis essentialiter conueniũt; quàm qui aliquibus tantum, comprehendantur. Sub *secundò* verò, solùm relationes accidentales; quæ vocantur secundum esse, & pertinent ad hoc prædicamentum.

40. *Nostra sententia tribus conclusionibus explicatur* Prima est; *Necesse est ponere respectus quosdam reales, pertinentes ad essentiam accidentium absolutorum: vt respectus, quem includit inhærentia aptitudinalis eorum ad subiectum & habitus, & potentiæ ad obiectum: & respectus isti, diminutæ quædam relationes sunt, complentes essentiam absolutorum.* Hanc conclusioné tenet D. Thom. 1. par. q. 13. art. 7. ad 1. & quæst. 28. artic. 1. Caiet. in opusc. de ente, & essentia, cap. 7. quæst. 15. *Et probatur testimonio* Arist. 2. lib. de Anima, tex. 33. vbi docet; essentiam specificam potentiarũ, ab actibus, & obiectis sumendam esse: quod non potest esse rerum; nisi respectum essentialem ad obiectum includát. Nam euidens est, non sic accipiendam esse essentiam specificam potẽtia ab obiecto; vt obiectum sit de essentia eius: cùm sit semper res diuersa ab ea: ergo necesse est sumi per respectum eiusdẽ potentiæ ad obiectum: & ideo talem respectum esse ei essentialem. Probatur consequentia. quia si nec obiectũ, nec respectus ad ipsũ est de essẽtia potentiarũ; nullo modo accipietur species earum ab obiectis.

41. *Probatur deinde ratione*; quia accidentia non sunt entia simpliciter; sed entis entia, hoc est, aliquid substantiæ; ad quã intrinsecam attributionem dicunt: sed talis attributio, non potest esse, neque intelligi; nisi per aliquem respectum ad eandem substantiam, inclusum in essentia accidentium: ergo necessariò ponendi sunt respectus isti essentiales, in omnibus accidentibus absolutis.

Secunda conclusio. Ex his respectibus ad essentiam absolutorum pertinentibus; plures sunt transcendentales, & plures etiam prædicamentales. Probatur primum. quia transcendentale dicitur illud, cuius propria ratio transcendit omnia prædicamenta, vel saltem plura: sed respectus 42. aptitudinalis inhærentiæ ad subiectum; quem in sua essentia includit accidens, transcendit omnia prædicamenta accidentium; sicut accidens ipsum: ergo erit relatio transcendentalis.

Probatur secundum; ratione opposita: nam transcendens est, quod multis prædicamentis est commune: sed dátur plures respectus essentiales rebus absolutis; qui non possunt ad plura prædicamenta pertinere: ergo non erunt transcendentales. Probatur minor: quia respectus habituum, & potentiarum ad sua obiecta, non possunt ad plura se extendere, quàm habitus ipsi, atque potentiæ, quibus sunt essentiales: sed habitus, & potentia solùm pertinent ad prædicamentum qualitatis; imò solùm ad determinata genera huius prædicamenti: ergo nec sunt, nec dici debent transcendentales.

Tertia conclusio. Ex tribus generibus relationum; nempe transcendentalium, secundùm dici, & secundùm esse; transcendentales ad nullum prædicamentum pertinent; relationes secundùm dici pertinent ad prædicamentum absoluti, cuius essentiam com-

complent; relationes verò secundùm esse, aut accidentales, constituunt prædicamentum relationis.

Probanda sunt tria hæc: & primum, de respectibus transcendentalibus facilè probatur, ex ipsamet transcédentia: nam quòd transcendens est, ad nullum speciale prædicamentum pertinere potest: ergo relationes istæ transcendentales, ab omni prædicamento excluduntur. Probatur antecedens, quia prædicamenta continent determinatum modum essendi: vt substantia modum per se, quantitas modum extensionis: sed transcendens non est determinatum ad aliquem modum essendi; sed comprehendit multos: ergo non potest ad speciale prædicamentum pertinere.

43. *Secundum verò*, de relationibus secundum dici, sic probo. Respectus quem dicunt potentia, & habitus ad obiecta, complent essentiam eorum: ergo pertinent ad essentias, quas complent, tanquam aliquid earum: quare necesse est in eodem prædicamento collocari, & sub eodem genere: sub quo sunt tales essentiæ. Quod intelligendum est reductiuè tantum; sicut partes reducuntur ad prædicamentum, & speciem totius: & non per se; & directè: quia incompletum aliquid sunt, atque diminutum, & qui non possunt per se efficere speciem; nisi simul cum absoluto, cuius essentiam complent: vt si solum respectum potentiæ, aut habitus ad obiectum intelligas; non intelligendo absolutam rationem qualitatis; nihil completum; aut prædicamentale intelligis: quia respectus isti, essentialiter coniunguntur cum absoluta ratione qualitatis; quam complent: & ideo nihil completũ sine illa intelliguntur constituere: vnde nec nomina potentiarum, & habituum imponuntur ad significandos hos respectus, sed principalem rationem qualitatis, quam consequuntur, vt bene ait D. Thom. 1. par. q. 13. art. 7. ad 1. & quæst 7. de potentia, art. 10. ad 11. ideo nec per se constituuntur in prædicamento, sed per absolutum. Et hinc sequitur non pertinere ad prædicamentum ad aliquid, nec vocari relationes prædicamentales; sed secundum dici ab Arist. Et ratio huius denominationis est: quia tales ab antiquis dicebantur, & cum veris, & prædicamétalibus confundebantur: cùm tamen nõ sint relationes secundum esse; sed solo nomine harum gaudeant.

Tertium denique. quòd relationes, quæ nulli sunt essentiales, sed accidentaliter semper conueniunt, efficiant per se hoc prædicamentum, communis est consensus totius scholæ. & ratio eius colligitur ex differentia earum à relationibus trãscendentalibus, & secundum dici: quæ cum pertineãt ad essentiam absolutorũ, quam complent; incompleti quidam respectus sunt, & aliquid eorum: & ideo non possunt per se constituere rationem prædicamentalem, sed simul cum eisdem absolutis. Relationes verò, quæ extra essentiam omnium absolutorum sunt; primò habent modum naturę completę: quia nihil essentiale alicuius sunt; sed per se habent proprium modum essendi, ad aliquid; qui sit integra, atque completa ratio prædicamentalis; sicut cætera accidentia prædicamentalia: & consequenter sua genera, species, ac differentias; ex quibus per se potest fieri ordinatio prædicamentalis. Habent etiam secũdò, quòd sint totum esse essentiale relatiuorum, ita vt nihil præter relationes ipsas essentialiter includant: & ideo sic definita sunt ab Arist. Relatiua sunt quorum totũ suum esse sit, ad aliud se habere. Conueniunt igitur relationes istæ cũ transcendentalibus, in eo; quod nihil absolutum dicunt, sed totum esse earũ est, 45.

esse rationes referendi ad aliud: differũt tamen in duobus. *In primo* quidem: quia respectus secundum dici, non sunt tota ratio, totum esse, aut tota essentia relatiuorum: sed quoddam complementum eorum: & ideo ea, quorum complementum sunt; non sunt relatiua simpliciter; sed simpliciter absoluta: & ex consequẽti dicuntur quodam modo relatiua. & ex hoc sequitur, *Secunda differentia*, quòd respectus isti non sunt ad aliud, tanquam ad terminum; sed tanquam ad subiectum, vel obiectum: vt petit natura absoluti, quod complent: relationes verò prædicamentales, non solùm non dicunt aliquid absolutum; sed sunt tota ratio, tota essentia, totum esse relatiuorum; quæ cõstituunt: & ideo relatiua ab eis constituta, nihil absolutum dicunt, sed totum suum esse, est referri ad aliud; non quidem tanquam ad obiectum, vel subiectum; sed tanquam ad purum terminum: quia relatio à qua sola constituuntur, non petit aliud sub aliqua ratione particulari, ad quam ordinet relatiuum, quod constituit; sed sub ratione præcisa termini.

Ad primum arg. secundæ opinionis, contra relationes secundum dici, Distinguendum est antecedens. nam esse substantiam, quidquid pertinet ad essentiã substãtiæ, & quantitatem, quidquid pertinet ad essentiam quantitatis; duobus modis intelligi potest: In recto, & In obliquo. *Et primo modo*, negandum est; quia non est necessarium, rem aliquam prædicari in recto; de quocunque eius modo, aut complemento: ita vt dicatur simpliciter substantia, aut quantitas: bene tamen in obliquo; ita vt dicatur aliquid substantiæ, vel quantitatis: & hoc modo verum est, hos respectus esse absolutos, vel substantias; id est aliquid rerum absolutarum, vel substantiæ.

Ad secundum, Negandum est, quòd sequatur absoluta illa, in quibus clauduntur isti respectus, composita esse ex absoluto, & respectiuo: quia non includuntur in rebus absolutis, per modum generis, aut differentiæ, aut per modum compositionis; sed tam in genere, quàm in differentia, atque in specie ipsa ex eis composita, per modum cuiusdam complementi: tam compositorum, quàm cõponentium; vnde non sequitur compositionem aliquam cum eis facere.

QVÆSTIO VI.

An species relationis prædicamentalis, à termino sit accipienda?

De sola relatione prædicamentali procedit quæstio; non de relationibus transcendẽtalibus, nec secundum dici: quas probauimus quæstione præcedenti, non pertinere ad hoc prædicamẽtum. vt autem melius intelligantur, quæ de relatione dicenda sunt; quasdam diuisiones relatiuorum adducere oportet. 47.
Relatiuum igitur; quod est supremum genus huius prædicamenti; *primò diuiditur in tria genera intermedia*, secundum tria fundamenta; in quibus fundatur, enumerata ab Aristot. 5. lib. Metaph. cap. 15. *Primum genus* relatiuorum est eorum; quæ fundantur in vnitate, vel diuersitate generica, aut specifica: & habet sub se tria alia genera, vel species; secundum diuersa fundamenta, in quibus reperitur vnitas, aut diuersitas. Nam si reperiatur in Substantia; erit relatio identitatis, vel diuersitatis. si in Qualitate, relatio similitudinis, aut dissimilitudinis. & si in Quantitate, relatio æqualitatis, vel inæqualitatis. *Secundum genus* relatiuorum est eorum; quæ fundantur in actione, & passione: vt relationes paternitatis, & filiationis: & habet alia genera, vel species subalternas: secun-

secundum diuersas actiones, de præsenti, præterito, & futuro. *Tertium*, eorum; quæ fundantur in mensura; vt relationes potentiarum, & scientiarum, sub nomine mensurabilis; ad sua obiecta sub nomine mensuræ: nam obiectum dicitur mensura scientiæ, & potentiæ: & scientia, atq; potentia, mensurabilis per subiectum: ex eo, quod ad nihil potest vtraque extendi, aut circa nihil versari; quod non contineatur sub proprio obiecto.

48. *Secunda diuisio, minus vniuersalis est*: quæ diuiditur relatiuum, in Mutuum, & Non mutuum. Relatiua mutua sunt, quorum vtrumque dicitur tale, per relationē realem: vt pater, & filius: Non mutua, quorum vnum tantum dicitur tale, per relationem realem: in altero verò, talis relatio non est; vt mensurabile, & mensura: nam illud dicitur tale, per relationem realem: hæc verò non habet talem relationem.

Tertia diuisio est. Relatiua alia sunt AEquiparantiæ; alia Disquiparantiæ. Aequiparantiæ, quæ eiusdem rationis, & denominationis sunt; vt similia, æqualia. Disquiparantiæ dicuntur, quæ diuersæ rationis sunt, & denominationis; vt pater, & filius. Quodlibet autē horum generū, suas habet species; & de omnibus, & singulis, quærit titulus quæstionis; *A quo sumant distinctionem specificam; an à termino, vel ab aliquo alio?*

49. *Et prima opinio* Videtur esse D. Thom. .p.q.35.ar.5.& quodli.9.art.4. quòd relatio, aut relatiuum; non sumat speciem à termino; sed potiùs à causa, per quā producitur: quod probat hoc arg. Quia si relatio sumeret speciem à termino; sequeretur in vtroque parente, eandem esse relationem ad filium. Probatur consequētia: quia filius vnicus terminus est: ergo relatio patris, & matris, ad eum terminata, erit eadem. Sed cōsequens est falsum: ergo etiam antecedens; quod relatio sumat speciem à termino. Probatur minor. quia pater est causa efficiens filij; mater verò passiua tantùm; ergo habent rationes causarum, specie diuersas: quas necessariò consequitur diuersa relatio in vtroque paternitatis in patre, & maternitatis in matre.

Secundò probatur. Quia species debet sumi ab aliquo intrinseco; quod sit differentia essentialis eius: sed terminus relationis, est res diuersa à relatione, & ei extrinseca; vt pater respectu filiationis: ergo non potest sumi ab eo species. Et si respondeas, non ita sumi speciem à termino; vt terminus ipse sit differentia specifica relationis: sed ordinatio ad terminū. Contra hoc est: quòd relatio ipsa, est ordinatio ad terminum: ergo si ex ordine, aut ordinatione ad terminum, sumitur species eius; sumet speciem à seipsa: quod patet esse falsum.

Pro hac etiam sententia, adduci potest testimonium Arist. quia tria genera relationum distinguit (vt vidimus) non per diuersos terminos; sed per diuersa fundamenta: ergo sentit non esse sumendam speciem relationis à termino.

Secunda opinio est communis, & vera; quòd relatio, aut relatiuum, sumit suam speciem à termino: ita vt illæ relationes sint eiusdem speciei: quæ habent terminum eiusdem speciei: vt omnes paternitates; omnes similitudines: illæ verò sint specie distinctæ; quæ habent terminos specie distinctos: vt similitudo, & dissimilitudo. *Probatur ex definitione Arist.* quæ ait: relatiua esse, quorum totum suum esse, est referri ad aliud, hoc est, ad terminum: ergo talis erit relatio, qualis fuerit terminus; ad quem refert: & hoc est ab eo accipere speciem. Et D. Thom. absque dubio tenet eandem sententiam, 3.p. q.35.art.2. vbi sic ait. *Cùm ratio specifica relationis,* 50.

 consistat

consistat in hoc, quod ad aliud se habet; necesse est dicere, quòd duæ relationes, non sunt diuersæ secundum speciem, si ex opposito vna relatio eis correspondeat.

Probatur etiam ratione Quia ex quatuor generibus causarum; relatio non habet materiam, & formam, quæ sunt causæ intrinsecæ; à quibus (saltem à forma) posset sumere speciem: quia vt superius probauimus; accidentia non componũtur ex materia; & forma: solum ergo habet causam efficiẽtem; à qua producitur, & finem, seu terminum; in quem ordinatur relatiuum: sed à causa efficiente, non sumunt res suam speciem: quia extrinseca prorsus est: ergo solum restat causa finalis; quæ est terminus, in quem essentialiter ordinatur relatiuum: quare ab eo sumet suam speciem.

51. Sed, vt melius intelligatur hæc specificatio relationis, *Notandum est*; Relationem, sicut cætera accidentia; non habere compositionem Physicam, ex materia, & forma; sed Metaphysicam, ex genere, & differentia: vt ergo intelligatur, à quo sumat speciem, explicandum est, à quo sumatur genus, & differẽtia eius: & quonam modo assignari possit definitio quidditatiua cuiuslibet relationis. *Genus* igitur relationis, sumitur à tota eius natura, sub communi conceptu referendi ad terminum considerata. *Differentia* verò, ab eadem cõcepta, sub conceptu speciali, & vltimo determinante genus: nempe ex eo; quod sit ordinatio ad talem terminum: vt Genus paternitatis, erit communis conceptus relationis realis; qui dicit esse ordinem; vel ordinationẽ ad terminum. Differentia verò, esse ordinationem ad filium: & ideo definitio paternitatis talis erit. Paternitas est ordo, aut ordinatio patris, ad filium: & sic de cæteris relationibus. Itaque terminus relationis, non est differentia specifica relationis; seu esse ordinationem ad talem terminum, qui intrinsecus est relationi; sed esse ordinationem ad illum intrinsecum: & quia talis est ordinatio; quod est ad talem terminum; ideo dicitur relationem sumere speciem à termino; per quem cognoscenda, & definienda est relatio, & relatiuum.

Ex hac doctrina constat solutum esse *secundum arg.* quia nec relatio sic specificatur à termino vt terminus; sit differẽtia essentialis eius: nec specificatur à seipsa; sed à propria differentia: quæ ab eius natura sumitur; vt consideratur sub cõceptu determinato, vltimo ordinationis ad talem terminum; per quem conceptum contrahitur communis, & genericus. 52.

Vt testimonium Arist. explicetur, *Notandum est*: Fundamenta esse causas relationum: vel quia ab eis aliquo modo producuntur: vel si aliquando non producũtur ab eis; naturali saltem sequela, positis fundamentis sequuntur: vnde ex fundamentis diuersæ rationis; semper sequuntur relationes diuersæ speciei. Et ita concedi potest; quod à fundamentis sumatur species relationum, aut relatiuorum; quasi causaliter: sed à terminis, quasi formaliter: inter hos autem duos modos sumẽdi speciem relationum; patet secundũ esse magis proprium; quem posuit Aristot in definitione relatiuorum: & hæc est causa; propter quam communis modus loquendi scholæ, eo potius quam primo vtitur: sed Arist. & D. Thom. per fundamenta distinguunt illis locis: quia aliquãdo notiora nobis sunt: & quia modus ille distinguendi, non contradicit proprio, & formali; sed eum infert. vnde per illum distinguentes, non negant proprium; quo ferè semper vtuntur.

An

An filio correspondeat duplex relatio, vna in patre, & alia in matre; vel eadem in vtroque parente?

53. SOlutionem primi arg. in vltimum locum remisimus: quia circa illam dubium hoc (licèt breuissimè) disputādum est; An in patre, & matre vnica sit relatio ad filium; vel duplex, atque diuersa: nempe paternitatis in patre, & maternitatis in matre.

Et est prima opinio D. Thom. 3. p. quæst. 35. artic. 5. quam sequitur ibidem Caiet. & Ferrar. 2. lib. contra gentes, cap. 14. quòd duplex sit, ac diuersa relatio in patre, & matre: quæ in eo fundatur, quod Aristot. quem sequitur D. Thom asserit, patrem & matrem diuerso modo, aut in diuerso genere causæ concurrere ad generationem filij: patrem quidem tanquam causam efficientem; matrem verò tanquam materialem: sed effectus, diuerso modo, diuersaque dependentia dependet à diuersis generibus causarum; & diuerso modo ab eis respicitur: ergo per diuersas relationes: & ita pater refertur ad filium, relatione causæ efficientis; quæ dicitur paternitas: mater verò per relationem principij passiui; significatam nomine maternitatis. Et hæc sententia consequēter ponit, duplicem relationem; ratione saltem diuersam in filio: vnam, per quam refertur ad patrem; & aliam, per quam refertur ad matrem: nam cum relatio sumat speciem à termino; impossibile est, quod duę relationes specie diuersæ, habeant eūdem terminum formalem: vnde cùm filius terminet relationes diuersas, vtriusque parentis; necesse est per duas alias relationes, formaliter diuersas, eas terminare; sed ambæ significantur eodem nomine filiationis.

54. *Secunda opinio opposita* tenet; In patre, & matre, esse vnam relationem totalem, & completam; sed quasi compositam ex duabus relationibus partialibus, & eiusdem rationis patris, & matris: & in filio non nisi vnicam ei correspondere: per quam refertur ad vtrumque parentem, tanquam ad terminum adæquatum; & ad vtrumlibet, tanquam ad terminum inadæquatum. Ita Fonseca 5. Metaph. cap. 15. quæst. 5 sect. 3. & habet oppositum fundamentum; videlicet patrem, & matrem, in eodem genere causæ efficientis, concurrere ad generationem filij: tanquam vnam causam totalem, & adæquatam; quasi ex duplici causa partiali compositam: ita enim sentit Galenus; quem omnes Medici sequuntur, & (quibus magna fides in hac re tribuenda est) cum eis Scotus in 3. d. 4. quæst. 1. Ex hoc autem fundamento euidenter sequitur; quod in patre, & matre, nō sint relationes eiusdem speciei. Probatur consequentia. quia si eodem modo, atque in eodē genere causæ efficientis, & proximè concurrunt ad generationem filij; eodem modo ab eis dependebit: eodem etiam modo ab eis respicietur: quare per relationem eiusdem speciei; sed partialiter distinctam in vtroque: quia diuersæ sunt causæ partiales, & diuersa subiecta, in quibus non potest idem numero accidens reperiri. & possumus exemplum adducere, de multis hominibus trahentibus nauim; in quibus diuersæ sunt relationes partiales, & inadæquatæ, ad eundem effectum: sed ex omnibus integratur vna totalis, & adæquata.

Nostra autem sententia est: probabilem esse vtramque opinionem; non solùm propter patronos doctissimos; sed propter probabilia fundamenta; *ideo liberum erit cuique hunc vel illam pro libitu sequi.*

N o 4 QVAE-

QVÆSTIO VIII.

An terminus relationis, sit formaliter absolutus; vel formaliter relatiuus.

55. TRia sunt in relatiuo, Subiectum, Fũdamentum, & Relatio. Subiectum, est res ipsa; quæ denominatur à relatione. Fundamentum verò, ratio, aut medium; per quod consurgit in ea relatio: & hæc est, per quam formaliter dicũtur relatiua: vt in patre est homo; qui denominatur pater, à relatione: est generatio, vel potentia generandi, in quã fundatur relatio: & est Relatio ipsa paternitatis. Ex his tribus certum est; Subiectum non esse terminum relationis; nisi materialẽ, & quasi remotum: de quo non procedit quæstio; sed de duobus alijs: quorum ratione subiectum potest proximè terminare relationem. Et cùm fundamentum absolutum sit, vel modum absoluti habeat: ideo titulus quæstionis quærit: An terminus relationis; per quam vnum refertur ad aliud; sit subiectum ipsum, ratione fundamenti, quod absoluta res est; vel ratione relationis: nam si ratione primi sit terminus; terminabitur relatio ad absolutum formaliter: si verò ratione relationis; terminabitur formaliter ad relatiuum.

56. Sed duo possumus considerare in relatione. *Primum*; quòd sit ratio referendi vnum ad alterum. *Secundum*; quòd sit ratio terminandi relationem alterius: vt in paternitate; quòd sit ratio referendi patrem ad filium: & quòd sit ratio, per quã idem pater, terminet relationem filiationis: & cùm rationes istæ sint diuersæ, in eadem relatione; certum est, per relationem, secundum primam consideratiõẽ, vnum relatiuum non terminare relationem alterius: solùm potest esse dubium; an terminet per eam secundo modo consideratam.

Et in hoc sensu quæritur; *An terminus relationis sit formaliter relatiuus?* id est, an terminet per suam relationem; saltem secundo modo consideratam, relationem alterius.

Et circa quæstionem sic explicatam, sunt tres opiniones: duæ extremæ; & tertia media. *Prima opinio extrema*, asserit; Vnum relatiuum semper, & in quocunque genere relationum, terminare relationem alterius, per propriam relationem; & nunquam per fundamentum, aut rationem absolutam. Ita Caiet. 1. p. quæst. 13. artic. 7. quem sequuntur nonnulli ex modernis.

Probant, ex duplici proprietate relatiuorum, approbata ab Arist. & omnibus; 57. nempe, quòd relatiua sint simul natura, & simul cognitione, & definitione: ita vt nec vnum possit esse prius natura; quã alterum: nec cognosci sine cognitione alterius: nec definiri, nisi alio definito: quæ omnia manifesta sunt in patre; & filio: sed nihil horum potest eis conuenire; nisi vt relatiuis: ergo vt talia, referuntur vnum ad alterum; & vnum terminat relationem alterius. Probatur minor, quia pater, ratione fundamenti est prior natura filio; & filius posterior: cum per potentiam generandi, & generationem actiuam; quæ sunt fundamentum relationis; sit causa illius: & causa sit prior natura effectu: & eadem ratione potest cognosci, & definiri sine filio: ergo hoc modo; nõ poterit vnum terminare relationem alterius: & ideo solum per relationem possunt se terminare.

Sed quia relationes aliæ sunt mutuæ; & aliæ non mutuæ: quæ solùm reperiuntur in vno extremo; aliud verò absolutũ est: & ideo tale non videtur posse terminare aliud per relationem; sed per rationem absolutam: non apparet igitur, quomodo vera esse possit hæc opinio in omnibus relationibus. Propte-

Propterea *duobus modis defenditur*, quantum ad relationes non mutuas à diuersis; qui eam sequuntur. *Primò*, à Caiet. qui ait; in his relationibus, vnum extremum esse relatiuum formaliter, per relationem sibi inhærentem: aliud verò, non per relationem sibi inhærentem; sed per relationem existētem in altero. Gratia exempli. Scientia, quæ mensurabilis dicitur; refertur per relationem sibi inhærentem ad obiectum, tanquam ad mensurā: obiectum verò, quod mēsura dicitur, refertur ad scientiam; non per relationem sibi inhærentem; sed per eādem relationem existentem in scientia: & ita vnum relatiuum est intrinsecum; & aliud extrinsecum. Probatur ex Arist. 5. Meta. ca. 15. expresse asserente, in relatiuis tertij generis quæ sunt mensura, & mensurabile; vnum referrri per relationem, quam in se habet; alterum verò per relationem, qua aliud refertur ad ipsum.

Secunda via defenditur ab alijs modernis, asser entibus; extremum illud, in quo nō est relatio realis; terminare ralationem realem alterius, non per eandem illius relationem; sed per relationem propriam: non realem, quam supponimus non habere; sed rationis: quia eo ipso; quod scientia refertur, per relationem realem mēsurabilis ad obiectum; acquirit obiectum nouam commēsurationem, & correspondentiam cum illa; ratione cuius commēsurationis, debita est ei denominatio relatiua mensuræ: & cùm nō possit eam habere realem; quia res absoluta est; habebit à relatione rationis: quæ licèt non sit ante operationem intellectus; satis est debitam ei esse, & quasi in potentia proxima; vt tribuat ei denominationem relatiui, licèt non relati: nam relatiuum dicit potentiam, vt aliquid referatur ad aliud: relatum verò actuale exercitium referendi.

Hac tamen sententia; siue hoc, siue illo modo defendatur, improbabilis mihi videtur. Quia vterque modus eam defendendi, euidenter ostenditur falsus. *Et primo*, modum Caiet. sic impugno. Effectus formalis relationis est, facere relatiuum; sicut effectus formalis albedinis est, facere album: sed repugnat aliquid esse album; nisi ab albedine sibi inhærente: ergo repugnabit esse relatiuum; nisi à relatione sibi inhærente: falsum ergo est, quod asserit Caiet. mensuram referri ad mensurabile, per relationem existentem in eodem mensurabili.

Secundo: Quia relatio cùm sit forma relatiua; non potest referre ad alterum, nisi illud, quod constituit relatiuum: sed constituere aliquid relatiuum, est tribuere illi proprium effectum formalem: sicut constituere albedinē, vel subiectum album; est tribuere illi proprium effectū formalem: & effectum formalem, non tibuit forma; nisi per informationem: ergo repugnat aliquid cōstitui relatiuum, aut referri ad aliud, per relationem existentem in altero; & non in se.

Secunda via hac ratione probatur falsa. Relatiuum, & relatum: vt superius probauimus, non se habent sicut potentia, & actus: quia cùm relatio sit actualis ordinatio vnius ad alterū; eo ipso, quod est in subiecto; refert illud actu ad terminum: & ideo impossibile est, aliquid habere relationem in se, per quam dicatur relatiuum; quin per eandem etiam dicatur relatum. Impossibile est etiam dici relatiuum, ex eo solum; quòd potest habere relationem; nisi eam actu habeat: nam homo, priusquam relationem habeat paternitatis; non dicitur relatiuum ad filium. Et sicut hæc vera sunt, & necessaria, in relationibus realibus, ita nō minus sunt necessaria, in relationibus rationis quia relatio rationis, cōcipitur ab intelle

nisi per patrem. *Tertium*, vitiosus quidam circulus: nam vnum relatiuum definitur per alterum; & hoc idem per illud: quod non est aliud; quam definire idem per semetipsum: nam si pater definitur per filium; & rursus filius per patrem; à primo ad vltimum, definietur pater per se ipsum. Quod reprobauit Arist. 5. lib. Meta. cap. 13. his verbis. *Non est autem intellectus ad illud, cuius intellectus est: idem enim profectò bis esset dictum.* Et 1. lib. de poster. resolutione ca. 3. eundem circulum reprobauit, in demonstrationibus.

64. *Tertia opinio media, inter hac extrema, affirmat,* Relationes non mutuas terminari ad absolutnm formaliter; mutuas verò formaliter ad relatiuum: & ideo relationem in communi, vel relationem, vt relatio est ad terminum; abstrahentem ab absoluto, & relatiuo. Ita Ferre. 2. contra gentes c. 11. Nip. 5. Meta. dis. 14. Deca Hif. in 1. d. 3. q. 1. notab. 3. & ex modernis plures. *Et hanc existimo esse certā in doctrina Arist. & D. Tho. & probabiliorem cæteris.* Quam efficaciter probauimus, quantum ad relationes non mutuas, vt mēsurabilis, & mensuræ; creaturæ, & creatoris; aduersus primam opinionem Caie.

Probatur etiam aduersus secundam opinionem; quòd, relationes mutuæ terminentur formaliter ad relatiuum; expressis testimonijs Arist. Proph. & D. Tho. Arist. enim c. præs. agens de termino relationis, & docens qualis esse debeat; ita ait. *Amplius, siquidem conuenienter assignetur ad quod dicitur, omnibus alijs sublatis; quæcunque accidentia sunt: relicto autem solo illo ad quod assignatum est, conuenienter semper ad ipsum dicetur; circumscriptis omnibus, quæ accidentia sunt domino: vt esse bipedem, vel scientia susceptibilem, vel hominem: relicto verò solo, quòd dominus est, semper: seruus enim, domini seruus dicitur. Si autem non conuenienter ad id, ad quod dicitur assignetur; circumscriptis omnibus alijs, relicto autem eo solo, ad quod assignatum est, non dicetur ad ipsum. Assignetur seruus hominis, aut alicuius; & circumscribatur ab homine, esse dominum, non amplius seruus ad hominem dicetur: cùm enim dominus non sit, nec seruus est.* Quibus verbis expresse docet, seruum terminari formaliter ad dominum, vt dominus est: & dominum ad seruum, vt seruus est: quia ablatis relationibus dominij, & seruitutis, neuter potest terminare relationem alterius; & relationibus positis; etiam si omnia alia auferantur, sufficienter per eas vtrumque terminat relationem alterius.

Porph. etiam cap. de specie, idem tenet; nō minus expresse: nam asserit se definisse genus per speciem; & rursus, speciem per genus: quia sunt relatiua; & vnum relatiuum debet definiri per alterum; tanquam per terminum suæ relationis. 65.

Quod D. Tho. non minus expresse docet, 1. p. q. 40. art. 2. ad 4. vbi explicans definitionēm relatiuorum, traditam ab Aristot. & docens quomodo conueniat relatiuis mutuis; inquit. *Cùm dicitur, quòd relatiui esse, est ad aliud se habere; per ly, aliud, intelligitur correlatiuum: quod non est prius, sed simul natura.*

Probatur deinde duplici ratione. Prima, ex intrinseca ratione relatiuorum deducta. Oppositio relatiua reperitur inter relatiua; vt relatiua sunt foramliter: ergo mutua relatio includit essentialiter mutuam oppositionem relatiuam: sed mutua oppositio relatiua essentialiter includit vtramque rationem; referendi, & terminandi: ergo vtrumq; officium exercent relatiua per relationes; & non per fundamenta absoluta. Omnia constant euidenter, præter minorem; quam non minus euidenter probo. Mutua oppo-

sitio, consistit in hoc; quod relatiua mutuò se respiciant; & relationes, sint rationes mutuò se respiciendi: sed mutuò se respicere est; quodlibet respicere aliud, & ab eo respici: & ab eo respici, est terminare relationem eius: ergo euidens est, quòd in mutua oppositione, includatur essentialiter vtrumque officium; referendi, & terminandi: & ex consequenti quòd vtrumque exerceant relatiua per relationes, & non per fundamenta: quia per relationes, & non per fundamenta, habent formalem oppositionem.

Secunda ratio ex Diuinis relationibus
66. sumitur; in quibus euidenter probari videtur; vnum relatiuum, non posse per absolutum, sed per relationem terminare alterum. Duo autem præsupponit hæc ratio, tanquam certa. *Primum est.* Relationem realem, esse non posse; nisi inter extrema realiter distincta: quia nihil potest ad seipsum referri relatione reali: *Secundum:* in Diuinis non posse vnum distingui realiter ab altero, per aliquid absolutum: sed solùm per relationes oppositas. Quibus suppositis, ita procedit ratio: Pater refertur ad Filium, & Filius ad Patrem; vt realiter distinguuntur: ergo vterque terminat relationem alterius; vt realiter ab eo distinctus: quia sicut relatio realis, non potest esse eiusdem ad seipsum realiter; ita nec terminari ad seipsum: sed pater, & filius non distinguuntur realiter; nisi per solas relationes oppositas: ergo nec refertur vnus ad alterum; nec terminat relationem alterius; nisi per relationem: vt relatiuum igitur, & non vt absolutum: sed eadem est ratio, de relationibus Diuinis, & creatis; quantum pertinet ad rationem referendi, & terminandi: ergo etiam relationes creatæ terminantur ad relatiuum, & non ad absolutum.

67. *Huic argum. duobus modis conantur respondere moderni. Primò:* quod licèt in diuinis personis nihil distinguat realiter; nisi relatio: & ideo relatiuum sit, quod terminat secundum se; tamen vt à nobis concipiuntur Diuinæ Personæ, potest distingui fundamentum relationis, à relatione ipsa, & concipi per modum absoluti; & per ipsum ita conceptum, terminabit vna persona relationem alterius: vt in filio, possumus considerare generationem passiuam; à qua dicitur genitus per modum absoluti, tanquam fundamentum filiationis: & per illam terminabit filius relationem paternitatis; nō per filiationem: & sic etiam pater, per generationem actiuam, per modum absoluti consideratam.

Hæc tamen solutio, nec vera est, nec soluit arg. Probo primò: Quia in personis Diuinis, non solùm paternitas, & filiatio sunt relationes; sed etiam generatio actiua, & passiua; quæ vocantur origo actiua & passiua, dicunt formaliter relationem: alioqui non possent distingui realiter; sicut certum est distingui. Deinde à nobis qui scimus, nihil distingui in Diuinis; nisi per relationes; concipiuntur tanquam relatiuæ: ergo si per illas terminat vna persona relationem alterius; terminabit, vt relatiua formaliter. *Probo secundum.* Quòd solutio non soluat argumentum. Quia licèt à nobis imperfectè intelligentibus, cōciperentur generatio actiua, & passiua, per modū absoluti; cùm tamen sint relatiuæ: nihilominus secundum se, nihil habet absolutum: ergo cum relationes terminentur secundum se; & non solùm, vt imperfectè concipiuntur à nobis; sequitur euidenter, secundum se terminari ad relatiuum formaliter; & non ab absolutum: & etiam vt intelliguntur à Deo, & beatis qui eas cognoscunt, vt sunt in se.

Propterea idem moderni, videntes prædictam 68.

dictam solutionem insufficientem esse; aliam tradiderunt. Concedentes, relationes Diuinas terminari ad relatiuũ formaliter; non tamen creatas. Et differentiam in eo consistere; quòd relationes Diuinæ, sunt subsistentes, aut substantiales: ideo non habent aliud fundamentum; præter seipsas; per quod possit vnum relatiuum terminare relationem alterius: sed relationes creatæ, sunt accidentales: & ideo præsupponũt aliud accidẽs absolutũ; tanquam fundamentum; quo medio consurgunt: & per tale fundamentum, potest vnum relatiuum terminare alterum.

Sed nec differentia hæc aliquid valet; quod ita probo. Relationem esse subsistentem, aut inhærentem; seu substantialem, aut accidentalem, non pertinent ad rationem formalem relationis; aut relatiui; sed materiale quid est: relationes verò, aut relatiua mutua, ex ratione formali talium relationum, & relatiuorum; habent mutuam oppositionem, formaliter includentem vtramque rationem; referendi, & terminandi: quæ eadem est in Diuinis, & creatis: ergo eadem erit ratio terminandi in vtrisque: sicut eadem est ratio referendi: quare si ad relatiuum formaliter terminantur Diuinæ relationes, & non ad absolutum; etiam terminabuntur creatæ.

69. *Argumenta primæ opinionis*, non sunt contrá nostram: & ideo non est necessarium ad ea respondere. *Sed ad primũ arg.* secundæ opinionis, Cõcessa maiori, concedenda est etiam minor; secundum illã partem, qua asserit, ralationẽ, vt relatio est, non terminari ad relatiuum formaliter: sed neganda, quãtum ad aliam, quòd vt est relatio mutua non petat terminum relatiuum: quia relatio, vt relatio, consideratur tanquam genus, abstractũ à mutua, & non mutua: sed vt relatio mutua, consideratur in specie: certum est autem, plura conuenire alicui rei, ratione suæ differentiæ, vel speciei; quæ non conueniunt ei, ratione generis: & ideo conuenire petest relationi; vt mutuæ, terminari ad relatiuum; licèt non cõueniat ei sub communi ratione relationis: sed sicut hoc modo abstrahit à mutua, & non mutua ita petit terminum abstrahentem, ab absoluto, & relatiuo. Vt autem aliud, quod in eodem arg. adducitur, de relationibus mutuis, carentibus aliquando relatione in vno extremo; vt est relatio creaturæ ad creatorem; & relatio maternitatis B. Virginis, ad Christum Dominum, apud D. Tho. saluatur. *Notandum est. Primò.* Relatiua dobus modis cõsiderari posse; *Materialiter*, dũ pro subiectis, aut fundamẽtis accipiuntur; vt dum dicitur, hunc hominem album, referri ad alium hominem album; aut generans ad genitum: quo etiam modo, solum ducuntur relatiua accidẽtaliter: quia accidẽtalis est hæc; generans est pater; vel album est simile. *Alio modo* accipiuntur. *Formaliter* prout significantur nominibus relatiuis; patris, aut similis: & sicut relatiua; sic etiã termini accipiuntur eisdem modis: vt dum dicimus; simile referri ad album; aut patrem ad genitum. formaliter verò; si dicamus; patrem referri ad filium.

Secundò notandum est. Relationes mutuas, perfectas esse: quia oppositionem relatiuam includunt: non verò mutuas quasi mancas; & imperfectas; quibus vnum tantum extremum relatiuæ oppositionis reperitur: vnde solum intelliguntur habere materiales terminos; non formales. Vt relatio mensurabilis, ad mensuram; solum materialiter dicitur terminata: & idem de relationibus mutuis si in altero extremo suspenderetur relatio; per possibile, vel impossibile: vt si, consurgente relatione simulitudinis in vno albo; suspenderetur relatio in alio 70.

(si hoc sit possibile, de quo non agimus) tunc enim solùm materialiter maneret terminata relatio alterius.

Ex his respondetur; Relationes illas, quæ in arg. adducuntur, esse non mutuas: quia relationes mutuæ, non versantur; nisi inter extrema eiusdem ordinis: Deus autem & creatura diuersi ordinis sunt: & ideo non habent mutuas relationes; propterea quoque solùm materialiter terminatas: & hoc est, terminari ad absolutum: mutuæ verò, oppositionem relatiuam essentialiter dicunt; ratione cuius, quælibet est ratio referendi ad aliam; & simul ratio terminandi; quia nō potest oppositio intelligi sine vtraque ratione: & ideo relatiua mutua; vt talia, ad relatiuum formaliter terminantur.

An vnum relatiuum possit, & debeat definiri per alterum?

91. SEcundum arg. petit, an vnum relatiuum possit, & debeat definiri per alterum. *Et circa hoc dubium, est duplex opinio. Prima negat*; quòd sic debeat definiri: quam tenent omnes illi; qui defendunt, relationem non terminari ad relatiuum; sed ad absolutum: & probant ex inconuenientibus, quæ sequuntur ex tali modo definiendi; in eodem argument. adductis.

Secunda opinio, est eorum, qui sequuntur nostram sententiam, quòd vnum relatiuum, debeat definiri per aliud: & hæc apud Arist. & D. Thom. est certissima; vt probant testimonia eorum adducta in confirmationem nostræ sententiæ: est etiam expressa apud Porph. cap. de specie; vbi asserit; se egisse statim post genus de specie: quia sunt relatiua: & ideo necesse est vnum cognoscere, & definire per alterum Huic autem testimonio, respondent moderni; non posuisse Porp. speciem, in definitione generis; vt refertur ad genus; sed vt ad indiuidua: & ideo non definisse vnum relatiuum per alterum formaliter. Sed miror sanè; solutionem tā apertè falsam excogitasse: quia luce clariùs est; genus definisse per speciem, tanquam per subiectum; de quo prædicatur: sed non est subiectum, de quo prædicatur genus; vt respicit indiuidua, sed vt respicit genus ipsum; vt ex se patet: ergo per illam; tanquam relatiuum generis, definiuit genus ipsum. Sed in rationibus est probabilior, & (nisi ego fallor) euidenter concluditur ex Diuinis relationibus; in quibus fatentur; quòd licet nostro modo intelligendi imperfecto, possumus intelligere; quòd terminentur ad fundamentum; per modum absoluti à nobis conceptum: tamen si sumantur; vt sunt in se; vel vt à Deo ipso, aut beatis cognoscuntur; non possunt vllo modo terminari ad absolutum: quia cum sint subsistentes, & substātiales; non habent fundamentum aliud; præter seipsas: ideò necesse est per seipsas terminare. Ex hoc deduco euidens arg. *hoc modo*. Relationes diuinæ; vt sunt 92.
in se, & vt cognoscuntur à Deo, & beatis; terminantur ad relatiuum formaliter: ergo terminus formalis vnius relatiui; vt patris, erit aliud relatiuum; nempe filius, vt filius: sed relatiuum non potest definiri; nisi per terminum: ergo nō potest definiri; nisi per aliud relatiuum Si igitur beatus, quadam explicatione explicaret, quid sit pater Aeternus; non posset alio modo; nisi dicendo. Pater Aeternus est; qui habet Filium eiusdem naturæ. Tunc ergo; vel ex tali definitione sequuntur illa inconuenientia, nempe circulus vitiosus; definiendo idem per seipsum, ignotum per ignotius, atque etiam nugatio, vel inutilis repetitio; vel non: si non sequuntur: ergo nec sequentur ex modo definiendi vnum relatiuum creatum per aliud: & si sequuntur; nō erit verū, quòd Diuinæ relationes terminētur ad relati-

ad relatiuum. Probatur euidenter paritas rationis. quia tam in diuinis, quàm in humanis erit verum; quòd loco nominis in definitione positi: licet ponere suam definitionem: ex quo sequuntur illa inconuenientia: vel in vtrisq; erit falsum, & non admittendum in relatiuis.

Ad arg. igitur, concedenda est conse-
73 quentia primi enthymematis. Dum autem dicitur; loco nominis in definitione positi, licere definitionem eius ponere; Distinguendum est: quia vel id, quod ponitur in definitione; ponitur, tanquam pars definitionis intrinseca: & tunc licebit quidem: si verò non ponatur; nisi tanquam additamentum extrinsecum; non licebit: & quia vnum relatiuum, non ponitur in definitione alterius, tanquam pars definitionis; sed tanquam additamẽtum extrinsecum; in ordine, ad quod sumitur differentia relationis; propterea non licet loco eius ponere suam definitionem. Et ratio huius differentiæ est: quia pars definitionis, est pars essentialis definiti; secundum propriam naturam illud componens: vnde idem est, quòd ipsa ponatur; vel eius definitio cõtinens naturam propriam. Quod autem ponitur tanquam additamentum; non est pars definitionis, aut definiti, nec illud componit; sed solùm extrinsecè terminat, aut respicit: quod non potest præstare per suam definitionem; sed per se: quia per se respicitur ab alio, & per se ei opponitur relatiuè: quemadmodum vnum contrarium per se opponitur alteri, & per se expellit illud à subiecto; & non per propriam definitionem. Quod considerans Aristot. 6. lib. Topic. cap. 2. docet, relatiuum; vt in definitione alterius positum; diuersum esse à se ipso, extra definitionem, aut secundum se sumpto: nam in definitione non ponitur secundum se; sed solùm vt extrinsecum additamentum. Præterea in definitione, nõ ponitur tanquam relatiuum: sed tanquam terminus: ideo non licet ponere definitionem eius, vt relatiui: vt terminus vero, solùm habet extrinsecam denominationem; quasi eius, in quo finitur relatio alterius.

Ad testimonium verò Aristotelis, Respõdetur; non loqui de definitione vnius relatiui per alterum; sed solùm asserere quòd potentia, non refertur ad suum subiectum, in quo est; relatione speciali potentiæ; sed solum ad proprium obiectũ: vt intellectus, non ad hominẽ; sed ad intelligibile: & visus ad visibile: nam si diceretur, inquit, relatiuè ad hominem; idem in quantum idem, bis diceretur hoc est, ad duos terminos, & per duas relationes: quod patet esse impossibile. Itaq; vt potentia, solùm dicitur relatiuè, ad obiectum; hoc est ad intelligibile: ad subiectum verò, non dicitur vt potentia: sed sub alia ratione communi accedentis. Ita exponunt verba Arist. Commentator, D. Thom. & Alexander, in Commentarijs eorum verborum: & ideo hũc esse germanum sensum eorundem credendum est.

Ad aliud verò, quod in argumento dicitur: definiri ignotum per ignotius; si v- 72
num relatiuum definiatur per alterum: negandum est: sed definitur per extrinsecum, æquè ignotum; & sine quo nõ potest per notiora explicari: & hoc nihil refert: quia non requiritur, quòd magis notum sit definitio; quidquid ponitur in definitione eius, per se sumptum: sed satis est, si sit æquè notum, vel ignotum: dummodo ex eo, & alijs notioribus, resultet integra definitio, notior simpliciter definito: & hoc habet definitio relatiui: licèt terminus in ea positus, tãquam extrinsecũ additamentum, æquè ignotus sit; si per se sumatur, ac definitum.

QVAESTIO VIII.

An vnum relatiuum, ordinetur ad duos terminos eiusdem speciei, per eandem, vel diuersas relationes?

76 EXplicatum est iam in præcedentibus, id quod pertinet ad vnitatem, & distinctionem specificam relationis: ideo in hac octaua quæstione quærimus, de vnitate numerica; an quando vnum relatiuum respicit plures terminos eiusdem speciei; vt pater plures filios; aut simile plura similia; respiciat singulos per singulas, atque distinctas numero paternitates, aut similitudines; vel per vnam, & eandem numero, extēsam ad omnes. Sed respicere vnum relatiuum plures terminos, dupliciter contingit. *Primò*, ita vt quilibet sit quasi partialis, & inadæquatus; & ex multis constituatur vnus totalis, & adæquatus, atque etiam necessarius ad terminandam relationem: & hoc modo species respicit indiuidua; & totū, plures partes. Et hoc modo certum est, relatiuum per eandem numero relationem, & non per plures, respicere plures terminos. *Secundo modo*, contingit vnum relatiuum respicere plures terminos, adæquatos, & totales: ita, vt quilibet solus, & per se; possit terminare sufficienter relationem: & hoc modo procedit quæstio; an multipilcatis his terminis; multiplicentur relationes: ita vt pater referatur ad plures filios, per plures relationes; vel non multiplicentur; sed per eandem numero paternitatem referatur ad omnes.

Et prima opinio tenet; Relatiuū ad plures terminos, non eadem relatione referri, sed multis numero diuersis: ita vt tot
77 habeat relationes; quot filios: ita Scotus in 3. d. 8. quæst. vnica; quem sequuntur sui discipuli, & plures moderni: & probatur ex doctrina Arist. qui docet in hoc capite; relatiua esse simul natura, & cognitione: ita vt quocunque eorum existēte in rerū natura, ponatur necessariò aliud; & ablato etiam vno, necessariò auferatur aliud; cognito etiam vno, necessariò cognoscatur aliud: sed hæc proprietas, nō potest conuenire relatiuis; si per vnam relationem referantur ad plures terminos: ergo hoc non est possibile. Probatur minor, quia posito primo termino, ponitur relatio: sed semper ponitur prius tempore vnus primus; quā sint alij; ergo non erit relatiuum simul tempore, nec natura cum eis; sed solùm cum primo: nec etiam simul cognitione: quia prius cognoscitur primus: quàm illi alij cognoscantur. Deinde sublatis omnibus præter vltimum, qui non perijt; non aufertur relatiuum.

Probatur deinde ratione. Primo. Quia si pater vnum habeat filium; per vnam relationem realem ordinabitur ad illum: ergo habito secundo; cōsurget in eo noua relatio. Probatur consequentia. Relatio est ordinatio ad terminū: ergo noua ordinatio erit noua relatio: sed ordinatur de nouo ad nouum filium, cum prius non ordinaretur: ergo noua est in eo ordinatio; & ideo noua relatio: & sic multiplicabuntur relationes, multiplicatis terminis. 78

Secundò. Posito fundamento proximo relationis, & termino; ponitur necessariò relatio; vt posita albedine in hoc pariete: quæ est fundamentum similitudinis; & posito alio albo; quod est terminus, consurgit necessariò similitudo: ergo posito nouo fundamento, & nouo termino; consurgit noua relatio: sed genito nouo filio, ponitur noua generatio actiua in patre: quæ est nouum fundamentū relationis: ponitur nouus terminus; qui est nouus filius; ergo ponitur noua relatio, Et cōfirmari potest hoc modo. Si primus

mus filius moriatur, ante generationem secundi; desinit esse in parte relatio paternitatis: & per generationem secundi, consurgit noua: quia nouum est fundamentum, & nouus terminus: ergo etiam si nō moriretur primus: consurgeret noua relatio. Probatur consequentia. quia eodem modo est nouum fundamentum, & nouus terminus.

79 Et si respondeas. viuente primo non consurgere nouam relationem: quia relatio est accidens: & vna paternitas, est accidens solo numero diuersum ab alia: sed duo accidentia solo numero distincta; non possunt esse in eodem subiecto. quia accidentia indiuiduantur ab eo: ergo nec potest consurgere noua relatio permanēte prima. Itaque subiectum habens vnam relationem, incapax est alterius solo numero distinctae: & ideo vna relatio impedit; ne consurgat alia. Contra hoc est: quòd licèt accidentia purè absoluta, indiuiduentur à subiecto: & ideo non possint plura esse in eodem, solo numero distincta: accidentia tamen respectiua, non indiuiduantur à solo subiecto: sed cum ordine ad terminum, vel ad aliquid aliud; quod respiciunt. Vnde plures species visibiles (quas vocant intentionales) simul sunt in eodem oculo, vidente simul duo alba; aut duo alia obiecta: ergo cum relatio sit accidens respectuum; non indiuiduatur à subiecto solo; sed cum ordine ad talem terminum: qui si fuerit nouus; capax erit subiectū recipiendi nouam relationem, solo numero distinctam: quia nullum erit impedimentum; ratione cuius non multiplicentur relationes, multiplicatis terminis.

Secunda opinio, negat multiplicari; sed primam relationem extēdi affirmat ad nouos terminos superuenientes: & ita per vnam numero relationem, referri patrem ad omnes filios. Ita D.Thom. in 3.d.8.q.1. & 3.par. q.35. art.5. Caiet. ibidem, Ferra.1.lib.contra gentes, c.4. Soncinas 5.Meta.q.32. concl.3. Toletus quaest. 3. huius praedicamenti. 80

Potissimum fundamentum D. Tho. est, natura accidentium: quae sicut essentialiter sunt aliquid substantiae; sic nata sunt ab ea indiuiduari. Duplicia autem esse possunt accidentia: nam vel sunt distincta specie; vel eiusdem speciei: & si specie distincta sint; iam supponuntur distincta numero: quia distinctio specifica; cùm sit maior, cōtinet minorem; quae est numerica: & ideo nullus vnquam dubitauit; quin duo accidentia specie distincta, simul sint in eodem subiecto: quia experientia notum est, in colore, & calore simul existentibus in homine: si verò sint eiusdem speciei; non supponuntur distincta; sed nata sunt à subiecto suspicere indiuiduationem, ac distinctionem: & propterea non possunt multa simul esse in eodem subiecto; siue purè absoluta sint, siue respectiua: nam cùm sint aliquid substantiae, cui inhaerent, & quam denominant; quodlibet natum est esse hoc in quantum natum est efficere substantiam hanc, in specie talis accidentis; nempe hoc album, aut hoc calidum: sed repugnat; quod idem numero subiectum, sit simul diuersum numero, in eadem specie accidentali, vt quod sint duo numero alba, aut calida: ergo repugnabit habere duplicem albedinem, aut calorem: & ex hoc inferetur; subiectum indiuiduare accidentia, eiusdem speciei; quia licèt admitteretur, habere plura simul; nihilominus vnum tamen numero esset in specie eorum; vt vnum numero album, & nōn plura: ergo ea trahreet ad propriam indiuiduationem; ita vt vnum numero fierent: & hoc est à subiecto accipere indiui-

Ad primum arg. Neganda est consequētia primi enthymematis: & cùm dicitur nouam ordinationem, esse nouam relationem, concedi potest. Sed negandum est: quòd adueniente nouo filio, consurgat noua ordinatio in patre: sed solum consurgit noua extensio eiusdem ordinationis, siue eiusdem relationis: sicut adueniente noua conclusione, non multiplicatur nouus habitus; sed solùm habetur de nouo extensio noua eiusdem.

Ad secundum. Concesso antecedente, neganda est consequentia: quia nouum fundamentum inducit nouam relationem; si subiectum sit capax: habita autem prima relatione; non est capax subiectū nouæ alterius relationis numero distinctæ (vt probatum est) ideo nouum fundamentum, quod ex se posset nouam inducere relationem: per accidens non inducit eam: quia per accidēs fuit subiectum impeditum, per relationem iam acquisitam. Et datur euidens instantia in conclusionibus; quarum quælibet est productiua habitus; sed per accidens non producitur ab aliis, præter primam: quia inueniunt iam productum, & impeditū subiectum.

84 *Secundò respondetur* Concedendo eandem consequentiam: sed negando minorem subsumentem; quòd per generationem secundi filij, nouum ponatur fūdamentum. Nam licet ponatur noua generatio; hæc tamen non est fundamentum relationis; sed solùm ratio fundandi: fundamentum verò est potentia generandi; vt reducta ad actum, per generationem: potentia verò non multiplicatur: ideo nec ponitur nouum fundamentum, nec proinde noua relatio. Ad aliud tandem, quod dicitur de indiuiduatione accidentium: negari posset; quod plures species intentionales sint in eodem subiecto; hoc est in sensu, aut intellectu: qui non potest simul plura intelligere; nisi per modum vnius: hoc est; nisi vt aliquo modo ordinētur, vel per vnam speciem repræsententur; si sint obiecta eiusdem speciei. Sed melius fortè dicetur; diuersam esse rationem de accidentibus intentionalibus: quæ nec denominant subiectum, nec producuntur propter illud, nec ab eo præcipuè dependent; sed ab obiecto; propter quod producuntur, vt potentiæ vniatur; atque de accidentibus realibus, habentibus esse physicum; & secundum illud denominantibus, & propter subiectum productis. Quæ proinde ab eodem subiecto indiuiduantur: intentionalia verò, potius ex propria entitate, cum ordine ad talem actionem, per quam producuntur ab obiectis: sed de hoc suo loco.

QVAESTIO IX.

An entis realis ad non ens; aut ad ens rationis, detur relatio realis?

Sensus quæstionis est; an necesse sit terminum relationis realis, esse realem; hoc est actu existentem: vel etiam si sit ens rationis, aut ens in potentia; referatur ad illud ens actu existens, relatione reali. 85

Triplex est relatio. Prima, pertinens ad essentiam absoluti; vt transcendentes, & secundum dici: quales sunt respectus; quos dicunt accidentia ad subiecta, & scientiæ, atque potentiæ, ad obiecta: & de his certum est apud omnes; quòd reales esse possint, & terminari ad ens in potentia, vel ens rationis: quia realis est respectus aptitudinalis inhærentię; quē dicit quantitas Eucharistiæ ad substantiā panis, in qua erat, iam non existentem: Realis est etiam respectus, quem dicit Dialectica ad ens rationis; tanquam ad proprium obiectum. *Alia est relatio,* non 86

pertinens ad eſſentiam abſoluti; ſed quæ omnibus accidit:& hęc eſt prædicamentalis;ſed eſt duplex:quædam mutua; quæ ex parte vtriuſque extremi realis eſt; vt ſimilitudo,& æqualitas. Et de hac etiam eſt certum;quòd non poſſit verſari,inter ens actu,& ens in potentia; aut inter ens reale,& rationis. Quod probat euidenter hoc argumentum. Relatio realis mutua,debet eſſe ex parte vtriuſq; extremi realis;ſed ens in potentia, aut ens rationis non eſt capax relationis realis:ergo nō poteſt referri ad ens actu relatione reali:& ex conſequenti,repugnat relationem realē mutuā dari entis in actu; ad ens in potentia, vel ad ens rationis.

78 Difficultas igitur quæſtionis,ad ſolas relationes prædicamētales non mutuas; ex quibus conſtat tertium genus, reducitur: *An poſſint terminari ad ens in potentia,vel ad ens rationis; vel neceſſe ſit habere terminum realem, & actu exiſtentem; quamuis abſolutum.*

Et prima opinio,affirmat; entis in actu ad ens in potentia; vel ad non ens, dari poſſe relationem realem non mutuam: ita Greg.in 1.d.28.q.3. Soncinas 5. Meta. quæſt.7.& ex modernis nonnulli.

Et probatur, teſtimonio Ariſt.cap.præſenti; vbi ait;calefactiuum referri ad calefactibile;& agens in actu,ad paſſum in potentia, in ſecūdo genere relationum: ergo ſentit entis in actu,ad ens in potentia,dari relationem realem.

Probatur deinde ratione: Primò, quia relatio nō ſumit entitatem realem à termino;ſed à fundamento: ergo vt realis ſit,non habet à termino;ſed à fundamēto:quare realis eſſe poterit; etiam ſi terminus ſit ens rationis, vel ens in potentia.Quod probat Dialectica; quæ cùm ſcientia realis ſit,& realis habitus;habet pro obiecto ens rationis.

Secundò,Potentiæ habitus,& ſcientię, ſunt menſurabiles per ſua obiecta: ergo 88 referuntur ad ea relatione reali,menſurabilis ad mēſuram,in tertio genere poſita:non tamē referuntur ad illa, vt actu exiſtentia;ſed ſufficit,quòd ſint in potētia:ergo hæc relatio non mutua, poteſt dari inter ens actu,&ens in potētia.Probatur minor,quia viſibile nō dicit actualem exiſtentiam;ſed potētiam tantùm: & roſæ non exiſtēte in hyeme; datur vera,&realis ſcientia de illa.Et confirmari poteſt hoc modo.Hæc eſt differentia inter officium referendi, & terminandi, quòd illud dicit intrinſecam ordinationem relatiui ad terminum: & ideo requirit veram relationem inhærētem relatiuo,& ex conſequenti actualem exiſtentiam eiuſdem relatiui: ſed terminare,ſolùm dicit extrinſecam denominationem: & extrinſeca denominatio poteſt conuenire rei non exiſtenti: quia cū nihil intrinſecum ponat in ea; non néceſſariò præſupponit actualem exiſtentiam eius:ergo ens in potentia ſufficiēter poteſt terminare relationē nō mutuā.

Secunda opinio negat, relationem prædicamentalem non mutuam, poſſe dari 98 ad ens rationis,vel ad ens in potētia;ſed aſſerit relationem neceſſariò requirere terminum realem actu exiſtentem. Hæc eſt D.Thomę ſecundo contra gentes, ca. 12.& 1.par.quæſtione 13. quē ſequuntur in eiſdem locis Caiet.& Ferrar.Scotus in 1. d.3.quæſtione vnica.Capreol.d.31. quæ.1. Sotus quæſt.1.huius capitis. Fonſeca 5. Metaph.cap.15.q.1.ſectio.2.Pater Franciſcus Suarius 2.tomo ſuæ Metap.&moderni ferè omnes. *Et videtur nobis probabilior,& ſequenda.*

Sed explicanda eſt prius deinde probanda, Pro explicatione vero, *Notanda eſt diſtinctio*, inter relationes traſcendētales, & ſecundum dici ex vna parte;& relationes prædicamētales: quòd illæ ſunt de eſſen-

eſſentia abſolutorum; quorum eſſentiam complent: ideo non dicuntur habere fūdamētum, nec ex fundamēto aliquo cōſurgere; ſed naturam abſoluti; cuius eſſentiam complēt; ſequuntur: quod ſi ens prædicamentale fuerit; ad prædicamentum, & ſpeciem eius reductiuè pertinebunt. Relationes verò prædicamentales, extra eſſentiam omniū abſolutorū ſunt: nec per ſe intenduntur, aut producūtur à natura, vel agente aliquo: ſed conſequūtur rem abſolutam per ſe intentam, atque productam: nec ſequūtur illam: vt in ſe eſt; ſed vt commenſuratur, aut proportionatur alteri. Gratia exempli: relatio ſimilitudinis, extra eſſentiam albi; aut nigri eſt; nec per ſe intenditur, aut producitur à natura: ſed conſequitur albedinem, aut nigredinem, per ſe intentam, & productam: nec ſequitur illam vt eſt in ſe; ſed vt commenſuratur alteri albedini: quia ſi ſola vna albedo produceretur in rerum natura; non conſequeretur eam relatio ſimilitudinis: & quod de ſimilitudine dicimus; de cæteris relationibus intelligendum eſt.

Secundò notandum eſt. In potentiis, ha-
60 bitibus, & ſcientijs: duplicem eſſe relationem: ***Primam***; per quam completur eſſentia eius: & hæc non ſignificatur nomine ſcientiæ; ſed imbibitur in ratione abſoluta eius; ad quam ſignificādam per ſe eſt impoſitum. ***Alia eſt relatio***; quæ nō pertinet ad eſſentiam ſciētiæ, nec ſequitur eam, vt eſt in ſe; ſed vt commenſuratur, & adæquatur obiecto: ita non poſſit circa aliquid verſari; quod non contineatur ſub eo: nec poſſit non verſari, circa quodcunque ſub eo contētum. Et hęc eſt relatio menſurabilis; per quam refertur ſcientia ad obiectum, non ſub ratione ſcibilis; ſed ſub ratione menſuræ. Itaque naturam ſcientiæ, iam completæ per reſpectum ad obiectum, in ratione ſcibilis; ſed ſub ratione menſuræ. Itaque naturam ſciētiæ iam completæ, per reſpectum ad obiectum, in ratione ſcibilis; conſequitur relatio adæquationis, aut menſurabilitatis: vnde reſpectus ſcientiæ, vt ſignificatur nomine ſcienti ad ſcibile; eſt relatio ſecundum dici: reſpectus verò eiuſdem ſcientiæ; vt menſurabilis, eſt relatio ſecundum eſſe, & prædicamētalis; pertinens ad tertium genus huius prædicamenti.

Ex hac doctrina colligitur, ***efficax argument. ad probandum noſtram ſententiam***. 16
Quia relatio prædicamentalis; cùm ſit extra eſſentiam abſoluti; fundatur in cōmenſuratione eius cum alio: & cùm ſit realis; fundatur in commenſuratione reali: ſed nihil poteſt habere commenſurationem, vel adæquationem realem, cum altero; niſi etiam ſit reale: ergo nec poteſt conſurgere relatio realis, in ente reali, ad ens rationis; vel ad ens in potētia. Probatur minor, quia commenſuratio realis, eſt realis, & naturalis proportio vnius rei cum altera: in qua proportione fundatur relatio realis: ergo non poteſt eſſe talis commenſuratio, aut proportio, cum ente rationis; non habente eſſe, niſi per operationem intellectus: ſed nec cum ente in potentia: quia ens in potentia, non habet eſſe reale in rerum natura: ergo nec ad illud comparari poteſt realiter, & naturaliter, ens reale actu exiſtens; ſed ſolum per operationem intellectus, conſiderātis ipſum; ac ſi actu eſſet: quare nec poteſt eſſe fundamētum reale in ente reali; ex quo cōſurgat relatio prędicamentalis; reſpectu entis rationis, vel entis in potentia.

Ad teſtimonium Ariſtotelis, pro prima ſententia. Reſpondeo. Relationem motiui ad mobile, & productiui ad productibile, realem eſſe; ſi extrema ſint actu exiſtentia in rerum natura: ita vt de illis

verum sit; vnum habere realem potentiam actiuam, producendi, vel mouendi aliud; verbi gratia, motiuum, mobile verò habere potentiam passiuam; per quã procedit, aut mouetur ab alio: si verò vtrumque, vel alterum solùm sit in potētia; non erit relatio realis: sed rationis tantùm.

92 *Ad primum.* Distinguendum est antecedēs: quia duplicem sensum habere potest. *Primum*, materialem; nempe, relationem sumere entitatem realem à re materiali; quæ est fundamentum; vt in se cōsideratur: & in hoc sensu, negandum est: quia relatio non sequitur rem, in qua fūdatur, vt est in se; sed vt commēsuratur, vel comparatur naturaliter ad alteram. *Secundus sensus est*: Relationem sumere entitatem realem, à fundamento; vt alteri commensurato: & est verus. Sed negāda est Consequentia; quòd realis possit esse relatio; etiam si terminus, sit ens rationis, vel ens in potentia: quia res quæ est fundamētum; non potest cum his habere realem, & naturalem commensurationem: & ideo non potest tribuere entitatem relationi reali: nec proinde esse fundamentum eius.

Ad secundum. Concedendum est primū enthymema; sed minor distinguenda: nam scientia duobus modis accipitur; atque etiam potentia, & habitus: aut *secundum essentialia*: & hoc modo respiciunt obiecta, vt scibilia: & ideo non; vt actu existentia: *aut secundum reale cōmensurationem*; vel adæquationem; quam habent cum obiectis: qua ratione consequitur eas relatio mensurabilitatis realis ad obiecta: non sub ratione vniuersali scibilium accepta; sed sub speciali mensuræ: & hoc modo respiciūt obiecta, actu existentia: non ita, vt actualis existentia sit ratio obiectiua: sed potius natura eorum; secundum quam attinguntur ab eadem scientia: existentia verò, necessaria conditio est, ad conditionem realem mensurabilitatis: quia nisi actu existant, non potest scientia, realiter commensurari, aut comparari ad illa: sed solū dicentur scientiæ mensurabiles, per relationem rationis mensurabilitatis, consurgentem ex comparatione; qua eas cōparat intellectus cum obiecto, tanquam cum mensura earum.

Ratio autem huius differentiæ, inter vtramque relationem, scientiæ; vt scientiæ, ad obiectum, vt scibile: & relationē eiusdem scientiæ, ad obiectum, vt mensuram, est; quòd cùm relatio illa sit cōplementum scientiæ, (quæ absoluta qualitas est: & ideo non dependens in sua entitate absoluta, ab entitate obiecti; sed ab actibus circa illud, per quos producitur) realis esse potest: etiam si obiectum sit ens rationis; vel solùm ens in potentia. Cuius ea est ratio: quia non minus versatur intellectus, per actus reales, circa obiectum reale, aut actu existens; quam circa ens rationis, vel ens in potētia: nec minus per tales actus reales, producit verum, & realem habitum. Relatio verò realis mēsurabilis; accidit sciētiæ, ex commensuratione, & comparatione reali, & naturali cum obiecto; non vt scibili: sed vt mensuræ eius: commensurationem verò, & comparationē realem, habere non potest cum eo; nisi actu existente: & ideo nec relationem realem mensurabilis: sed rationis tantū; per comparationem intellectus cum eo, existente in potentia. Nō ergo sequitur; quod si relatio secundum dici, scientiæ ad scibile; realis sit respectu obiecti in potentia, aut respectu entis rationis; realis quoque esse possit, relatio prædicamentalis non mutua, eiusdem scientiæ, vt mensurabilis; ad idem obiectum, vt mensuram. 93

Ad

Ad confirmationem. Concedenda est maior; sed minor distinguenda: nam licèt aliqua denominatio extrinseca, conuenire forte posit enti in potentia; non tamen denominatio extrinseca terminādi relationem realem: quia relatio realis, fundatur in commensuratione reali relatiui, cum termino: commensuratio autem realis, nō potest esse; nisi inter entia realia actu existentia.

QVAESTIO X.

An aliqua relatio prædicamentalis, fundetur proximè in substantia?

EXplicato termino relationis; iam a-
95 gimus de fundamento eius. Tria fundamenta relationum prædicamentalium assignauit Aristot. 5. lib. Metaphys. cap. 15. *Primum est, vnitas*; quam etiam vocauit numerum: quia principium numeri est. Vnitas verò triplex est. *Numerica, Specifica & Generica* Et de numerica, non intelligit esse fundamentum relationis; quia repugnat naturæ eius: nam relatio realis, & prædicamentalis; dicit oppositionem realem, inter extrema; & ex consequēti distinctionem realē: quia nihil opponitur realiter sibiipsi: sed indiuiduum, vt est vnum numero; non est vnum cum altero indiuiduo vnitate numerica; sed sibiipsi tantum: & sibijpsi non opponitur realiter: quia non distinguitur à se ipso realiter: ergo non potest fundare relationem vnitatis. Specifica verò, & generica, possunt: quia in diuersis indiuiduis, aut speciebus fūdātur: & ideo habent extrema realiter distincta: vt natura humana, distincta indiuidua; nempe Petrum, & Ioannem: & natura sensitiua, distinctas species; vt hominem, & leonem.

Secundum fundamentum relationis, dicit esse actionem, & passionem. Vt generatio; per quam vnus homo generat alterum; est actio: & generatio passiua; per quam vnus homo dicitur genitus ab aliō dicitur passio: & illa fundat relationem paternitatis; hæc relationem filiationis. 96

Tertium fundamentum est mensura; hoc est, adæquatio vnius rei ad aliam; quę reperitur in potentiis, habitibus, scientiis, & virtutibus cum suis obiectis: in quantum ad omnia se extendunt; quæ sub obiectis propriis continentur; & ad nihil aliud, quod sub eis nō cōtineatur: ex qua adæquatione, dicuntur obiecta, mensura earum: & illæ dicuntur mensurabiles ab eisdem obiectis, & secundum hæc tria fundamenta, distinguit Aristot. tria genera relationum. *Primum vocans; quod fundatur in vnitate*; sub vnitate etiam intelligēs diuersitatem: quia eadem est ratio oppositorum. *Secundum genus vocat illud; quod fundatur in actione, & passione. Et tertium; quod fundatur in mensura*. Et quantum pertinet ad hanc quæstionem; supponimus relationes secundi generis, non fundari proximè in substantia; sed medijs his accidentibus; nēpe actione, passione, & mensura. Quare solùm procedit quæstio, de relationibus primi generis; quæ fundātur in vnitate: *An fundetur proximè in substantia*. Et de vnitate numerica, probauimus; non fundare relationem realem: ideo difficultas quęstionis, reducitur ad vnitatem genericā, & specificam. In qua tres alias species relationum fundari, docet Aristot. nam si vnitas specifica sit in substātia; dicit fundare relationem identitatis specificæ: vt vnitas specifica Petri, & Ioannis; est fundamentum relationis idētitatis specificæ, inter eos repertæ. Si sit in qualitate; dicit fundare relationem similitudinis:

vt

vt inter duo alba. Si sit in quantitate; fũdat relationẽ æqualitatis: qualis est ea; quæ reperitur inter duo corpora, eiusdẽ longitudinis.

97 Sed in fundamentis harum trium specierum relationis; duo considerantur: nempe, Fundamentum; & Ratio fundandi: Fundamentum est, res ipsa fundans relationẽ: vt substantia, qualitas, & quãtitas. Ratio verò fundandi; est vnitas, aut diuersitas specifica, aut generica: qui ratione illius, substantia, qualitas, & quantitas fundant relationem: ita, vt vnitas sit ratio fundandi relationem identitatis, similitudinis, aut æqualitatis: diuersitas verò, sit ratio fundandi relationem; diuersitatis, dissimilitudinis, & inæqualitatis. Et hanc rationem fundandi, vocant alij fundamentum proximum; ipsam verò rem, quæ fundat, remotum. Vt albedinem, vocãt fundamentum remotum; vnitatem verò, proximum.

Ex his tribus speciebus relationum; nẽpe, Identitatis, Similitudinis, & Æqualitatis; certum est duas postremas; non fundari proximè in substantia; sed in qualitate, & quantitate: per quas dicuntur res similes, vel æquales. Solùm ergo potest esse quæstio, de relationibus idẽtitatis, & diuersitatis genericæ, aut specificæ; an proximum fundamentum earũ sit substantia?

98 *Et prima opinio asserit*. Non esse relationes reales; sed rationis: vt relationem idẽtitatis specificæ; inter Petrum, & Ioannem: & consequenter tenet, nullam relationem realem fundari proximè in substantia. Ita Fonseca 4. lib. Metaph. cap. 2. q. 7. sect. 8. & l. 5. cap. 1. q. 1. sect. 7.

Probat primò. Quia vnitas specifica aut generica; est ratio fundãdi has relationes: sed istæ vnitates, nõ dãtur à parte rei; sed per operationem intellectus, abstrahentis naturam ab inferioribus; aut comparantis ad illa: vt quæst. 3. vniuersalium dictum est: ergo relationes, quæ consequuntur hàs vnitates; non dabuntur à parte rei; sed per intellectum: & ideo non erunt reales; sed rationes.

Secundò Relationes, quæ eodem modo conueniunt rebus; dum actu existũt, & dum solum sunt in potentia; non possũt esse reales: vt ex quæst. præcedenti patet: sed rationales identitatis, & diuersitatis specificæ, atque genericæ, ità se habent: ergo non sunt reales; sed rationis. Probatur minor. quia nõ minus sunt eiusdẽ specie Petrus, & Ioannes mortui; quam viui: nec minus distinguuntur specie, equus, & leo; siue actu existant, siue solum in potentia: quod etiam de rosa certum est; non minus specie distincta ab alijs, floribus in hyeme; quàm verno tempore ergo vtroque modo sehabentes, fundant relationes idẽtitatis, & diuersitatis: quæ ideo non poterunt esse reales; sed rationis.

Secunda opinio, concedit tales relationes esse reales, & proximè cõuenire substantijs; sed negat esse prædicamentales: & transcendẽtales esse vult: & ideo nullam relationem prædicamentalem, proximè fundari in substantia. Hanc sententiam citat Soncin. 5. Metap. q. 31. & sequitur Mercatus cap. præsenti, q. 1. probatq; testimonio D. Tho. 4. contra gentes, c. 14. vbi inquit. *Relatio non solum præexigit esse substantia, sed esse aliorum accidentium, ex quibus causatur: sicut vnum in quantitate, causat æqualitatem; & vnum in qualitate, similitudinem* Deinde hoc argum. Vnum, & distinctum; seu diuersum, sunt passiones entis: ergo conuertuntur cum eo: sed ens est transcendens: ergo & illa: quare relationes consequẽtes, vnitatem, & diuersitatem, transcendentales erunt non prædicamentales. Quòd probatur etiam hac ratione: quia vnitas specifica, atque

atque generica,in omnibus prædicamentis reperitur: ergo transcendentalis est: & consequenter relatio in ea fundata, est talis.

99\. *Tertia opinio duo asserit. Primum*; Relationes idētitatis, & diuersitatis esse reales, & prædicamentales. *Secundum*; proximè fundari in substantia. Ita Auicena 3. Meta. cap.10. Alber.Magnus tract. de prædicamento ad aliquid cap.3.Caiet. 1.par.quæst.28, art.1.ad 2.Ferra.4.contra gentes, cap.1. Soncin.5.Metap.quæst.31. Sotus cap. præsenti, qu.1. & est expressa sententia Aristot. & D. Thom. *& non solum probabilis, sed vera*. Aristotelis quidem 5.Metap. cap.13. vbi assignat fundamentum relationum primi generis, his verbis. *Secundum vnum etenim omnia dicuntur: Eadem enim sunt; quorum substantia vna. Similia verò; quorum qualitas vna. Æqualia autem; quorum quantitas vna.* Et D.Thom. opusc.48. tract.5.de prædicamento ad aliquid, cap. 4. ait: *Nihil tamen obstat; quin relatio possit fundari immediatè in substantia: nam in vno in substantia fundatur identitas; in vno in quantitate, fundatur identitas; in vno in qualitate, similitudo.* Et.1.p.qu.28.art.1.ad 2. docet; identitatem numericam, esse relationem rationis; genericam verò, & specificam, realem, & prædicamentalem.

Idem probatur ratione: Quia vnitas specifica albedinis, fundat relationem realem, & prædicamentalem similitudinis; & vnitas specifica quantitatis, relationem æqualitatis: ergo vnitas specifica substantiæ, fundat relationem realem, & prædicamentalem identitatis. Antecedens euidens est, & conceditur ab aduersarijs; sed non est minus euidens cōsequentia: quia omnes conditiones necessariæ ad fundandam relationem realem, & prædicamentalem; quæ reperiuntur inter æqualia, & similia; reperiuntur etiam inter ea; quæ sunt eiusdem, aut diuersæ speciei in substantia: ergo non minus fundant relationem realem, & prædicamentalem identitatis.

Quod verò substantia, sit proximum fundamentum harum relationum, probatur 100.
Quia priusquàm intelligatur substantia cum aliquo accidente; intelligitur, & est eadem; vel diuersa specie; per proprium genus, & differentiam: ergo proximum fundamentum est relationis: identitatis, aut diuersitatis.

Ad primum arg. primæ opinionis. Respōdetur ex doctrina tradita, qu. 3. vniuersalium; distinguendo minorem: nam vnitas specifica, & generica formalis, non datur ante operationem intellectus; datur tamen virtualis; quæ est fundamentum remotum vniuersalitatis, & sufficiens ratio fundandi has relationes reales, identitatis.

Ad secundum. Neganda est minor: quod istæ relationes identitatis, eodem modo reperiantur in extremis actu existentibus; & non existentibus: quia dum non existunt Petrus, & Paulus; non sunt eiusdem speciei, secundùm entitatem realem specificam; sed solùm, in quantum possunt apprehendi ab intellectu, sub eisdem prædicatis essentialibus: & ideo non possunt fundare relationem realem; sed rationis: quia fundamentum relationis realis, debet esse entitas realis; quæ non est nisi actu existens.

Ad testimonium D Thq. pro secunda opinione adductum, Respondet Ferra. ibidem; quòd substantia fundat relationem identitatis, media vnitate; tanquam ratione fundandi: quæ vnitas, licèt verè sit substantialis; tamen habet modum accidentalem; in quantum intelligitur, vt quid superadditum extremis: vt Petro, & Ioanni, quasi superaddita intelligitur vnitas specifica; eo ferè modo, quo intelligitur

Qq

li[...]ur superaddita vnitas albedini; itaque non vniuersaliter verum est; substantiā fundare relationem, medio accidente superaddito; vero quidem, aut per similitudinem accidentis apprehenso. Vel *secundo*, possumus respondere: non de relationibus loqui D. Thom. maiori ex parte: quia maior pars earum, conuenit substantiæ, medio accidente: non tamen de omnibus: cum in primo loco expresse doceat; quasdam fundari proximè in substantia.

101. *Ad argumentum eiusdem sententiæ*: Distinguendum est primum antecedens; quia vnitas duplex est: *generalis*, quæ consequitur entitatem: *& specialis*, quæ vocatur specifica, aut generica: & illa est transcendens: & ideo non potest fundare relationem prædicamentalem: hæc verò quia est specialis, potest. Quòd verò reperiatur in omnibus prædicamentis; nihil obstat: quia cùm ratio eius specialis sit; specialis semper censetur: & secundum specialem, & propriam rationem, fundat relationem identitatis.

QVÆSTIO XI.

An vna relatio realis, possit esse fundamentum alterius?

QVælibet relatio per se primò, habet esse rationem referendi relatiuum, quod constituit; ad terminum sibi oppositum: vt paternitas, esse rationem referēdi patrem ad filium: habet etiam esse eiusdem generis, aut speciei; vel diuersæ, ab altera relatione: vt paternitas, est eiusdem speciei, cum alia paternitate; & etiam ei similis vocari potest. Quærimus ergo; an per se referatur ad quamlibet aliam, cui est similis; vel, cū qua est eadem; aut non per se; sed per aliam relationem identitatis: nam si per se refertur, non indigens alia relatione; necerit fundamentum eius: si verò per aliam referatur; sicut quodlibet indiuiduum eiusdem speciei, refertur ad alterum, per relationem identitatis, sibi superadditam; fundamentum talis relationis, absque dubio erit.

Primam sententiam, omnibus modis negantem; quòd vna relatio sit fundamētum alterius; tenent Ferra. 4. lib. contra gentes, cap. 4. Soncinas 5. Metap. quæst. 29. ad 1. Et probatur ex doctrina Arist. 5. lib. Metaph. cap. 15. vbi tria tantùm fundamenta relationum posuit; nempe, vnitatem substantiæ, qualitatis, & quantitatis, pro primo genere; actionem; & passionem, pro secundo; & pro tertio mensuram: sed relatio nihil horum est; vt constat: ergo ex mente Arist. non potest esse fundamentum relationis.

Probatur etiam testimonio D. Thom. 1. par. quæst. 42. art. 1. ad 4. vbi vniuersaliter videtur negare; quod vna relatio sit fundamentum alterius; his verbis. *Vna relatio non refertur ad aliam, per aliquam aliam relationem: cùm enim dicimus; quòd paternitas opponitur filiationi; oppositio non est relatio media, inter paternitatem, & filiationem.* 102.

Deinde ratione probatur. Primò. Quia relatio, essentialiter est ratio referendi vnum ad alterum: ergo per seipsam; & non per aliud, refertur ad quodcunque ordin[...] potest. Sicut albedo; quia ex se est ratio albi; non potest per aliam albedinem fieri alba: sed si vna relatio fundaret aliam; ordinaretur per illam ad alteram; quemadmodum ordinantur cætera, quæ fundant relationem: ergo impossibile est, quòd vna relatio sit fundamentum alterius.

Secundò. Si vna relatio fundaret alteram; daretur processus in infinitum in relationibus: at iste non est admittendus; quia ex eo sequitur dari infinitas relationes

-tones actu: ergo nec admittendum est, quòd vna relatio sit fundamentum alterius. Probatur antecedens. quia si paternitas fundat aliam relationem; cùm illa secunda sit vera relatio; erit etiam fundamentum alterius relationis: & sic de tertia, vsque ad infinitas.

1103. *Secunda opinio.* Concedit vnam relationem esse fundamentum alterius: quam tenet Scotus in 2. d. 1. quæst. 4. & 5. & in 4. d. 6. quæst. 10. & cum eo Lyquetus, & Mayronius eisdem locis. & Antonius Andreas, 5. Metap. quæst. 13. & lib. de sex principijs, quæst. 10.

Probat primò, ex Euclide 5. Geometriæ, in principio. Vbi definit proportionalitatem, dicens esse similitudinem duarum proportionum: quod non potest esse verum; nisi in proportione fundetur similitudo: sed proportio est etiam relatio, apud omnes: ergo vna relatio, ex mente Euclidis, est fundamentum alterius.

Deinde ratione. Quia sicut duæ albedines sunt similes; quia sunt eiusdem speciei: & ideo sunt fundamenta relationis similitudinis; per quam vna ordinatur ad aliam: ita duæ paternitates, aut duæ relationes similitudinis, sunt similes: ergo fūdant alias relationes similitudinis; per quas ordinatur quælibet ad aliam.

Pro solutione huius quæstionis, *Notandum est.* Relationem duobus modis posse considerari: *Primò per se formaliter & essentialiter*: & hoc modo est ratio referendi vnum extremum ad alterum sibi oppositum; vt relatio paternitatis, est ratio referendi patrem ad filium.

Secundò consideratur materialiter, & accidentaliter; in quantum conuenit cum alia relatione in essentia: aut est diuersa ab ea: vt vna paternitas, aut vna similitudo; in quantum conuenit cum alia paternitate, vel alia similitudine; aut differt à filiatione, & dissimilitudine; & hoc modo non consideratur; vt ratio referendi: sed vt id, quod refertur ad aliud: & propterea dicitur, consideratio materialis relationis: quia communis est ei cum rebus absolutis; quæ ad alias referuntur; à quibus separatur per primam considerationem formalem, & essentialem. Dicitur etiam consideratio accidentalis: quia sicut accidentale est Petro; quòd sit idem, in specie cum Ioāne: & huic albedini; quòd sit similis alteri: eadem ratione, accidentale est paternitati; quòd sit eiusdem speciei cum altera, aut ei similis. *Probatur paritas rationis euidenter.* quia, sicut hæc prædicatio: Petrus est idem cum Ioanne; aut ei similis, est in 5. prædicabili: sic etiam ista hæc paternitas est eadem cum illa, aut ei similis. 1104

Hoc supposito nostra sententia duabus cōclusionibus explicatur; secundum sensum huius distinctionis. *Prima est. Relatio formaliter & essentialiter considerati; hoc est, vt ratio referendi relatiuum ad terminum sibi oppositum; non potest esse fundamentum alterius relationis.* Vt paternitas: in quantum est ratio referendi patrem ad filium, non fundat aliam relationem: sed per se ipsam, & non per aliam, est ratio referendi. Hæc conclusio videtur mihi euidens; ideò non indigeret probatione.

Nihilominus probatur primò. Id quod fundat relationem; refertur per illam ad aliud: vt albedo fundat relationem similitudinis, & per eam refertur ad aliam albedinem. Sed relatio formaliter, & essentialiter sumpta, nō refertur ad aliam; sed est ratio referendi vnum ad aliud: ergo non est fundamentum alterius relationis.

Secundò. Vna relatio formaliter sumpta, dicit formalem oppositionem cum alia relatione termini; ad quem per se ordinat relatiuum: ergo per se, atque es- 1105

sentialiter est ei opposita; & non per aliam: quare per se, & non per aliã, erit ratio referendi: sicut per se, & non per aliam opponitur eidem relationi: & ideo hoc modo sumpta, non indiget alia relatione; cuius fundamentum sit. *Probatur prima consequentia.* quia si per aliam relationem esset illi opposita; non essentialiter, sed accidentaliter ei opponeretur. Et hoc modo sumpsit D. Thom. in illo testimonio relationem; dum negauit, posse esse fundamentum alterius: vt verba citata ostendunt.

Secunda conclusio. Relatio materialiter, & accidentaliter considerata; tanquam id, quod refertur ad aliud: quo pacto comparatur ad relationem non sibi oppositam; sed ad aliam, cui est similis, vel cum qua est eiusdem speciei; fundamentum est alterius relationis; per quam ad eandem relationem refertur. Vt relatio paternitatis, non comparata ad filiationem; sed ad aliam paternitatem, tanquam ad id, quod ad eam refertur; vt est eiusdem speciei cum ea; fundat nõ aliam relationem paternitatis; sed aliam rationem identitatis, in
120. primo genere: sicut Petrus, vt est eiusdẽ speciei cum Ioanne. Vtramque conclusionem nostram, tenet pater Franciscus Suarius tomo 1. suæ Metaphysicæ disp. 47. sect. 11. num. 5.

Probatur quoque hæc primò. Vna relatio, solùm ordinatur per se ad oppositum, & ad quamcunque aliam accidentaliter: vt probatum est: ergò licèt nõ ordinetur ad oppositam per aliam relationem; sed per seipsam; ad aliam tamen non potest ordinari, nisi per relationem superadditam accidentaliter. probatur consequentia. quia si ordinatur accidentaliter ad aliam; sequitur talem ordinationem esse ei accidentalem: sed ordinatio est relatio: ergo per relationem sibi accidentalem ordinatur; quæ non potest fundari in alio; præter eandem relationem.

Secundò. Duæ paternitates, sunt eiusdem speciei; & vtraq; est id, quod refertur ad alteram, in ratione identitatis specificæ; sicut Petrus refertur ad Ioannem: ergo sic sumptæ, pertinent ad primum genus relationis: & non vt paternitates; quia vt sic, pertinent ad secundum: ergo sub ratione eiusdem; hoc est, vt extrema sunt identitatis specificæ: sed identitas specifica, per se fundat relationem primi generis: ergo duæ paternitates, sub tali ratione, erunt fundamentum relationis identitatis: & ideo necessariò erit concedendum; quòd vna relatio, sit fundamentum alterius; non eiusdem generis; sed diuersi.

Quod hoc modo potest confirmari. Hæc 107.
prædicatio est vera, de vtraque paternitate, hæc paternitas est eadem in specie cum illa: & identitas, est relatio primi generis: ergo est eadem, per relationem primi generis: sed ipsa secundũ se, aut essentialiter, nõ pertinet ad primum genus; sed ad secundum: ergo pertinet ad primũ accidẽtaliter: & ideo accidẽtaliter de ea prędicabitur relatio primi generis: sed impossibile est, relationẽ prædicari accidentaliter; nisi de eo, quod est fundamentum eius: vt patet in qualibet relatione: ergo prædicabitur relatio identitatis, de duabus paternitatibus, tanquam de his; à quibus fundatur. Probatur tandem in relationibus rationis; in quibus euidens est; quòd vna relatio materialiter sumpta, sit fundamentum alterius. Nam relatio generis constituens primum prædicabile per se, & essentialiter est ratio prædicandi, de speciebus; sed materialiter sumpta; vt est, quod prædicatur de hac & illa secũda intentione generis: tãquam de indiuiduis; pertinet ad prædicabile speciei, & fundat relationem eius; à qua denomina-

tur ac-

turaccidentaliter: ergo etiam in relationibus realibus, vna fundabit aliam sumpta materialiter.

Ad testimonium Aristotelis. Respondeo: ex hoc non multiplicari fundamenta, cũ relatio vna fundet aliam in primo genere. Testimonium D. Thom. iam est expositum, per nostram primam conclusionem: cuius sensum continet: loquitur enim de relatione sumpta formaliter, & essentialiter: & hoc modo verum est; nõ posse fundare aliam relationem; sed materiliater tantùm, & accidentaliter consideratam.

Ad primum argumentum. Distinguendum est consequens primi enthymematis. Nam duobus modis potest ordinari vna relatio, ad aliam. *Primò formaliter*; & vt ratio referendi relatiuum ad terminũ sibi oppositum; & hoc modo seipsa; & non alia relatione ordinatur; & hoc solũ probat similitudo albedinis. *Secundò, per accidens, & materialiter,* hoc est; tanquam id quòd accidentaliter refertur; non ad relationem sibi oppositam; sed ad aliam, cum qua est idem in specie: ad quam non refertur vt paternitas, vel filiatio; sed vt eadem: imò nec per modum relationis; sed absoluti; quod est idem in specie cum alio: quare non potest seipsa referri; sed per aliam sibi superadditam, cuius fundamentum esse necessarium est.

108. *Ad secundum*; respondent quidam, cõcedendo processum infinitum in relationibus; & nullum esse inconueniens asserunt: quia tenent relationem sola ratione distingui, à fundamento: quo supposito, solùm sequitur; quòd dentur relationes per intellectum distinctæ, actu infinitæ; non verò à parte rei: sicut concedẽdæ sunt in partibus continui, relationes actu infinitę. Hæc tamẽ solutio non placet: quia probabilius est: relationes distingui ex natura rei à fundamẽtis, vt inferius probabitur: & ideo concedenda erunt infinita entia distincta à parte rei. Et completa quidem; hoc est, prædicamentalia & composita; ex genere, & differẽtia: quod est inconueniens. Relationes verò partium cõtinui incompletæ sunt, & partiales; ex quibus quasi vna totalis efficitur: & ideo non est inconueniens admittere; quòd sint actu infinitæ.

Respondeo igitur. Negando; quòd detur processus in infinitum in relationibus: nã aliud est dari processum in infinitum in aliquibus; aliud verò, quòd in infinitum multiplicari possint: nam illud est dari actu infinitum; hoc verò solùm in potentia: dari autem infinitum in potentia, nullum est inconueniens; sed necessariũ est in diuisionibus continui, & in indiuiduis cuiuslibet speciei: & hoc tãtum datur in relationibus; ex eo, quòd vna fundet alteram; non actu infinitę relationes. Quod sic ostendo. nam etiam si duæ paternitates, fundent alias relationes idẽtitatis; nõ sequitur, quòd tales relationes identitatis fundatæ, fundẽt alias; sed per illas referuntur inter se, & ad quascunq; alias eiusdem speciei: sicut per easdem paternitates referuntur patres, in quibus sunt, ad hos filios, & ad oẽs alios; quos habebunt. Quòd verò posint multiplicari per alias relationes diuersitatis; ad quas istæ referantur, per alias rationes etiam diuersitatis; nihil refert: quia eodẽ modo, per singulas relationes diuersitatis, ordinabuntur ad omnes alias diuersę speciei: & non erit vltra procedendum in relationibus actualibus, nec multiplicantur plures, ex eo; quòd vna relatio sit fundamentum alterius. Quòd verò semper posint multiplicari aliæ; si de nouo fiant relationes in alijs rebus; solùm est, posse multiplicari in infinitum, & dari infinitum in potentia: vt in diuisionibus continuni, & quibuscunque indiuiduis aliarum

aliarum specierum: & ideo nullum est inconueniens.

QVÆSTIO XII.

Vtrum relationes secundi generis fundentur in potentia; vel in actione?

109. TRES modos relationum diuersos enumerauit Aristoteles in hoc secũdo genere, 5. lib. Metaphysicæ, cap. 15. & *Primum*, dixit fundari in actione præsenti; vt calefacientis ad calefactum, & vniuersaliter agentis in actu, ad passum in actu. *Secundum*, in actione futura; vt calefactiui ad calefactibile. *Tertium*, in actione præterita; vt pater, & filius: ille enim fũdat relationem paternitatis; quia genuit; iste verò relationem filiationis; quia genitus est. Ex his autem, quædam sunt relationes secundum dici tantùm; aut etiam relationes rationis: sed omnes quasi permixtas, enumerat Aristoteles; quia ex omnibus simul cognitis, melius cognoscitur natura relationum prædicamentalium. Ex his autem omnibus relationibus; illas saltem recipiunt omnes, pro prædicamentalibus; quæ fundãtur in actione præterita; & de his, atque etiam de cæteris prædicamentalibus huius secundi generis inquirimus; *An fundentur in actione præterita, præsenti, aut futura; vel in potentia, à qua procedit actio.* vt an paternitas, & filiatio fundentur in actione, & passione præterita; quas significare solent his nominibus; genuisse, & genitum esse; vel solùm in potentia generandi actiua patris, & in potentia passiua filij; per quam dicitur genitus?

110. *Potentia verò duobus modis accipi potest.* *Primò*, pro formali aptitudine, aut virtute agendi; quæ accidens quoddam est, superadditum substantiæ corporeæ ad operandum. *Secundò*, pro ipsamet substantia; ex qua procedit talis potentia: & illa dicitur potentia formalis; hæc radicalis; quia radix eius est: vt potentia formalis ad ratiocinandum, est intellectus; radicalis verò anima, aut natura rationalis.

His expositis. *Prima opinio tenet*, Relationes huius generis, non in actione; sed in potentia formali fundari: vt paternitatem in potentia generatiua: ita Scotus 5. Metap. cap. 15. & in 4. d. 6. quæst. 10. & d. 13 quæ. 1. *Probatur testimonio Arist.* 5. Meta. ca. 15. vbi ita ait. *Eorum verò, quæ secundum potentiam; etiam secundum tempora iam dicuntur ad aliquid.* Quibus verbis potentiam dicit esse fundamentum harum relationum.

Deinde ratione. *Primò*. Quia quod non est, non potest esse fundamentum relationis realis: sed actio pręterita iam nõ est: ergo in ea non potest fundari relatio realis huius generis.

Secundò. Quia non repugnat Deum separare relationem à subiecto: si autem fundetur in actione præterita; repugnabit prorsus: ergo non fundatur in ea. Probatur minor. quia impossibile est actionem præteritam non fuisse: ergo impossibile etiam erit, non genuisse eum, qui iã genuit; atque adeo non habere relationem ad genitum actu existentem.

Secunda opinio est, huic opposita. Relationes huius generis, non fundari in potentia, sed actione, & passione. Ita Sotus 5. Phys. quæst. 2. artic. 2. conclus. 1. Quod etiam probatur testimonio Arist. 5. Meta. cap. 15. sic loquentis de fundamento harum relationum. *Sic enim pater quoque filij pater dicitur; hoc enim fecit: at aliud passum quid est.*

Et etiam ratione. Primò. Quia illud est 111. fundamentum relationis; quo posito, etiam si cætera non ponantur, relatio ponitur; & quo sublato; etiam [illegible]

heant cætera; non consurgit, aut non permanet relatio: sed talis est actio præterita: ergo est fundamentum relationis. Minorem probat; quia eo ipso, quod verum est, hominem genuisse; verum est ac necessarium, habere relationem paternitatis ad filiũ: & quousque ponatur generatio; etiam si sit potentia, & quæcunque alia; non consurgit relatio: vt ex se est manifestum.

Secundò. Relatio agentis in actu, & passum in actu, non fundatur in potentia; sed in actione præsenti: ergo nec relatio paternitatis fundabitur in potentia; sed in actione præterita. Euidens est consequentia, quia Aristot. eodem modo de vtraque relatione loquitur: & ratio prorsus est eadem. Probatur antecedens: quia agens non dicitur tale à potentia: cùm videamus eam multò tempore ab aliquo haberi, & non vocari agens actu; quousque ab eo procedat actio: ab hac ergo denominatur, & in hac fundatur relatio; quam habet ad passum; & non in potentia.

Tertia opinio. Nec actionem, nec potentiam formalem actiuam; aut passiuam, dicit esse fundamentum harum relationum; sed radicalem pro forma substantiali, aut essentia ipsa rei accepta; ex qua procedit formalis. Hanc sequuntur moderni quidam propter hoc argu. Relatio non potest dari in subiecto, sine suo fundamento; à quo sicut accipit entitatem, ita conseruatur in ea: vt sine albedine, non potest dari similitudo; aut sine quantitate æqualitas: sed si relatio paternitatis fundetur in potentia generatiua; dari poterit in subiecto sine illa: ergo dabitur sine fundamento proprio. Probatur minor. quia postquam homo genuit; amittere potest potentiam generandi, vel Deus saltem eam poterit ab eo auferre, viuente filio; & tunc dabitur relatio in subiecto, sine proprio fundamento: me igitur hoc inconueniens admittatur, asserunt fundari in potentia generandi radicali, quæ est anima, aut natura sensitiua.

Vltima sententia, tenet fundamentum harum relationum esse potentiam; non nudam; sed vt reductam ad actum per actionem: ita vt actio solùm sit conditio; fundamentum verò potentia reducta ad actum. Hanc tenet Sonc. 5. Met. q. 15. *Et videtur nobis probabilior, & tenenda.*

Quatuor ergo dicimus in hac re. Primum, *quòd fundamentum proximum harum relationum, non sit potentia radicalis, pro forma substantiali, vel essentia rei. Quod probatur primò*, ex doctrina Arist. euidenter: nam 5. Meta. c. 15. has relationes in potẽtia generatiua, actiua, & passiua fundari expressè docuit: sed per potentiam generatiuam, nec Arist. neque vllus vnquam intellexit formam substantialem, aut essentiam rei; quas constat habere hominem; in quo non est potentia generatiua: ergo tertia illa sententia, non potest defendi in doctrina Arist.

Et probatur esse falsum hoc arg. Relationes huius secũdi generis, sunt eius; quòd 113.
procedit ab alio, tãquam à principio efficiente; & eius, à quo procedit aliud: sed potentia proxima; per quam vnum procedit ab alio; vt filius à patre, est formalis; & non radicalis; nisi remota: ergo si relationes istæ fundantur in potentia (vt admittit eadem sentẽtia) repugnat; quòd earum fundamentum proximum sit forma, vel essentia: sed necessariò dicẽdum est, proximè fundari in potentia formali. Probatur minor. quia proximum principium efficiendi est potentia formalis à qua procedit actio generãdi: sicut proximum principium, à quo procedit actio intelligendi, est intellectus; & non anima, nisi remotum.

Secundò dicimus. Nudam potentiam, priusquam reducatur ad actum; non esse fundamentum sufficiens relationis. Probatur hac ratione. Filius procedit à patre, tãquam ab actuali principio sui esse: sed nõ est actuale principium, per solam potentiam; nisi media generatione; vt notũ est: ergo nec potentia est sufficiens fundamentum; nisi media generatione reducatur ad actum.

114. *Tertiò dicimus. Actionem non esse fundamentum harum relationum. Quod probatur primò.* quia non est certum; sed in opinione positum, quòd relatio distinguatur ex natura rei, à fundamento: sed euidens erit, distingui has relationes; si fundamentum earum sit actio; & non potẽtia: ergo non est asserendum. probatur minor. quia generatio actiua, non permanet in patre; sed transit ad filium: aut saltem in materia prima; ex qua generatur; est tanquam in subiecto: sed relatio paternitatis, est in patre: ergo euidens erit distingui realiter ab actione; quia euidens est, accidentia inhærentia in subiectis adæquatis, & realiter distinctis; ex natura rei esse distincta.

Secundò. Quia relatio filiationis consequitur hominem genitum: ergo idem est principium vtriusque: sed generatio nõ est principium, neque causa; sed causatio, aut medium, quo procedit genitũ à principio; & consequenter relatio filiationis: ergo nec potest esse fundamẽtum relationis. Probatur hæc vltima cõsequentia. quia in his relationibus, processionis vnius ab alio; idem est esse principium, à quo procedit aliud, & fundamentum relationis eiusdem principij ad ipsum.

115. *Vltimò dicimus. Fundamentum proximum harum relationum esse potentiam; vt reductam ad actum per actionem:* ita vt actus solum sit conditio; potentia verò, vt ab ea procedit actio, fundamentum. Hæc est expressa sententia Aristot. 5. Metaph. c. 15. vbi fundamentum earum assignãs, ait. *Actiua verò, & passiua, secundum actiuam, & passiuam potentiam, & potentiarum actiones.* Quibus verbis vtramque pertinere ad fundamentum docet; nempe potẽtiam, & actionem: illam quidem tanquam principium; & ideo tanquam fundamentum: hanc verò; vt conditionẽ necessariam; sine qua non potest illa esse fundamentum.

Et probatur rationibus primæ, & secundæ opinionis: quibus hæc addenda est. Filius procedit à patre, tãquam à principio efficienti actuali suæ generationis; & ad ipsum, vt tale refertur: sed non constituitur in ratione actualis principij; nisi per potentiam simul cum actione generandi, per quam reducitur potentia ad actum, & denominat hominem generantem, vel actuale principium generationis: ergo potentia, vt ab ea procedit actio, est fundamentum relationis. *Argumenta primæ, & secundæ opinionis,* ex parte probant nostram sententiam: ideo non est eis respondendum.

Pro solutione arg. tertiæ opinionis, de separabilitate fundamenti à relatione; explicandum est, quomodo se habeat fundamentum ad relationem: & quo etiam modo hæc dependeat ab illo. Et fundamentum quidem relationis, non est adeò materialiter accipiendum; sicut fundamentum domus, aut parietis; super quod materialiter consurgunt: sed in hoc sensu dicitur res aliqua fundamentum relationis; quia illa media fit, aut producitur relatio in subiecto: dependentia verò relationis à fundamento, non est eadem in omnibus relationibus; sed maior, vel minor, secundum naturam cuiuslibet relationis. Est autem differentia inter relationes secũdi generis, ex vna parte; & alias omnes 116.

omnes ex altera: quòd in relationibus primi, & tertij generis, fundamētum habet modum formæ; per quam constituūtur extrema in ratione extremorum: vt albedo, quæ est fundamētum similitudinis, extremorum forma est; qua media relatio inhæret extremis: vnde si ab eis tolleretur, non haberent capacitatem recipiēdi relationem; vt si albedinem tollas ab extremis similitudinis; implicat contradictionem, talem relationem eis inesse: vnde sequitur, relationes has nō solùm in esse, & fieri; sed etiam in conseruari dependere à fundamentis: ita vt non posſint vllo modo sine illis consistere: fundamēta verò relationum secundi generis, alio modo se habēt: non enim sunt formæ extremorū; sed virtutes, aut media tantum: à quibus effectiuè procedit relatio, vt à principio efficiente; non quidem per se, sed quasi per accidens: quia nullum est agens, quòd per se intendat relationem. Gratia exempli: potētia generandi est virtus efficientis; per quam producit effectum; & ex consequenti relationem, eum consequentem: vnde relatio proximè inhæret substantiæ; quāuis media potentia, & actione fiat: vnde sequitur; has relationes solum dependere à suis fundamentis, in esse, & fieri: quia eis medijs fiunt ab efficiente: non tamen dependere in conseruari: quia non dependent ab eis tanquam à formis extremorum; sicut de cæteris relationibus dictum est. 117.

Et ex his respondetur ad formam argum. Negandum est enim antecedens; quòd relationes huius secundi generis, non posſint permanere in subiectis sine fundamentis: vnde nec repugnat; quòd separata potentia generatiua ab homine; qui genuit; & permanente filio genito; permaneat relatio paternitatis, & filiationis: imò, extremis permanentibus; necesse est eam permanere. Et ratio huius est: quia non dependent à fundamentis, in conseruari: sed tantum in esse, & fieri: vt explicatum est.

QVÆSTIO XII.

An relationes tertij generis sint reales, & prædicamentales?

Tertium genus relationum est, mensurabilis, & mensuræ; de quibus nō est apud omnes certum; *An sint veræ relationes; neque an sint prædicamentales.* 118.

Sed prima opinio, tenet non esse veras relationes; sed solo nomine ita vocari: & hanc esse causam, ob quam dicuntur ab Arist. relationes secundum dici: quasi titulum solum eis concedat, in re verò nihil sint: quare nec pertinent ad hoc prædicamentum, neque ad aliud. Ita Henricus, quodlib. 2. quæst. 4. quem sequuntur moderni quidam: & probant testimonio Aristot. 5. l. Meta. ca. 35. vbi mensurabile, scibile, & intelligibile, ait; non esse ad aliquid; quia ipsa referantur; sed quia alia referuntur ad ipsa: ergo ex parte mensurabilis nulla datur relatio; sed longè minus ex parte mensuræ: nam mensura absolutum quid est; quare solo nomine dicuntur relatiua, & re ipsa nullam relationem habent: & hoc est esse relatiua secundum dici; & ad nullum prædicamentum pertinere.

Alij verò, eiusmodi relatiua vera, & realia esse concedunt; sed transcendentalia vocant, non prædicamentalia; quia ad multa prædicamenta pertinere posſint vt ad qualitatem, & quantitatem: & ideo; non collocantur in hoc prędicamēto. Quare secundum has duas sententias, duo tantùm sunt genera relationis prædicamentalis. *Primum*; quod fundatur in vnitate. *Secundum*, in potentia, & actione. *Tertium verò*, res est de solo titulo; vel titulus sine re.

Et Tertio

Tertia opinio est Caiet. quam superius
129. citauimus; asserentes, has relationes non solùm esse reales, & prædicamentales, tertium genus huius prædicamenti constituentes; sed mutuas; hoc est, reales ex parte vtriusque extremi; quorum vnum refertur ad aliud, per veram relationē in se existentem; nēpe mensurabile ad mēsuram: hæc verò refertur ad mensurabile; non per relationem in se existentem; sed per relationem eiusdem mensurabilis ad ipsam. Idq; probat eodem testimonio Arist. citato pro prima sententia.

Communis tamen sententia totius ferè scholæ est, relationes mensurabilis, & mensuræ veras, & reales esse, & tertium genus huius prædicamenti constituere; sed non mutuas: quia reales sunt tantùm ex parte mensurabilis; non ex parte mensuræ. Ita D. Thom. expresse 5. Meta. lect. 17. & 1. par quæst. 13. ar. 7. & omnes Interpretes Arist. non solū capite præsenti, sed 5. Meta. cap. 15. Imò ipsemet Arist. etiam expresse ibidem; postquam primum, & secūdū genus relationū posuit; tertiū addit: in quo posuit mensurabile, scibile, & intelligibile.

130. *Sed notandum est primò*: quod hoc tertiū genus relationū explicat, & distinguit à primo, & secundo, D. Tho. eisdem locis hanc differentiam inter ipsum, & alia assignans; quòd relationes primi, & secundi generis sunt mutuæ; hoc est, reales ex parte vtriusq; extremi: ita vt in duobus extremis, duę sint relationes reales: quarū vtraq; suū extremum denominat formaliter: vt in patre, & filio, simili, & æquali, est manifestū: in relatiuis verò tertij generis, solū vna relatio realis reperitur; à qua vtrumque extremū denominatur: vnum quidem denominatione formali, & intrinseca, alterum verò solū denominatione extrinseca: vt in scientia, & scibili, solum reperitur vna relatio realis; per quam scientia dicitur formaliter mensurabilis, & per eandem denominatur obiectum mensura eiusdem scientiæ; sed denominatione solum extrinseca: & ideo relationes huius generis dicuntur non mutuæ.

Secundo notat D. Thom. rationem, propter quam in his relatiuis, tantum sit vna relatio realis; à qua vtrumque extremum denominetur: cùm tamen in alijs duobus generibus, singulæ relationes denominent singula extrema: & ideo dicantur relatiua huius tertij generis non mutua. 131. rationem autem huius esse ait; quia extrema harum relationum non sunt eiusdem ordinis; sed diuersi: & ideo licet vnum ad aliud ordinetur realiter, per intrinsecam relationem: non ordinatur tamen aliud ad illud; sed solùm dicitur tale à relatione re[...] alterius Gratia exempli. Scientia, & potentia ordinantur ad propria obiecta; quæ secundum se absoluta sunt, nec pertinent ad ordinem scientiarum, & potentiarum: quare nec ordinantur ex se ad easdem scientias, & potentias: & ideo nō habent relationem realem intrinsecam; à qua denominentur mensuræ: sed solum denominantur à relationibus earum: ita, vt eo ipso, quòd scientia, & potentia denominantur formaliter mensurabiles, per obiecta à proprijs relationibus realibus; obiecta ipsa ex se absoluta, consequentur denominationem extrinsecam relatiuam mensuræ, ab eisdem relationibus. Et hunc esse sensum Aristot. (ait D. Thom.) dū asseruit 5. Meta. cap. 15. relatiua primi, & secundi generis esse talia; quia referuntur ad aliud: sed relatiua tertij generis; 132. non quia referuntur ad alia; sed quia alia referuntur ad ipsa: quod asseruisse docet, non propter vtrumque extremum: nam scientia, & potentia etiam dicitur talis. quia refertur ad obiectū: sed propter alterum tantū; nēpe propter ipsū obiectū: quod

quod non dicitur scibile; nisi quia sciétia versatur circa ipsum: vnde hoc nõ fuit aliud, quam dicere; has relationes nõ esse mutuas; sed vnã pro vtroq; extremo deseruire, & vtrumq; denominare; formaliter quidem vnum, & extrinsecè aliud.

Tertio notat D. Thom. quòd illud extremum harum relationum, in quo non est relatio realis; duobus modis dicitur tale. *Primo.* quidem, denominatione reali extrinseca, à relatione reali existente in alio extremo. *Secundo*, denominatione quasi formali, & intrinseca; non reali, sed rationis. Nam ex eo: quod intellectus videt denominari obiectum à relatione scientiæ, & eandem relationem terminare; concipit illud, ac si verè ordinaretur ad scientiam: & tribuit illi relationem rationis; per quam ipsum ordinat ad eandem scientiam. Inter vtramque verò denominationem, hæc est differentia: quod prima, & realis est denominatio relatiua; quia à relatione suscepta: per eam tamen non refertur scibile ad scientiam; sed ad aliquid dicitur: hoc est relatiuè denominatur; quia aliud refertur ad ipsum: denominatio verò; quam ei tribuit intellectus; cùm sit relatio ex parte ipsius; aut in ipso concepta, eique attributa; non solum illud denominat relatiuè; sed etiam refert ad aliud.

123. *Vltimo notandum est.* Potentiam, habitum, & scientiam: duos habere respectus: *Vnum*, qui includitur in ratione absoluta earum; & eandem complet essentialiter: *alterum*; qui extra essentiam absolutam est: & ideo ei conuenit solum accidentaliter: & *primum respectum*, includunt sub nominibus potentiarum, habituum, & scientiarum: & ideo secundum illum non sunt relatiua secundum esse; sed secundum dici: quare nec ipsæ, nec talis earum respectus pertinent ad hoc prædicamentum, sed ad prædicamentum qualitatis. *Per secundum autem* respectum denominãtur mensurabiles ab obiectis; neque aliquid absolutum includunt sub his nominibus; sed solam relationem: & ideo sunt relatiua secundum esse, & constituunt hoc tertium genus relationum: quæ omnià tradit D.Tho. eisdem locis: & nos ex mente eius copiosiùs explicuimus, quæ.6. huius prædicamenti.

Testimonium Arist. quod pro se adducit prima opinio Henrici, & modernorum, explicatum est iam, à D. Thom. secundum germanum sensum, in fauorem cõmunis sententiæ; quam sequimur: quia eam (absque dubio) continent; sed à modernis in oppositum sensum trahitur. Intelligunt enim Aristot. de ijs relatiuis dixisse; quod neutrum extremum eorum sit verè relatiuum; sed solo nomine talia dicantur: hoc verò falsum est, & verbis Arist. contrarium: qui de solo vno extremo eorum dixit; nõ denominari tale per relationem; qua ipsum refertur ad aliud: sed per eam, qua aliud refertur ad ipsum: quod non potest esse verum; nisi ex parte alterius extremi daretur vera relatio realis: nam si nõ datur; nec erit, à quo denominetur. *Sensus igitur Arist. est*; Vnum extremum esse ad aliquid; quia per propriam relationem refertur ad aliud; alterum verò dici ad aliquid; non quia referatur; sed quia denominationem relatiuam à relatione alterius suscipit. Ex quo etiam patet; non bene intellexisse Caiet. idem testimonium Arist. ex eo colligentem, vtrumq; extremum harum relationum referri ad aliud; vnum quidem per relationem propriam; aliud verò per relationem alterius: cùm tamen repugnet aliquid referri ad aliud; nisi per relationem in se existentem. Arist. ergo relatiuũ denominari docuit à relatione alterius: quia relatio non potest tribuere; nisi denominationem relatiui; quod verò refe- 124.

129. *Tertia opinio* est Caiet. quam superius citauimus; asserentes, has relationes non solùm esse reales, & prædicamentales, tertium genus huius prædicamenti constituentes; sed mutuas; hoc est, reales ex parte vtriusque extremi; quorum vnum refertur ad aliud, per veram relationē in se existentem; nēpe mensurabile ad mēsuram: hæc verò refertur ad mensurabile; non per relationem in se existentem; sed per relationem eiusdem mensurabilis ad ipsam. Idq; probat eodem testimonio Arist. citato pro prima sententia.

Communis tamen sententia totius ferè scholæ est, relationes mensurabilis, & mensuræ veras, & reales esse, & tertium genus huius prædicamenti constituere; sed non mutuas: quia reales sunt tantùm ex parte mensurabilis; non ex parte mensuræ. Ita D. Thom. expresse 5. Meta. lect. 17. & 1. par quęst. 13, ar. 7. & omnes Interpretes Arist. non solū capite pręsenti, sed 5. Meta. cap. 15. Imò ipsemet Arist. etiam expresse ibidem; postquam primum, & secūdū genus relationū posuit; tertiū addit: in quo posuit mensurabile, scibile, & intelligibile.

130. *Sed notandum est primò*: quod hoc tertiū genus relationū explicat, & distinguit à primo, & secundo, D.Tho. eisdem locis hanc differentiam inter ipsum, & alia assignans; quòd relationes primi, & secundi generis sunt mutuæ; hoc est, reales ex parte vtriusq; extremi: ita vt in duobus extremis, duę sint relationes reales; quarū vtraq; suū extremum denominat formaliter: vt in patre, & filio, simili, & æquali, est manifestū: in relatiuis verò tertij generis, solū vna relatio realis reperitur; à qua vtrumque extremū denominatur: vnum quidem denominatione formali, & intrinseca, alterum verò solū denominatione extrinseca: vt in scientia, & scibili, solum reperitur vna relatio realis; per quam scientia dicitur formaliter mensurabilis, & per eandem denominatur obiectum mensura eiusdem scientiæ; sed denominatione solum extrinseca: & ideo relationes huius generis dicuntur non mutuæ.

131. *Secundo notat* D.Thom. rationem, propter quam in his relatiuis, tantum sit vna relatio realis; à qua vtrumque extremum denominetur: cùm tamen in alijs duobus generibus, singulæ relationes denominent singula extrema: & ideo dicantur relatiua huius tertij generis non mutua: rationem autem huius esse ait; quia extrema harum relationum non sunt eiusdem ordinis; sed diuersi: & ideo licet vnum ad aliud ordinetur realiter, per intrinsecam relationem: non ordinatur tamen aliud ad illud; sed solùm dicitur tale à relatione reali alterius. Gratia exempli. Scientia, & potentia ordinantur ad propria obiecta; quæ secundum se absoluta sunt, nec pertinent ad ordinem scientiarum, & potentiarum: quare nec ordinantur ex se ad easdem scientias, & potentias: & ideo nō habent relationem realem intrinsecam; à qua denominentur mensuræ: sed solum denominantur à relationibus earum: ita, vt eo ipso, quòd scientia, & potentia denominantur formaliter mensurabiles, per obiecta à proprijs relationibus realibus; obiecta ipsa ex se absoluta, consequentur denominationem extrinsecam relatiuam mensuræ, ab eisdem relationibus. Et hunc esse sensum Aristot. (ait D. Thom.) dū asseruit 5. Meta. cap. 15. relatiua primi, & secundi generis esse talia; quia referuntur ad aliud: sed relatiua tertij generis; 132. non quia referuntur ad alia; sed quia alia referuntur ad ipsa: quod asseruisse docet, non propter vtrumque extremum: nam scientia, & potentia etiam dicitur talis, quia refertur ad obiectū: sed propter alterum tantū; nēpe propter ipsū obiectū: quod

quod non dicitur scibile; nisi quia sciētia versatur circa ipsum: vnde hoc nō fuit aliud, quam dicere; has relationes nō esse mutuas; sed vnā pro vtroq; extremo deseruire, & vtrumq; denominare; formaliter quidem vnum, & extrinsecè aliud.

Tertio notat D. Thom. quòd illud extremum harum relationum, in quo non est relatio realis; duobus modis dicitur tale. *Primo*. quidem, denominatione reali extrinseca, à relatione reali existente in alio extremo. *Secundo*, denominatione quasi formali, & intrinseca; non reali, sed rationis. Nam ex eo; quod intellectus videt denominari obiectum à relatione scientiæ, & eandem relationem terminare; concipit illud, ac si verè ordinaretur ad scientiam: & tribuit illi relationem rationis; per quam ipsum ordinat ad eandem scientiam. Inter vtramque verò denominationem, hæc est differentia; quod prima, & realis est denominatio relatiua; quia à relatione suscepta: per eam tamen non refertur scibile ad scientiam; sed ad aliquid dicitur: hoc est relatiuè denominatur; quia aliud refertur ad ipsum: denominatio verò; quam ei tribuit intellectus; cùm sit relatio ex parte ipsius; aut in ipso concepta, eique attributa; non solum illud denominat relatiuè; sed etiam refert ad aliud.

123 *Vltimo notandum est.* Potentiam, habitum, & scientiam; duos habere respectus: *Vnum*, qui includitur in ratione absoluta earum; & eandem complet essentialiter: *alterum*; qui extra essentiam absolutam est: & ideo ei conuenit solum accidentaliter: & *primum respectum*, includunt sub nominibus potentiarum, habituum, & scientiarum: & ideo secundum illum non sunt relatiua secundum esse; sed secundum dici: quare nec ipsæ, nec talis earum respectus pertinent ad hoc prædicamentum, sed ad prædicamentum qualitatis. *Per secundum autem* respectum denominātur mensurabiles ab obiectis; neque aliquid absolutum includunt sub his nominibus; sed solam relationem: & ideo sunt relatiua secundum esse, & constituunt hoc tertium genus relationum: quæ omnià tradit D.Tho. eisdem locis: & nos ex mente eius copiosiùs explicuimus, quæ.6. huius prædicamenti.

Testimonium Arist. quod pro se adducit prima opinio Henrici, & modernorum, explicatum est iam, à D. Thom. secundum germanum sensum, in fauorem cōmunis sententiæ; quam sequimur: quia eam (absque dubio) continent; sed à modernis in oppositum sensum trahitur. Intelligunt enim Aristot. de ijs relatiuis dixisse; quod neutrum extremum eorum sit verè relatiuum; sed solo nomine talia dicantur: hoc verò falsum est, & verbis Arist. contrarium: qui de solo vno extremo eorum dixit; nō denominari tale per relationem; qua ipsum refertur ad aliud: sed per eam, qua aliud refertur ad ipsum: quod non potest esse verum; nisi ex parte alterius extremi daretur vera relatio realis: nam si nō datur; nec erit, à quo denominetur. *Sensus igitur Arist. est*; Vnum extremum esse ad aliquid; quia per propriam relationem refertur ad aliud; alterum verò dici ad aliquid; non quia referatur; sed quia denominationem relatiuam à relatione alterius suscipit. Ex quo etiam patet; non bene intellexisse Caiet. idem testimonium Arist. ex eo colligentem, vtrumq; extremum harum relationum referri ad aliud; vnum quidem per relationem propriam; aliud verò per relationem alterius: cùm tamen repugnet aliquid referri ad aliud; nisi per relationem in se existentem. Arist. ergo relatiuū denominari docuit à relatione alterius: quia relatio non potest tribuere; nisi denominationem relatiui; quod verò refe- 124

Tertia opinio est Caiet. quam superius
129. citauimus; asserentes, has relationes non solùm esse reales, & prædicamentales, tertium genus huius prædicamenti constituentes; sed mutuas; hoc est, reales ex parte vtriusque extremi; quorum vnum refertur ad aliud, per veram relationẽ in se existentem; nẽpe mensurabile ad mẽsuram: hæc verò refertur ad mensurabile; non per relationem in se existentem; sed per relationem eiusdem mensurabilis ad ipsam. Idq; probat eodem testimonio Arist. citato pro prima sententia.

Communis tamen sententia totius ferè scholæ est, relationes mensurabilis, & mensuræ veras, & reales esse, & tertium genus huius prædicamenti constituere; sed non mutuas: quia reales sunt tantùm ex parte mensurabilis; non ex parte mensuræ. Ita D. Thom. expresse 5. Meta. lect. 17. & 1. par quæst. 13. ar. 7. & omnes Interpretes Arist. non solũ capite præsenti, sed 5. Meta. cap. 15. Imò ipsemet Arist. etiam expresse ibidem; postquam primum, & secũdũ genus relationũ posuit; tertiũ addit: in quo posuit mensurabile, scibile, & intelligibile.

130. *Sed notandum est primò*: quod hoc tertiũ genus relationũ explicat, & distinguit à primo, & secundo, D. Tho. eisdem locis hanc differentiam inter ipsum, & alia assignans; quòd relationes primi, & secundi generis sunt mutuæ; hoc est, reales ex parte vtriusq; extremi: ita vt in duobus extremis, duę sint relationes reales; quarũ vtraq; suũ extremum denominat formaliter: vt in patre, & filio, simili, & æquali, est manifestũ: in relatiuis verò tertij generis, solũ vna relatio realis reperitur; à qua vtrumque extremũ denominatur: vnum quidem denominatione formali, & intrinseca, alterum verò solũ denominatione extrinseca: vt in scientia, & scibili, solum reperitur vna relatio realis; per quam scientia dicitur formaliter mensurabilis, & per eandem denominatur obiectum mensura eiusdem scientiæ; sed denominatione solum extrinseca: & ideo relationes huius generis dicuntur non mutuæ.

Secundo notat D. Thom. rationem, propter quam in his relatiuis, tantum sit vna 131.
relatio realis; à qua vtrumque extremum denominetur: cùm tamen in alijs duobus generibus, singulæ relationes denominent singula extrema: & ideo dicantur relatiua huius tertij generis non mutua. rationem autem huius esse ait; quia extrema harum relationum non sunt eiusdem ordinis; sed diuersi: & ideo licet vnum ad aliud ordinetur realiter, per intrinsecam relationem: non ordinatur tamen aliud ad illud; sed solùm dicitur tale à relatione reali alterius. Gratia exempli. Scientia, & potentia ordinantur ad propria obiecta; quæ secundum se absoluta sunt, nec pertinent ad ordinem scientiarum, & potentiarum: quare nec ordinantur ex se ad easdem scientias, & potentias: & ideo nõ habent relationem realem intrinsecam; à qua denominentur mensuræ: sed solum denominantur à relationibus earum: ita, vt eo ipso, quòd scientia, & potentia denominantur formaliter mensurabiles, per obiecta à proprijs relationibus realibus; obiecta ipsa ex se absoluta, consequentur denominationem extrinsecam relatiuam mensuræ, ab eisdem relationibus. Et hunc esse sensum Aristot. (ait D. Thom.) dũ asseruit 5. Meta. cap. 15. relatiua primi, & secundi generis esse talia; quia referuntur ad aliud: sed relatiua tertij generis; 132.
non quia referuntur ad alia; sed quia alia referuntur ad ipsa: quod asseruisse docet, non propter vtrumque extremum: nam scientia, & potentia etiam dicitur talis. quia refertur ad obiectũ: sed propter alterum tantũ; nẽpe propter ipsũ obiectũ: quod

quod non dicitur scibile; nisi quia sciẽtia versatur circa ipsum: vnde hoc nõ fuit aliud, quam dicere; has relationes nõ esse mutuas; sed vnã pro vtroq; extremo deseruire, & vtrumq; denominare; formaliter quidem vnum, & extrinsecè aliud.

Tertio notat D. Thom. quòd illud extremum harum relationum, in quo non est relatio realis; duobus modis dicitur tale. *Primo*. quidem, denominatione reali extrinseca, à relatione reali existente in alio extremo. *Secundo*, denominatione quasi formali, & intrinseca; non reali, sed rationis. Nam ex eo: quod intellectus videt denominari obiectum à relatione scientiæ, & eandem relationem terminare; concipit illud, ac si verè ordinaretur ad scientiam: & tribuit illi relationem rationis; per quam ipsum ordinat ad eandem scientiam. Inter vtramque verò denominationem, hæc est differentia: quod prima, & realis est denominatio relatiua; quia à relatione suscepta: per eam tamen non refertur scibile ad scientiam; sed ad aliquid dicitur: hoc est relatiuè denominatur; quia aliud refertur ad ipsum: denominatio verò; quam ei tribuit intellectus; cùm sit relatio ex parte ipsius; aut in ipso concepta, eique attributa; non solum illud denominat relatiuè; sed etiam refert ad aliud.

113. *Vltimo notandum est.* Potentiam, habitum, & scientiam; duos habere respectus: *Vnum*, qui includitur in ratione absoluta earum; & eandem complet essentialiter: *alterum*; qui extra essentiam absolutam est: & ideo ei conuenit solum accidentaliter: & *primum respectum*, includunt sub nominibus potentiarum, habituum, & scientiarum: & ideo secundum illum non sunt relatiua secundum esse; sed secundum dici: quare nec ipsæ, nec talis earum respectus pertinent ad hoc prædicamentum, sed ad prædicamentum qualitatis. *Per secundum autem* respectum denominãtur mensurabiles ab obiectis; neque aliquid absolutum includunt sub his nominibus; sed solam relationem: & ideo sunt relatiua secundum esse, & constituunt hoc tertium genus relationum: quæ omnia tradit D. Tho. eisdem locis: & nos ex mente eius copiosiùs explicuimus, quæ. 6. huius prædicamenti.

Testimonium Arist. quod pro se adducit prima opinio Henrici, & modernorum, explicatum est iam, à D. Thom. secundum germanum sensum, in fauorem cõmunis sententiæ; quam sequimur: quia eam (absque dubio) continent; sed à modernis in oppositum sensum trahitur. Intelligunt enim Aristot. de ijs relatiuis dixisse; quod neutrum extremum eorum sit verè relatiuum; sed solo nomine talia dicantur: hoc verò falsum est, & verbis Arist. contrarium: qui de solo vno extremo eorum dixit; nõ denominari tale per relationem; qua ipsum refertur ad aliud: sed per eam, qua aliud refertur ad ipsum: quod non potest esse verum; nisi ex parte alterius extremi daretur vera relatio realis: nam si nõ datur; nec erit, à quo denominetur. *Sensus igitur Arist. est*; Vnum extremum esse ad aliquid; quia per propriam relationem refertur ad aliud; alterum verò dici ad aliquid; non quia referatur; sed quia denominationem relatiuam à relatione alterius suscipit. Ex quo etiam patet; non bene intellexisse Caiet. idem testimonium Arist. ex eo colligentem, vtrumq; extremum harum relationum referri ad aliud; vnum quidem per relationem propriam; aliud verò per relationem alterius: cùm tamen repugnet aliquid referri ad aliud; nisi per relationem in se existentem. Arist. ergo relatiuũ denominari docuit à relatione alterius: quia relatio non potest tribuere; nisi denominationem relatiui; quod verò refe- 114.

129. *Tertia opinio* est Caiet. quam superius citauimus; asserentes, has relationes non solùm esse reales, & prædicamentales, tertium genus huius prædicamenti constituentes; sed mutuas; hoc est, reales ex parte vtriusque extremi; quorum vnum refertur ad aliud, per veram relationē in se existentem; nēpe mensurabile ad mēsuram: hæc verò refertur ad mensurabile; non per relationem in se existentem; sed per relationem eiusdem mensurabilis ad ipsam. Idq; probat eodem testimonio Arist. citato pro prima sententia.

Communis tamen sententia totius ferè scholæ est, relationes mensurabilis, & mensuræ veras, & reales esse, & tertium genus huius prædicamenti constituere; sed non mutuas: quia reales sunt tantùm ex parte mensurabilis; non ex parte mensuræ. Ita D. Thom. expresse 5. Meta. lect. 17. & 1. par quæst. 13, ar. 7. & omnes Interpretes Arist. non solū capite præsenti, sed 5. Meta. cap. 15. Imò ipsemet Arist. etiam expresse ibidem; postquam primum, & secūdū genus relationū posuit; tertiū addit: in quo posuit mensurabile, scibile, & intelligibile.

130. *Sed notandum est primò*: quod hoc tertiū genus relationū explicat, & distinguit à primo, & secundo, D. Tho. eisdem locis hanc differentiam inter ipsum, & alia assignans; quòd relationes primi, & secundi generis sunt mutuæ; hoc est, reales ex parte vtriusq; extremi: ita vt in duobus extremis, duæ sint relationes reales; quarū vtraq; suū extremum denominat formaliter: vt in patre, & filio, simili, & æquali, est manifestū: in relatiuis verò tertij generis, solū vna relatio realis reperitur; à qua vtrumque extremū denominatur: vnum quidem denominatione formali, & intrinseca, alterum verò solū denominatione extrinseca: vt in scientia, & scibili, solum reperitur vna relatio realis; per quam scientia dicitur formaliter mensurabilis, & per eandem denominatur obiectum mensura eiusdem scientiæ; sed denominatione solum extrinseca: & ideo relationes huius generis dicuntur non mutuæ.

Secundo notat D. Thom. rationem, propter quam in his relatiuis, tantum sit vna relatio realis; à qua vtrumque extremum denominetur: cùm tamen in alijs duobus generibus, singulæ relationes denominent singula extrema: & ideo dicantur relatiua huius tertij generis non mutua: rationem autem huius esse ait; quia extrema harum relationum non sunt eiusdem ordinis; sed diuersi: & ideo licet vnum ad aliud ordinetur realiter, per intrinsecam relationem: non ordinatur tamen aliud ad illud; sed solùm dicitur tale à relatione reali alterius Gratia exempli. Scientia, & potentia ordinantur ad propria obiecta; quæ secundum se absoluta sunt, nec pertinent ad ordinem scientiarum, & potentiarum: quare nec ordinantur ex se ad easdem scientias, & potentias: & ideo nō habent relationem realem intrinsecam; à qua denominentur mensuræ: sed solum denominantur à relationibus earum: ita, vt eo ipso, quòd scientia, & potentia denominantur formaliter mensurabiles, per obiecta à proprijs relationibus realibus; obiecta ipsa ex se absoluta, consequentur denominationem extrinsecam relatiuam mensuræ, ab eisdem relationibus. Et hunc esse sensum Aristot. (ait D. Thom.) dū asseruit 5. Meta. cap. 15. relatiua primi, & secundi generis esse talia; quia referuntur ad aliud: sed relatiua tertij generis; 132. non quia referuntur ad alia; sed quia alia referuntur ad ipsa: quod asseruisse docet, non propter vtrumque extremum: nam scientia, & potentia etiam dicitur talis. quia refertur ad obiectū: sed propter alterum tantū; nēpe propter ipsū obiectū: quod

quod non dicitur scibile; nisi quia sciētia versatur circa ipsum: vnde hoc nō fuit aliud, quam dicere; has relationes nō esse mutuas; sed vnā pro vtroq; extremo deseruire, & vtrumq; denominare; formaliter quidem vnum, & extrinsecè aliud.

Tertio notat D. Thom. quòd illud extremum harum relationum, in quo non est relatio realis; duobus modis dicitur tale. *Primo.* quidem, denominatione reali extrinseca, à relatione reali existente in alio extremo. *Secundo*, denominatione quasi formali, & intrinseca; non reali, sed rationis. Nam ex eo: quod intellectus videt denominari obiectum à relatione scientiæ, & eandem relationem terminare; concipit illud, ac si verè ordinaretur ad scientiam: & tribuit illi relationem rationis; per quam ipsum ordinat ad eandem scientiam. Inter vtramque verò denominationem, hæc est differentia: quod prima, & realis est denominatio relatiua; quia à relatione suscepta: per eam tamen non refertur scibile ad scientiam; sed ad aliquid dicitur: hoc est relatiuè denominatur; quia aliud refertur ad ipsum: denominatio verò; quam ei tribuit intellectus; cùm sit relatio ex parte ipsius; aut in ipso concepta, eique attributa; non solum illud denominat relatiuè; sed etiam refert ad aliud.

123. *Vltimo notandum est.* Potentiam, habitum, & scientiam; duos habere respectus: *Vnum*; qui includitur in ratione absoluta earum; & eandem complet essentialiter: *alterum*; qui extra essentiam absolutam est: & ideo ei conuenit solum accidentaliter: & *primum respectum*, includunt sub nominibus potentiarum, habituum, & scientiarum: & ideo secundum illum non sunt relatiua secundum esse; sed secundum dici: quare nec ipsæ, nec talis earum respectus pertinent ad hoc prædicamentum, sed ad prædicamentum qualitatis. *Per secundum autem* respectum denominātur mensurabiles ab obiectis; neque aliquid absolutum includunt sub his nominibus; sed solam relationem: & ideo sunt relatiua secundum esse, & constituunt hoc tertium genus relationum: quæ omnia tradit D.Tho. eisdem locis: & nos ex mente eius copiosiùs explicuimus, quæ.6. huius prædicamenti.

Testimonium Arist. quod pro se adducit prima opinio Henrici, & modernorum, explicatum est iam, à D. Thom. secundum germanum sensum, in fauorem cōmunis sententiæ; quam sequimur: quia eam (absque dubio) continent; sed à modernis in oppositum sensum trahitur. Intelligunt enim Aristot. de ijs relatiuis dixisse; quod neutrum extremum eorum sit verè relatiuum; sed solo nomine talia dicantur: hoc verò falsum est, & verbis Arist. contrarium: qui de solo vno extremo eorum dixit; nō denominari tale per relationem; qua ipsum refertur ad aliud: sed per eam, qua aliud refertur ad ipsum: quod non potest esse verum; nisi ex parte alterius extremi daretur vera relatio realis: nam si nō datur; nec erit, à quo denominetur. *Sensus igitur Arist. est*; Vnum extremum esse ad aliquid; quia per propriam relationem refertur ad aliud; alterum verò dici ad aliquid; non quia referatur; sed quia denominationem relatiuam à relatione alterius suscipit. Ex quo etiam patet; non bene intellexisse Caiet. idem testimonium Arist. ex eo colligentem, vtrumq; extremum harum relationum referri ad aliud; vnum quidem per relationem propriam; aliud verò per relationem alterius: cùm tamen repugnet aliquid referri ad aliud; nisi per relationem in se existentem. Arist. ergo relatiuū denominari docuit à relatione alterius: quia relatio non potest tribuere; nisi denominationem relatiui; quod verò refe-

Secundò dicimus. Nudam potentiam, priusquam reducatur ad actum; non esse fundamentum sufficiens relationis. Probatur hac ratione. Filius procedit à patre, tãquam ab actuali principio sui esse: sed nõ est actuale principium, per solam potentiam; nisi media generatione; vt notũ est: ergo nec potentia est sufficiens fundamentum; nisi media generatione reducatur ad actum.

114. *Tertiò dicimus. Actionem non esse fundamentum harum relationum. Quod probatur primò.* quia non est certum; sed in opinione positum, quòd relatio distinguatur ex natura rei, à fundamento: sed euidens erit, distingui has relationes; si fundamentum earum sit actio; & non potẽtia: ergo non est asserendum. probatur minor. quia generatio actiua, non permanet in patre; sed transit ad filium: aut saltem in materia prima; ex qua generatur; est tanquam in subiecto: sed relatio paternitatis, est in patre: ergo euidens erit distingui realiter ab actione; quia euidens est, accidentia inhærentia in subiectis adæquatis, & realiter distinctis; ex natura rei esse distincta.

Secundò. Quia relatio filiationis consequitur hominem genitum: ergo idem est principium vtriusque: sed generatio nõ est principium, neque causa; sed causatio, aut medium, quo procedit genitũ à principio; & consequenter relatio filiationis: ergo nec potest esse fundamẽtum relationis. Probatur hæc vltima cõsequentia. quia in his relationibus, processionis vnius ab alio; idem est esse principium, à quo procedit aliud, & fundamentum relationis eiusdem principij ad ipsum.

115. *Vltimò dicimus. Fundamentum proximum harum relationum esse potentiam; vt reductam ad actum per actionem:* ita vt actus solum sit conditio; potentia verò, vt ab ea procedit actio, fundamentum. Hæc est expressa sententia Aristot. 5. Metaph. c. 15. vbi fundamentum earum assignãs, ait. *Actiua verò, & passiua, secundum actiuam, & passiuam potentiam, & potentiarum actiones.* Quibus verbis vtramque pertinere ad fundamentum docet; nempe potẽtiam, & actionem: illam quidem tanquam principium; & ideo tanquam fundamentum: hanc verò; vt conditionẽ necessariam; sine qua non potest illa esse fundamentum.

Et probatur rationibus primæ, & secundæ opinionis: quibus hæc addenda est. Filius procedit à patre, tãquam à principio efficienti actuali suæ generationis; & ad ipsum, vt tale refertur: sed non constituitur in ratione actualis principij; nisi per potentiam simul cum actione generandi, per quam reducitur potentia ad actum, & denominat hominem generantem, vel actuale principium generationis: ergo potentia, vt ab ea procedit actio, est fundamentum relationis. *Argumenta primæ, & secundæ opinionis,* ex parte probant nostram sententiam: ideo non est eis respondendum.

Pro solutione arg. tertiæ opinionis, de separabilitate fundamenti à relatione; explicandum est, quomodo se habeat fundamentum ad relationem: & quo etiam modo hæc dependeat ab illo. 116. Et fundamentum quidem relationis, non est adeò materialiter accipiendum; sicut fundamentum domus, aut parietis; super quod materialiter consurgunt: sed in hoc sensu dicitur res aliqua fundamentum relationis; quia illa media fit, aũt producitur relatio in subiecto: dependentia verò relationis à fundamento, non est eadem in omnibus relationibus; sed maior, vel minor, secundum naturam cuiuslibet relationis. Est autem differentia inter relationes secũdi generis, ex vna parte; & alias omnes

omnes ex altera: quòd in relationibus primi, & tertij generis, fundamẽtum habet modum formæ; per quam constituũtur extrema in ratione extremorum: vt albedo, quæ est fundamẽtum similitudinis, extremorum forma est; qua media relatio inhæret extremis: vnde si ab eis tolleretur, non haberent capacitatem recipiẽdi relationem; vt si albedinem tollas ab extremis similitudinis; implicat contradictionem, talem relationem eis inesse: vnde sequitur, relationes has nõ solùm in esse, & fieri; sed etiam in conseruari dependere à fundamentis: ita vt non posint vllo modo sine illis consistere: fundamẽta verò relationum secundi generis, alio modo se habẽt: non enim sunt formæ extremorũ; sed virtutes, aut media tantum: à quibus effectiuè procedit relatio, vt à principio efficiente; non quidem per se, sed quasi per accidens: quia nullum est agens, quòd per se intendat relationem. Gratia exempli: potẽtia ge-
117. nerandi est virtus efficientis; per quam producit effectum; & ex consequenti relationem, eum consequentem: vnde relatio proximè inhęret substantiæ; quãuis media potentia, & actione fiat: vnde sequitur; has relationes solum dependere à suis fundamentis, in esse, & fieri: quia eis medijs fiunt ab efficiente: non tamen dependere in conseruari: quia non dependent ab eis tanquam à formis extremorum; sicut de cæteris relationibus dictum est.

Et ex his respondetur ad formam argum. Negandum est enim antecedens; quòd relationes huius secundi generis, non possint permanere in subiectis sine fundamentis: vnde nec repugnat; quòd separata potentia generatiua ab homine; qui genuit; & permanente filio genito; permaneat relatio paternitatis, & filiationis: imò, extremis permanentibus; necesse est eam permanere. Et ratio huius est: quia non dependent à fundamentis, in conseruari: sed tantum in esse, & fieri: vt explicatum est.

QVÆSTIO XII.

An relationes tertij generis sint reales, & prædicamentales?

TErtium genus relationum est, mensurabilis, & mensuræ; de quibus nõ [illegible]
est apud omnes certum; *An sint veræ relationes; neque an sint prædicamentales.*

Sed prima opinio, tenet non esse veras relationes; sed solo nomine ita vocari: & hanc esse causam, ob quam dicuntur ab Arist. relationes secundum dici: quasi titulum solum eis concedat, in re verò nihil sint: quare nec pertinent ad hoc prædicamentum, neque ad aliud. Ita Henricus, quodlib.2. quæst.4. quem sequuntur moderni quidam: & probant testimonio Aristot.5.l.Meta.ca.35. vbi mensurabile, scibile, & intelligibile, ait; non esse ad aliquid; quia ipsa referantur; sed quia alia referuntur ad ipsa: ergo ex parte mensurabilis nulla datur relatio; sed longè minus ex parte mensuræ: nam mensura absolutum quid est; quare solo nomine dicuntur relatiua, & re ipsa nullam relationem habent: & hoc est esse relatiua secundum dici; & ad nullum prædicamentum pertinere.

Alij verò, eiusmodi relatiua vera, & realia esse concedunt; sed transcendentalia vocant, non prædicamentalia; quia ad multa prædicamenta pertinere possunt vt ad qualitatem, & quantitatem: & ideo; non collocantur in hoc prędicamẽto. Quare secundum has duas sententias, duo tantùm sunt genera relationis prædicamentalis. *Primum*; quod fundatur in vnitate. *Secundum*, in potentia, & actione. *Tertium verò*, res est de solo titulo; vel titulus sine re.

Et Tertio

quod non dicitur scibile; nisi quia sciētia versatur circa ipsum: vnde hoc nō fuit aliud, quam dicere; has relationes nō esse mutuas; sed vnā pro vtroq; extremo deseruire, & vtrumq; denominare; formaliter quidem vnum, & extrinsecè aliud.

Tertio notat D. Thom. quòd illud extremum harum relationum, in quo non est relatio realis; duobus modis dicitur tale. *Primo.* quidem, denominatione reali extrinseca, à relatione reali existente in alio extremo. *Secundo*, denominatione quasi formali, & intrinseca; non reali, sed rationis. Nam ex eo: quod intellectus videt denominari obiectum à relatione scientiæ, & eandem relationem terminare; concipit illud, ac si verè ordinaretur ad scientiam: & tribuit illi relationem rationis; per quam ipsum ordinat ad eandem scientiam. Inter vtramque verò denominationem, hæc est differentia: quod prima, & realis est denominatio relatiua; quia à relatione suscepta: per eam tamen non refertur scibile ad scientiam; sed ad aliquid dicitur: hoc est relatiuè denominatur; quia aliud refertur ad ipsum: denominatio verò; quam ei tribuit intellectus; cùm sit relatio ex parte ipsius; aut in ipso concepta, eique attributa; non solum illud denominat relatiuè; sed etiam refert ad aliud.

123 *Vltimo notandum est.* Potentiam, habitum, & scientiam; duos habere respectus: *Vnum*, qui includitur in ratione absoluta earum; & eandem complet essentialiter: *alterum*; qui extra essentiam absolutam est: & ideo ei conuenit solum accidentaliter: & *primum respectum*, includunt sub nominibus potentiarum, habituum, & scientiarum: & ideo secundum illum non sunt relatiua secundum esse; sed secundum dici: quare nec ipsæ, nec talis earum respectus pertinent ad hoc prædicamentum, sed ad prædicamentum qualitatis. *Per secundum autem* respectum denominātur mensurabiles ab obiectis; neque aliquid absolutum includunt sub his nominibus; sed solam relationem: & ideo sunt relatiua secundum esse, & constituunt hoc tertium genus relationum: quæ omnia tradit D.Tho. eisdem locis: & nos ex mente eius copiosiùs explicuimus, quæ.6. huius prædicamenti.

Testimonium Arist. quod pro se adducit prima opinio Henrici, & modernorum, explicatum est iam, à D. Thom. secundum germanum sensum, in fauorem cōmunis sententiæ; quam sequimur: quia eam (absque dubio) continent; sed à modernis in oppositum sensum trahitur. Intelligunt enim Aristot. de ijs relatiuis dixisse; quod neutrum extremum eorum sit verè relatiuum; sed solo nomine talia dicantur: hoc verò falsum est, & verbis Arist. contrarium: qui de solo vno extremo eorum dixit; nō denominari tale per relationem; qua ipsum refertur ad aliud: sed per eam, qua aliud refertur ad ipsum: quod non potest esse verum; nisi ex parte alterius extremi daretur vera relatio realis: nam si nō datur; nec erit, à quo denominetur. *Sensus igitur Arist. est*; Vnum extremum esse ad aliquid; quia per propriam relationem refertur ad aliud; alterum verò dici ad aliquid; non quia referatur; sed quia denominationem relatiuam à relatione alterius suscipit. Ex quo etiam patet; non bene intellexisse Caiet. idem testimonium Arist. ex eo colligentem, vtrumq; extremum harum relationum referri ad aliud; vnum quidem per relationem propriam; aliud verò per relationem alterius: cùm tamen repugnet aliquid referri ad aliud; nisi per relationem in se existentem. Arist. ergo relatiuū denominari docuit à relatione alterius: quia relatio non potest tribuere; nisi denominationem relatiui; quod verò refe- 124

ratur per alienam relationem, nec vnquam somniauit.

CAPVT XIIII.

An relatio distinguatur realiter à fundamento; vel solum ratione?

125. FVndamentum relationis primi generis diximus iam; esse substantiam, qualitatem, & quantitatem, sub ratione *Vnitatis*, aut diuersitatis genericæ, vel specificæ. *Fundamentum relationis secundi generis: potentiam*, actiuam, & passiuam, reductam ad actum per actionem, & passionem. *Adæquationem verò*, aut commensurationem vnius rei cum alia; vt scientiæ, cum suo obiecto; *fundamentum relationis tertij generis*: Quærimus igitur modo: *An relationes medijs his fundamentis in extremis insurgentes, distinguantur ab eisdem fundamentis realiter, & ante operationem intellectus; vel solum ratione per intellectum?* vt paternitas à potentia generatiua; similitudo ab albedine; & æqualitas à quantitate.

126. *Et prima opinio asserit*; Nullam relationem distingui realiter à suo fundamento; sed ratione tantum ratiocinata, habente fundamentum in re. Ita sentiunt Nominales, Ocham, & Maior, in 1. d. 3. quæst. 1. Gregor. d. 28. quæst. 2. artic. 1. Marsilius in 1. quæst. 32. artic. 1. Herueus d. 3. quæst. 1. Iauellus 5. Metap. quæst. 22. Soncinas ibidem, quæst. 28. Duran. in 1 d. 3. quæst. 2. num. 17. *Probatur testimonio Aristotelis*. 5. lib. Physic. textu 11. & lib. 11. Meta. cap. penultimo. Quibus locis asserit; Relationem non terminare motum per se: quia sæpè acquiritur sine mutatione subiecti: vt si Compluti sit vnum corpus album; & fiat aliud album Romæ, illud acquirit nouam relationem similitudinis; sine aliqua sui mutatione: imò sine mutatione albedinis in eo existentis: ergo non acquirit nouam entitatem realem, distinctam ab albedine. Probatur consequentia; quia si relatio esset noua entitas realis, distincta ab albedine; acquireret nouam formam realem; quæ sine mutatione subiecti non potest acquiri: imò nec producetur ab aliquo talis entitas relationis; quia nō est, à quo produci possit; nisi ab eodem agente; à quo Romæ producitur nouum album: sed ab eo produci repugnat; cùm non possit agere ad tantam distantiam.

Probatur etiam ratione. Primò; quia illa quæ distinguuntur realiter; separari possunt inter sese; saltem per potentiam Dei absolutam: vel impediri potest consecutio vnius, ex altero: sed posito fundamento in vtroque extremo; repugnat non sequi relationem: & permanente etiam vtroque, repugnat non permanere relationem: sicut in duobus albis eusdem gradus est manifestum; à quibus repugnat separari similitudinem: ergo relatio non est entitas realis, distincta à fundamento. 127.

Secundò probatur. Quia non sunt multiplicandæ entitates, sine vrgenti necessitate: sed posita distinctione reali relationis à fundamento; multiplicantur penè infinitæ entitates, in singulis relatiuis; præsertim si ad distinctos terminos referuntur, per distinctas relationes (vt probabile est) ergo non est ponenda talis distinctio realis. Probatur consequentia. quia nulla vrget ratio efficax; per quam probetur esse ponēdam: sed cùm relatio non sit aliud; quàm modus se habendi ad aliud; absque noua entitate possumus intelligere, alio modo se habere; quod est, referri ad aliud.

Secunda opinio, distinctione vtitur. 128. Nam relationes; quæ possunt separari ab extremis; ita vt extrema permanentia cum

cum fundamentis, posśint esse sine relatione; asserit distingui realiter à fundamentis: illas verò, quæ ab eisdem fundamentis, in extremis positis, non possunt separari, nō distingui ab eis; nisi ratione: quæ autem sint, quæ separari posśint ab extremis, & quæ non posśint: non explicat: imò neque rationem vllam affert, ad id confirmandum: quare confusè satis loquitur: id solùm declarans; quòd relationes secundi generis; quas putat in potentia nuda fundari; & non in potentia reducta ad actum? non distinguuntur à fundamento. Addit autem; quòd relationes, quæ identificantur cum substantia, quæcunque illæ sint, non pertinent ad hoc prædicamentum: quia repugnat accidens identificari cum substantia. *Alij verò moderni*, relationes omnes fundatas in substantia, realiter distinguunt à fundamento, propter eandem rationem.

Tertia opinio. Distinguit omnes relationes reales, à suis fundamentis realiter: quam sequuntur ferè omnes Thomistæ. Caiet. 1. par. quæst. 28. artic. 2. & ibid. Bannes, Capr. in 1. dist. 3. quæst. 1. Ferrar. 4. lib. contra gentes, cap. 14. Sotus quæst. 2. huius prædicamenti Fonseca 5. lib Meta. cap. 15. quæst. 2. sect. 1. Et eandem videtur sequi Scotus, in 2. d. 1. quæst. 5. & in 3. d. 8. quæst. 1. *Et videtur mihi probabilior, & tenenda.* Hoc solum addendum est; quod talis distinctio non est ita realis; qualis reperitur inter duas res; sed qualis reperitur inter rem, & modum eius: nam cum relatio non posśit esse in rerum natura, sine relatiuo (vt postea probabitur) non se habet, tanquam alia res distincta ab eo: sed tanquam modus eius: ideo non distinguitur tanquam vna res ab alia: sed per distinctā quidem entitatem realem; & sine dependentia ab intellectu: solum tamen modalem; & distinctione non rei; sed modi: & eam sic explicatam, sequuntur iam omnes ferè moderni.

119. *Probatur autem ex doctrina D. Tho.* qui tria docet de relationibus creaturarum. *Primum*; quòd aliud esse habeant distinctum, ab esse substantiæ: & secundum hoc esse ei inhærent. *Secundum*; quòd in relatiuis; creatis, præter id, quod significatur nomine relatiuo; inueniatur aliquid aliud; quod est res alia diuersa ab ea: quæ significatur per nomen relatiuum. *Tertium*; quòd relatio creata, sic inhæret subiecto; vt faciat cum eo compositionem realem: relatio verò diuina, non facit compositionem. *Primum, & tertium asserit* 4. lib. contra gentes, capit. 14. *Secundum* verò 2. part. quæst. 28. art. 2. ad 2. Ex quibus euidenter sequitur; relationem distingui ex natura rei; saltē à substantia, cui inhæret; & quam ordinat ad aliud: quia realis compositio, & realis inhærētia; supponit distinctionem realem componentium, atque etiam subiecti, & formæ inhærentis: sed superius probatum est, ex communi sententia; relationes primi generis, fundari proximè in substantia: ergo de his saltem relationibus euidens est, in doctrina D. Thom. distingui à substantia ex natura rei: & cùm sit eadē ratio de cæteris; sequitur eum sentire; quòd omnes distinguantur ex natura rei, à suis fundamentis.

Idem ratione probatur Primò. Ex noua, atque reali acquisitione relationis; & ex reali eius deperditione. Nam dum corpus erat album, & non erat simile; fit de nouo simile; per productionem noui albi: & dum hoc album corrūpitur, desinit esse simile: ex quo sic arguo. Primum album non erat realiter simile; antequam produceretur secundum: ergo cùm producitur, fit realiter, & formaliter simile; per realem relationem similitudinis: quā prius non habebat, licèt haberet albedinem; quæ est eius fundamentum: sed relatio realis, est realis forma relatiua: ergo ac-

go acquirit formam realem relatiuam; quam non habebat: & realis forma, est realis entitas: ergo acquirit realem entitatem; quam non habebat; licèt haberet fundamentũ: relatio igitur res est à fundamento distincta. Et idẽ sequitur, ex reali separatione eiusdem relationis à subiecto: nam corrupto alio albo; corrumpitur in hoc realis similitudo: ergo realis forma relatiua: & ideo realis entitas, permanente entitate reali fundamẽti: quod non potest esse verum; nisi sint entitates reales distinctæ.

131. *Hoc argumentum duobus modis conantur soluere moderni. Primo*, asserentes; quod dum nouum album producitur, nihil nouum acquirit antiquũ album; sed solùm id habere nouum ex eo, quòd de nouo factum est simile: vt nouum extremum cõnotet; quod prius non connotabat: vndè relatio similitudinis, non est aliud (inquiunt) quam albedo; vt connotans terminum, ad quã refertur. *Hæc tamen solutio non satisfacit argumento.* quia album illud denominatur de nouo simile realiter, & formaliter; atque etiam accidentaliter; cùm prius nullo modo denominaretur: sed denominatio realis, & accidẽtalis, non potest fieri; nisi à forma reali inhærẽte: ergo noua denominatio nõ potest fieri; nisi à noua forma reali, & inhærente: falsum igitur est; quod esse de nouo simile, solùm sit noua connotatio termini. Probatur consequentia. quia talis connotatio, quæ supponit nouam denominationem realem, formalem, & accidentalem; nec potest esse, nec intelligi, sine noua acquisitione realis formæ.

Quare alij respondent secundo. Negari non posse; quin antiquum album acquirat aliquid nouum; non tamen distinctum à fundamento realiter; sed sola ratione: & vt vno verbo dicatur; non comparare nouam entitatem realem; sed nouam rationem formalem relatiuam: à qua nouam denominationem realẽ suscipit. Hęc tamẽ solutio verba solùm cõtinet; & nihil aliud: quare nec potest argumento satisfacere: quod sic probo. Ante operationem intellectus, antiquum album fit realiter, formaliter, & accidentaliter simile; cùm prius non esset simile; licèt haberet albedinem: sed talis denominatio, non potest prouenire; nisi à forma inhærẽte de nouo acquisita: cùm denominatio sit noua, & acquirat talem denominationem nouam, sine dependẽtia ab intellectu: imò licèt nunquam ab eo cognoscatur: ergo acquirit nouam formam, absque dependẽtia, vel distinctione intellectus: & ideo ex natura rei distinctam à fundamento, quod habebat prius.

Secundo. De relationibus fundatis in substãtia, specialiter probatur: quia substantia est ens per se, nulli inhærens: & accidens reale, ex propria natura inhæret substantiæ: sed relatio est accidens reale: ergo inhæret realiter substantiæ. Sed repugnat; quòd eadem entitas realis, sit per se, & inhæreat alteri: quia esset simul per se; & non per se: ergo repugnat, quòd relatio sit eadem entitas realis, cum substantia: quare necesse est relationem fundatam in substantia; distingui realiter à suo fundamento. Neque aliquid valet, quòd solet responderi; relationem non inhærere substantiæ, nisi vt distinctam ratione ab ea. Hoc enim apertè falsum est. quia ante operationem intellectus, vna substantia refertur ad alteram, per relationem realem, & accidẽtalem: ergo ante operationem intellectus, relatio est in substantia. Tunc ergo: vel est ens per se, ante operationẽ intellectus: vel ens in alio: non per se; quia erit substantia; & nõ relatio accidentalis: ergo 132.

go est ens in alio : quod non potest intelligi;nisi per realem inhærentiam:& cùm idem non possit sibi realiter inhærere; sequitur relationem realiter inhærentẽ, distinctam entitatem esse à substãtia; cui inhæret,& in qua fundatur.

133. *Ad testimonium Arist.*Respondetur hac distinctione:mutari aliquid, *duobus modis cõtingit;per se,& per accidens.Per se* mutatur illud;cuius mutatio intenta est à natura, vel ab aliquo agente naturali : vt dum lapis mutatur , à loco superiori ad inferiorem. *Per accidens* verò mutatur ; si mutatio eius casu cõtingat,vel ex mutatione alterius extrinseci. Dũ ergo Arist. ait,ad relationem non terminari motum per se:quia relatio solet acquiri sine mutatione subiecti ; in quo consurgit : *de mutatione per se loquitur*: sed non excludit;quin mutetur saltem per accidens illud; quod solam relationem de nouo recepit:nec ad intentum eius hoc requirebatur;sed satis est,quod per se non mutetur;vt verum sit ; quòd ad relationem non sit per se motus.

134. *Ad secundum arg.* prius est respondendum;quàm ad primum. Respondemus igitur,Cõcessa maiore,& minore, sed negando consequentiam;quòd sine vrgenti necessitate distinguamus entitatem relationis ab entitate fundamenti:nam rationes adductæ satis vrgentes sunt.

Dubium de separatione relationis à fundamento.

135. CIrca solutionem secundi arg. dubitatur ; *An posito fundamento relationis in vtroq; extremo ; sic necessariò consurgat relatio, vt nec per potentiam Dei absolutam, impediri possit talis consecutio : & an postquam iam est in vtroque extremo posita, possit ab eis separari; ita, vt permaneant duo alba eiusdem gradus intensionis,sine ralatione similitudinis.*

Et prima opinio tenet : nec posse impediri;quin sequatur;nec postquam iam est in extremis,separari ab eis:ita nonnulli ex modernis.Et quòd impediri non possit consecutio eius , posito fundamento in vtroque extremo;probant :quia intelligi non potest;quòd vnus homo genuerit alterum; quin ille sit pater, & iste filius : (si vterque permaneant) nec possunt intelligi duo alba in eodem gradu; quin intelligantur similia; ergo fieri non potest;quin relatio sequatur posito fundamento,in vtroque extremo. Quod verò postquam relatio iam est in vtroque extremo ; non possit ab eis separari vllo modo;*Probant hoc arg.* Relatio , non est aliud ; quàm ita se habere vnum extremum ad alterum , præsupposito fundamento:ergo est modus relatiuorum : sed modus non potest esse separatus à re, cuius est:alioqui iam non esset modus ; sed res : ergo nec relatio poterit separari à fundamentis in vtroque extremo existentibus.

Nostra tamen sententia est : *quòd supposita distinctione ex natura rei, inter relationem, & fundamentum; quam defendimus; separari potest relatio ab eo, etiam posito in vtroque extremo: ita vt impediri possit à Deo, ne sequatur in extremis; atque etiam postquam in eis reperitur, in eisdem esse desinat : non quidem sine eis existens in rerum natura:sed extrema sine illa.* 136.

*Probantur duo priora hoc arg.*Relatio est entitas ex natura rei distincta à fundamento;& non pertinet ad essentiã eius, aut extremorum,in quibus est : ergo etiã si naturaliter sequatur ex eo, iam posito in vtroque extremo;non implicat cõtradictionem ; quòd talis consecutio impediatur. Antecedens ex nostra sententia est manifestum. quia relatio non solùm est entitas distincta à fundamento; ed rationem etiam formalem,& prędicamentalem habet ab eo diuersam: ergo

nulla est repugnantia, quin impediatur à Deo consecutio eius, ex fundamento in vtroque extremo posito: sicut non repugnat, propriam passionem distinctam realiter ab essentia, à qua procedit, ab ea nõ procedere: vt risibilitas ab essẽtia hominis Et eadẽ ratione probatur; quòd postquam in eis reperitur, possint sine illa permanere.

137. *Sed quia duobus modis intelligi potest;* quod ab eis separetur. *Primo*, ita, vt sine illis permaneat in rerum natura, atque etiã extrema sine illa: vel *Secundo* non sic, sed ita, vt relatio destruatur, aut desinat esse; & extrema sine illa permaneant. *Dicimus ergo hoc secundo modo posse, ab eis separari; non primo. Probatur primum*: quia non est de essentia extremorum; & habet distinctam entitatem relatio ab eis; ergo non repugnat; quòd à Deo destruatur, permanentibus sine illa extremis. *Probatur secundum*: quia relatio est modus extremorum; per quem taliter se habet vnum, in ordine ad alterum: ergo intrinsecum est illi actu referre vnum ad alterum: & ideo repugnat permanere in rerum natura; quin actu referat: quia si separata ab eis daretur, nihil referret ad aliud.

Ad primum arg. oppositæ opinionis, Distinguendum est antecedẽs: quia duo alba esse similia; *duobus modis*, intelligi potest; *formaliter*, aut *fundamentaliter*: & si separetur ab eis relatio, intelligerentur similia fundamentaliter; nõ formaliter: in quo nulla est repugnantia: & eodem modo generans, & genitus; quasi in fundamento proximo intelligerentur, pater & filius; non formaliter.

Ad secundum. Concedendum est antecedens; quòd relatio sit modus extremorum: ex quo solùm sequitur; quod ipsa, non possit esset in rerum natura sine extremis: non tamen; quòd extrema non possint esse sine illa.

Primum dubium.

An relationi conueniat habere contrarium?

Dvo restant dubia, circa duas proprietates relatiuorum: quarum prima est; *quòd in eis reperiatur contrarietas*. Videtur enim Aristot. sibi contrarius in hac proprietate. Nam capite de quantitate, negat expressè; quod relatiua habeãt cõtrarium: capite verò præsenti, tanquam proprietatem tribuit illis; quòd contrarium habeant. Et videntur eam habere: quia simile, & dissimile, contraria sunt: & etiam æquale, & inæquale; & sunt relatiua primi generis.

Prima opinio, est Toleti in expositione textus; qui hac distinctione vtitur. *Relatiua dupliciter* cõsiderari possunt *Primò, formaliter*, prout relatiua sunt. *Secundò, materialiter*, pro fundamentis relationum: vt duo alba considerantur in quãtum similia; & in quantum alba: & sub prima consideratione, inquit, non habẽt contrarium; bene tamen ratione fundamenti, habere possunt, & dum Arist. negauit habere contrarium; *formaliter* locutus est: sed dum eis tribuit contrarietatem; loquitur fundamentaliter; nam hoc modo contraria sunt dissimilia; vt album, & nigrum. 138.

Nostra tamen sententia est. Propriam contrarietatem, nõ conuenire relatiuis nec formaliter, nec ratione fundamenti; sed impropria, pro quocunq; genere oppositionis; etiam formaliter eis cõuenit. Probatur; quòd non conueniat eis formaliter propria contrarietas, hac ratione. *Contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuò se expellunt*: Ergo contraria, vt talia sunt; formaliter, & expressè respiciunt subiectum, circa quod se expellunt: sed relatiua, vt relatiua, non respiciunt formaliter

maliter, & expresse subiectū; sed terminum: ergo, vt relatiua non sunt propriè contraria. Quod verò nec ratione funda-
13. menti probatur: quia licèt fundamenta aliquorum relatiuorum contraria sint vt albedo, & nigredo; quæ sunt fundamenta dissimilitudinis; tamen per accidens se habet contrarietas ad rationem dissimilitudinis. Probatur euidenter: quia sola diuersitas specifica, sine vlla contrarietate, fundat relationem dissimilitudinis: vt albedo, & nigredo; vel alia quęcunque contraria; quæ sunt fundamenta dissimilitudinis: at eodem modo eam fundarent; quamuis contraria non essent, per solam differentiam specificam: ergo contrarietas per accidens; etiam se habet ad fundandam relationem: & ideo, nec ratione fundamenti per se considerati, vel vt fundamentum est: conuenit relationi.

Ad Aristotelem verò, Respondeo; non esse sibi contrarium: quia capite de quantitate; secundum propriam sententiam loquitur, negans; quod relatiuis aliquid sit contrarium: in præsenti verò cap. tribuit eis contrarietatem; non quòd sentiat veram esse proprietatem eorum; sed vt ostendat definitionem antiquorum, minus bonam esse: cùm ex ea sequatur, accidentia absoluta; in quibus reperitur contrarietas, esse relatiua: & relatiuis aliquid esse contrarium: quæ cùm sint falsa; sequitur non esse bonam definitionem illam: nec est verum; quòd veris relatiuis, aliquid sit contrarium: nec ex propria sententia id aliquando docuit Aristot. quod denique impropria contrarietas, pro quocunque genere oppositionis eis conueniat; vt relatiuis; euidens est: cùm relatio formaliter sumpta, includat oppositionem relatiuam; quæ est vnum genus ex quatuor oppositionibus.

Dubium Secundum.

An relatiua suscipiant magis, & minus.

14. Dubium hoc de solis relatiuis secundum esse, & prædicamentalibus procedit. Et ratio dubitandi sumitur ex Aristotele; qui asserit: *Proprium esse relatiuorum, suscipere magis, & minus.* Et ne videretur alicui; eum non loqui de veris relatiuis, atque ex propria sententia; sed ex sententia antiquorū, & secūdum definitionem eorum; ponit exemplū huius proprietatis: in simili, & dissimili: quæ sunt vera relatiua, & prædicamentalia.

Prima opinio, Distinguit relatiua: *nam alia sunt secundum esse*; quæ propriè pertinent ad hoc prædicamentum: *Alia secundum dici*; quæ verè sunt absoluta; tamen includunt quosdam respectus, secundum dici; tanquam complementum essentiale: & illa priora non suscipiūt magis & minus: hæc verò suscipere possunt. Ita Albertus Mag. tractatu de prędicamēto ad aliquid, cap 5. Et huius sententiæ videtur esse D. Thom. cap.12. quæst.82. ar.4. Quam etiam sequuntur alij, qui aiunt secundum veritatem, non suscipere magis, & minus vnum relatiuum; sed secundum opinionem vulgi aliqua suscipere: vt æqualia, vel similia appellari solent; quæ licèt verè æqualia, aut similia nō sint; parū tamen à vera æqualitate, aut similitudine distant: & quo minus distant; eo dicuntur magis ęqualia, aut similia. Ita Cāterus in expositione huius proprietatis.

Probatur primum, quia suscipere magis & minus; prouenit ex maiori, vel minori admixtione contrarij: vt illud dicitur magis calidum, quod minus habet de frigiditate admixta: illud verò minus calidum, quod plus habet frigiditatis admixtæ: sed vera relatiua prædicamentalia, non habent contrarium: vt probatum est

dubio præcedenti: ergo non suscipiunt magis, & minus.

Secunda opinio. Distinguit relationem; *ex parte sui*: aut *ex parte fundamenti*: & ex parte sui; negat veram relationem huius prædicamenti suscipere magis, & & minus: sed ratione fundamenti suscipere concedit. Ita Caietanus, Sotus, & Toletus, cap. præsenti.

41. *Quod probatur experientia.* Nam dum albedo intenditur in extremo: in quo erat remissa; consequenter fit magis simile alteri, in quo est intensa: ergo albedo, quæ est fundamentum similitudinis, per se suscipit magis, & minus; & eius ratione similitudo: & eodem modo, dum aliquid est alteri inæquale; quò magis aufertur de quantitate eius; magis inæquale efficitur: & hoc est relationem inæqualitatis, minorem fieri, ratione fundamenti. *Sed addit hæc sententia.* Non esse necessarium, vt relatio suscipiat magis, & minus ratione fundamenti; quod fundamentum suscipiat magis, & minus: nam quantitas; ratione cuius inæqualitas maior est, vel minor; non suscipit magis, & minus: sed ratione fundamenti dicitur relatio suscipere in hoc sensu: quod non potest suscipere; nisi aliqua variatio fiat in fundamento, quæcunque illa sit: vnde magis, & minus, distinguenda putat Caietanus: quia vel sumuntur Physicè: & hoc modo non fiunt; nisi per admixtionem contrarij: aut Logicè; & sic sumpta, in eo tantum consistunt; quod est aliquid prædicari de alio, cum his aduerbijs magis, & minus; vndecunque id proueniat; Et Physicè quidem sumpta, non conueniunt verè relationi: Logicè verò conuenire illi possunt.

42. *Hæc tamen distinctio, confundit potius rem, quam eam explicat*: quia prædicationes Logicæ, in re ipsa debent fundari: ergo nũquam poterunt, magis, & minus, Logicè sumpta conuenire relationi; nisi ratione fundamenti realis, & Physicè: quare si Physicè sumpta; nullo modo ei conueniunt, nec Logicè poterunt ei conuenire.

Nostra igitur sentẽtia hac distinctione præsupposita explicanda est. Magis, & minus, duobus modis accipiuntur. Communiter; & Propriè: *Communiter* quidem pro magis, aut minus perfectum, magis, aut minus proximum, vel distans: vnde cùm perfectio maior, vel minor, proueniat ex fundamento; ab eo proueniet magis, & minus, in relatione impropriè sumptum. *Propriè* verò, accipitur magis, & minus prout ex maiori, vel minori intensione procedit.

Nunc verò duabus conclusionibus explicatur. *Prima est. Relationibus prædicamẽtalibus* (de quibus solum loquimur) *non conuenit ratione sui magis, aut minus suscipere, propriè, nec impropriè.* Probatur hæc conclusio. Quia experientia constat, relationem ratione sui, non mutari ab eo statu in quo emergit; nisi aliquo modo varietur fundamentum: & si hoc inuariabile permaneat, nunquam ipsa variatur, nec magis, & minus suscipit: ergo non conuenit illi ratione sui.

Secunda conclusio. Magis, & minus propriè, & impropriè sumpta, conueniunt quibusdam relationibus ratione fundamenti, non tamen omnibus. *Probatur vtrumque*, in relationibus primi generis: nam quædam dicuntur magis, & minus inæqualia; magis, & minus similia: sed hoc non conuenit illis ratione sui: ergo ratione fundamenti: & similitudini quidem, ac dissimilitudini propriè: quia qualitates, in quibus fundantur, propriè suscipiunt magis & minus: vt calor, albedo, & nigredo. Quando autem dicimus; his relationibus conuenire magis, & minus, ratione fundamenti, sensus est, quòd aliqua 43

muta-

mutatione facta in fundamento, semper eis conueniat: & hæc mutatio, potest esse in fundamento remissio; & in relatione intensio; quia fundamentum absolutè intenditur, cum sit qualitas: relatio verò, non nisi comparatione alterius. Quòd verò non conueniat hoc; nisi quibusdam relationibus, primi generis; manifestum est: quòd solum illis; quarum fundamēta mutari possunt. *Ad Arist.* verò respondetur; quòd dum relationibus tribuit
43 proprietatem suscipiendi magis, & minus; etiam de prædicamentalibus loquitur: non tamen intelligit eis cõuenire ratione sui; sed ratione fundamenti; vt explicatum est: nec etiam intelligit eis adhuc in hoc sensu conuenire, quarto modo; cum constet, non omnibus conuenire, neque etiam solis: quia præcipuè conuenit qualitatibus. *Proprietas verò*, conueniens relatiuis prædicamentalibus, quartò modo; est, *Esse simul natura, & cognitione*: ita vt qui definitiuè cognoscit vnum; necessariò debeat cognoscere alterum.

Sed dicet aliquis: suscipere magis, & minus procedit ex maiori, vel minori admixtione contrarij; sed dictum est, relatiua; nec ratione sui, nec ratione fundamenti habere contrariũ: ergo nec ratione sui, nec ratione fundamenti conueniet illis suscipere magis, & minus. *Respondetur*. quòd ratione sui neutrum illis cõuenit; sed ratione fundamenti non repugnat eis conuenire secundum: licèt non conueniat primum; etiam ratione fundamenti: quia contrarietas fundamenti, per accidens se habet ad illas relationes; in quibus posset esse contrarietas; vt ad similitudinem, & dissimilitudinem (vt probatum est in primo dubio) Magis autē, & minus ex parte fundamenti, non se habet omnino per accidens, ad magis, & minus, relationum; sed quasi naturaliter ex eo sequitur. Ex eo verò, quòd relatiua carent contrarietate omnibus modis; solum sequitur, quòd non possent ratione sui suscipere magis, & minus.

CAPVT VIII.

Continens prædicamentum Qualitatis.

TEXTVS ARISTOT.

Qualitatem verò dico; secundum quam, quales quidam esse dicuntur, &c.

Breuis expositio textus. 1

INtentum Arist. capite præsenti est; explicare naturam, & essentiam qualitatis: quam numerat quarto loco ante sex alia prædicamenta, quia accidens intrinsecum est, formaliter inhærens substantiæ: & ideo perfectius reliquis; quæ magna ex parte, in quibusdam extrinsecis denominationibus consistunt. *Diuiditur caput in tres partes. In prima,* definit qualitatem in abstracto; & connumerat quatuor eius species subalternas; quas ideo genera vocat. *In secunda parte*, definit qualitatem in concreto; hoc est, per ordinem ad subiectum, quod denominat: vt per illud magis fiat manifesta *Et in tertia* tres proprietates eius assignat.

Definitio qualitatis est hæc: Qualitas est: *qua quales esse dicimur*: vt albedo, à qua albus denominatur homo; & ideo qualis: quia si interroges, qualis sit homo? benè respondebitur; si dicatur, esse album.

Prima species qualitatis est, Habitus, & Dispositio. Habitus sic definitur: *Est qualitas difficilè mobilis à subiecto*; vt habitus virtutum & scientiarum. Dispositio verò: *Qualitas facilè mobilis à subiecto*: vt calor; quem ignis producit in aqua, facilè ab ea remouetur.

Secundum genus qualitatis est, Naturalis poten-

potentia, & *impotentia*: secundum quam naturalem habent inclinationem, vel aptitudinem aliqui, ad aliquem actum, aliquodué exercitium, vt ad pugnam, vel ad luctam; & dicuntur pugillatores. Alij verò inepti sunt, aut impotentes ad eundem actum. Dicitur autem naturalis: quia ab ipsa natura habetur; & non est acquisita per actus: nam si talis esset; potius erit habitus, aut dispositio.

Tertium genus est, *Passio*, *aut Passibilis qualitas*: & hæc, *est qualitas*, *nata causare passionem in sensu*: *vel quæ est effectus passionis permanentis*: vt qualitates tangibiles; quæ causant sensationem in tactu; vt calor, & frigiditas; & sic de alijs: & albedo, quæ causatur in cera, ex nimio calore solis; dicitur etiam passibilis qualitas: quia est effectus illius impressionis quam Sol causat in cera: & permanens quidem; quia albedo producta in cera, non statim transit; sed permanet in ea. *Passio verò dicitur qualitas*; si sit effectus passionis citò transeuntis: vt rubor causatus in facie ex verecundia. & quia passio non est qualitas permanens; non denominat subiectum tale simpliciter; sed passum secundum eam: vnde à rubore causato ex verecundia, non dicitur homo rubeus; sed ruborem passus; & sic de cæteris passionibus.

3. *Quartum genus qualitatis est*, Forma, & Figura: vt rectitudo, curuitas, statua, aut cathedra; formæ, ac figuræ dicuntur, & species huius generis.

In secunda parte cap. definit Arist. qualitatem in concreto, hoc modo. Quale est; quod secundum qualitatem denominatur, vt album, & dulce.

In tertia parte, enumerat tres proprietates qualitatis: quarum *prima est*. *Qualitatem habere contrarium*: vt calori contrariatur frigiditas: nec tamen conuenit omnibus qualitatibus proprietas hæc: quia plures sunt non habentes contrarium; vt rubrum, pallidum; & alij colores medij.

Secunda proprietas est; *Suscipere magis & minus*: quod cùm procedat ex maiori aut minori admixtione contrarij; necesse est: habentibus propriè contrarium conuenire: sed nec omnibus qualitatibus cóuenit hoc: quia plures sunt non suscipientes magis, & minus; vt figuræ, similes.

Tertia proprietas qualitatis est; *Quòd secundum eam res dicantur similes*; *aut dissimiles*: vt secundum albedinem, dicuntur corpora similia. Hæc autem proprietas, quarto modo conuenit qualitati; quia omnibus qualitatibus solis, & semper conuenit.

QVÆSTIO I.

An qualitas sit supremum genus huius prædicamenti: & diuersæ qualitates, enumeratæ ab Arist. diuersæ species eius?

VT melius intelligatur quæstio; explicandæ sunt diuersæ acceptiones qualitatis: quæ (omissis alijs) tres sunt; vt colligitur ex Aristot. cap. præsenti, & 5. Metap. cap. 14. *Qualitas in generali*, significat determinationem, seu modificationem substantiæ: & ideo *prima acceptio eius*, est pro quocunque determinante, aut modificante aliud: quod non solum conuenit omnibus accidentibus; sed etiam substantijs, aut differentijs earum. *Secundo modo*, accipitur pro forma quacunque accidentali; quæ secundum proprium modum essendi modificat, aut determinat substantiam: vt quantitas, relatio, ac cætera accidentia: & hæc etiam acceptio communis est. *Tertia verò propria*, pro forma; non solùm secundum communem rationem acciden- 4.

talem

talem determinante subiectum; sed propriè: ita vt per eam, tanquam per formam sibi inhærẽtem, tali modo se habeat substantia; vt formaliter denominetur, non extensa, non relata ad aliud; sed qualis: quia ad quæstionẽ de ea factam per quale, propriè respondeamus per talem formam, vt si quæratur; qualis sit substantia? propriè respondemus, esse albam, aut calidam: & ideo formæ istæ accidentales propriè dicuntur qualitates. Et secundũ hanc solam acceptionem; nõ secundum duas alias, sumitur qualitas ab Aristotele, capite præsenti, & distinguitur à cæteris prædicamentis: de qua quærit titulus quæstionis: *An sit supremum genus huius prædicamenti & qualitates particulares enumeratæ ab Arist. veræ species eius?*

5. *Prima opinio*, tenet qualitatem sic acceptam, non esse verum genus, quod diuidatur in illas qualitates enumeratas ab Aristotele; tanquam in veras species: sed tanquam analogum in sua analogata; vel tanquam res in diuersos modos. *Primum* affirmat Simplicius cap. præsenti, & probat ex eodem Arist. qui priusquam illas qualitates enumeraret; sic loquitur. *Est autem qualitas eorum, quæ multipliciter dicuntur*. *Secundum* verò tenet Scotus capite præsenti, quæstione 36. & in 4, dist.6. quæst. 10. §. *Sed tunc est dubium*. & etiam probat testimonio Aristotelis; qui postquam enumerauit omnes has qualitates; dixit. *Fortasse quidem alius quispiam modus apparuerit qualitatis; sed ferè qui maximè dicuntur, hi sunt*.

Probat etiam ratione. Quia esse naturalem potentiam, vel aptitudinem acquisitam; esse causam, vel effectum passionis, diuersas habitudines qualitatis ad subiectum significant; accidentales tamen, & quasi extrinsecè denominantes: quia extrinsecum est qualitati; parum aut multũ durare in subiecto; causam esse, aut effectũ passionis. Vnde eiusdem speciei sunt, rubor causatus ex verecundia; aut ex alia causa permanenti: & quod amplius est; eidẽ qualitati omnino inuariatæ, conueniunt istiusmodi: ergo nõ sunt differentiæ essentiales; sed accidẽtales. *Probatur* hoc vltimum antecedens: quia idem calor si citò transeat, erit dispositio; si multum duret in subiecto; erit habitus; & vt virtus naturalis ignis ad calefaciendum, erit naturalis potentia: & tandem, in quantum causat passionem in sensum tactus; aut productus est per motum calefactionis erit passibilis qualitas. ex quibus considerationibus, constat non variari.

Huic opinioni, addunt Boëtius, & Simplicius, cap. præsenti diuisionem qualitatis in hos modos, aut in hæc analogata: non esse sufficientem: quia alia dantur membra huius diuisionis, ab Arist. prætermissa: quod sic probatur. Pulchritudo, & sanitas, sunt qualitates, & non pertinent ad aliquod membrorũ ex his quatuor: cùm nec sint habitus, aut dispositiones: quia non sunt acquisitæ; sed naturales: nec potentiæ, aut impotentiæ: quia non ordinantur ad actus aliquos exercẽdos; nec passiones, aut passibiles qualitates: quia nec per se sunt effectus passionis; nec eam in sensu causant: nec tandem sunt forma, & figura: quod de sanitate patet: & de pulchritudine probatur, quæ magis, & minus suscipit; cùm dentur quidam pulchriores alijs: figura autem, & forma, id non habeant.

Communis sententia à nobis tenenda, duo asserit. 6. *Primum. Qualitatem verum genus esse, & supremum huius prædicamenti, diuisum in particulares qualitates, enumeratas ab Aristotele; tanquam in veras species*: contra Simplicium, & Scotum. *Secundum. Diuisionem eius in quatuor illa membra, sufficientem esse: ita vt nulla detur vera*

qualitas; quæ sub eis non comprehendatur. contra eundem Simplicium, & Boëtium.

Hæc est expressa sententia Arist. non solùm in hoc cap. sed 5. Metap. cap. 14. & recepta ab vniuersa schola: quæ prædicamentum qualitatis distinctum ab alijs, cũ eo ponit: sed impossibile est constituere prędicamentum qualitatis, ex alio genere, & alijs speciebus: ergo qualitas in communi, pro genere supremo recipienda est; & inferiores illæ qualitates, pro veris speciebus. Minorẽ probo, quia nec ab his authoribus, contrarium opinantibus; nec ab alio excogitatum est aliud genus; nec aliæ species.

Nihilominus probatur ratione. Quia cõmunis conceptus qualitatis, abstractus ab illis; prædicatur de singulis quidditatiuè; & vniuocè: ergo est genus, vel species respectu illarum: species esse nõ potest: quia non habet genus aliud supra se: ergo erit genus. Probatur antecedẽs. quia negari nõ potest, quidditatiuas esse has prædicationes: habitus est, qualitas: naturalis potentia, est qualitas; cùm eis conueniat definitio qualitatis, tradita ab Aristot. & æqualiter eis conuenit, sine attributione vnius ad aliam: ergo est prædicatum vniuocum, & quidditatiuũ. Quod autem qualitates illæ distinguantur specie; non est minus manifestum: quia ratio formalis habitus, valde diuersa est à naturali potentia: & hæc à forma, & figura: sed diuersæ rationes formales, constituunt, & distinguunt, diuersas species: ergo specie distinguuntur illæ quatuor qualitates, sub communi genere qualitatis.

8. *Probatur tandem*; quòd sufficiens sit diuisio qualitatis, in has quatuor species; ita vt nec plures sint, nec pauciores; ratione D. Thom. quã adduxit 12. quæst. 49. artic. 2. Ratio intrinseca, & propriã qualitatis: est esse determinatiuam substantiæ, secundum modum accidentalem qualificatiuum eius: sed modus iste qualificatiuus substantiæ, *quatuor modis tantum potest se habere*, in ordine ad substantiam: ergo quatuor tantum species possunt sub eo distingui. Probatur minor. quia vel qualitas inhæret substantiæ eam disponens; vt bene, vel male se habeat *vt est primo in se*: & cum hæc sit prima consideratio substantiæ: hæc erit *prima species qualitatis; quæ est habitus & dispositio* ita disponens substantiam. *Secunda* consideratio substantiæ est; in quantum est principium operationis: cùm vnũ quodque sit propter suam operationem. Et ideo secundus modus qualitatis, est afficere substantiam tanquam principium operationis *& hæc est secunda species naturalis potentia.* A substantia autem habente iam potentiam operandi, statim procedit *tertio* motus, continens actionem, & passionem: quia motus; vt procedit ab agente, est actio: & vt recipitur in passo, est passio: ideo qualitas, vt acquisita per motum; *est tertia species; quæ vocatur passio, & passibilis qualitas.* Nam si habeat modum permanentis; est passibilis qualitas: si verò citò transeat, est passio. *Vltima consideratio* substantiæ est; vt iam extensæ per quantitatem: & ita qualitas inhærens ei ratione quantitatis; *constituit quartam speciem: quæ est forma, & figura*, nam figura, vel est terminatio quantitatis; vel ex terminis eius resultat. Et ad hos quatuor modos, constituentes quatuor species; facilè reduci possunt omnes qualitates: vt constabat ex solutione argumentorum. *Hoc solum est notandum*; quod argumentum hoc sumit, sufficientiam harum specierum, aut ex præcipuo, cui cõuenit specialis illa ratio qualificandi substantiam; aut ex primo: vnde non est necessarium; quòd in omnibus, quæ sub tali ratione comprehenduntur; repe-

reperiatur illa ratio. Exempli gratia. prima species sumitur ex modo afficiendi substantiam; vt bene, vel male se habeat, secundum propriam naturam; quòd solú habent habitus, aut dispositiones naturales; quæ primò conueniunt substantiæ corporeæ: vt sanitas, ægritudo, & similes: non tamen habitus, aut dispositiones liberè acquisitæ: sed cùm omnes conueniant in ratione habitus, & dispositionis; in quantum sunt facilè, aut difficilè mobiles à subiecto: omnes constituunt idē genus qualitatis, distinctū ac cęteris; sed quasi radicaliter sumptum à naturalibus, tanquam à primis.

10. *Ad primum testimonium Arist. pro prima opinione adductum.* Respondetur; multis modis dici qualitatem: non sicut analogum, vel æquiuocum; sed propter differētias inæqualis perfectionis; per quas contrahitur ad diuersas species: quarum diuersitas, non tollit vniuocationem generis, quod ab eis abstrahi potest. *Vel secundò* respondeo, Aristotelem asseruisse; quòd qualitas dicitur multis modis; vt ostenderet qualitatem esse modum substantiæ: & species eius sumi ex diuersis modis afficiendi substantiam; vt explicatum est.

Ad secundum testimonium, pro opinione Scoti. Respondetur; Aristotelem ita locutum fuisse; vt significaret facilè ad has quatuor species reduci posse, cæteras omnes qualitates; quamuis aliquæ diuersæ appereant ab eis.

11. *Ad arg. Scoti,* Negandum est antecedēs; quòd rationes formales diuersæ harum qualitatum, sint accidentales, aut extrinsecæ: nam specialis ratio, quam habet quælibet qualificandi substantiam, intrinseca sibi est; & per quam distinguitur à cæteris, tanquam per differentiam essentialem: vt esse ex propria natura, facilè, aut difficilè mobilem à subiecto; essentialis ratio habitus, & dispositionis, est valde diuersa à naturali potentia. Quòd verò eidem qualitati conuenire possint omnes rationes formales specierum; concedimus: negamus tamen; quod ex hoc infertur, non esse veras species quia distinctio specifica, non necessariò est realis: sed eadem res; potest pertinere ad diuersas species, sub diuersis rationibus formalibus; quas habet: imò ad diuersa prædicamēta; vt de actione, & passione constat; quæ cùm sint eadem entitas realis motus; efficiunt tamen diuersa prædicamenta, propter rationes formales diuersas.

Ad argum. Boetij. Negādum est antecedens; quòd dentur alia membra prætermissa ab Aristotele, præter illa quatuor: nam sanitatem posuit: ipse in prima specie: & ad eandem pertinet pulchritudo: & vtraque est habitus naturalis: quia habitus, vt est primum genus qualitatis; vniuersaliter sumitur, pro quacunque qualitate difficilè mobili à subiecto; siue sit naturalis, siue acquisita: quamuis specialis, & proprijssima ratio habitus; solú reperiatur in potentijs aliquo modo liberis: & ideo solùm sint acquisiti, vel infusi habitus. Species verò intentionales sensibiles, aut intelligibiles; si sint impressæ, pertinēt ad speciem habitus: quia ex propria natura sunt permanētes: si verò sint expressæ, pertinēt ad dispositionē: & eodem modo intelligendum est de cęteris qualitatibus, ad has quatuor species reducendis.

QVÆSTIO II.

An habitus, & dispositio distinguantur specie?

PRima opinio tenet; habitum, & dispositionem nō esse distinctas species; sed eandem: & solùm differre accidentaliter: ita Sotus quæst. 9. huius cap. 5. ad 12.

secundam quæstionem. Boëtius, Ammonius, Titelmanus, Villalpādeus, Louaniēses, capit. etiam præsenti: & probatur testimonio Arist. qui tria dicit in textu de his qualitatibus. *Primum*; quòd sunt vna species. *Secundum*; quòd omnes habitus sunt dispositiones; licèt non omnes dispositiones sint habitus. *Tertium*; dispositionem fieri habitum, procedente tempore; si nimis radicetur in subiecto. Ex quibus sequitur ex mente eius, non esse species distinctas; sed solum distingui accidentaliter. Probatur consequētia. quia si distinctæ species essent, neque essent vna, nec prædicaretur vna de alia; nec vna posset conuerti in aliam.

13. *Et ratione probatur Primò*. quia habitus, & dispositio, distinguuntur ex eo; quòd ille difficile separatur à subiecto; hæc verò facilè remouetur ab eo: sed istæ sunt differentiæ accidentales: ergo solū differunt accidētaliter. Probatur minor. nam qualitas fit difficilè mobilis à subiecto; quia magis radicatur in eo: sed maior radicatio, procedit ex multiplicatione actuum; aut ex diuturnitate tēporis, aut ex vtroque; vt patet in febri; quæ ex eo solum, quod multum durat in subiecto; radicatur in eo, & fit difficilè mobilis: sed magis aut minus perseuerare in subiecto; vel actus multiplicari, sunt accidētia eiusdem qualitatis: ergo hæc differētia habitus, & dispositionis, accidentalis est.

Secundò. Scientia, & virtus quælibet, eiusdem speciei est; per primum, aut secūdum actum acquisita, & successu temporis magis radicata in subiecto, per frequentationem actuum: sed in principio habet rationem dispositionis; quia facilè potest remoueri à subiecto: & postea fit habitus quia iam est difficilè mobilis: ergo accidentales sunt istæ differentiæ: facilè, & difficilè mobilem esse à subiecto: probatur maior. quia distinctio specifica scientiæ, & virtutis; sumitur ex obiecto: sed idem obiectum, habet scientia, aut virtus in principio suæ acquisitionis; & dū iam est radicata in subiecto, per plures actus: ergo est eiusdem speciei.

Secunda opinio. Distinguit habitum, & dispositionem; tāquam duas species subalternas: ita vt sub habitu, distinguantur plures aliæ diuersorum habituum; atque etiam sub dispositione. *Hæc est sententia* D. Thom. 1. 2. quæst. 49. art. 2. ad 3. Iauelli, Caiet. Soti, Toleti, atque Canteri c. præsenti: quam sequuntur etiam Fonseca 5. Metaph. cap. 14. quæst. 2. sect. 1. & 2. Pater Franciscus Suarius tomo 2. suæ Metaph. dis. 42. sect. 6. num. 6 *Et videtur nobis probabilior, & tenenda*. 14.

Sed vt eam explicemus, & probemus; *duo sunt notanda. Primum est*: Qualitatem esse facilè, aut difficilè mobilem à subiecto; dupliciter contingere: *nempe ex natura suæ causæ*, per quam producitur in subiecto; & in ordine, ad quam sumit suam speciem: *aut ex alijs causis*: aut rationibus extrinsecis. *Et si primo modo* consideretur; essentialis est differentia, vnius qualitatis ab alia: ita, vt quæ sic est difficilè mobilis à subiecto; sit distincta specie ab alia; quæ eodem modo cōsiderata, facilè mobilis est. Si verò considerentur *secundo modo*; solùm sunt differentiæ accidentales. Exemplum primæ considerationis, habemus in scientia, & opinione: nam illa habet pro causa demonstrationem, à qua producitur; & in ordine ad quam specificatur; demonstratio vero, causa efficax est; cùm sit argumentum euidens, & necessarium: & ideo scientia per eam acquisita, etiam per primum actum, difficilè mobilis est à subiecto. Sed opinio habet pro causa argumētum probabile; quod nō est efficax; sed facilè destrui potest per demonstrationem oppositam,

ſtam, aut per oppoſitum argumentum
15 probabilius: ideo opinio, facilè mobilis eſt, ex natura ſuæ cauſæ. Vnde ſequitur: quod licèt verſentur circa idem obiectũ; tamen ſpecie diſtinguantur ſub hoc genere qualitatis; per differentias eſſentiales, facilè & difficilè mobilis, ex natura ſuarum cauſarum. Exemplum verò conſiderationis ſecundæ, eſt in calore febrili: qui propter debilitatem ſubiecti; aut particularem complexionem eius, aliaſue accidentales cauſas extrinſecas; ita ſolet radicari in ſubiecto; vt non ſolùm ſit difficilè mobilis ab eo; ſed naturaliter ſit impoſsibile ab eo ſeparari & tamen eiuſdem ſpeciei eſt in principio, & fine; & ſolum diſtinguitur à ſeipſo accidentaliter:

Secundò notandum eſt. Quòd licèt facilè & difficilè moueri, ex cauſis accidentalibus; nempe ex frequentatione actuum, vel ex diuturnitate temporis; ſint differentiæ accidentales habitus, & diſpoſitionis: ſunt tamen quaſi accidétia congruentia naturæ harum qualitatum: ita vt cum habitus ſit difficilè mobilis à ſubiecto; eſſentialiter, propter naturam ſuæ cauſæ; etiam accidens ſit conſonum naturæ eius, eſſe difficilè mobilem per radicationem in ſubiecto. Et cùm diſpoſitio ſit facilè mobilis, propter naturam
16 ſuæ cauſæ; accidens etiam conſonum ſit naturæ eius; non eſſe radicatam in ſubiecto; ſed facilè etiam poſſe ab eo ſeparari, ex parte cauſarum accidentalium. Et iſtæ differentiæ accidentales; tribuunt eis ſtatum habitus, & diſpoſitionis: ita vt tunc habeat habitus ſtatum ſuæ naturæ congruentem; quando ſit radicatus in ſubiecto: diſpoſitio verò, quando non ſit radicata. Vnde fieri poteſt: vt qualitas aliqua, habeat eſſentiam habitus, ſtatum verò diſpoſititonis: *& è contra* eſſentiam diſpoſitionis, & ſtatum habitus: *& tunc diſtinguuntur eſſentialiter*; quamuis vni conueniat accidens alterius: & ideo verum ſit; habitum eſſe accidentaliter diſpoſitionem: & diſpoſitionem, accidentaliter habitum. Vtrumque habet ſcientia, aut virtus; per primum actum acquiſita: quia eſſentialiter eſt habitus; & accidentaliter diſpoſitio: eſſentiam quoque habitus habet, & ſtatum diſpoſitionis: opinio verò; radicata in ſubiecto, per frequentationem actuum; *ex oppoſito*, eſſentialiter eſt diſpoſitio; & accidentaliter habitus habet etiam eſſentiam diſpoſitionis; & ſtatum habitus.

Ex hac doctrina, intelligitur differentia; inter primam, & ſecundã opinionem: 17 *nam prima*, facilè, & difficilè mobilem eſſe; ſolùm ex parte ſubiecti, aut cauſarum accidentalium, prouenire poſſe credit: & ideo ſolùm eſſe differentias accidentales. Sed D. Tho. alium modũ magis intrinſecum earundem differentiarũ inuenit; & ideo docuit eſſentiales eſſe: quem modum ex mente Ariſt. eſſe, probant hæc verba huius cap. *differre autem habitum à diſpoſitione; quod permanentior, ac diuturnior eſt: tales verò ſunt ſcientiæ, & virtutes: ſcientia enim videtur eſſe permanentiũ & diuturnorum: vt ſi quis vel mediocriter ſumat ſcientiam niſi grandis permutatio facta ſit, vel ab ægritudine, vel ab aliquo eiuſmodi.* Quibus ſcientiam, antequã radicetur in ſubiecto, per frequentationem actuũ; ſed ſolùm ſit mediocriter acquiſita; dicit eſſe; difficilè mobilẽ à ſubiecto: & hoc habere ex natura ſua; hoc eſt, ex efficacitate ſuæ cauſæ naturalis; quæ eſt; demonſtratio: & ideo differre à diſpoſitione. Quaſi dicat; differre eſſentialiter, per facilè, & difficilè mobilem eſſe, deſumptum ex parte cauſæ. Vnde ſequitur; opinionem D. Tho. quam ſequimur, eſſe ex mente Ariſtotelis.

Tamen probatur hac ratione; quæ col- 18

 ligi-

ligitur ex eadem doctrina. Ea distinguuntur specie; quæ differunt per differentiam essentialem: sed habitus, & dispositio, distinguuntur per differentias essentiales, facilè, & difficilè moueri: ergo distinguuntur specie sub genere qualitatis. Probatur minor. quia esse difficilè mobilem, conuenit habitibus ex natura suæ causæ; à qua sumunt speciem: nempe ex ordine ad demonstrationem; si sit habitus scientiæ: aut ex ordine ad bonum honestum; si sit habitus virtutis: quia bonum honestum, efficax causa virtutis est ex se; cum sit consonum rationi: ergo est differentia essentialis eius; per quam distinguitur specie à dispositione facilè mobili; ex eadem causa.

Pro explicatione verborum Arist. notandum est. Dispositionem duobus modis sumi posse: *In genere: aut in specie. In genere* sumpta, dicit qualitatem disponentem subiectum; vt bene se habeat, in ordine ad propriam naturã vel operationem: quæ, si sit difficilè mobilis, ex natura suæ causæ; à qua sumit speciem; erit habitus: si verò solùm ex parte subiecti; aut aliorum accidentium; erit dispositio. Itaque dispositio, *primo modo* sumpta, genus est ad habitum, & seipsam; sumptam *secundo modo*.

10 Et ex hoc patet; quem sensum habeat *primum* dictum Arist. nempe habitum, & dispositionem; esse vnam speciẽ qualitatis: id est, conuenire in vna ratione superiori dispositionis; quæ vna species subalterna est, vtrique communis. Dictum verò *secundum*: quòd omnis habitus sit dispositio: non tamen omnis dispositio, sit habitus; verùm est etiam, sumpta dispositione in genere. *Tertium* verò: quòd disposito per nimiam radicationem fiat habitus; non de habitu essentialiter considerato intelligit; sed accidentaliter; aut secundum statum, vt expositum est.

Ad primum argumentum, Distinguenda est minor. nam si facilè, & difficilè mobile sumantur ex parte subiecti, temporis; aut ex frequentatione actuũ; accidentales sunt differentiæ: si verò ex natura causæ intrinsecæ; per quam producuntur; & specificantur; essentiales sunt. Argumentum verò, solum procedit ex eis primò modo consideratis: quo pacto concedimus: solùm esse differentias accidentales: & per eas ita acceptas, solùm differre accidentaliter habitum, & dispositionem; sed differunt essentialiter per easdem, consideratas secundo modo.

Ad secundum, Concedenda est maior; quòd eiusdem speciei sit scientia acqui- 20
sita, per primum actum: & iam radicata in subiecto per frequentationem demõstrationum: minor tamen distinguenda: nam si intelligatur; quòd in principio habeat rationem dispositionis essentialem; falsa est, & negãda: si verò de dispositione quantùm ad statum, & rationem accidentalem; vera, & concedenda. Vnde nec fit habitus essentialiter, per frequentationem actuum: quia per primum actum acquisita, habebit essentialem rationem habitus; tamen solùm acquirit statum habitus in quadam ratione accidentali consistentem: quare nunquã mutat speciem; sed solum statum, & rationem accidentalem.

QVAESTIO III.

Vtrum naturalis potentia, & impotentia; sint species qualitatis distinctæ?

DVo sunt explicanda circa hanc speciem qualitatis. *Primum*; quo modo differant naturalis potentia, & impotentia; ab habitu, & dispositione. *Secundum*; quo modo differant inter sese; nempe, essentialiterne, tanquam duæ species eiusdem generis; vel solum accidentaliter: &

ter: & ideo in duas partes diuidimus quæstionem hanc claritatis gratia.

Prima pars quæstionis.

31. Circa Primum notandum est; quòd naturalis potentia, & impotētia, in vno conueniunt cum habitu, & dispositione; & in duobus differunt. *Conueniunt* enim in eo, quòd aliquo modo ordinantur ad operationem: quia substantia creata, sicut est limitata, quantum ad esse; sic etiam quantum ad modum operandi: nō enim potest per seipsam operari; sed indiget qnibusdam accidentibus superadditis; quibus medijs exerceat operationes sibi conuenientes; & per hæc accidētia formaliter fit potens ad eliciendas tales operationes: cum ex se solum; sit quasi radicaliter, aut virtualiter potens: & ideo hæc accidentia superaddita, vocātur potentiæ eius ad operandum: quæ partim sunt naturales; partim acquisitæ: inter quas numerantur, habitus, & dispositiones. Ex quibus licèt quædam disponant eam, vt bene se habeat in suo esse, aut in sua natura; vt sanitas: aliæ verò; vt bene se habeat non ordine ad operationes; vt scientiæ, & Virtutes: omnes tamen ordinantur ad operationes: vt docet D. Tho. 1. 2. q. 49. art. 2. ad 3. sed non omnes eodem modo: nam istæ immediatè; illæ verò priores remotè: quia proximè disponunt substantiam, vt bene se habeat; secundum propriam naturam. Et cùm natura sit principium operationum: consequenter, & quasi remotè ordinantur ad operationes: vt docet Arist. 10. lib. de historia animaliū, cap. 1. dicens; sanum vocari hominem, aut membrum aliquod sui corporis; quando potest facere operationem sani. Itaque, tam habitus, & dispositio quàm naturalis potentia, & impotentia; ordinantur aliquo modo ad operationes.

Sed differunt in duobus: quia naturalis potentia, & impotentia; tribuuntur ipsi substantiæ à natura, & ex vi suæ generationis & ferè semper, sunt quasi propriè passiones eius: vt intellectus & voluntas; respectu animæ; aut potentia motiua, respectu hominis: & præterea, semper ordinantur ad simpliciter operādum; tanquam proxima principia operationum: quia sine illis non potest operari substantia. *Habitus verò, & dispositio,* ferè semper sunt acquisitæ per nostros actus; vt de scientijs, & virtutibus est manifestum. Præterea, vel non ordinantur proximè ad operandum: vel si proximè; non ad operandum simpliciter; sed ad facilè operādum. Exempli gratia: sanitas, licèt sit à natura tributa; non ordinatur tamē proximè ad operandum: virtutes autem, & scientiæ; licèt ordinētur proximè ad operandum; non tamen ad operandum simpliciter: quia per naturalem potētiam, potest substantia operari; sed ad facilè operandum: vnde per eas consequitur substantia facilitatem in suis operationibus. Et istæ duæ differentiæ manifestæ ostendunt; naturalem potentiam, & impotentiam distingui essentialiter; ab habitu, & dispositione: & ideo meritò Aristotelē eas posuisse, pro distinctis generibus, aut speciebus subalternis qualitatis. 32.

Secunda pars quæstionis.

Sed circa distinctionem naturalis potentiæ, & impotentiæ, versatur secunda pars eiusdem quæstionis, quæritque: *An sint species distinctæ; vel eadem: & ideo non essentialiter, sed solùm accidentaliter distinguantur?*

Prima opinio est, Soti, quæstione vnica huius capitis, in solutione ad confirmationem tertij argumenti; vbi ait; esse duas species subalternas; sicut habitum, & dispositionem. *Probatur hoc argum.* Natu- 33.

resistendum, distinguuntur essentialiter, ex mente Arist. Probatur consequentia. quia perfectè aut imperfectè efficere eãdem operationem; solùm potest esse differentia accidentalis.

26. *Probatur deinde ratione.* Quia potentiæ distinguuntur specie, per actus, & obiecta: sed potentia, & impotentia, sunt facultates quædam naturales, aut potentię: ergo si ordinentur ad eundem actum; erunt eiusdem speciei. Probatur consequentia. quia solùm differunt, tanquam principium eiusdem actus, aut eiusdem resistentiæ perfectum, & imperfectum; quod patet solùm esse differentiam accidentalem.

Ad argum. primæ opinionis, negandum est antecedens: quod naturalis potentia, & impotentia, dicant rationes formales verè oppositas: nam licèt nomina ipsa potentiæ, & impotentiæ, videantur opposita, ratione negationis; quam videtur significare impotentia; tamen verè, nec rationes significatæ opponuntur; nec nomina: quia impotentia non dicit puram negationem; sed qualitatem positiuam, debilem tamen atque imperfectam: & imperfectio hæc: quasi negatio est perfectionis; quam dicit potentia: & propterea negationem videtur significare nomen impotentia: sed quia perfecta, & imperfecta facultas, aut potentia: respectu eiusdem actus; non possunt distingui specie, nec esse verè oppositæ; ideo nec rationes formales earum oppositæ sunt; nec nomina significant rationes verè oppositas: sed se habent; sicut hæc duo nomina, perfectum, & imperfectum; quæ etiam videntur significare oppositas rationes, & specie diuersas; cùm tamẽ semper sint eiusdem speciei; si solùm secundum rationem perfectæ, & imperfectæ distinguantur. Et eodem modo intelligendum est, de mollitudine, & duritie; vt ordinatis; ad fortiter, & debiliter resistendum: quæ licèt videantur specie differre; non tamen differunt: quia mollitudo hoc modo considerata; quasi durities quædam imperfecta est.

QVÆSTIO IIII.

De his, quæ pertinent ad passionem, & passibilem qualitatem.

QVatuor sunt disputanda, circa passionem, & passibilem qualitatem. *Primum* An sint verè species qualitatis. *Secũdum:* An sint species distinctæ; vel vna tãtum; & ita solum distinguantur accidentaliter. *Tertium.* An passiones animæ; vt ira, gaudium, & similes; pertineant ad hãc speciem: *Quartum.* An etiã in eadem ponantur, obiecta omnium sensuum externorum. *Ideo; quatuor dubijs propositis, & solutis*; maioris distinctionis, & claritatis gratia; *soluta erit quæstio.* 27.

Primum Dubium.

An Passio, & passibilis qualitas sint veræ species qualitatis?

PAssio, vt a significatione nominis incipiamus; *quatuor modis accipitur Primò*, pro quacunque; siue sit rei disconuenientis, aut nociuæ affectio; siue conuenientis, ac perficientis: in qua acceptione, non minus vocatur passio, receptio speciei visibilis, aut visionis in oculo; quàm receptio caloris in aqua: vnde hæc acceptio passionis communissima est, & impropria.

Ideo accipitur *Secundo modo*; pro sola receptione contrariæ qualitatis, aut disconuenientis; per quã subiectum recipiens, disponitur ad corruptionem: & hæc receptio propriè vocatur passio.

Sed accipitur *Tertio*, pro operatione animæ sensitiuæ; facta cum aliqua passione corporali secundæ acceptionis: in qua acceptione, ira, gaudium, dolor, & tristitia dicuntur passiones. Quia ex pro-

 pria.

pria natura, fiunt cum aliqua alteratione corporali: hoc est cum calefactione, aut frigefactione, aut alia simili: vnde passiones istæ, duo includunt; nempe operationem sensibilem appetitus sensitiui: & alterationem naturalem corporis; nẽpe calefactionem, aut frigidationem: illam formaliter; hanc verò quasi materialiter, & antecedenter, vel cõcomitanter. Ex quo factum est; vt duobus modis definiantur; definitione materiali, & formali, seu finali. Materialiter definiuntur, pro alteratione reali. *Formaliter* verò, pro operatione sensitiua. Vt ira definitur, materialiter; quòd sit accensio sanguinis circa cor: *formaliter* verò; quòd

28\. sit appetitus vindictæ. Et hæc acceptio tertia; includit primam & secundam. Nã actus appetitus sensitiui; non est disconueniens, nec disponit appetitum sensitiuum, in quo recipitur ad corruptionem; sed potius eum perficit: & ideo receptio eius impropriè dicitur passio; secundum primam acceptionem: sicut receptio speciei visibilis, aut visionis in oculo: sed ex parte alterationis realis, cum qua fit; propriè dicitur passio, iuxta secundam acceptionem: & ideo acceptio tertia; quasi mixta ex prima, & secunda vocari potest.

Quarto modo, accipitur passio, pro qualitate; quæ est effectus passionis tertio modo sumptæ: vt rubor, qui apparet in facie ex verecundia, & pollor ex timore; dicuntur passiones: & passio in hac acceptione, est tertia species qualitatis.

Distinguitur autem, à passibili qualitate: quia non solum est effectus passionis; sed etiam modum illius habet, citò transiens: passibilis autem qualitas, licèt sit effectus passionis; permanet tamen in subiecto: vt color rubeus ostendit, quem permanenter habent quidam homines. Ex hac autem differentia, *citò transeuntis & permanentis*; prouenit alia, quam Aristot. assignauit in litera, inter passionem, & passibilem qualitatem: quòd passio non denominat subiectum simpliciter quale; sed bene passibilis qualitas id denominat. Non enim dicitur homo rubeus, vel pallidus, ab illo colore rubeo apparente in facie, ex verecundia, aut ex timore; sed ruborem vel pallorem passus: sed ab eodem colore à natiuitate habito; rubeus vocatur, aut pallidus simpliciter.

Ex hac doctrina, sumitur hoc arg. pro ratione dubitandi; ad probandum passionem, & passibilem qualitatem, non esse veras species qualitatis; sed quædam analogata eius: quia passio non est qualitas simpliciter; sed secundum quid: at verò passibilis qualitas; simpliciter est qualitas: ergo qualitas in communi; quæ est supremum genus huius prædicamenti; non vniuocè, sed analogicè de vtraque prædicatur: & ideo non tanquam genus de speciebus; sed tanquam analogum de analogatis. Probatur antecedens. quia qualitas; vt definit Aristot. est à qua denominamur quales: sed passione non denominamur quales simpliciter: bene tamen à passibili qualitate; vt ex eodem Arist. & communi modo loquendi probatum est: ergo sola passibilis qualitas, erit simpliciter qualitas; passio verò non nisi secundum quid. 29

Respondetur, nihilominus ad dubium propositum: quòd passio, & passibilis qualitas, vniuocè conueniunt, in ratione qualitatis in communi: & hæc prædicatur de illis; tanquam genus de sua specie; vel de suis speciebus.

Vt autem hoc explicetur, & simul probetur, *Notandum est; duobus modis*, posse considerari passinoem: nempe; *secundum entitatem, vel essentiam; aut secundum modum inhærendi in subiecto*. Entitas, aut essentia 30.

essentia eius est; esse qualitatem productam per passionem; quod est esse effectum passionis (vt vidimus) Modus verò inhærendi, est per modum citò transeuntis: quem habent ex eadem passione: à qua causatur, citò etiam transeunte: sed modus iste accidentalis est: quia accidit rubori; quòd per causam permanentem, vel citò transeuntem producatur. Vnde sequitur; passionem secundum essentiam consideratam esse qualitatem simpliciter: sed, secundum modum inhærendi accidentalem; esse qualitatem secundum-quid. Et quia ex modo inhærendi sumitur denominatio; non dicitur denominare subiectum simpliciter: passibilis verò qualitas, simpliciter denominat subiectum tale: quia modum permanentis habet: si verò sumeretur ex sola essentia: simpliciter denominaret: sicut qualitas passibilis.

Ex hac igitur doctrina colligitur arg. ad probandum; quòd vniuocè dicatur qualitas de passione, & passibili qualitate: & ideo tanquam genus: quia illud est vniuocū; cuius essentia simpliciter, & æqualiter participatur ab inferioribus: sed essentia qualitatis, participatur æqualiter, & simpliciter à passione, & passibili qualitate: ergo vniuocè, & tanquam genus prædicatur de illis. Probatur minor: quia ad essentiam qualitatis, pertinet determinare, & qualificare subiectum: quòd verò sit per modum permanentis, vel citò transeuntis; accidentale est, ex breui, aut longo tempore desumptum: sed passio determinat, & qualificat subiectum simpliciter; quamuis parum in eo duret: ergo est qualitas simpliciter: & ideo vniuocè, & tanquam genus, de ea, & passibili qualitate prædicatur, qualitas in communi.

31 *Ad arg. verò* allatum in contrarium. Negandum est antecedens. & dum dicitur qualitatē esse, à qua denominamur quales: Respondetur, per denominationem; non tam impositionem nominis significare Aristotelem; quàm effectum formalem qualitatis. Vnde sensus definitionis est; qualitas est, à qua sumus formaliter quales: denominatio verò aliquando sumitur, ab essentia; aliquando ex modo inhærendi accidentali: vnde quòd à passione nō denominemur quales simpliciter; non tollit; quin sit simpliciter qualitas: quia formaliter efficit nos quales; vt probatum est. Exemplum adducere possumus in albedine, de qua cōstat esse qualitatem simpliciter, & eiusdem speciei cum albedine parietis; quia habet essentiam albedinis, & effectum formalem in subiecto; sicut illa: sed non denominat AEthiopem album simpliciter: quia modus inhærendi in toto corpore; aut solum in vna parte; à quo sumitur denominatio, & de quo constat esse accidentalem, propter maiorem, aut minorem extensionem; diuersus est: nemo tamen dixit albedinem non prædicari vniuocè; tanquam speciem de suis indiuiduis de albedine, AEthiopis, & parietis: ita ergo iudicandum est de passione, & passibili qualitate.

Dubium secundum.

An passio, & passibilis qualitas, sint diuersæ species; vel vna tantum?

Prima opinio tenet. Passionem, & passibilem qualitatem, esse distinctas species; non minus, quàm habitum, & dispositionem: quam probabilem iudicat Sotus, quæstione vnica huius prædicamenti, in solutione ad confirmationē quarti argumenti: & sequuntur nonnulli ex modernis. 32

Probaturq; hoc arg. Habitus, & dispositio distinguuntur specie: quia ille est difficilè mobilis à subiecto, ex natura

suæ cuasæ, dispositio verò facilè, remouetur: sed ita se habent passio, & passibilis qualitas: ergo distinguētur etiam specie. Probatur minor. quia passio ex sententia Arist. citò transit; passibilis qualitas permanet in subiecto: & id habet vtraque ex natura suæ causæ: nam qualitas quæ est passio; ideo citò trāsit; quia est effectus passionis citò transeuntis: vt rubor causatus ex verecūdia: sed rubor, qui habetur à natiuitate; habet causas permanentes: & ideo permanens est ex propria natura, & vocatur passibilis qualitas: & hāc differentiam manifestat denomiatio. Nā passio; quia ex sua natura non permanet, nec subiectum donominat simpliciter: quod tamen præstat passibilis qualitas; propter permanentiam: ergo nō minus distinguūtur specie, quàm habitus, & dispositio.

33 *Secunda opinio, opposita est* quòd passio, & passibilis qualitas, non sint species distinctæ, sed vna & eadem: & solùm distinguātur accidentaliter. Hanc sequuntur Sotus vbi supra: Fonseca 5. Metaph. c. 14. quæst. 2 sect. 3. & plures moderni. *Et nobis videtur probabilior.*

Et probatur ratione. Quia intrinseca cōditio vtriusq; qualitatis est; quòd sit causa, vel effectus passionis: quòd verò citò transeuntis, aut diu permanentis; accidētalis est ratio: tamen in prima illa ratione essentiali conueniunt: Ergo solùm distinguuntur accidētaliter. Probatur minor. quia rubor causatus ex verecundia, est passio: si verò habeatur à natiuitate; est passibilis qualitas: sed rubores isti, sunt eiusdem speciei: & solum distinguūtur accidentaliter: ergo passio, & passibilis qualitas, sic se habebunt. Minorem probo. quia essentia qualitatis, euidenter colligitur ex effectu formali quem habet in subiecto: sed rubores isti, habēt eundē effectum formalē; qui est, cōstituere hominem rubeum: & solùm diuersum ex eo; quòd parum, vel multum duret, ratione causæ permanentis, aut transeuntis: quod patet esse accidentalem differentiam, respectu rubei formaliter: cū non sit minus rubeus formaliter homo, pro illo breui tempore; quàm alter, qui habet eandem qualitatem à natiuitate: ergo non possunt distingui essentialiter, nec esse diuersæ species. Et confirmari potest, ac declarari simul: quia ad rationē ruboris essentialē, per accidens se habet; quod ab hac, vel illa causa efficiēte producatur. hoc est permanēte, vel trāseunte; sicut ad rationem caloris: ergo ex hac parte, non distinguuntur specie rubores diuersi: sed non habent aliam differentiam essentialē, sub genere qualitatis: ergo non distinguuntur essentialiter.

Ad arg. verò contrariæ opinionis. Neganda est minor; quòd sic se habeat passio, & passibilis qualitas; sicut habitus, & dispositio: Et ratio differentiæ colligitur ex eodem Aristot. 5. Meta. cap. 20. tex. 25. vbi docet; ad rationē habitus pertinere permanentiam: quia habitus ex se dicit habere, aut possidere; quasi ex consuetudine, & cum diuturnitate: ergo vt qualitas sit habitus; diuturna esse debet: & si hoc habeat ex propria natura; habebit essētialiter: si verò ex aliqua causa extrinseca, vel accidentali; solùm habebit accidentaliter: & si ab intrinseco habeat oppositam conditionem; vt si facilè mobilis à subiecto; necesse erit distingui essentialiter; ab habitu. Et ita se habent dispositio, & habitus: vt in scientia, & opinione ostēdimus superius. Itaq; duæ istæ qualitates, non propter solam denominationem, aut significationem nominis distinguuntur; sed quia dicunt ex propria natura, rationes diuersas; facilè, ac difficilè mobilem esse à subiecto. Passio verò; & passibilis qualitas: solùm ex parte de nomi-

denominationis differunt: quæ tamen non desumitur ex ratione essentiali earum; sed ex modo inhærendi in subiecto; quem constat esse accidentalem: ex eo enim passio dicitur rubor; & ex eo non denominat subiectum simpliciter rubeum; quia per modum transeuntis inhæret. Quod verò hoc sit ei accidentale, probatum est: cùm non variet effectum formalē eius: ergo passio, & passibilis qualitas; solum accidentaliter differunt: quia ad essentiā earū solū pertinet, esse causam, vel effectum passionis; in quo distinguuntur à cæteris speciebus qualitatis: cito verò transire, vel diu permanere; à quo sumitur denominatio, accidentalis ratio est: cùm tamen ad rationem formalē habitus pertineat, naturalis permanentia in subiecto: Et ex hoc cognoscitur satis probabiliter, differentia vtriusq; speciei, & solutio argumenti intelligitur.

Dubium tertium.

An passiones animæ pertineant ad hanc speciem qualitatis?

PAssiones animæ sunt; ira, gaudium, tristitia, delectatio; & similes: de quibus superius diximus, eas *duo habere*. Vnum *pro formali*; quod est esse operationes appetitus sensitiui: aliud *pro materiali*; nempe alterationem corpoream; cum qua fiunt: vt calefactionem, aut infrigidationem corporis, aut alicuius partis eius: quærit ergo dubium; *An collocentur in hac specie.*

Et prima opinio, asserit; has passiones nō pertinere ad hoc prædicamētum; vt sunt operationes appetitus sensitiui: sed solum vt de materiali dicunt qualitates reales receptas in corpore, per veram alterationem: ita plures moderni.

Probatur testimonio Arist. qui tristitiam delectationem collocauit in prædicamento actionis; non alia ratione; nisi quia sunt actiones appetitus sensitiui: ergo hoc modo sumptæ; nō possunt pertinere ad hoc prædicamentum. Probatur consequentia. quia impossibile est eandem rem; secundum eandem rationem fomalem, pertinere ad duo prædicamenta.

Probatur etiam ratione. Quia tristitia, & delectatio, procedunt ab appetitu sensitiuo; per quem tristari, aut delectari dicitur homo: sicut per visum videre, & per auditum audire: ergo sunt actiones immanentes: quæ ab eodem; vt agente procedunt, & in eodem, vt in subiecto, recipiuntur: & vt in eo receptæ, dicuntur passiones. quia actio; vt recepta in passo, dicitur passio: sed actio, & passio; vt tales sunt; nihil de qualitate habēt; sed in proprijs prædicamentis, actionis, & passionis, collocantur: ergo passiones istę; vt procedunt ab appetitu sensitiuo, & in eo recipiuntur; non pertinent ad hoc prædicamētum: bene tamen ratione qualitatis materialis, nempe caloris, aut frigiditatis; quę simul dum fiūt, imprimitur subiecto, vel alicui parti eius, per alterationem realem; pertinere possunt.

Secunda opinio est opposita; quòd passiones istæ, non solùm ratione materialis; sed ratione formalis, pertineant ad hanc speciem: quam plures moderni tenent: *& mihi videtur necessariò tenenda in doctrina Arist.* Quod sic probo Aristoteles cap. præsenti asserit; iram, & amentiam, & alias passiones; si permanentes sint; vt dum habentur à natiuitate, denominare hominem simpliciter amentem, vel iracundum, & esse passibiles qualitates: si verò citò transeant; non denominare hominem iracundum, aut amentem; sed solùm dici earum ratione iram, aut amentiam passum; & tunc esse passiones: ergo sentit in hoc prædicamento aliquo modo collocari; vt procedunt ab appe- 37

titu sensitiuo. Quod enim auctores primæ opinionis asserunt; Aristotelem solum de eis loqui sub ratione materiali alterationis, cum qua fiunt; & non sub ratione formali; qua procedunt ab appetitu sensitiuo: friuolum est, & euidenter falsum: quod sic probo. Passiones istæ non denominant iracundos, vel amentes homines ratione caloris, vel calefactionis, cum qua fiunt; sed, vt procedunt ab appetitu sensitiuo, turbante, aut tollente vsum rationis: sed Aristot. docet pertinere ad hoc prædicamentum; vt denominant hominem iracundum, vel amentem: ergo non solùm materialem calorem, aut frigiditatem; quo imprimitur in corpore, dum fiunt; sed, vt procedunt ab appetitu sensitiuo, intelligit esse qualitates huius speciei.

Sed tota difficultas huius rei consistit,
38. in inuenienda ratione qualitatis; quam passiones istæ habeant; vt sunt actiones appetitus sensitiui: atque etiam in distinguenda in eis eadem ratione qualitatis inuenta à rationibus actionis, & passionis. *Vtrumque autem colligi debet ex doctrina* D *Tho.* 1. 2. quæst. 21. art. 1. & 3. vbi distinguit appetitum sensitiuum à rationali; qui est voluntas: quòd rationalis nõ est potentia corporea, nec existens in organo corporeo: sed cùm sit spiritualis, immediatè inhæret animæ; & per animã communicatur corpori: appetitus verò sensitiuus, potentia corporea est; sicut visus, & auditus: & ideo est in organo corporeo, tanquam in proximo, & adæquato subiecto. Vnde sequitur alia differentia; quòd operatio voluntatis, procedit immediatè à voluntate; & non medio organo corporeo: operatio verò appetitus sensitiui, procedit immediatè à composito; hoc est, ab illa parte corporis; in qua est hæc potentia, tanquam in subiecto; sicut visus ab oculo: & ideo fit medio organo corporeo; sicut visus medio oculo. Et hæc est causa; ob quam fit cum alteratione corporali eiusdem origani, aut partis in qua residet: & quo vehementiores sunt actus appetitus; eò maiorem cõmotionem, & alterationem corporis excitant. Hæc autem alteratio: aut contraria est complexioni corporis, aut non: si cõtraria non sit; excessum tamẽ habet semper; ratione cuius disconueniens est ei; multò magis, si est contraria. Vnde fit; vt semper disponat aliquo modo corpus, in quo recipitur ad corruptionẽ: & propterea vocatur propriè passio: à qua actus appetitus; qui cum ea fiunt, vocantur passiones animæ: quia semper habent coniunctam hanc passionem. 39.

Duæ igitur sunt actiones realiter distinctæ, in quacunque passione animæ; vt in ira, & gaudio: vna appetitus in eodem recepta: alia verò alteratio corporalis, recepta in corpore: & vtraque habet terminum per ipsam productum: & terminus quidem alterationis per sensum cognoscitur; vt rubor in verecundia, cognoscitur per visum. Terminus verò productus per actionem appetitus; non cognoscitur sensu; quia interius producitur; & manet; nam iram non cognoscimus; nisi per ruborem, vel alio signo, aut verbo manifestetur. est tamen qualitas quædam corporea; sicut actus ipse appetitus, corporea actio est: verùm non habet nomen proprium, quo significetur; sed nomine eiusdem actionis solet significari; quemadmodum actus amoris, à voluntate procedens; suum habet terminum productum; cùm sit vera actio: sed non habet proprium nomẽ: & ideo vocamus eum amorem actualem: & est qualitas quædam producta, per modum actualis impressionis. Ità ergo terminum 40. actionis appetitus, vocamus nomine actionis; & dicimus esse iram actualem;

vel actualem tristitiam: estque qualitas; quam idemmet appetitus sibi imprimit, per suam actionem: sicut intellectus, imprimit sibi per actionem vitalem propriam, speciem impressam; quæ est qualitas quædam per modum actus; per quam rẽ ab ea repræsentatam intelligit. Hos igitur terminos actionum appetitus, vocamus etiam passiones; tribuentes eis nomina earundem actionum: & si per actiones citò transeuntes producantur; dicũtur passones: vt qualitas interior, producta per actioné appetitus; quæ dicitur verecundia: si verò per actionem quasi permanentem producatur; vt est iracundia, aut deméntia ab ipsa natiuitate habita; vocatur qualitas passibilis.

Ex quibus iam patet primò, veritas Aristotelicæ sententiæ, quam sequimur: nam quatuor sunt in his passionibus, Primum, est materiale; nempe alteratio corporea. Secundum, terminus eius; qui est corporea qualitas; cum qua fiunt; vt color, seu calefactio, aut infrigidatio. Tertium, formale; & est actio appetitus, habens proprium terminum: qui est qualitas quædam; quam sibi imprimit appetitus, per eandẽ actionem: & hæc qualitas est. Quartum, & vocatur passio: sicut actio appetitus, passio vocatur: quia fit cum passione corporali. Ex his autem quatuor; duæ sunt actiones: nempe alteratio corporea, & actus appetitus: & duo sunt termini earum; qui verè sunt qualitates: nempe calor, aut frigiditas, producta per alterationem: & ira, aut amentia actualis, producta per actionem appetitus; quæ vocatur ira. De actionibus autem certum est; non pertinere ad hoc prædicamentum ratione sui: quia non sunt qualitates: sed ad prædicamentum actionis: & vt recipiuntur in subiecto; ad prædicamentum passionis: termini verò, propriè pertinent ad hoc prædicamentum: & ratione eorum actiones ipsæ: quamuis nomen passionis, & passibilis qualitatis, ab eisdem actionibus sumant termini: nam si per actiones citò transeuntes producantur; passiones dicuntur: si verò per diuturnas; passibiles qualitates.

Secundò patet falsitas primæ opinionis; asserentis passiones appetitus, solum pertinere ad prædicamentum hoc, & ad hanc eius speciem, ratione materialis alterationis, cum qua fiunt; & non ratione actus ipsius appetitus. Patet autem ex doctrina tradita; etiam actiones appetitus, ratione sui termini, propriè, & formaliter pertinere ad hanc Categoriam. *Quod probatur hac ratione.* Passio, & passibilis qualitas, dicũtur tales; quia sunt effectus passionis citò trãseuntis, aut diu permanentis: sed qualitates interiores, productæ in appetitu, per actiones eius, quæ dicuntur ira, vel amentia, vel alijs nominibus nominantur; sunt effectus earundem actionum; quæ vocantur passiones: ergò verè & propriè dicentur etiam passiones huius speciei; si citò transeãt; vel passibiles qualitates; si diu permaneant. 42

Ad testimonium Arist. pro prima opinione, Respondetur. passiones appetitus, collocasse Aristotelem in prædicamento actionis; sumendo eas pro actionibus eiusdem appetitus: in hoc autem prædicamento, & in hac specie; pro terminis earundem actionum: qui verè, & propriè sunt qualitates; vt explicatum est. Et hæc eadem distinctio soluit argumentum eiusdem sententiæ.

Dubium quartum.

An obiecta omnium sensuum externorum; vt obiecta eorum sunt, pertineant ad hanc speciem qualitatis?

Obiectum visus est color, atq; etiam lux; obiectum auditus, sonus; ol- 43

factus, odores, obiectum guſtus, ſunt ſapores, & obiectum tactus, ſunt quatuor primæ qualitates: quæ ideo vocantur communiter qualitates tangibiles; vt calor, frigus, humor, & ſiccitas. Et de his omnibus obiecti ſenſuum, *Certum eſt: Primò*, eſſe veras qualitates; & pertinere ad hoc predicamentum. *Certum eſt ſecundò*: pertinere ad hanc ſpeciem; in quantum ſunt effectus paſsionis: quia vel per aliquam alterationem realem producuntur; ideo & impreſsio earum, propriè appellatur paſsio, aut paſsibilis qualitas, huius ſpeciei: vel ex communi permixtione aut actione primarum qualitatum inter ſeſe generantur: & hoc etiam modo, appellantur qualitates paſsibiles; ſi ſint permanentes: vel paſsiones, ſi citò tranſeunt: dubium verò ſolùm eſſe poteſt: *An ſub ratione formali obiectiua; per quam cauſant ſenſationem: vt viſionem & auditionem in ſenſibus, ſint qualitates paſsibiles huius ſpeciei?*

Et ratio dubitandi, ex vna parte eſt: quia ſenſatio; quam cauſant in ſenſu, procedit ab eis, ſimul concurrentibus cũ potentia ſenſitiua & recipitur in eadem: & quatenus recipitur; appellatur paſsio: ergo ſunt cauſa paſsionis in ſenſu: ſed paſsibilem qualitatem vocat Ariſt. eam, quæ cauſat paſsionem in ſenſu: ergo obiecta omnium ſenſuum; vt talia ſunt; erunt paſsibiles qualitates huius ſpeciei.

44 Ex alia verò parte, habemus expreſſum teſtimonium Ariſt. cap. præſenti; vbi de ſolis obiectis guſtus, & tactus, cõcedit eſſe paſsibiles qualitates: quia cauſant paſsionem in ſenſu: de coloribus verò; quæ ſunt obiecta viſus; negat hac ratione eſſe paſsibiles qualitates: ſed ſolùm id habere eas concedit, in quantum ſunt effectus alicuius paſsionis, per quã producuntur.

Prima opinio eſt, quorundam modernorum; aſſerentium omnia obiecta ſenſuum; vt talia, eſſe paſſibiles qualitates; quia cauſant paſſionem in ſenſu: ſed Ariſt. quia manifeſtum hoc erat in ſenſu guſtus, & tactus; ideo ſolùm id conceſſit expreſsè obiectis eorum: non tamen negauit obiectis aliorum ſenſuum: ſed quia in eis non erat res ita clara; de illis docuit alia ratione, eſſe paſſibiles qualitates; nempe, quia ſunt effectus paſſionis.

Hæc ſententia non poteſt defendi in doctrina Ariſt. quia expreſsis verbis negat obiecta viſus eſſe paſſibiles qualitates; quia causãt paſſionẽ in ſenſu. Sed nec tenẽda eſt, conſiderata natura huius ſpeciei: quod ita probo: Solum dicitur qualitas paſsibilis huius ſpeciei; in quantum effectus eſt paſsionis: vt illa, quæ eſt effectus veræ paſsionis, aut eius actionis, quæ cum vera paſsione fit: vnde ſpecies expreſſa, quæ producitur per intellectionẽ vel quæ producitur in ſenſibus internis, ex ſenſationibus ſenſuum externorum; non dicũtur paſsibiles qualitates: quia operatio intellectus, nec eſt vera paſsio; ſed improprijſsima, nec fit cum vera paſsione: ergo nec dicetur aliqua qualitas paſsibilis, in quantum cauſa paſsionis: niſi ſit cauſa veræ, ac propriæ paſſionis: ſed colores non cauſant veram paſsionem in viſu: quia viſio, nec eſt vera paſsio; vt recepta in viſu, ſed communiſsima: nec fit cum vera paſsione: ergo non ſunt paſsibiles qualitates; quia cauſant paſsionem in ſenſu. *Vera igitur mens Ariſt eſt; & vera ſententia, ac tenenda; quòd ſolùm obiectum guſtus, olfactus, & tactus ſunt paſsibiles qualitates.* quia cauſant paſsionem in ſenſu: obiecta verò viſus, & auditus, non hac ratione; ſed ſolum, quia ſunt effectus alicuius paſsionis. 45

Quod vt explicemus ſimul, & probemus, *notandi eſt differentia, inter obiecta guſtus, olfactus, & tactus ex vna parte;* 46

& obi

& obiecta visus, & auditus ex altera: quòd illa natura mouent sensus: vt percipiantur ab eis, cum reali alteratione organi: nẽpe cum humectatione, aut calefactione, vel alia simili qualitate: quæ vt recipiuntur in organis; propriè appellantur passiones: cum aliquo modo disponant subiectum, in quo recipiuntur, ad corruptionem: vnde sensationes horum sensuum, propriè dicuntur passiones: quia licèt ipsæ secundum se passiones propriæ, non essent tales; nihilominus sic appellantur: quia fiũt cum vera passione; sicut de passionibus appetitus dictũ est. *Obiecta verò visus & auditus*; nec secũdum se propriè appellantur passiones, nec per se fiunt cum vera passione: licèt aliquando fortè contingat per accidens, cum vera passione fieri.

47 Ex hac differentia sequitur; verum esse, quod asserit Arist. *Solùm obiecta trium sensuum esse passibiles qualitates*: quia causant passionem in sensu: obiecta verò visus, & auditus, non hac ratione, sed solũ quia sũt effectus passionis. Et probatur hac ratione. Passibilis qualitas dicitur illa, quæ causat passionem in sensu: ergo qualis fuerit passio causata; talis erit denominatio qualitatis passibilis: sed sola obiecta trium sensuũ causant passionem propriè dictam in sensibus; cum moueãt sensus cum vera, ac reali alteratione; quæ passio propriè appellatur: cætera verò solùm causant passionem impropriissimam: ergo illæ solùm erunt passibiles qualitates propriè loquẽdo; quia causant passionem in sensu: hæc verò non, sed alia ratione.

Ad arg. pro ratione dubitandi propositum, distinguẽda est minor: nam Arist. non definit passibilem qualitatem, per id, quod causet passionem quamlibet in sensu; sed propriè dictam: obiectum verò visus, & auditus, solùm sunt causa passionis communis, & impropriæ: & ideo non sunt passibiles qualitates; in quantũ passibilis qualitas causat passionem in sensu: sed alio titulo, vel ratione, quia sunt effectus passionis: testimonium autem Arist. nostram sententiam confirmat, vt vidimus.

QVAESTIO V.

Quid per Formam, & Figuram intelligat Arist. & an sint diuersæ species qualitatis; vel eadem?

CIrca primum, *variæ sunt acceptiones Formæ.* Nã *primo*, accipitur pro pulchritudine rei; quæ resultat ex debita ordinatione partium. 48 *Secundò*, pro forma substantiali; à qua res accipit esse: vt ab anima homo. *Tertiò*, pro exteriori figura rerum; non solùm naturalium; sed etiam artificialium: vt quod artificiosum est in cathedra; vocamus formam eius.

Et secundùm has diuersas acceptiones, diuerso modo sumuntur ab expositoribus, forma, & figura: nam quidam per figuram intelligunt eam; quæ in rebus nõ viuentibus reperitur: per formam verò eam; quæ in viuentibus. Ita Ammonius cap. præsenti. *Hæc tamen expositio non est tenenda*. quia nulla videtur differentia in figuris harum rerum; propter quam vna sit, aut dicatur forma, & altera figura.

Ideo Boëtius, & Simplicius ibidem; formam asserunt appellari ab Arist. pulchritudinem resultantem ex debita mẽbrorum coaptatione, ac distinctione: figuram verò eã, quæ resultat ex sola quãtitate: vt triangularem, & quadrangularem: Sed nec expositio hæc potest esse ad mentem Arist. qui in hoc cap. pulchritudinem collocauit in specie habitus. Albertus Mag. tract. de prædicamento qualitatis, cap. 8. figuram ait respectu solius quantitatis dici: quia nõ videtur esse aliud

se aliud; quàm terminatio quantitatis: nam anguli, quibus cònstat figura triangularis, & quadrangularis, non videntur esse aliud, præter lineas; qui sunt termini quantitatis: formam verò, per ordinem ad substantiam: nam sicut forma substantialis continet totam perfectionem speciei: ita qualitas huius speciei, totam perfectionem eius manifestat: vnde res diuersarum specierum; propter diuersas formas substantiales, diuersas habent figuras.

40 *Sententia D. Thom. probabilior est: quam iam ferè omnes moderni Interpretes sequũtur*: eam verò his verbis explicat 7. lib. Phys. lect. 7. *Considerandum est, quòd forma, & figura, in hoc ab inuicem differunt; quòd figura importat terminationem quantitatis: est enim figura; quæ termino, vel terminis comprehenditur: forma verò dicitur; quæ dat esse specificum artificiato: nam formæ artificiatorum, sunt accidentia.* Quibus clarè docet; figuram esse nudam terminationem quantitatis; formam verò, dicere ordinem ad compositum artificiale. Et huius veritatis signum est: quòd figura reperitur in quantitatibus Mathematicis, abstrahentibus à materia sensibili; vt docet Arist. 5. Metaph. cap. 14. vbi res Mathematicas immobiles; hoc est, abstrahentes à motu, figuras vocat. Et hæc non solùm reperitur in quantitatibus cōtinuis; sed etiam in numeris: non quidem simpilcibus; sed compositis: nam binarius non dicit aliquam figuram: senarius verò, qui ex duobus ternarijs componitur; præter vnitates ipsas; quæ sunt quantitates, certam habet figuram, ex ipsamet compositione resultantem: vt docet expresse Aristoteles 5. Metaphysic. capit. 14.

50 *Sed hoc debet notari*, circa hanc expositionem: quòd dum figura appellatur terminus, vel terminatio quantitatis; duobus modis intelligi potest. *Primò*, de termino proprio & intrinseco quantitatis: vt de punctis lineæ; & lineis superficierum; & superficiebus corporis: in quo sensu non est verum: quia isti termini, essentiales sunt quantitati, figura verò accidens eius est, ad prædicamentũ qualitatis pertinens. *Secundò*, de termino accidentali, & quasi extrinseco: qui intrinsecos terminos, & intrinsecam terminationem consequitur: & eiusmodi termini, vel terminatio; propriè loquendo habet rationem figuræ. Et huius ratio est: quia tres anguli; ex quibus constituitur figura triangularis; præsupponunt tres lineas, suis punctis iam terminatas: & ex eis iam terminatis, atq; completis in sua specie, figura triãgula fit. Ex quibus intelligitur; potius dicendum esse, claritatis ac proprietatis gratia; figuram resultare ex terminis, vel ex terminatione quantitatis; quàm esse terminum, aut terminationem quantitatis: nam terminus quantitatis, aut terminatio eius, incompletum quid est; cum sit indiuisibile, vel ab indiuisibilibus facta: ideò non habet aliam speciem vel prædicamentum ab ipsis quantitatibus: figura verò completum quid est, ex genere, & differentia compositum, & per se habet speciem, atque prædicamentum.

Circa secundum verò; an forma, & figura distinguantur specie? quidam Interpretes, diuersas species eas faciunt; ex eo distinctas; quòd figura abstrahit à materia sensibili: forma verò dicit ordinem ad materiam sensibilem; tribuens speciem artificialibus, & manifestam faciens speciem rerum naturalium: vt cōstat in forma statuæ: & exteriori hominis.

Tenendum tamen est; Formam & Figurã nō esse diuersas species qualitatis; sed vnam, & eandem: & solum distingui accidentaliter. *Probatur hac ratione.* Eadem

dem res; prout magis, vel minus abstracta à materia consideratur; non distinguitur specie: sed solùm accidentaliter: in quantum diuersum ordinem dicit ad materiam: vt homo physicè cõsideratus; prout componitur ex materia, & forma, & habet in se principium motus; non distinguitur specie à seipso; prout composito ex genere, & differentia: quo pacto non dicit ordinem ad materiam sensibilem: sed forma, & figura, solùm ex eo distinguũtur; quod figura abstrahit à materia sensibili; forma verò eandem respicit:
52. ergo non distinguuntur specie; sed solum accidentaliter. Probatur consequentia, quia accidentalis est ei ordo ad materiam sensibilem; vel abstractio ab ea: licèt enim ad diuersas scientias pertineat res; vt diuerso modo abstrahitur à materia; tamen pertinere ad eandem, vel diuersam scientiam; sic vel aliter esse abstrahibilẽ à materia, accidit ei: quamuis scientiæ, essentialis sit talis modus abstrahendi à materia.

CAPVT IX.

De prædicamento Actionis, & Passionis.

1. QVatuor explicanda sunt, circa hæc duo prædicamenta actionis, & passionis. *Primum est*; quid nomine actionis, & passionis significetur. *Secundum*; quid vtraque sit. *Tertium*; quæ sint genera suprema vtriusq; prædicamenti; & in quas species diuidantur, (ex his enim ordinatio prædicamentalis fit.) *Quartum*; quot, & quæ sint proprietates actionis, & passionis.

2. *Circa primum*, diuersæ sunt acceptiones, actionis, & passionis: nam primò accipitur actio Grammaticali modo, pro significato cuiuslibet verbi actiui; siue propriè sit actio, siue per modum actionis significetur. Sed hac acceptione omissa, quia non est realis, sed nominalis: tribus modis accipitur actio realiter. *Primò*; pro solo actu libero voluntatis: & hoc modo sumitur ab Aristot. 2. lib. Magnorum moralium, cap.2. *Secundo modo*, sumitur vniuersalius, pro qualibet actione immanente: sub qua comprehenduntur; non solùm actiones intellectus, & voluntatis; sed etiam appetitus sensitiui, & sensuum externorum, & internorum; qua acceptione vtitur Arist. 6. lib. Ethic. cap.4. *Postrema acceptio*, adhuc est vniuersalior; tamen propria, pro quacunque actione cuiuslibet agentis, libera, vel necessaria; immanente vel transeunte: & hoc modo accepit actionem Aristot. cap. præsenti: quod euidenter probant exempla eius; tam in actionibus immanentibus, vt in dolore, & tristitia; quàm in trãseuntibus, vt in calefactione, & in frigidatione, ab eo assignata. In hac etiam vniuersali acceptione; actio est supremum genus prædicamenti actionis, & passio supremum genus prædicamenti passionis nam quæ de actione dicta sunt; eodem modo intelliguntur de passione: cùm passio non sit aliud, quàm actio ipsa; prout recepta in subiecto.

Quid actio, & Passio sint?

3. GIlbertus Porretanus, (qui ideo auctor sex principiorum vocatur; quia libellum quendam de sex vltimis prædicamentis scripsit.) *sic definit actionem*: *Actio est; secundum quam in id, quod subiecitur agere dicimur*, Hæc tamen definitio limitata est: quia solùm comprehendit actiones transeuntes: quia per has solùm dicimur agere circa aliud nobis subiectum: immanentes verò non circa aliud versantur; sed in eodem agente manent: nec etiam comprehendit actiones, quæ non habent præsuppositum subiectum; nec ideo mutationes sunt (si tamen ali-

quæ ex his reperiantur; quod adhuc est in opinione positum) alia igitur definitio vniuersalior assignanda omnino est; quæ omnes comprehendat: & ea talis esse poterit; Actio est, *qua media, vt via; effectus recipit esse; vel conseruationem eius ab agente.* Passio verò erit, *à qua aliquid dicitur pati, per impressionem effectus ab agente.* Et licèt modus; quo distinguuntur actio & passio; non pertineat ad præsentem cõsiderationem; sed ad Physicam; de quo agit Arist. 3. lib. Phys. tamen ex mente eius, atque communi sententia scholæ, non distinguuntur realiter: sed ratione ratiocinata; hoc est, per intellectum, supposito fundamento in re: nam in eadem entitate ab agente procedente, considerat intellectus rationem egressionis ab eo; & receptionis in passo: & hoc est distinguere rationes formales earum: quæ constituunt diuersa prædicamenta: nam vt superius probauimus; non requiritur distinctio realis, aut ex natura rei inter prædicamenta; sed rationis ratiocinatæ sufficit.

Quot, & Quæ genera, & species habeant actio & passio?

4. PRima diuisione, diuiditur actio, *in eam;* Quæ versatur, *circa subiectum, præsuppositum*: & hæc dicitur eductio formæ de potentia materiæ; aut vnitio eius cum materia: dicitur etiam generatio: *& in aliam:* Quæ non versatur *circa præsuppositum subiectum*, sed per eam producitur res ex nihilo: & talis est creatio: si tamen vera actio est; & nõ sola relatio dependentiæ creaturæ à Deo: quod adhuc est in opinione positum.

Secunda diuisione, diuiditur in actionem *Substantialem, & accidentalem*: illa est, per quam producitur aut conseruatur substantia, hæc verò per quam producitur accidens: & sub vtraque comprehenduntur plures species.

Tertia diuisio actionis est, *in Immanentem, & Transeuntem.* Actio immanens est, quæ non versatur circa aliquod subiectũ, extra agentem causam, nec effectum aliquem extra illam producit; sed ipsa cum suo termino producto, manet in eodem agente: vt visio, auditio, & actio vitalis intellectus; per quam producitur verbum mentis ad intelligendum. Actio vero transiens est, quæ non manet in agente; sed circa subiectum extra illud versatur: aut effectum omnino extra illud producit: vt generatio hominis, & calefactio aquæ.

Quarto diuiditur, in actionem *Successiuam, & Instantaneam*: Successiua est calefactio, & nutritio. Instantanea, est generatio hominis. Et quodlibet horũ membrorum, habet suas species; vsque ad infimas: atque ex his omnibus generibus, & speciebus, sub genere supremo, constituitur ordinatio prædicamentalis actionis. Et eodem modo constituendum est prædicamentum passionis: quia eisdem diuisionibus diuiditur passio.

Quot, & Quæ sint proprietates actionis, & passionis?

QVatuor solent enumerari proprietates actionis, & passionis. ex quibus duas assignauit Arist. in litera. *Prima est, Habere contrarium. Secunda, Suscipere magis, & minus*: sed neutra conuenit omni actioni, & passioni; sed his tantum, quæ versantur circa terminos habentes contrarium: quales sunt actio calefactionis, & infrigidationis, ac similes: nec etiam conueniunt proprietates istæ præterea his actionibus ratione sui; sed solùm ratione terminorum: inter quos reperitur contrarietas.

Duas alias posuit Gilbertus. *Primam, & in ordine tertiam*; quòd proprium sit actioni, & passioni, *semper esse cum motu, aut*

ru, & mutatione. sed etiam de hac non est certum; quod omnia actioni conueniat: quia multi ponunt actiones sine subiectis præsuppositis: de quibus ideo certũ est, non esse motus, vel mutationes.

4. *Secunda proprietas, & vltima in ordine est; Quòd actio inferat passionem, simulque cum ea sit*, de qua certum est: quòd conueniat actioni quarto modo: quia cùm actio & passio sint eadem entitas, & præterea necesse sit actionẽ, cùm sit accidens, in aliquo recipi: & vt recepta sit passio necesse est inferre passionem, & semper esse cum ea.

CAPVT X.

De cæteris prædicamentis.

Prædicamentum Quando.

1. T*Ria explicari debent*, vt intelligatur natura huius prædicamenti, *Primũ.* quid sit Quando; vel in quo consistat ratio formalis eius. *Secundum*: Quot, & quas habeat species; ex quibus fiat ordinatio prædicamentalis eius. *Tertium*; Quot, & quæ sint eius proprietates.

Explicatur in quo consistat ratio formalis prædicamenti Quando.

ARistoteles non definiuit, Quando; nec docuit, in quonam formalis ratio eius consistat: sed definiuit Gilber. quamuis obscura admodum definitione, dicens. Quando est id; *quod ex adiacentia temporis relinquitur*: per adiacentiam verò videtur significare, esse aliquam denominationem, prouenientem rebus ex tempore; aut ex eo, quod in tempore sint.

Hæc autem definitio Gilberti, diuersis modis explicatur, & D. Thom. duas posuit explicationes eius, opusc. 48. tract. de sex vltimis prædicamentis, cap. 1. & 2. e diuersis auctoribus collectas. *Prima*, asserit; tempus duobus modis considerari. *Primo*; vt est mensura successiua, & continua. *Secundo*: vt explicatur ad mensurandam substantiam, & motum, vel operationem eius: ex qua applicatione procedit vt denominentur mensurata à tempore, denominatione quadam extrinseca: & dicantur esse, fuisse, aut futura esse: & actio dicatur hesterna, vel hodierna. Hæc igitur denominatio extrinseca, est illud; quod ex adiacentia temporis relinquitur: hoc est, ex eo; quòd tẽpus circumstat substantiam, & eius operationes: circumstare verò non est aliud; quàm intrinseca ratione ad eas pertinere; & non per inhæsionem.

Secunda, non est multum diuersa: asserit enim; id quod ex tempore relinquitur esse; quòd substantia, & operationes eius, tempori subditæ dicantur: in quantùm, non totum suum esse habent simul; sed quasi augmentum, vel extensionem, aut intensionem à tempore accipiunt: & in eo dicuntur crescere, consenescere, ac tandem ab eo consumi: & hoc est prædicamentum, Quando, nempe tempori subdi. 2.

Duæ istæ explicationes, in eo conueniunt: quòd vtraque ponit prædicamentum Quando, in sola denominatione extrinseca à tempore consistere: & ideo falsa est: quod sic probo. Prædicamentalis ordinatio (si vera est) ex veris generibus, & speciebus, licèt imperfectis, ac diminutis fieri debet; sed ex sola denominatione extrinseca; nec genus; nec species sumi possunt: ergo ex ea sola non potest constare prædicamentum. Probatur minor. quia genus & species dicunt aliquam naturam, & entitatem realem: sed denominatio extrinseca; nec est aliqua natura; nec aliqua entitas realis in rebus; quibus prædicamentum hoc conuenire potest: vt patet: ergo non potest

ex ea sola prædicamentum constitui.

Secundò. Si aliquid intrinsecum po-
3 nūt; non potest esse absolutum: quia nulla entitas absoluta resultat in rebus, aut in tempore ipso, ex adiacentia eius: sed ad summum relatio aliqua: quæ si realis sit, pertinebit ad prædicamentum Ad aliquid: si rationis; ad nullum: ergo nō potest ex tali adiacentia temporis, constitui reale prædicamentum: aut certè, non distinctum à prædicamento ad Aliquid.

Propterea moderni quidam asserunt; *tria esse consideranda in hoc prædicamento*; sicut in cæteris: nempe, *Formam denominantem subiectum*: & hanc dicunt esse *Durationem*: & *subiectum denominatum ab ea*: & hoc esse *Motum*, aut rem aliam durantem, & effectum formalem. *Effectum verò formalem*, non esse aliam; quam durare in esse: ideo concretum esse, *Durans*; vt sic. Sed qui hanc opinionem tenēt; diuisi sunt: nam quidam ab hoc prædicamento excluduut; non solùm æternitatem; quę duratio infinita est; sed etiam tēpus: quia cùm pertineat ad prædicamentum quantitatis; non potest in isto collocari: vnde abstractum huius prædicamēti, asserūt esse, durationem creatam indiuisibilem: sub qua collocantur, æuum Angelorum, & duratio substantiæ corporeæ; tanquam genera subalterna: quarum quælibet durationum, aiunt, diuidi; tur in diuersas durationes eiusdem generis; sed diuersæ speciei; secundum diuersitatem specificam Angelorum, & substantiarum corporearum.

4 *Hæc tamen sententia primò est contra Arist.* in hoc lib. prædicamentorum, cap. 4. vbi cùm enumerasset prædicamenta, & peruenisset ad hoc; ita ait. *Quando autem vt heri, superiori anno, &c.* Quæ verba tempus expresse significant; vt patet.

Deinde est contra rationem. Quia vel æuum, & duratio alia substantiæ corporeæ, pertinent ad hoc prædicamentum: quia durationes creatæ sunt: vel quia indiuisibiles: non propter secundū. quia ratio diuisibilis, vel indiuisibilis impertinens est ad hoc prædicamentum; cùm id non sit quantitas, sed quando: ergo pertinent: quia sunt durationes creatę: sed tempus est vera duratio creata: ergo non potest excludi ab hoc prædicamento.

Nostra igitur sententia est: quòd Quando in abstracto significat durationem creatam in communi, vt comprehendit æuum, durationem indiuisibilem substantiæ corporeæ, & durationem successiuam motus; quæ est tempus: in concreto verò rem durantem, duratione creata: ita tenent plures moderni.

Et probatur, à sufficienti diuisione: 5
quia *Quando*, dicit aliquo modo durationem, vt manifestum est; non tamen durationem comprehendit infinitam Dei: quia hæc non pertinet ad prædicamentum; ergo dicit durationem creatam cōprehendentem successiuam, & momentaneam; siue sit Angelica, vel alia quæcunque creata. Probatur consequentia. quia successiua, non potest excludi, vt probatum est: nec etiam momentanea, vel indiuisibilis: quia talis duratio, cùm sit accidens creatum, & completum; per se debet pertinere ab aliquod prædicamentum: sed ad nullum; præter hoc, pertinere potest: ergo in eo erit per se collocāda: & ita supremū genus erit duratio creata: prout vtramq; cōprehendit: vel res durans; vt cōprehendit ea, quæ durāt, vtraq; duratione. Probatur minor. quia certū est; durationem indiuisibilem non pertinere ad prædicamentum quantitatis: cuius propria ratio est extensio; & diuisibilitas propria passio: quod vero non pertineat ad alia prędicamenta; ostendūt rationes eorū diuersissimæ à duratione.

Arg. verò alterius opinionis, quo proba- 6
tur,

tur, tempus esse excludendum ab hoc prædicamento; quia pertinet per se ad prædicamentum quantitatis: nihil probat aduersus eos; qui asserunt, tempus esse quantum per accidens: & ideo non pertinere ad prædicamentum quantitatis: apud quos pertinere poterit ad hoc prædicamentum. Sed habet apud non difficultatem maximam; qui tenemus; esse quantum per se, & speciem quantitatis. *Hac tamen distinctione soluitur.* Duo possunt considerari in tempore: nempe, *quòd successiua duratio sit*: *& quòd continua*: quo pacto abstrahit ab extensione, seu diuisibilitate per se; & per accidens. Probatur. nam euidens est apud omnes; tempus esse durationem successiuam: & tamen non est euidens; quòd sit per se extensa: sed satis probabile; quod sit extensa per accidens: ergo ratio successiuæ durationis, abstrahit ab extensione per se; & per accidens. Nos igitur, qui tenemus; tempus esse extensum per se; possumus ipsum hac ratione collocare in prædicamento *Quantitatis*: sed in ratione successiuæ durationis, in prædicamento *Quando*: & hac distinctione solutum est argumentum.

Quot, & quæ habeat genera: & species hoc prædicamentum.

SVpremum genus huius prædicamenti, quod est *Duratio creata*, vel *Durans creatum*, diuiditur; in durationem *Permanentem*, & *Successiuam*: tanquam in duas species subalternas: & rursus, *Duratio permanens, in AEuum*, quod est duratio Angelorum; in Durationem substantiæ corporeæ: *Duratio verò successiua*; in durationem *primam motus cœlestis*; quæ per antonomasiam vocatur tempus; & in durationem *motus inferioris*: & adhuc quælibet species subalterna durationis permanentis, habet alias species infimas; secundum distinctionem specificã, Angelorum, & substantiarum corporearum: & ex his generibus; & speciebus fit ordinatio prædicamenti Quando.

Quot, & quas proprietates habeat hoc prædicamentum?

TRes proprietates tribuit Gilbert. huic prædicamento: sed omnes videntur alijs etiam esse communes. *Prima est: Non habere contrarium. Secunda. Non suscipere magis, & minus*: de quibus manifestum est alijs conuenire. *Tertiam* dicit esse; *quod duratio creata solùm conuenit his; quæ incipiãt esse, vel apta nata sunt incipere esse*: de qua etiam probatur; quod conueniat alijs: quia alia etiam sunt accidentia; quæ solum conueniunt his, quæ incipere apta nata sunt: vt mutatio, & motus, aliaque huiusmodi. Nullam igitur habet proprietatem prædicamentum hoc nobis notam: sed aliquam absque dubio habebit; quam ignoramus: nam cùm debilissimæ sit naturæ; mirum non est, si intimas, eius proprietates non cognoscamus. 8.

Prædicamentum Vbi. 1.

CIrca prædicamentum *Vbi*, quatuor *etiam explicanda sunt*. *Primum*; Quid per nomen, *Vbi*, significetur. *Secundum*; In quo consistat ratio formalis eius. *Tertium*; Quot, & quæ genera, & species habeat; ex quibus ordinatio eius prædicamentalis fiat. *Quartum*; Quot, & quæ sint proprietates eius.

Circa primum. Nomen Vbi; vno tantùm modo accipitur; pro reali præsentia; per quam aliquid dicitur præsens esse loco, aut spatio loci: nam & si corpus sit in vacuo, habebit præsentiam realem: cum sit certum, & ab omnibus cõcessum; posse moueri in vacuo: in quo, sicut verum, & realem motum haberet; ita

Quot, & quæ habeat genera, & species, Vbi.

4. VBi potest diuidi, in *Circumscriptiuū*, & *Definitiuum*: Circumscriptiuum est; quod habet corpus quantum; quod ita est præsens spatio; vt toti spatio correspondeat totum corpus, & partibus correspondeāt partes: & id suo modo potest habere res spiritualis, sic se accommodans loco; vt singulis partibus loci, correspondeat tota; & tota etiam toti loco. Vbi, *Definitiuum*, potest vocari simplex præsentia; per quam res potest dici præsens alicui, sine commēsuratione, vel accommodatione ad illud: & hoc modo erunt fortasse præsentes Angeli in Cœlo empyreo; in quo non sunt tāquam in loco; secundum sententiam D. Tho. magis communem in schola: licèt adhuc sit hoc positum in opinione; an Angeli moueantur per motum realem, eis inhærentem: & ex consequenti; an verum Vbi acquirant: aut solum per extrinsecam denominationem à corpore; quod mouent.

Secunda diuisione diuiditur Vbi, ab Aristot. 7. & 8. lib. Phys. in Vbi *Sursum*, & *Deorsum*, tanquam in diuersas species; per quas, tanquam per proprios terminos distinguūtur speciē motus localis, sursum, & deorsum: quamuis moderni plures, hanc distinctionem specificam, Vbi, & motuum localium non admittant: sed nos Aristot. sequentes, probamus admittendam esse, 5. lib. Phys. in nostris Commentarijs.

Quot, & quas proprietates habeat Vbi?

5. DVas proprietates ei concedit Gilbertus; videlicet, *Non habere contrarium*: & *Nonsuscipere magis & minus*: quas patet non ei soli conuenire; sed multis alijs. *Et prima proprietas*, (si vera est) de proprijssima contrarietate; quæ in solis qualitatibus, se expellentibus ab eodem subiecto, intelligi debet nam aliā ei concedit Aristot. non ita propriam; locis citatis. Alij etiam tribuunt, Vbi, *Duas alias proprietates*: nempe, *Esse immobile*, cum constet moueri non posse cum corpore, in quo est; sed moto corpore; statim desinere esse in eo: & ideo aliam eius proprietatem dicunt esse; *Quòd corrumpi possit*: vtraque tamen proprietas, communis est ei cum alijs: nam immobilitatē, loco etiam concedit Aristot. 4. lib. Phys. & multæ sunt aliæ res corruptibiles. *Ego verò quintam proprietatem ei concederem*, quæ nulli potest conuenire, sed quarto modo ei conuenit: quia cum eo conuertitur: & hæc est; *Acquisibile, aut producibile esse per se, per motum localem*.

Prædicamentum Situs.

QVatuor alia de Situ declaranda sunt. *Primum*. Quid per Situm constituentem hoc prędicamentum intelligatur. *Secundum*: In quo consistat ratio formalis eius. *Tertium*. In quot, & quæ genera, & species diuidatur. *Quartum*. Quot, & quæ proprietates ei attribuantur. 1.

Circa primum. Varijs modis accipitur Situs. *Primo* pro loco; aut vbi; in quo res sita est: sed hæc nimis est impropria: ideo accipitur. *Secundo*; pro quadam relatione ordinis; quam res habet in loco: per quā dicitur esse sursum, aut deorsum; priorē aut posteriorem habere locum: sed hoc non ad Situm, sed ad Vbi pertinet: & ideo nimis est impropria respectu situs. Quare secundum has duas acceptiones non potest constituere speciale, aut distinctum prædicamentum ab alijs.

Tertia igitur acceptio, & propria, colligitur ex Arist. 5. lib. Metaph. cap. 19. vbi ait, *Dispositio dicitur ordo partes habentis, secundum locum*. Quæ verba intelligunt omnes Interpretes, de prædicamento Situs; quod sub nomine dispositionis explicare voluit.

ſpatio loci; & nihil aliud: præſentia autem in loco, ſine tali diſpoſitione; & ideo, ſine ratione ſitus intelligitur: & hoc eſt, in eadem entitate reali, diſtinguere intellectu, duplicem rationem prædicamentalem: ſicut diſtinguimus in eadem entitate realis motus; prædicamentum actionis, & paſsionis.

Ad arg. primæ opinionis, Diſtinguenda
5. eſt maior: quia eſſe, & eſſe tali modo dupliciter contingit. *Primo*, ita, vt talis modus eſſendi, comprehendatur ſub eodem eſſe: & tunc verum eſt, ad idem prædicamentum pertinere. *Alio modo*, ita; vt extra rationem eius ſit: & tunc non ad idem, ſed ad aliud pertinebit: quod patet in eodem exemplo quantitatis: nam eſſe extẽſum, cõſtituit prædicamentum quantitatis: ſed corpus tali modo eſſe extenſum; vt ſit alteri æqualiter extenſum; nõ comprehenditur ſub extenſione: & ideo non iam ad prædicamentum quantitatis; ſed ad prædicamentũ ad aliquid pertinet: & ita ſe habet ſitus, in ordine ad, vbi: quod ſimpliciter, dicit eſſe in loco; non comprehẽdẽs per ſe, nec per ſuas ſpecies, ſpeciales modos, aut diſpoſitiones, ſe habẽdi in loco: & ideo ſitus ſpecialem modũ ſe habendi in loco dicit; non comprehẽſum in ratione formali vbi: quare aliud prædicamentum conſtituere poteſt.

Quot, & quæ ſint genera, & ſpecies Situs?

6. GEnera, & ſpecies huius prædicamẽti, ita colligunt Albertus Magnus, l. de ſex principiis, tractatu de poſitione, cap. 1. & D. Thom opuſc. 48. cap. 2. vt ſupremum genus; quod eſt diſpoſitio partium in loco, aut ſpatio loci, diuidatur in id, quod eſt, *Rectè eſſe poſitum*, aut *Reflexè*: tanquam in duo genera ſubalterna oppoſita: ſub quibus continentur, Sedere, Stare, Iacere, Cubare, & huiuſmodi alia, tanquam ſpecies; in quas diuiduntur eadem genera: & ex omnibus fit ordinatio prædicamentalis.

Quot, & quæ ſint proprietates huius prædicamenti?

DVas proprietates ei attribuunt. Alb. Mag. & D. Tho. vbi ſupra: videlicet, *Contrario carere*, & *Suſcipere magis & minus*: quæ etiam conueniunt pluribus alijs: quibus tertiam addit Gilbertus nempe, *Aſsiſtere proximè ſubſtantiæ* quæ etiam conuenit prædicamento, vbi; & immediatiuus? cùm ſit prius ſecundùm rationem, vt probauimus: ſed cùm ſint idem realiter: vtrique conuenit immediatè, realiter loquendo: ſed non eſt ſic intelligendum; quod ſitus aſſiſtat ſubſtantiæ; vt extrinſecè prorſus ſe habeat ad illam: nam verè ei inhæret, tãquam modus eius: ſed aſſiſtere dicitur; quia ab extrinſeco dependet. 7.

Prædicamentum Habere.

EAdem quæ de cæteris prædicamentis explicata ſunt; de habere, vel habitu; qui eſt vltimum prædicamentum, ſunt declaranda. *Primum. Quid per habere ſit intelligendum? Secundum. Quid ſit habere, aut in quo conſiſtat ratio formalis eius? Tertium. Quot genera, & ſpecies habeat? Quartum. Quot etiam, & quæ ſint proprietates eius?* 1.

Circa primum. Multis modis accipitur habere, vt docet Ariſt. 5. lib. Metap. ca. 10. text. 25. *ſed tres ſunt præcipuæ acceptiones eius. Prima vniuerſalis:* ita vt inter habentem, & rem habitam, ſolum ſit diſtinctio rationis: vt homo dicitur habere ſubſtantiam, & cætera prædicata eſſentialia. *Secunda acceptio eſt minus vniuerſalis*; ita vt reſpectus realis; & ex conſequenti realis diſtinctio ſit, inter habentem, & rem habitam. In qua ſignificatione, idem eſt habere aliquid; quod illud reſpicere:

vt pater dicitur habere filium. *Sed vtraque hæc acceptio impropria est*: & secundum quam habere non cõstituit speciale prædicamentum: quare *Tertiò accipitur*, pro eo; quod est habere aliquid; non quomodocunque, sed ita: vt habens, sit speciali ratione accommodatum, vel commẽsuratum rei habitæ; cum respectu reali ad illam: non tanquam ad terminum; *sed tãquã ad aliquid, cui habens speciali modo adaptatur*. Et secundum diuersum modum huius adaptationis, vel accommodationis ad illam; diuerso modo dicetur eã habere, & diuersum prædicamentum constituere. Habere locum, vel spatium; est prædicamentum, vbi: habere durationẽ; prædicamentum, quando: habere positionem partium in loco; prædicamentum, situs: habere vestes, aut arma; prædicamentum, Habere: quia specialis est accõmodatio corporis ad vestes, & arma: vnde generale nomen habere, specialiter ei attribuitur.

Et *secundum hanc acceptionem*, defini-
2. tur à Gilberto hac definitione. *Habitus est corporum & eorum, quæ circa corpus versantur, adiacentia.* Quasi dicatur; vestes circumdare, aut operire corpus, per specialem accommodationem eiusdem corporis ad eas, tanquam ad aliquid extrinsecum ei non inhærens: itaque ratio formalis huius prædicamenti, consistit in modo speciali; *quo corpus sese accommodat vestibus, aut armis*: qui modus diuersus est ab aliis: quibus se accommodat loco, aut durationi: & ideo speciale constituit prædicamentum: quod *in Cõcreto*, dicitur *Habere, aut Habitus: abstractum verò*, nomen non habet; sed abstractum eius vocatur; ratio habitus, vel ratio habendi.

Quot, & quæ sunt genera, & species habere?

3. HAbere diuiditur; tãquam supremũ genus, in diuersos modos habendi; distinctos per diuersas res habitas; quibus diuersis modis se accommodat corpus: vt, *Habere vestes: aliud genus est: ac Habere arma*: & quodlibet horum, diuiditur in alias species; quales sunt, *Tunicatum esse, Loricatum esse*; & aliæ similes: & ex his generibus, & speciebus, vsque ad indiuidua; quæ sunt, Petrum, aut Ioannem, esse calceatum, tunicatum, aut loricatũ; constituitur ordinatio prædicamentalis.

Quot, & quæ sint proprietates huius prædicamenti?

PRima proprietas Habere est: *Quod magis & minus suscipiat*: nam eques, armatior est pedite: & magis calceatus dicitur; qui caligis simul, & calceamentis ornatus est; quàm qui solis calceamentis. *Secunda proprietas est*: *Non habere contrarium*. Nam esse calceatum, & loricatum; non sunt opposita. *Sed vtraque hæc proprietas, communis est aliis rebus*: circa quas notat bene D. Thom. opusc. 48. tractat. de sex vltimis prædicamentis. ca. 3. non esse inter se repugnantes: quia licèt suscipere magis, & minus, propriè sumptum; procedat ex maiori, vel minori admixtione contrarii: & ideo nihil possit ea suscipere; nisi contrarium habeat: tamen magis, & minus, non attribuuntur huic prędicamẽto propriè sumpta: sed impropriè: hoc est, secundum quandam extensionẽ: quia pluribus vestibus, aut armis; paucioribusue ornatur corpus: ideò bene hoc modo sumpta, magis, & minus: conuenire possunt huic prædicamento: licèt non habeat contrarium.

Vltima proprietas eius est Quod adiacentiam inter plura necessariò dicat; ita, vt vnum sit actu in alio: nisi enim vestes, aut 4.
arma sint in homine; non dicetur vestitus, vel armatus, nec habere illa, secundũ specialem significationem huius prædicamenti: (quamuis alio titulo possessionis

nis possit ea habere,) quod in alijs non est necessarium: nam corpus potest habere vbi, & situm; etiam si actu non circumscribatur loco: ideo hæc proprietas, videtur conuenire quarto modo, huic prædicamento.

QVÆST. VNICA.

An habere sit aliquid intrinsecum, & inhærens, vel in sola denominatione extrinseca consistat?

Circa hanc quæst. *reijcienda inprimis est opinio quorundam modernorum*, qui nihil intrinsecum inuenientes in eo quod est habere; dixerunt, non esse speciale prædicamentum. Sed hoc est contra communem consensum totius scholæ; quæ cum Arist. tenet decem esse prædicamenta: & habere, esse vnum ex eis, quod si excludatur; nouem erunt tantum. Et etiam contra rationem; qua probabitur specialem rationem, & prædicamentalem habere, licèt imperfectam, ac diminutam.

5. Hac ergo refutata sententia: *est alia modernorum*; qui in sola denominatione extrinseca, à vestibus, aut armis, consistere aiunt hoc prædicamentum; præter quam, nihil intrinsecum, vel inhærens dicit. *Probant primò.* Quia habere non est aliud; quam esse vestitum, vel armatum: ergo forma, à qua denominatur corpus; sunt vestes, vel arma: sed hæc non inhærent ei, sed extrinsecè adiacent, illud circundantes: ergo non dicit aliquid intrinsecum, vel inhærens; sed extrinsecam solum denominationem ab eis.

Secundò: Ex eo, quòd homo habeat vestes, vel arma; nullus modus realis, & intrinsecus potest ei aduenire; præter relationem propinquitatis, vel contactus ab illa: sed constat hunc respectum generalem esse, & ideo non pertinere ad hoc prædicamentum: ergo nihil speciale intrinsecum dicit; sed solam donominationem extrinsecam à vestibus, vel armis: cuius signum est; quod etiam si vestitus, vel armatus homo, vestibus, aut armis spolietur; nihil reale intrinsecum, aut sibi inhærens amittit: ergo neque aliquid sibi inhærens acquirit, dum induitur vestibus, aut armis; sed solum acquirit, & amittit extrinsecam denominationem ab eis: quare in hac sola consistit ratio formalis huius prædicamenti. *Hæc tamen opinio falsa probabitur quæst. sequenti*, vbi ostēdam, solam denominationem extrinsecam; non posse efficere prædicamentum speciale.

Nostra igitur sententia opposita est; nēpe habere, præter denominationem extrinsecam à vestibus, aut armis; modum aliquem formaliter inhærentem corpori continere: & hunc modum esse entitatem realem absolutam; includere tamen respectum secundum dici ad vestes, vel arma: ita vt ratio formalis huius prædicamenti, absoluto simul cum respectu constet. 6.

Sed quisnam sit modus istæ inhærens corpori; ex doctrina Arist. colligi debet: qui li. 5. Meta. c. 10. sic loquitur de hoc prædicamento. *Habitus autem dicitur, tanquam quidam habentis, & habiti actus; sicut actio quædam, aut motus: nā cùm hoc quidem efficit; illud verò fit, media est effectio: ita, & habentis vestem, & vestis habita, est medius habitus: hunc itaque habitum, quod non contingit habere manifestum est: ad infinita enim progrederetur; si habiti esset habitum habere* Quibus verbis duo expresse docet. *Primum*: quòd inter vestē, & hominem vestitum, aliquid est medium; sicut inter agens, & effectum, media est actio: & hoc medium, inter vestem, & hominem; vocat actum habendi, seu habitionem, (vt sic loqui liceat ad hæc explicanda.) Docet *secundò*; quòd hic actus

tio; quem Arist. docuit esse medium, inter vestes, & hominem: & nō habere per alium modum; sed seipso inesse homini, tanquam medio habendi vestes, & arma. *In hoc igitur modo absoluto; includente tamen respectum secundum dici ad vestes, & arma*; & extrinsecas etiam denominationes ab eis, *consistit ratio formalis huius prædicamenti*: quam extrinsecam vocant aliquando D. Tho. & alij antiquiores Interpretes; propter easdem denominationes extrinsecas, quas includit: non certè modum intrinsecum, & inhærentem excludere volentes.

Ad primum arg. alterius opinionis, Neganda est prima consequentia; quòd à solis vestibus, & armis denominâretur homo vestitus, & armatus: sed primo atque formaliter denominatur, ab actuali modo accommodationis, & coaptationis ei inhærente; deinde à vestibus, & armis denominatione extrinseca: in qua non consistit principaliter ratio huius prædicamenti; sed in alia denominatione formali.

Ad secundum, Negandum est primum antecedens; quòd nullus modus realis oriatur in homine; ex eo, quòd vestibus induatur: *oritur enim modus actualis accommodationis inhærens; vt explicatum est*: quem modum amittit, dum vestibus, & armis spoliatur: & alium de nouo acquirit; si iterum induatur. Ratione igitur huius modi formalis, & intrinseci; intrinsecum quoque, atque formalem concretum habet hoc prædicamentum.

QVÆSTIO GENERAlis pro omnibus sex vltimis prædicamentis.

An ratio formalis eorum consistat in aliquo intrinseco, & formaliter inhærente; vel in sola denominatione extrinseca?

PRiusquam probabiles sententias adducamus, excludenda est illa, tanquam improbabilis eorum; qui tenuerunt: *ex decem prædicamentis, sola quatuor prima; nempe substantiam, quantitatem, relationem, & qualitatem esse propriè prædicamenta*: reliqua verò sex; solum esse quasdam complicationes, seu aggregationes quorundam prædicatorum, minus imperfectorum: ex quibus, nec genera, neque species, sed nec prædicamētales ordinationes constitui possunt; nisi per quandam similitudinem, & analogiam, ad illa quatuor: & ideo inquiunt, Aristotelem paucissimis verbis, & perfunctoriè admodum, genera & species eorum distinxisse. *Hoc verò probabilitate prorsus caret*: cùm Aristoteles capite de incomplexis, absque distinctione enumerauit decem prædicamenta: & postea quatuor illis propositis; enumerauit actionem, & passionem cum reliquis: & suis locis, de singulis probatum sit, proprias rationes prædicamentales habere: genera etiam atque species; quamuis imperfectissima; & quorum non est adeò frequens vsus in scientijs: & ideò paucis verbis explicata sunt ab Aristotele. 10.

Hac igitur exclusa sententia falsa. *Prima opinio est Scoti*, in 3. d. 1. q. 1. in 4. d. 13. quæst. 1. & quodlib. 11. quæst. 4. quibus locis hanc distinctionem relationum excogitauit. Quædam sunt relationes, (inquit) *Intrinsecus aduenientes*: quæ posito fundamento, & extremis, necessariò insurgunt in eis; vt paternitas, & filiatio. Aliæ sunt. *Extrinsecus aduenientes*; quæ adhuc posito fundamento, & extremis; non necessariò insurgunt; & ideo non ex natura extremorum proueniunt; sed ab extrinseco: tales sunt relatio vnionis, inter materiam, & formam; & relatio inter locatum & locum: de quibus constat; 11.

 quòd

quòd existentibus extremis, nempe materia, & forma; vt dum separatur anima à corpore, atque etiam locatum a loco, eum deferens; non sequitur relatio vnionis, aut locationis inter illa: nisi rursus ab aliqua causa efficienti; & proinde extrinseca vniantur. Et in his relationibus extrinsecus aduenientibus, ait consistere rationes horum sex praedicamentorum. erit itaque secundum Scotum praedicamentum *Actionis*; relatio ad principium, seu causam efficientem; à qua procedit effectus: & *Passio*; relatio ad eandem; vt imprimentem effectum in passo. *Vbi*; relatio corporis ad locum, aut spatium loci. *Quando*, relatio rei ad propriam durationem. *Situs*; relatio corporis; secundum suas partes ad locum. Et, *Habere*; relatio eiusdem corporis ad vestes, vel arma: Distingui autem sufficienter haec sex praedicamenta ait.

12. *Probat Scotus hoc argumen.* Petrum esse in loco, vel habere vbi; non est Petrus ipse: nec locus eum circumdans; ergo cū sit aliquid; erit relatio eius ad locum dūtaxat. Probatur consequentia; quia cùm superficies continens Petrum, ei non inhaereat; nihil aliud acquirit, dum incipit esse in loco, praeter relationem ad locum: nec aliquid aliud amittit; dum recedit à loco, praeter eādem relationē: ergo, Vbi, nihil aliud praeter relationē erit. Sicque de caeteris quinque praedicamentis; quibus idem argumen. applicari potest. *Eandem ferè sententiam Scoti sequuntur*, Capreol. in 2.d.2. qu.1. & Soncinas 5. Meta.q.6. ad 4. nam licèt illam distinctionem relationum non admittant, asserūt tamen sex vltima praedicamenta, nō cōsistere in aliquo absoluto, nec in absoluto simul cum respectu; sed puros quosdam, & solus respectus includere.

Hac tamen opinio duo continet falsa. Nā primo falsum est; quòd dentur tales relationes, quas vocat Scotus extrinsecus aduenietes. *Secundo falsum est* etiam; quod si darentur; in eis solis posita esset ratio formalis horum praedicamentorum.

Probatur autem primò; quòd non dentur. Relationem extrinsecus aduenientem, vocat Scotus eam; quae posito fundamento, & extremis, nō sequitur, aut non consurgit: sed impossibile est; quòd positis extremis cum fundamento, non consurgat in eis relatio: ergo impossibiles sunt tales relationes. Probatur minor. quia extrema omnia relationis, sunt talia per fundamentum; siue ab extrinseco eis proueniat relatio: siue ab intrinseco: ergo repugnat poni fundamentum in eis; quin sequatur relatio. Gratia exempli: duo alba, sunt extrema similitudinis: per albedinem in vtroque positam: duo homines, extrema sunt paternitatis, & filiationis, per generationem actiuam, & passiuam: & ideo repugnat naturaliter; quòd posito fundamento, & extremis non sequatur in eis relatio. Quod in exemplis etiam Scoti, non est minus euidens: nam relatio vnionis, inter materiam, & formam; fundatur in actione; per quam ab agente vniuntur, (quam vocant vnitionem:) & relatio loci ad locatum; & locati ad locum; (si ex parte vtriusque realis est) fundatur in approximatione, seu commensuratione locati ad locum, aut circumscriptione loci ad locatum: sed naturaliter est impossibile; quod locatum sit approximatum; aut commensuratum loco, aut quòd locus circūscribat locatū; & non sequatur talis relatio: ergo impossibiles sunt tales relationis. 13.

Deceptio verò Scoti fit manifesta: quia in suis exemplis, solùm ponit extrema; & non fundamentum eorū: nempe materiam, & formam; nulla facta mentione vnitionis; quae fundamētum est: locatum quoque, & locum; sine circumscri- 14.

ptione

ptione, aut approximatione: quod est, ponere extrema nuda, aut materialiter accepta; non formaliter; vt sunt extrema relationis, quod habēt per fundamentū. quare non est mirum, si eis sic positis; non sequatur relatio: positis verò cum fundamento; impossibile est non sequi. Quod etiam reperitur in cæteris relationibus: nam licet ponas duos homines; nisi ponas vnum procedere ab alio per generationem; quæ est fundamentum relationis; nō sequitur in eis relatio paternitatis, & filiationis: hac verò posita, necessariò sequitur. & ecce patet, quo pacto friuola est, & sine fundamento, distinctio Scotica relationum.

15. *Item probatur secundum*; quòd etiamsi darentur tales relationes; non posset in eis solis consistere ratio formalis horum prædicamentorum. Et sumo ad id probādum, prædicamenta actionis, & passionis: argumentorque hoc modo; Actio, & passio, sunt idem motus; ita vt actio non sit aliud; quàm motus, vt procedit ab agēte; & passio motus; vt receptus in passo: sed motus; vt procedit ab agēte, dicit entitatem absolutam viç; preter respectum ad agens: & passio, eandem entitatem receptam; præter respectum ad passum: ergo de his duobus prædicamentis euidenter probatur; non posse consistere in solo respectu. Et eodem modo potest probari de alijs; quamuis in his duobus magis sit manifestum.

16. *Probatur secundo.* Quia si prædicamenta hæc, in solis, & puris relationibus cōsistunt; impossibile est distingui à prædicamento ad aliquid: ergo cum certum sit; & à Scoto concedatur, ab eo distingui; non possunt consistere in sola ralatione. Probatur antecedens, ex definitione prędicamenti ad aliquid. Relatiua prædicamenti ad aliquid sunt; quorum totum suum esse, est ad aliud referri: sed totum esse horum prædicamentorum, est referri ad aliud: ergo sunt relatiua illius prædicamenti. Probatur minor. quia si in sola, & pura relatione consistunt; cùm relatio nihil absolutum dicat; sed solùm esse rationem referēdi ad aliud: totum esse horum erit relatio; & ex consequenti, totum erit referri ad aliud.

Secunda opinio opposita est; asserens hæc vltima prædicamēta, in ratione purè absoluta consistere: non quidem intrinseca, aut inhærente; sed purè extrinseca: quē consequitur respectus ad extrinsecum; non tamen pertinens ad rationem formalem, aut essentialem eorum; sed quasi accidentalis: vt prædicamentum, vbi; non est aliud, quàm locus; vt denominans extrinsecè locatum: sicque de reliquis. Ita Herueus, quodlib. 1. qu. 9. Iauel. 5. Meta. quæst. vltima, Sotus quæst. vnica de sex vltimis prædicamentis, Fonseca 5. Met. cap. 15. q. 7. sect. 3. 17.

Probatur, A sufficienti partium eumeratione: nam hæc prædicamenta, non dicunt nudam relationem, vt probatum est contra Scotum: nec absolutam simul cum respectu: quia hoc est aggregatum per accidens, ex rebus diuersorum prædicamentorum. Nec etiam dicunt rationem purè absolutam, intrinsecam, seu inhærentem: quia Aristoteles, & cum ea tota schola, vocat ea prædicamenta adiacentia, atque extrinseca: & merito; cùm vbi, non sit aliud, quàm extrinsecè circumscribi loco: & vestitum esse; extrinsecè circumscribi vestibus: sicque de cæteris: ergo necesse est; rationem formalem eorum, absolutam, & omnino extrinsecam ponere.

Hæc etiam sententia falsa probatur duplici argumento Primo. Quia prædicamentū dicit ordinationē ex generibus, & speciebus constitutam: sed genera, & species non possunt constare, aut fieri ex sola denomina-

nominatione extrinseco; cum dicant naturam realem, & intrinsecam: ergo nec praedicamentum ex sola denominatione extrinseca constare potest. *Praeterea* Denominatio extrinseca, nihil ponit in re denominata: & ideo nouam denominationem extrinsecam, admittunt omnes in Deo; vt quòd sit creator in tempore: quam denominationem non habuit ab aeterno: ergo, si sola denominatio extrinseca sufficit constituere haec sex praedicamenta; Deus poterit in eis collocari, absque vlla sui imperfectione, aut limitatione: quod superius probauimus falsum.

Secundo. Quia de duobus saltem praedicamentis euidenter probatur; non cōsistere in sola denominatione extrinseca: nempe, de praedicamento passionis, & vbi: propria enim, & formalis ratio *passionis*, consistit in receptione motus, vel actionis in passio: ergo formaliter dicit rationem inhaerentem; & non solùm extrinsecam. *Vbi* etiam, est proprius terminus motus localis; ergo in eodem mobili debet recipi; in quo recipitur motus: sed motus formaliter inhaeret mobili; cū sit actus mobilis, prout mobile est; vt definit Aristoteles 3. lib. Physicorum in principio: ergo vbi etiam inhaerebit mobili; & non erit sola denominatio extrinseca.

18. *Vltima opinio*; quam tenent caeteri omnes interpretes Aristotelis; non solùm cap. praesenti; sed etiam 5. Metap. cap. 15. asserit rationem formalē horum praedicamentorum, in modo aliquo absoluto, & inhaerente in subiecto, cōsistere; simul includente respectum secundum dici ad aliquid extrinsecum, atque etiam extrinsecam denominationem ab eo: vt praedicamentum vbi: includere realem praesentiam in loco, aut spatio loci: & hanc praesentiam modum esse absolutum, in corpore inhaerentem, cum respectu secundum dici ad locum, aut spatium; & praeter hanc, includere etiam denominationem à loco ipso; si localis sit praesentia. *Haec est probabilior sententia, & tenenda.*

Probaturq́; ex refutatione aliarum opinionum, hoc modo. Haec praedicamenta, nō dicunt solum respectum, vt probauimus contra Scotum: nec solam denominationem extrinsecam: ergo dicunt aliquam rationem absolutam, & intrinsecam: quia respectus, in aliquo absoluto debet includi; vt non pertineat ad praedicamētum ad aliquid. Quòd verò absolutum 19. cum respectu, non sit vnum per accidens; probatū est in praedicamento ad aliquid: nam cum includatur respectus essentialiter in ratione absoluta; non concurrūt ad constituendū vnum per modum compositionis: & ideò non efficiunt vnum per accidens: sed absolutum, includens essentialiter respectum, vnum per se est: ad cuius praedicamētum pertinet respectus ipse; & non ad praedicamentum ad aliquid: quod, in potentijs, habitibus, & sciētijs, necessariò concedendū esse probauimus: nec respectus isti sunt trāscendentales; quia nec omnibus praedicamentis, nec pluribus sunt communes: sed ad solum praedicamentum absoluti; in quo includuntur, & cuius essentiam complent, reducuntur.

Ad argumentum Scoti: Neganda est consequentia. quòd, vbi, sit sola relatio ad locum: sed est realis praesentia in modo absoluto, & inhaerente locato consistens; atque includens respectum ad locum; vel denominationem extrinsecam ab eo.

Ad argumentum secundae opinionis, Neganda est secunda pars antecedētis; quòd 20. praedicamenta haec non dicant absolutum cum respectu: negandum est etiam; quòd tale absolutum cum respectu,

ctu, sit ens per accidens: quia cùm respectus ipse, non pertineat ad prædicamentum ad aliquid: nec concurrat simul cum absoluto, ad constituendum vnum tertium per modum compositionis; sed tanquam complementum essentiale eiusdē absoluti, in eo includatur; & ad idemmet prædicamentum reducatur, vnum per se est absolutum cum respectu: & vnam rationem prædicamentalem; licèt imperfectam constituere potest.

VLTIMA PARS LIBRI PRÆDICAMENTORVM, QVAM POSTPRÆDICAMENTA VOCANT.

CAPVT XI. DE OPPOSITIS.

TEXTVS ARISTOTELIS.

De oppositis autem, quot modis solent opponi, dicendum est.

Breuis expositio textus.

1. POst explicationem prædicamentorum; quædam proponit Aristot. declaranda: quæ sunt quasi modi quidā, aut rationes incompletæ, multis prædicamentis communes: quas à prædicamentis, propter vtramque rationem excludit; nempe propter *Transcendentem*, & *Incompletam*. Sunt autem quinque: *Oppositio, Prius, & posterius, Simul, Motus*, & diuersi modi *Habere*: ideo per quinque capita sequentia; vsque ad decimum quintum, explicationem eorum, & totum librum absoluit.

Intentum Aristotelis in hoc vndecimo capite est; explicare naturam *Oppositionis*, & *species eius*: *et in duas partes diuiditur. In prima.* Diuidit expositionem *in quatuor genera*: & explicat singula membra. *In secunda, Speciales cōditiones contrariæ oppositionis enumerat.* Oppositio, inquit Aristoteles, quadruplex est; *Relatiua, Contraria, Contradictoria, et Priuatiua.*

Relatiuè opposita dicuntur illa, quorum totum suum esse, est ordinari ad aliud, vt pater, & filius, simile, & aliud sibi simile opponuntur relatiuè. *Contrariè opposita*, ait esse illa; quæ cùm ad inuicem non ordinentur; sunt tamen sibi repugnantia: vt calor, & frigus. Sibi autem repugnare idem est; ac esse formas sibi repugnātes circa idem subiectum: & per hoc distinguuntur ab oppositis contradictoriè, & priuatiuè; per primam verò particulam à relatiuè oppositis.

Oppositio priuatiua, est eorum, quæ nata sunt fieri circa idem subiectum; vt cæcitas, & visus; aut cæcum, & videns: hoc est circa subiectū aptum habere vtrumq; vt cæcitas, & visus, circa oculum; non circa lapidem; in quo nulla est aptitudo ad visum: ideo homo dicitur propriè cæcus lapis verò solùm dicitur, non videns. 2.

Vltima oppositio, & maior, aut perfectior

respectu alterius: quia causa illius est; quamuis sit simul tempore cum eo: vt homo, dicitur prius, quàm risibile; quia est càusa eius: & vniuersaliter omnis causa prior est suo effectu hoc genere prioritatis. Ex his autem quinque modis, *secundus, tertius, & quintus; dicuntur prioritates naturæ:* omnes verò sunt prioritates reales; quibus addere possumus, prioritatē secundum rationem, qua illud dicitur prius altero; quod licèt non sit reipsa eo prius; bene tamen nostro modo intelligendi: vt in secundis intentionibus, & relationibus rationis, est manifestum. Omnia, quæ dicta sunt de modo prioris; intelliguntur de modo posterioris, secundum eundem proportionem.

CAPVT XIII

De modis simul.

TEX. ARISTOTELIS.

Simul autem dicuntur simpliciter quidem, & proprijssimè; quorum generatio in eodem est tempore.

Breuis expositio textus.

1. INtentum *Arist.* est explicare modos; quibus vnum dicitur simul cum altero: nec diuisione indiget cap. quia solùm in eo tradit Aristoteles, *tres modos simultatis: quorum Primus est:* quo aliqua dicuntur simul tempore; quæ simul generantur, vel fiunt in rerum natura.

Secundus modus est; quo aliqua dicuntur simul natura: & sunt ea; quæ dicuntur ad conuertentiam: & neutrum est causa alterius: vt pater; & filius: simile, & aliud sibi simile: & in vniuersum omnia relatiua, prædicamenti ad aliquid: quorum proprietatem esse diximus, ex mente Arist. quòd sint simul natura, & cognitione. Licèt enim *materialiter* sumpti, pater & filius; hoc est, vt generans, & genitus; ille sit prior natura: quia est causa: & iste posterior; quia effectus: tamen sub *formali* ratione relatiua patris, & filij, simul natura sunt.

Tertius modus simultatis, versatur inter differentias ex æquo diuidentes genus, & species per eas constitutas: ex æquo autē diuidere genus; est æquè proximè illud diuidere: vt rationale, & irrationale, dicuntur simul natura: non tamen rationale, & reptile; aut aquatile: quia rationale, & reptibile; non diuidunt æquè proximè animal: sed reptile, solū diuidit animal iam cōtractū, per irrationale: rationale verò immediatè. Ideo non sunt simul natura. Et quæ de differentijs dicimus; de speciebus quoque per eas constitutis; secundum eandem proportionem intelligendum est. 2.

CAPVT XIV.

De speciebus motus.

TEX. ARISTOTELIS.

Motus autem species sunt sex, *Generatio, Corruptio, Augmentum, Diminutio, Alteratio, & secundum locum Mutatio &c.*

Breuis expositio textus.

INtentum *Arist. est*, explicare naturam specierum motus. & diuiditur caput hoc in duas partes. *In prima enumerat sex species motus. In secunda, quot, & quæ sint contraria motui, & speciebus eius.* Sumit autem motum Arist. vniuersaliter; pro omni mutatione physica: quo pacto eum definiuit 3. lib, Physico. quod sit actus entis in potentia: secundum quod in potentia: nec vocat species motus eas; quas enumerat: quòd intelligat veras esse species, aut motum verum esse genus. Quia cum motus, & species e- 1.

 ius

atque etiam homo habere pecunias. Plures alios modos habendi enumerat Aristoteles 5. Metaphy. cap. 23. tex. 18. sed hos ait magis esse in vsu: & ideo pro dialecticorum vsu & captu sufficere. Et nos etiam sufficere dicimus hæc adnotasse, circa librum prædicamentorum; ad maiorem Dei gloriam, & studiosorum vtilitatem.

F I N I S.

COMMENTARIORVM IN VNIVERSAM ARIST. DIALECTICAM, VNA CVM DVBIIS, ET QVÆSTIONIBVS HAC TEMPESTATE AGITARI SOLITIS.

SECVNDA PARS.

CONTINENS LIBROS DE INTERPRETATIONE, DE PRIORI, ET POSTERIORI resolutione, lib. Topicorum, & Elenchorum.

Lib. I. Arist. περὶ Ἑρμηνείας; seu de Interpretatione.

PROEMIVM TOTIVS OPERIS.

OPVS hoc, *iam ad secundam operationem intellectus pertinet; quæ vocatur compositio, et diuisio*: & ideo inscribitur ab Aristot. περὶ Ἑρμηνείας; seu de interpretatione: quia ille solus dicitur aliquid interpretari; qui veritatem, aut falsitatem in aliquo contentam exponit: & ideo interpretatio, solùm de oratione continente veritatem, aut falsitatem (quæ est enũciatio) propriè dicitur: vt asserit bene D. Tho. lectione prima horum commentariorum: simplicia verò; vt nomẽ, & verbum; partes potius interpretationis vocantur: sic & quædã alia, quibus naturales affectus exprimuntur; vt suspiria, & gemitus, nimis impropriè dicũtur interpretationes. Vnde sequitur; idẽ esse, quod opus hoc de interpretatione appelletur; ac de enunciatione.

Quodnam sit obiectum huius operis?

EX inscriptione iam explicata, intelligitur; *Enunciationem esse obiectum adæquatum huius operis*; in quo conueniunt omnes interpretes Aristot. quia hæc est de qua principaliter agitur in eo: & cuius partes explicantur; quæ sunt, nomẽ, & verbum: hæc est etiam, cuius passiones probãtur; & in quam cætera, de quibus disputatur; tanquã in finem ordinantur: quę sunt proprię cõditiones obiecti.

Verum enunciatio duplex est: Vna *Simplex*; quem vocant *Categoricam*: & alia *Composita*, quæ appellatur *Hypotetica*: & ideo vel pro sola simplici; tanquam pro præcipua parte accipi potest; dum dicimus esse obiectum, aut in communi; prout abstrahit ab vtraque, & eas comprehendit: & *prima opinio tenet, Solã enunciationẽ simplicẽ esse obiectũ*; ita Boëtius,

Liber primus sex habet capita. Primum, quasi procœmium est totius operis; in quo Arist *proponit materiam, de qua acturus est. In secundo, agit de nomine. In tertio, de verbo. In quarto, de enunciatione. In quinto, de oppositione enunciationum. In vltimo, de particularibus enunciationibus*, (quas vocat de futuro contingenti) explicans modum, quo in eis reperiantur veritas, & falsitas.

CAPVT PRIMVM.
TEXTVS ARIST.

Primum oportet ponere quid sit nomen, & quid verbum, &c.

Breuis expositio textus.

INtentum Aristotel. in præsenti capite, est; explicare modum significandi cō-
3 ceptuum, vocum, & scripturarum. Diuiditur autē caput hoc in duas partes. *Prima, quasi procœmium est totius operis*; in quo proponit ea, de quibus acturus est. *In 2. agit, de conceptibus, vocibus, atque scripturis*, explicans modum significandi omnium.

Ea de quibus agendum est in hoc opere, sex esse ait; nempe, *Nomen, Verbum, Affirmatio, Negatio, Enunciatio, & Oratio*: & singula proprijs definitionibus explicanda esse.

In secunda parte, de conceptuum, vocum, atque scripturarum significatione agendum esse ait. Inter quæ, talis est ordo: vt à rebus ipsis, tanquam ab obiectis intellectus, imprimantur species intelligibiles; quibus informatus operatur: & per propriam operationem producit aliam speciem; quæ vocatur expressa, atq; etiam cōceptus, seu verbum mentis; repræsentans rem; vt actu, aut exprefsè intellectam: sed quia rem per conceptum repræsentatam, debet significari alijs. Ideo adinuentæ sunt voces, & scripturæ: vt per voces significentur præsentibus; per scripturas absentibus. Ex quo colligit Aristot. conceptus significare immediatè res: voces verò easdem res, medijs cōceptibus: scripturas tandem voces: quę omnia his verbis docet *Sunt ergo ea, quæ sunt in voce, earum; quæ sunt in anima passionum notæ: & ea quæ scribuntur, eorum quæ sunt in voce.* Per passiones animæ, conceptus intelligens secundùm omnes expositores: quia cum in eodem intellectu, à quo producūtur, recipiantur, & receptio sit quasi quædam passio; meritò dicuntur passiones: quarum voces notas esse ait; id est signa.

Itaque *Conceptus*, significant res. *Voces*, res, & conceptus. *Scripturæ* verò, voces immediatè, & remotè conceptus, & res. *Diuersa tamen ratione*: nam *conceptus*, inquit, significant *naturaliter*: *voces* verò, atque scripturæ: non nisi *ad placitum*. *Probat vtrumque hoc argumento*: Natura semper se habet eodem modo, apud omnes nationes: ergo quæ se habent eodem modo apud omnes, naturalia sunt; & quæ non sunt eadem apud omnes, non sunt naturalia; sed ex diuerso hominum placito variantur: at conceptus cuiuscunq; rei, est idem apud omnes: voces verò, atque scripturæ, sunt diuersæ apud diuersas nationes: ergo conceptus significant naturaliter: voces verò, & scripturæ ad placitum. Probatur minor: quia tā græci, quàm latini; eundem conceptum formant de homine: sed diuersis vocibus illum significant, pro diuersitate linguæ.

Porro in ordine ad veritatem, & falsitatem; *diuerso modo se habere, docet, conceptus, voces, atque scripturas; simplices, & compositas*: nam simplices, nihil verum, aut falsum continent: nisi eis addatur, est, vel non est: compositæ verò, cum eodem verbo: iam significant verum, & falsum: *Probat primum hac ratione*: quia si simplicia, aut incomplexa significarent per se verum, vel falsum; maximè id haberent nomina composita; vt centimanus: sed

qui hoc nomẽ proferret; nõ diceret verũ aliquid vel falsum; quia non mẽtiretur, nec veritatem diceret: nisi addat esse, vel non esse: ergo in vocibus, aut conceptibus simplicibus, nulla est veritas: quod verò compositæ cum verbo, est, aut non est; veritatem, aut falsitatem contineant: tanquam per se notum relinquit.

QVÆST. VNICA.

An voces significent conceptus, & res: atque scriptura voces ad placitum, conceptus verò naturaliter res.

4. CIrca hanc quæst. *quædam sunt apud omnes certa. Primum, quod conceptus significent res naturaliter*: propter rationem Arist. quia eiusdem rei eundem etiã conceptum omnes formant; si eãdem rationem eius concipiant; & diuersum, si diuersam: ergo conceptus semper sunt idem apud omnes: & ex consequenti naturaliter significant res. Probatur antecedens quia de ente eundem conceptum omnes formant; si entitatem solùm in eo considerent: & similiter si vniuocationem eius respectu substantiæ, & accidentis; vel etiam analogiam: nam licèt, qui putant esse vniuocum; diuersum conceptum eius forment, ab his qui putant esse analogum; hoc tamen ideo est; quia diuersam rationem in eo considerant, nempe vniuocationem, & analogiam. omnes nihilominus qui vniuocationem considerant; eundem cõceptum eius formant: & etiam qui considerant analogiam: & qui illam considerant, semper diuersum ab his qui considerant hanc: & ita intelligitur Arist. dũ ait, conceptus significare naturaliter res; quia sunt ijdem apud omnes; si eiusdem rei sint, vel eiusdem rationis formalis eius: si verò rei diuersæ, aut diuersæ rationis eiusdem rei; diuersi sunt conceptus. Ex quo etiam ostenditur conceptus naturaliter significare: quia non est minus naturale diuersum esse apud omnes, quod ex propria natura diuersum est; quàm esse idem, quod ex propria natura est idem.

Certum est secundò. Scripturam significare vocem ad placitum. quod probatur euidenter. quia ab hominibus inuentæ sunt: & diuersæ, ad significandas voces diuersas; ab eisdem pro libitu applicantur: ergo significant voces, ex libera hominum impositione.

Difficultas igitur quæst. consistit, in significatione vocum, & in modo significandi earum. In significatione quidem: An voces significent non solùm res; sed etiam conceptus, quos de eisdem rebus formamus. In modo etiam significandi; an significent res naturaliter, vel ad placitum.

Et est prima opinio quorundam modernorum; quæ asserit voces solùm significare res: conceptus verò non significare; sed exprimere, *Quod sic probant*. Illud significat vox, pro quo supponitur in propositione: sed voces non supponuntur pro conceptibus; sed pro rebus: ergo non significant conceptus; sed res. Probatur minor. *primò* ex Aristot. 1. lib. Elench. c. 1. vbi asserit *Quia non possumus res, de quibus disputamus, ad scholas adducere: vtimur vocibus loco rerum: sicut ludentes, vtuntur calculis pro pecunijs*: ergo intelligit Aristotel. pro solis rebus voces supponi *Prob. secundò*. quia in hac propositione, homo disputat; nõ supponitur vox homo, pro cõceptu hominis; sed pro homine ipso: de quo verificatur disputatio; & non de conceptu.

Iam quòd voces exprimant cõceptus, sic explicant: voces non solùm inuentæ sunt, vt pro rebus ponantur in propositione; sed etiam vt per eas conceptus nostros internos manifestemus alijs; quibus non possunt per se innotescere: ergo voces sunt quasi manifestatiuę, & declaratiuæ

næ conceptum: declarare autem, atque exprimere, idem sunt: & ideo licèt voces non significent conceptus eos tamen propriè dicuntur exprimere.

Secunda opinio tenet, voces non solas
5. res, sed etiam conceptus significare: ita D. Thom. expressè quæst. 8. de Potentia, art. 1. & 1. part. quæ. 27. art. 1. quem sequũtur omnes ferè interpretes Aristot. cap. præsenti, & Arist. ipse expresse id docet, his verbis. *Sunt ergo ea quæ sunt in voce; earum quæ sunt in anima passionum notæ, &c*, Per passionem animæ; conceptus ipsos intelligens; & non res conceptas; vt volunt moderni: quia passiones animæ, actus eius significant in ea manentes; qui sunt conceptus, non res intellectæ: res enim nihil sunt ipsius animæ, nec in ea manent; sed solum sunt obiecta actus eius, extra eam existẽtia: asserit autem esse notas eorum, id est signa; ergo sentit eos significare. *Et ita tenendum est.*

Sed vt eam explicemus, & probemus simul, *Notandum est; Signum quatuor diuisionibus diuidi.*

Prima diuisio est. Signum aliud est *Proprium*, aliud *Improprium. Signum propriũ*, duas habet conditiones *Primam*, vt faciat nos venire in cognitionem alicuius rei, à se distinctæ; quam dicitur significare. *Secundam*, vt à natura ipsa, vel hominum voluntate, ad talem rem significandam sit institutum: vtramque conditionem habent suspiria, & gemitus: & ideo propria signa naturalia sunt alicuius affectus interni. Cæterum defectu primæ conditionis, voces nullam rem extra se significantes; non sunt propria signa; sed nimis impropria: vt blictri, & similes. Defectu vero secundæ, risus non est signum rationalitatis; licèt per eum cognoscatur à nobis: quia non est à natura institutus ad significandam rationalitatem; licèt per eum possit à nobis demonstratiuè cognosci.

Secunda diuisione diuiditur signum proprium, relicto improprio. In signum *Naturale, ad placitum, & Ex consuetudine. Naturale est*, quod à natura institutum est, ad rem aliquam significandam; vt gemitus. *Ad placitum*: quod ex voluntate hominum; vt homo ad significandum hominẽ. *Ex consuetudine verò*; quòd consuetudo fecit; vt per vnam rem intelligamus aliam; ad quam significandam communiter ordinatur; vt mappæ oppositæ, signa sunt prandij.

Tertia diuisio signi est; In Internum, & Externum Internum est, quod intra animam nostram permanet; vt conceptus: externum verò, quod per externos sensus; vt visum, & auditum percipitur: & talia sunt signa, voces, & scripturæ: hoc tantum signum descripsit D. August. 2. li. de doctrina Christ. capit. 1. his verbis: *Signum est res, quæ præter speciem quam ingerit sensibus, alterius rei à se facit in cognitionem venire.*

Quarta diuisio signi est. Signum aliud est. *Manifestatiuum tantùm*; aliud *Manifestatiuum simul, & Suppositiuum. Manifestatiuum tantùm est illud*, quod rẽ aliquam à se distinctam significat, aut repræsentat; pro qua non substituitur, vel supponitur in propositione: vt sonus campanæ, signum lectionis futuræ est; sed non ponitur pro ea in propositione. *Manifestatiuum verò, & suppositiuum simul est*; quòd non solũ rem significat; sed pro ea ponitur: vt hæc vox homo, ponitur in propositione pro homine, quem significat.

Secundò notandum: Significatum duplex esse posse, Quo, & Quod. Significatum, Quod; dicitur res illa ad quam significandam ordinatur signum. *Significatum, Quo*, dicitur medium, quo eam significat. 6.
Præterea, *Significatum*, aliud est *Proximum*, aliud *Remotũ; & quasi vltimatum.* Et

iuxta hanc doctrinam, intelligẽdum est; quo pacto voces significent res, & conceptus. Nam conceptus significant immediatè quidem; non vt quod; sed solum vt quo: quia medijs conceptibus, quos de rebus formamus; significamus eas per voces: res verò significāt etiam immediatè vt quod; sed quasi remotè, & vltimatè, cōparatas ad significatum, quo; nempe conceptus. Prætcrea, *Voces sunt signa conceptuum significatiua tantùm; non suppositiua, rerum verò significatiua simul, & suppositiua*: quia pro eis, & non pro conceptibus supponuntur in propositione.

His suppositis. Opinio Arist. D. Th. & nostra duabus conclusionibus explicatur. Prima est. Voces significant conceptus immediatè, & vt quo: & ideo minus principaliter: res verò immediatè quidem, vt Quod: & ideo principaliter: sed respectu conceptuum; quasi remotè, & vltimatè: & tam conceptus; quàm res ad placitum. Probatur prima pars hoc argumēto. Plures voces impositę sunt ad significandas naturas vniuersales; vt homo, & animal: sed res non sunt vniuersales: vt sunt ad extra; sed vt per conceptus cōmunes à nobis abstractæ, atque cognitæ: ergo non significantur per voces; nisi medijs conceptibus communibus, quos de eis formamus. Et ex consequenti, conceptus significant immediatè, vt quo: & ideo minus principaliter: & ipsis medijs res vltimatè, & principaliter. Probatur hæc vltima consequentia. quia conceptus non sunt nisi media quædam; quibus significantur res, ad quas significandas ordinantur.

Secunda verò pars; quòd voces significant res, & conceptus ad placitum, euidens est: quia non habẽt significationem à natura; sed soni quidam sunt; nihil præter se, & prolatorem impropriè significātes: ab hominibus verò ordinatæ sunt, ad significandum res alias, medijs conceptibus: ergo significant ad placitũ. quod colligitur ex verbis Scripturæ sacræ, Gen. 2. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam: vt videret, quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius.*

Quod autem de vocibus dicimus, solùm est intelligendum de his, quæ *Dearticulatæ sunt.* Hoc est, lingua, dentibus, & palato formatæ: his enim tantùm vtuntur homines ad significandum cōceptus, & res: & ideo dicuntur significare ad placitum. *Inarticulata verò*; quales sunt voces brutorum, gemitus etiam, & suspiria nostra; naturaliter significāt aliquem affectum internum; nisi fortè eum explicemus dearticulata voce: nam tunc iam per eam significaretur ad placitum: quia diuersæ nationes, diuersis aliquando dearticulatis vocibus, in hunc finem significandi affectum internum vtuntur.

Ad arg. alterius Opinionis, Distinguẽda est maior. nam signum significatiuum tātùm, & non suppositiuum; non significat id, pro quo supponitur; sed id pro quo nō supponitur: signum verò significatiuum, & suppositiuum simul; id tantùm significat, pro quo supponitur. Et ideo non est vniuersaliter verum; quòd voces illud tantùm significent, pro quo supponũtur: quia licèt respectu rerum, sint signa significatiua, & suppositiua simul; tamẽ respectu conceptuum, solùm sunt significatiua: vnde possunt eos significare; quāuis non supponantur pro eis in propositione. Et in hoc sensu intelligitur testimonium Aristotelis, qui de vocibus; vt sunt signa significatiua simul, & suppositiua rerum, loquitur: hoc tamen non tollit: quin etiam possint significare conceptus, vt media, licèt pro eis non supponantur.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM de Nomine.

TEX. ARISTOTELIS.

Nomen igitur est vox significatiua secundum placitum, sine tempore; cuius nulla pars significatiua est separata.

Breuis expositio textus.

INtentum huius capitis est, explicare naturam nominis; de quo agit Arist. tanquam de parte actuali enunciationis; & priusquam de verbo, tãquam de simpliciori: nam verbum non solùm rem aliquam significat; sed etiam actionem cum tempore; nomen verò solam rem: vel quia nomen est quasi materia propositionis; & ideo primum eius fundamentum: verbum verò quasi forma. Caput autem hoc non eget diuisione: quia nihil aliud in eo facit Arist. quam definitionem nominis assignare, & singulas eius particulas explicare.

Definitio nominis ita habet. *Nomen est vox significatiua secundum placitum, sine tempore; cuius nulla pars significatiua est separata.* Vox ponitur in hac definitione loco generis; & accipitur pro sola dearticulata humanis instrumentis prolata; nempe, lingua, dentibus, palato, ac cæteris. Quam sic definiuit idem Arist. 2. lib. de anima, textu. 90. *Vox est sonus, ab animalis ore prolatus, cum imaginatione quadam.* Vnde per vocem, excluduntur soni inarticulati brutorum, atque etiam soni instrumentorum; qui alio modo satis imperfecto dicuntur voces. *Significatiua* etiam vocatur; vt excludantur voces humanæ dearticulatæ; nihil tamen significantes; vt blictri. *Secundum placitum*; vt excludantur signa omnia naturalia. *Sine tempore*; vt excludatur verbũ, quod cum tempore significat. Quid sit autem significare sine tempore, constabit cap. sequenti; in quo explicatur, quid sit cum tempore significare. *Cuius nulla pars significatiua est separata*; ad differentiam orationis, cuius partes per se separatæ significant: vt partes huius orationis; homo albus. Probat tandem hãc particulam hoc argum. Si partes alicuius nominis separatæ significarẽt; maximè partes nominis compositi; vt partes huius nominis, Equiferus: sed partes eius separatæ, nihil significant: ergo nec partes separatæ alicuius nominis significabunt. maior euidens est; quia cum nomen compositum sæpe contineat plura nomina simplicia, tanquam partes; maior ratio erat in eo, vt partes eius separatæ significarent; quam in nomine simplici, cuius partes non nisi syllabæ, & literæ sunt. Minorem verò probat. quia partes huius nominis, equiferus, ab eo separatæ; si tanquam partes eius accipiantur, nullam significationem retinent: cùm equiferus, non significet equum ferocem; sed aliud animal ab eo diuersum. A ratione tandem nominis, excludit nomina infinita; vt non homo, non leo: quia non habent determinatam significationem; sed de omnibus dicuntur; præterquam de re significata per nomen, supra quod cadit negatio: vt, Non homo; de omnibus dicitur, præter hominem. Verùm autem nomen, aliquid determinatum significare debet. Excludit etiam casus obliquos; vt hominis, & hominem: quia non tam nomina; quam deriuationes quædam à nomine ipso recto, censentur.

QVÆSTIO I.

An benè definiatur nomen per vocem?

RAtio dubitandi est; quia nomen, & verbum, sunt partes propositionis: sed in mente & scriptura sunt propositiones; non minus quam in vocibus: ergo erunt etiam nomina, & verba: si igitur per vocem definiatur nomen, diminuta erit definitio, non comprehendens omnia nomina.

Circa modum intelligendi hanc definitionem, *est prima opinio* Louaniensium ea. præsenti; quia asserunt accommodari posse nominibus mentalibus, & scriptis paucis mutatis. *Mentalibus*, quidem, mutatis duabus particulis; nempe, vox, & secundum placitum. *Scriptis* verò, mutata sola voce: & ideo non esse diminutam; quia licèt non comprehendat omnia nomina vt iacet; potest tamen omnia comprehendere, per accommodationem.

Hæc tamen opinio sustineri non potest: quia cum definitio sit quasi indiuisibilis terminis definiti, sub qua tota eius essentia contineri debet; mutata qualibet particula, vel addita, mutatur tota definitio: ergo si hæc definitio non potest conuenire omnibus nominibus; nisi detractis aliquibus particulis: sequitur non posse eis conuenire; sed diminutam esse. Probatur consequentia. quia detractis illis particulis, non est eadem definitio; sed alia: ergo repugnat hanc definitionem conuenire omnibus nominibus: vnde diminuta censebitur, si solùm potest conuenire cum detractatione illarum particularum.

Nostra igitur sententia est, Vera nomina solùm in vocibus reperiri simpliciter; in mente verò, solùm conceptus rerum significatarum per nomina, qui potius dicuntur termini mentales, ex quibus propositio mentalis componitur. In scripturis verò solùm reperiuntur nomina per deriuationem à vocibus; quarum quasi supplementa sunt, vt cũ absentibus agere possimus. Vnde sequitur bene definitum esse nomen ab Aristot. per vocem.

Probatur testimonio Arist. c. 1. Antepræ-dicamentorum; vbi definiens æquiuoca, ait: ea esse, quorum nomen cõmune est, ratio verò substantiæ nomini accõmodata, diuersa. *Per rationem verò substãtiæ*, secundum cõmunem expositionem omnium, conceptus intelligitur: ergo sentit Arist. nomen à conceptu distingui: & ideo conceptum non esse nomen; sed in solis vocibus nomina reperiri. Probatur consequentia. quia vbi nomen est commune, conceptum asserit esse diuersum.

Probatur etiam ratione. Quia antequam nomina imponeret rebus Adam, innominatę censebantur; etiam si haberet proprios conceptus earum: & cum primũ nomina eis imposuit, dixit Deus *Omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius.* Quasi diceret; tunc primò cœpisse nomina. Et nos etiam dũ non habemus vocem propriam, ad aliquam rem significandam impositam; dicimus talẽ rem innominatã esse: quamuis proprium eius conceptum in mente habeamus. Ex quibus sequitur, in mente non esse nomina; sed conceptus, qui dicuntur termini mentales; ex quibus cõponitur propositio mentalis: & rationem termini vniuersaliorem esse nomine & verbo; ex quibus sola propositio vocalis propriè ac simpliciter componitur: in scriptura verò, solùm per quandam analogiam ad vocem per eam significatam, reperiuntur nomina, & verba: sunt enim scripturæ quasi nomina, & verba depicta. *Non est igitur necessarium particulas detrahere à definitione Arist. vt conceptibus, & scripturis accommodetur.* quia nec eis potest propriè conuenire: & ideò bene definiuit nomen per vocem.

Ad arg. pro ratione dubitandi propositum, Con-

Concessa maiori, & minori; neganda est consequentia: quia propositio in communi, non componitur ex nomine, & verbo, sed ex terminis: quorum ratio vniuersalior est: sola autem propositio vocalis, ex nomine, & verbo componitur. Vnde non sequitur, vera nomina, & verba reperiri, vbicunq; reperitur propositio; sed solùm quòd reperiantur termini, ex quibus cõponatur: qui in mentali, sunt conceptus extremorum, & copulæ; in scripta verò nomina, & verba depicta: & ideò non talia simpliciter sed secundum quid.

QVAESTIO II.

An nomen definiatur per vocem; tanquam per verum genus?

DVobus modis potest considerari vox. *Primo*, *Materialiter*, prout solum dicit sonum dearticulatam humanis instrumentis. *Secundo*, *Formaliter*; prout significatiua: ex quo habet, quòd sit nomẽ, aut verbum: & primo modo considerata, habet se, tanquam subiectum eiusdẽ significationis, commune ad nomen, & verbum: sicut lignum, commune subiectum est; respectu cathedræ, & portæ, potens suscipere formam artificialem vtriusque: si verò consideretur, vt significatiua; verum genus est ad nomen, & verbũ. *Quæstio igitur est*; An nomen definiatur per eam materialiter sumptam, tanquam per subiectũ: sicut statua definitur per lignum: vel potius, sumptam formaliter, prout significatiuam; tanquã per verum genus: ita vt vox significatiua, genus sit huius definitionis, & reliquæ particulæ, sint differentiæ?

Et prima opinio tenet. Nomen non definiri per vocem, tanquam per subiectũ; sed per vocem significatiuam, tanquam per verum genus nomini, & verbo commune: ita Niphus, Lemosius, & Psellus, cap. præsenti: & probatur. Quia res quælibet, per definitionem quidditatiuam definienda est; si fieri potest; cùm iste sit optimus definiendi modus: sed posita voce significatiua, pro vero genere; erit quidditatiua definitio nominis: posita verò sola voce pro subiecto; nõ erit quid ditatiua: cùm subiectũ non sit genus accidentis; sed extra quidditatẽ eius: ergo primo modo intelligi debet definitum nomen ab Arist. potius quàm secundo.

Secunda opinio est D. *Tho*. & Amonij, cap. præsenti: quòd non definiatur nomẽ ab Arist. per vocem significatiuam, tanquam per verum genus; sed per solam vocem, tanquam per subiectũ, loco generis positum: & hęc est probabilior; cuius potissimum fundamentum colligitur ex Arist. 8. lib. Meta. textu 6. vbi proprium modum definiẽdi artificialia, ait, esse per subiectum loco generis; & per formam artificialem, loco differẽtiæ; vt si domum definire velis; dices, esse lapides, & ligna, ita composita. Et D. Tho. in opus. de ente, & essentia, cap. 7. non solũ artificialia, sed etiam accidentia omnia, melius definiri ait per subiectum loco generis, quàm per verum genus. Et ratio huius est manifesta. quia essentia accidentis, & modus essendi eius, sumuntur per ordinẽ ad subiectum: ergo vtrumq; fit magis notum per subiectum: & cùm definitio eo fine tradatur: vt per eam cognoscamus naturã definiti; melior modus definiendi accidentia erit per subiectum, pro genere positum; quàm per verum genus, quod per idem subiectum innotescit. Sed nomen, & verbum, sunt accidentia quædam artificialia, ab intellectu facta, & in concreto significata: ergo melius per vocẽ, tanquam per subiectũ definiẽda sunt; quàm per vocem significatiuam, tanquam per verum genus: & sic censendum est ab Arist. esse definita.

Ratio dubitandi eſt; quia nomen, & verbum, ſunt partes propoſitionis: ſed in mente & ſcriptura ſunt propoſitiones; non minus quam in vocibus: ergo erunt etiam nomina, & verba: ſi igitur per vocem definiatur nomen, diminuta erit definitio, non comprehendens omnia nomina.

Circa modum intelligendi hanc definitionem, *eſt prima opinio* Louanienſium ca. præſenti; quia aſſerunt accommodari poſſe nominibus mentalibus, & ſcriptis paucis mutatis. *Mentalibus*, quidem, mutatis duabus particulis; nempe, vox, & ſecundum placitum. *Scriptis* verò, mutata ſola voce: & ideo non eſſe diminutam; quia licèt non comprehendat omnia nomina vt iacet; poteſt tamen omnia comprehendere, per accommodationem.

Hæc tamen opinio ſuſtineri non poteſt: quia cum definitio ſit quaſi indiuiſibilis terminis definiti, ſub qua tota eius eſſentia contineri debet; mutata qualibet particula, vel addita, mutatur tota definitio: ergo ſi hæc definitio non poteſt conuenire omnibus nominibus; niſi detractis aliquibus particulis: ſequitur non poſſe eis conuenire; ſed diminutam eſſe. Probatur conſequentia. quia detractis illis particulis, non eſt eadem definitio; ſed alia: ergo repugnat hanc definitionem conuenire omnibus nominibus: vnde diminuta cenſebitur, ſi ſolùm poteſt conuenire cum detractatione illarum particularum.

Noſtra igitur ſententia eſt, Vera nomina ſolùm in vocibus reperiri ſimpliciter; in mente verò, ſolùm conceptus rerum ſignificatarum per nomina, qui potius dicuntur termini mentales, ex quibus propoſitio mentalis componitur. In ſcripturis verò ſolùm reperiuntur nomina per deriuationem à vocibus; quarum quaſi ſupplementa ſunt, vt cũ abſentibus agere poßimus. Vnde ſequitur bene definitum eſſe nomen ab Ariſtot. per vocem.

Probatur teſtimonio Ariſt. c. 1. Anteprædicamentorum; vbi definiens æquiuoca, ait: ea eſſe, quorum nomen cõmune eſt, ratio verò ſubſtantiæ nomini accõmodata, diuerſa. *Per rationem verò ſubſtãtiæ*, ſecundum cõmunem expoſitionem omnium, conceptus intelligitur: ergo ſentit Ariſt. nomen à conceptu diſtingui: & ideo conceptum non eſſe nomen; ſed in ſolis vocibus nomina reperiri. Probatur conſequentia. quia vbi nomen eſt commune, conceptum aſſerit eſſe diuerſum.

Probatur etiam ratione. Quia antequam nomina imponeret rebus Adam, innominatæ cenſebantur; etiam ſi haberet proprios conceptus earum: & cum primũ nomina eis impoſuit, dixit Deus: *Omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.* Quaſi diceret; tunc primò cœpiſſe nomina. Et nos etiam dũ non habemus vocem propriam, ad aliquam rem ſignificandam impoſitam; dicimus talẽ rem innominatã eſſe: quamuis proprium eius conceptum in mente habeamus. Ex quibus ſequitur, in mente non eſſe nomina; ſed conceptus, qui dicuntur termini mentales; ex quibus cõponitur propoſitio mentalis: & rationem termini vniuerſaliorem eſſe nomine & verbo; ex quibus ſola propoſitio vocalis propriè ac ſimpliciter componitur: in ſcriptura verò, ſolùm per quandam analogiam ad vocem per eam ſignificatam, reperiuntur nomina, & verba: ſunt enim ſcripturæ quaſi nomina, & verba depicta. *Non eſt igitur neceſſarium particulas detrahere à definitione Ariſt. vt conceptibus, & ſcripturis accommodetur.* quia nec eis poteſt propriè conuenire: & ideò bene definiuit nomen per vocem.

Ad arg. pro ratione dubitandi propoſitum,

Con-

Concessa maiori,& minori;neganda est consequentia : quia propositio in communi, non componitur ex nomine, & verbo, sed ex terminis: quorum ratio vniuersalior est: sola autem propositio vocalis,ex nomine, & verbo componitur. Vnde non sequitur,vera nomina, & verba reperiri, vbicunq; reperitur propositio;sed solùm quòd reperiantur termini,ex quibus cõponatur: qui in mentali,sunt conceptus extremorum,& copulæ; in scripta verò nomina, & verba depicta: & ideò non talia simpliciter sed secundum quid.

QVAESTIO II.

An nomen definiatur per vocem; tanquam per verum genus?

D*Vobus modis potest considerari vox. Primo, Materialiter*, prout solum dicit sonum dearticulatam humanis instrumentis. *Secundo,Formaliter*; prout significatiua:ex quo habet,quòd sit nomẽ, aut verbum: & primo modo considerata,habet se, tanquam subiectum eiusdẽ significationis,commune ad nomen, & verbum:sicut lignum, commune subiectum est; respectu cathedræ, & portæ, potens suscipere formam artificialem vtriusque:si verò consideretur, vt significatiua; verum genus est ad nomen, & verbũ. *Quæstio igitur est*; An nomen definiatur per eam materialiter sumptam, tanquam per subiectũ: sicut statua definitur per lignum: vel potius, sumptam formaliter,prout significatiuam;tanquã per verum genus: ita vt vox significatiua,genus sit huius definitionis, & reliquæ particulæ,sint differentiæ?

Et prima opinio tenet. Nomen non definiri per vocem, tanquam per subiectũ; sed per vocem significatiuam, tanquam per verum genus nomini,& verbo commune: ita Niphus, Lemosius,& Psellus, cap. præsenti: & probatur. Quia res quælibet, per definitionem quidditatiuam definienda est; si fieri potest; cùm iste sit optimus definiendi modus: sed posita voce significatiua, pro vero genere; erit quidditatiua definitio nominis: posita verò sola voce pro subiecto;nõ erit quidditatiua: cùm subiectũ non sit genus accidentis;sed extra quidditatẽ eius: ergo primo modo intelligi debet definitum nomen ab Arist.potius quàm secundo.

Secunda opinio est D. Tho. & Amonij, cap.præsenti:quòd non definiatur nomẽ ab Arist. per vocem significatiuam, tanquam per verum genus; sed per solam vocem,tanquam per subiectũ, loco generis positum:& hęc est probabilior;cuius potissimum fundamentum colligitur ex Arist.8. lib. Meta.textu 6. vbi proprium modum definiẽdi artificialia, ait, esse per subiectum loco generis; & per formam artificialem,loco differẽtiæ; vt si domum definire velis;dices, esse lapides,& ligna,ita composita.Et D. Tho. in opus.de ente,& essentia,cap.7. non solũ artificialia,sed etiam accidentia omnia, melius definiri ait per subiectum loco generis, quàm per verum genus.Et ratio huius est manifesta. quia essentia accidentis,& modus essendi eius, sumuntur per ordinẽ ad subiectum: ergo vtrumq; fit magis notum per subiectum: & cùm definitio eo fine tradatur:vt per eam cognoscamus naturã definiti; melior modus definiendi accidentia erit per subiectum,pro genere positum; quàm per verum genus,quod per idem subiectum innotescit.Sed nomen,& verbum,sunt accidentia quædam artificialia,ab intellectu facta,& in concreto significata: ergo melius per vocẽ, tanquam per subiectũ definiẽda sunt; quàm per vocem significatiuam, tanquam per verum genus: & sic censendum est ab Arist. esse definita.

iuxta hanc doctrinam, intelligẽdum est; quo pacto voces significent res, & conceptus. Nam conceptus significant immediatè quidem; non vt quod; sed solum vt quo: quia medijs conceptibus, quos de rebus formamus; significamus eas per voces: res verò significāt etiam immediatè vt quod; sed quasi remotè, & vltimatè, cōparatas ad significatum, quo; nempe conceptus. Præterea, *Voces sunt signa conceptuum significatiua tantùm; non suppositiua: rerum verò significatiua simul, & suppositiua*: quia pro eis, & non pro conceptibus supponuntur in propositione.

His suppositis. Opinio Arist. D. Th. & nostra duabus conclusionibus explicatur. Prima est. Voces significant conceptus immediatè, & vt quo: & ideo minus principaliter: res verò immediatè quidem, vt Quod & ideo principaliter: sed respectu conceptuum; quasi remotè, & vltimatè: & tam conceptus; quàm res ad placitum. Probatur prima pars hoc argumēto. Plures voces impositę sunt ad significandas naturas vniuersales; vt homo, & animal: sed res non sunt vniuersales: vt sunt ad extra; sed vt per conceptus cōmunes à nobis abstractæ, atque cognitæ: ergo non significantur per voces; nisi medijs conceptibus communibus, quos de eis formamus. Et ex consequenti, conceptus significant immediatè, vt quo: & ideo minus principaliter: & ipsis medijs res vltimatè, & principaliter. Probatur hæc vltima consequentia. quia conceptus non sunt nisi media quædam; quibus significantur res, ad quas significandas ordinantur.

Secunda verò pars; quòd voces significant res, & conceptus ad placitum; euidens est: quia non habēt significationem à natura; sed soni quidam sunt; nihil præter se, & prolatorem impropriè significātes: ab hominibus verò ordinatæ sunt, ad significandum res alias, medijs conceptibus: ergo significant ad placitū. quod colligitur ex verbis Scripturæ sacræ, Gen. 2. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam: vt videret, quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius.*

Quod autem de vocibus dicimus, solùm est intelligendum de his, quæ *Dearticulatæ sunt*. Hoc est, lingua, dentibus, & palato formatæ: his enim tantùm vtuntur homines ad significandum cōceptus, & res: & ideo dicuntur significare ad placitum. *Inarticulatæ verò*; quales sunt voces brutorum, gemitus etiam, & suspiria nostra; naturaliter significāt aliquem affectum internum; nisi fortè eum explicemus dearticulata voce: nam tunc iam per eam significaretur ad placitum: quia diuersæ nationes, diuersis aliquando dearticulatis vocibus, in hunc finem significandi affectum internum vtuntur.

Ad arg. alterius Opinionis, Distinguēda est maior. nam signum significatiuum tātùm, & non suppositiuum; non significat id, pro quo supponitur; sed id pro quo nō supponitur: signum verò significatiuum, & suppositiuum simul; id tantùm significat, pro quo supponitur. Et ideo non est vniuersaliter verum; quòd voces illud tantùm significent, pro quo supponūtur: quia licèt respectu rerum, sint signa significatiua, & suppositiua simul; tamē respectu conceptuum, solùm sunt significatiua: vnde possunt eos significare; quāuis non supponantur pro eis in propositione. Et in hoc sensu intelligitur testimonium Aristotelis, qui de vocibus; vt sunt signa significatiua simul, & suppositiua rerum, loquitur: hoc tamen non tollit: quin etiam possint significare conceptus, vt media, licèt pro eis non supponantur.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM de Nomine.

TEX. ARISTOTELIS.

Nomen igitur est vox significatiua secundum placitum, sine tempore; cuius nulla pars significatiua est separata.

Breuis expositio textus.

INtentum huius capitis est, explicare naturam nominis; de quo agit Arist. tanquam de parte actuali enunciationis; & priusquam de verbo, tãquam de simpliciori: nam verbum non solùm rem aliquam significat; sed etiam actionem cum tempore; nomen verò solam rem: vel quia nomen est quasi materia propositionis; & ideo primum eius fundamentum: verbum verò quasi forma. Caput autem hoc non eget diuisione: quia nihil aliud in eo facit Arist. quam definitionem nominis assignare, & singulas eius particulas explicare.

Definitio nominis ita habet. *Nomen est vox significatiua secundum placitum, sine tempore; cuius nulla pars significatiua est separata.* Vox ponitur in hac definitione loco generis; & accipitur pro sola dearticulata humanis instrumentis prolata; nempe, lingua, dentibus, palato, ac cæteris. Quam sic definiuit idem Arist. 2. lib. de anima, textu. 90. *Vox est sonus, ab animalis ore prolatus, cum imaginatione quadam.* Vnde per vocem, excluduntur soni inarticulati brutorum, atque etiam soni instrumentorum; qui alio modo satis imperfecto dicuntur voces. *Significatiua* etiam vocatur; vt excludantur voces humanæ dearticulatæ; nihil tamen significantes; vt blictri. *Secundum placitum*; vt excludantur signa omnia naturalia. *Sine tempore*; vt excludatur verbũ, quod cum tempore significat. Quid sit autem significare sine tempore, constabit cap. sequenti; in quo explicatur, quid sit cum tempore significare. *Cuius nulla pars significatiua est separata*; ad differentiam orationis, cuius partes per se separatæ significant: vt partes huius orationis; homo albus. Probat tandem hãc particulam hoc argum. Si partes alicuius nominis separatæ significarẽt; maximè partes nominis compositi; vt partes huius nominis, Equiferus: sed partes eius separatæ, nihil significant: ergo nec partes separatæ alicuius nominis significabunt. maior euidens est; quia cum nomen compositum sæpe contineat plura nomina simplicia, tanquam partes; maior ratio erat in eo, vt partes eius separatæ significarent; quam in nomine simplici, cuius partes non nisi syllabæ, & literæ sunt. Minorem verò probat. quia partes huius nominis, equiferus, ab eo separatæ; si tanquam partes eius accipiantur, nullam significationem retinent: cùm equiferus, non significet equum ferocem; sed aliud animal ab eo diuersum. A ratione tandem nominis, excludit nomina infinita; vt non homo, non leo: quia non habent determinatam significationem; sed de omnibus dicuntur; præterquam de re significata per nomen, supra quod cadit negatio: vt, Non homo; de omnibus dicitur, præter hominem. Verùm autem nomen, aliquid determinatum significare debet. Excludit etiam casus obliquos; vt hominis, & hominem: quia non tam nomina; quam deriuationes quædam à nomine ipso recto, censentur.

QVÆSTIO I.

An benè definiatur nomen per vocem?

Concessa maiori,& minori;neganda est consequentia: quia propositio in communi, non componitur ex nomine, & verbo, sed ex terminis: quorum ratio vniuersalior est: sola autem propositio vocalis,ex nomine, & verbo componitur. Vnde non sequitur,vera nomina, & verba reperiri, vbicunq; reperitur propositio;sed solùm quòd reperiantur termini,ex quibus cóponatur: qui in mentali,sunt conceptus extremorum,& copulæ; in scripta verò nomina, & verba depicta: & ideò non talia simpliciter sed secundum quid.

QVAESTIO II.

An nomen definiatur per vocem; tanquam per verum genus?

D*Vobus modis potest considerari vox. Primo, Materialiter*, prout solum dicit sonum dearticulatam humanis instrumentis. *Secundo, Formaliter*; prout significatiua:ex quo habet,quòd sit nomé, aut verbum: & primo modo considerata,habet se, tanquam subiectum eiusdé significationis,commune ad nomen, & verbum:sicut lignum, commune subiectum est; respectu cathedræ, & portæ, potens suscipere formam artificialem vtriusque:si verò consideretur, vt significatiua; verum genus est ad nomen, & verbũ. *Quæstio igitur est*; An nomen definiatur per eam materialiter sumptam, tanquam per subiectũ: sicut statua definitur per lignum: vel potius, sumptam formaliter,prout significatiuam;tanquã per verum genus: ita vt vox significatiua,genus sit huius definitionis, & reliquæ particulæ,sint differentiæ?

Et prima opinio tenet. Nomen non definiri per vocem, tanquam per subiectũ; sed per vocem significatiuam, tanquam per verum genus nomini,& verbo commune: ita Niphus, Lemosius,& Psellus, cap. præsenti: & probatur. Quia res quælibet, per definitionem quidditatiuam definienda est; si fieri potest; cùm iste sit optimus definiendi modus: sed posita voce significatiua, pro vero genere; erit quidditatiua definitio nominis: posita verò sola voce pro subiecto;nõ erit quidditatiua: cùm subiectũ non sit genus accidentis;sed extra quidditaté eius: ergo primo modo intelligi debet definitum nomen ab Arist.potius quàm secundo.

Secunda opinio est D. Tho. & Amonij, cap.præsenti:quòd non definiatur nomé ab Arist. per vocem significatiuam, tanquam per verum genus; sed per solam vocem,tanquam per subiectũ, loco generis positum:& hęc est probabilior;cuius potissimum fundamentum colligitur ex Arist.8. lib. Meta.textu 6. vbi proprium modum definiẽdi artificialia, ait, esse per subiectum loco generis; & per formam artificialem,loco differétiæ; vt si domum definire velis;dices, esse lapides,& ligna,ita composita.Et D. Tho. in opusc.de ente,& essentia,cap.7. non solũ artificialia,sed etiam accidentia omnia, melius definiri ait per subiectum loco generis, quàm per verum genus.Et ratio huius est manifesta. quia essentia accidentis,& modus essendi eius, sumuntur per ordiné ad subiectum: ergo vtrumq; fit magis notum per subiectum: & cùm definitio eo fine tradatur: vt per eam cognoscamus naturã definiti; melior modus definiendi accidentia erit per subiectum,pro genere positum; quàm per verum genus,quod per idem subiectum innotescit.Sed nomen,& verbum, sunt accidentia quædam artificialia,ab intellectu facta,& in concreto significata: ergo melius per vocé, tanquam per subiectũ definiẽda sunt; quàm per vocem significatiuam, tanquam per verum genus: & sic censendum est ab Arist. esse definita.

Ad arg. alterius opinionis, Distinguenda est maior: nam si res, quæ definitur, sit substantia: quidditatiuè definienda est per genus, & differentiam; si fieri possit: si verò sit accidens; præsertim artificiale, & in còncreto significatum; modus magis naturalis, & per quem essentia eius clarius explicabitur, erit, illud definire per subiectũ loco generis: quia verum genus, & vera eius differentia, per subiectum, respectu cuius accipiuntur, potius quàm per se cognoscenda sunt: & ex consequenti quidditas, & essentia eius; ad quam cognoscendam ordinatur per se definitio.

QVÆSTIO III.

An verum sit nomen significare ad placitum; vt in definitione dicitur

10. Circa modum significandi vocum, *Tres opiniones refert D. Th.* in Comment. huius capitis. *Prima fuit* eorum, qui tenuerunt esse naturalia signa rerũ: sicut nos dicimus de conceptibus: quam Pytagoræ, & eius discipulis, tribuit Dexippus, lib. 1. quæst. in categorias, cap. 6. & videtur etiã fuisse Heracliti, & Cratilli. *Probaturque hoc arg.* Quia quibus natura tribuit facultatem, seu potentiã ad aliquem actum exercendum; consequenter tribuit instrumenta naturalia, quibus illum possint exercere: vt homini tribuit facultatem ad ambulandum; & ideo tribuit ei pedes tali modo fabricatos, quibus ambulare possit; sed facultas loquendi naturalis est: ergo natura tribuit, homini cum ea naturalia instrumenta, per quæ loqueretur: hæc autẽ instrumenta sunt voces; non nudæ: alioqui bruta etiam loqui possent; sed dearticulatæ, ac significatiuæ: sicut brutis, dedit voces naturaliter significantes; quibus possent suos affectus internos manifestare: ergo voces significatiuæ sunt à natura datę hominibus; quibus possint alijs manifestare conceptus mentis internos. Ex quo euidenter sequitur; significationem earum esse naturalem; & non ex impositione hominum: quia naturale est quidquid à natura conceditur.

Secunda opinio ex diametro opposita est, asserens significationem vocum non solùm non esse à natura; sed sic ex beneplacito hominum procedere, vt possit quisque pro libito, his nominibus iam impositis vti, vel alia noua excogitare. & ad significandum imponere, eisq; vti, prout sibi placuerit ad loquendum: & postmodum eisdem relictis, noua alia imponere: quam videtur tenuisse Hermogenes quidam Philosophus, Platone, & Arist. antiquior; vt Plato ipse testatur in Dialogo Cratillo.

Ratio huius sententiæ est, quia si vocum significatio ex libera voluntate hominũ dependet; mutari poterit pro libitu: ita vt voces hodie impositæ ad significandum, crastino die nihil iam significent; aut à prima significatione mutentur, ac de nouo imponantur ad alias res diuersas significandas: & ideo cadere dicantur à significatione; ex quo nullum sequetur inconueniens.

Tertia opinio media est inter hæc extrema. Concedens voces non significare naturaliter; sed ex impositione hominum: non tamen ita esse liberam; vt quisque pro libitu possit, his, aut illis vocibus vti, easque de nouo ad significandum imponere; sed cõgruentem naturis rerum, ad quas significandas imponuntur: ita vt singulis rebus, iuxta propriam naturam talia sint nomina accõmodata. Itaque libera hominum impositio, quandam cõsiderationem discretam habuit cõcomitantem, vel præcedentem; per quam impositor, cognosceus rerum naturas, eis accom-

accommodauit propria nomina;quibus congruenter significarentur:& talis impositio perpetuò durat, & ab omnibus sic inuiolabiliter recepta est; vt memini liceat pro libitu eam mutare, aut nouas impositiones vocum introducere. *Hanc sententiam secuti sunt grauissimi Philosophi*;Plato vbi supra;Aristot. in his capitibus,Tullius li.1. Academicarum quæstionum: Quintilianus lib. 8.institut. c.6.D.Thom.Albertus Magnus,cum cęteris expositoribus huius capitis. *Et hæc est vera & tenenda.*

11. Quam vt explicemus simul,& probemus, *Notandum est*. Res esse in duplici differétia:nam quædam sunt *Naturales*; quibus certum est,à primo nostro parente, diuina sapientia prædito; per quam perfectè cognouit naturam singularum rerũ, nomina fuisse accõmodata ex directione Dei,vt verba hoc Gene,2. ostẽdũt. *Formatis igitur Dominus Deus de humo,cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli,adduxit ea ad Adam;vt videret,quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam anima viuentis,ipsum est nomẽ eius.* Quasi dicat Deus, vniuersalem hanc impositionem, ex eius commissione factam, sic esse perpetuam; vt nunquam omnino, aut vbicunque ab aliquo mutanda sit:licet diuersa sint nomina, iuxta diuersitatem nationum,& linguarũ:in quibus etiam est euidens;nulli vnquam licuisse pro libitu mutare impositionẽ. Aliæ sunt res *Artificiales*,quibus etiam ab hominibus arte præditis,& per eam perfectè cognoscentibus earum conditionem;iuxta eam conuenientia, accommodata sunt nomina:hoc est talia; vt significatio eorum, aut ex modo quo fiũt; aut ex aliqua earum proprietate;vel vsu in quem ordinantur per artem,desumatur. Quod maiori ex parte,verũ esse intelligendum est:nam aliquando contingit;vt nulla talis similitudo, nobis saltẽ cognita, in nominis impositione seruętur: & hæc doctrina simul explicat, & probat veritatem communis sententiæ; quam sequimur.

Ad arg. vero primæ sententiæ. Concessa maiori, neganda est minor: quòd voces sint instrumenta facultatis naturalis ad loquendum;sed potiùs instrumenta huius facultatis sunt,lingua,dentes, & palatum quibus formantur eædem voces: & iam formatæ imponuntur ad significandum; vt media esse possint, quibus homo proprios cõceptus aliis explicet: quare licèt ex parte soni voces sint naturales,ex parte tamen significationis per artem,vel sciẽtiam fiunt;sicut cathedra, ex parte ligni naturalis est:sed artificialis ex parte formæ,per artem factã:& ideo simpliciter vocatur artificialis:sic etiam nomina, & verba artificialia sunt vocanda.

Argumentum verò secundæ opinionis, ex doctrina tradita solutum est: quia licet libera sit impositio vocum ad significãdum;conformis tamen naturis rerum:& ideo non à quocunque facta; sed à sapiẽtibus: qui perfectè cognoscentes earum naturas, talia nomina, eis congruentia accommodarunt: vnde nec variari potest pro libitu significatio nominum, nec ab ea nomina cadere possunt.

QVÆSTIO IV.

An verum sit, partes nominis separatas,non esse significatiuas?

HAnc particulam definitionis probauit Arist.ex nomine composito; cuius partes separatæ,ait,nõ sunt significatiuæ;vt partes eius sunt: etiamsi sint integra nomina:ergo multò minus partes nominis simplicis separatæ,erunt significatiuæ: cũ nõ sint integra nomina; sed syllabæ,& literæ:sed hæc ratio nihil 12.

valet:ergo non probatur per eam, quòd partes nominis separatę,non sint significatiuæ:nec verum hoc erit. *Probatur antecedens.* Quia partes nominis compositi,sunt integra nomina, vel nomen integrum,& verbũ,vt patet in hoc nomine agricola: & separatæ retinent eandẽ significationem, per quam componebãt nomen: ergo partes nominis compositi separatæ, etiam vt partes eius,vel iuxta significationẽ totius, sunt significatiuæ. *Probatur minor.* nam hoc nomen ager, & hoc verbum, colo: componebant nomen,agricola; per proprias significationes: nempe, ager significans agrum, & colo actionem colendi: vnde agricola, significat colentèm agrum:& hanc eandem significationem retinent separata à compositione;vt notum est:ergo verè significant iuxta significationem totius, vel vt sunt partes eius: qua re nec ratio Aristote.probat, partes nominis separatas nõ significare:nec verum esse potest, saltem in nomine composito.

Probatur secundò. Quia si nomina simplicia caderent à propria significatione, & imponerentur ad significãdas res diuersas,etiam caderet à sua significatione nomen compositum: ergo pendet significatio eius, ex propriis significationibus partium:sed partes separatæ,retinent proprias significationes: ergo separatæ significabũt iuxta significationẽ totius.Pro solutione huius quæst.*Notãdum est.* Nomen compositum, sic ex nominibus integris,aut ex nomine & verbo componi;vt ex pluribus, ac diuersis significationibus eorum, resultet tertia quædam significatio indiuisibilis eiusdẽ nominis compositi: quæ significatio,non potest in eisdem iam separatis conseruari: in quo simile est nomen compositum,naturali composito viuenti, ex anima,& corpore facto;non quocunque, sed heteroegneo:hoc est partes habenti diuersæ rationis:vt brachium,caput, & pedes:non enim componitur nomen aliquod, ex multis nominibus, eandem rem significantibus;vt ex gladio:&ense: sed ex significantibus res diuersas: quare ex his diuersis significationibus, resultat tertia significatio totius,diuersa à partibus.Vt patet in nomine,respublica & in nomine,equiferus:quia nec respublica,significat rẽ quamlibet,vel negotium publicum;sed congregationem ciuium sub his legibus,& tali ordine dispositam: quæ diuersum quid est,à significatione vtriusque partis separatæ,& equiferus,significat non equum ferocem, quem significant partes separatæ; sed aliud animal valde diuersum. Vnde,sicut anima nõ informat partes separatas corporis:sed dum separantur à toto, aliam formam diuersam consequũtur: ita forma nominis compositi,quę est significatio eius,non informat partes separatas: sed alias habent significationes sibi proprias partes,atque diuersas à significatione totius;quam participabant, dum illud componebant.

Itaque sicut quælibet pars nominis compositi,per se sumpta, habet propriã significationem vnam & indiuisibilem, quæ non conuenit syllabis,nec in eis separatis permanet:sed desinit esse,& quasi corrumpitur separatis syllabis:sic etiam nomen compositum ex aliis nominibus,aut ex nomine,& verbo: propriã habet significationem,distinctã à significatione partiũ,& indiuisibilem quidem: 3 & ideo talem, quæ non prædicatur de partibus,nec in eis separatis permanere potest. Et ratio huius est: quia nomen compositum, distincta impositione imponitur, ad significandum totum,atque ad significandas partes: & ad significandum rem diuersam ab ea;quã partes signifi-

gnificãt: similem tamen aliquo modo & quæ non resultaret; nisi ex his partibus. Vnde sequitur, diuersa nomina, ita per proprias significationes concurrere ad componendum aliud: vt cum media alia impositione, & ad aliam rem significandã concurrant: proprias significationes amittant in tali compositione, & aliã diuersã participent, licèt similẽ propriis: sed dum à compositione separãtur, illã, rursus significationẽ quã in tota habebant, amittunt, & proprias retinent. Et hoc est, quod dici solet: separata non significare, iuxta significationem totius. Licet videãtur significare, propter similitudinem: quæ reperitur inter significationem totius, & proprias earũ. Dependet enim significatio totius, ex eis, verum distincta est, & in eis permanere non potest.

Ex hac doctrina respondetur quæstioni: verum esse, quod asserit Arist. in definitione nominis, quòd partes eius; si vt partes accipiantur, nõ sunt significatiuę, dum ab eo separantur: quamuis proprias significationes separatæ retineant, quia cum significatio totius, distincta sit à propriis partiũ significationibus, & sit quasi forma rei heterogeneæ, partes diuersæ rationis informans; corrumpitur separatis partibus. Et ideo non potest in eis permanere.

Ad primum arg. Distinguenda est minor; quod partes nominis compositi cõponant illud per proprias significationes: nã si ita intelligatur; quod significatio totius, nõ sit alia à significatione partium; falsum est: cum distincta impositione, & ad rem distinctam significandã: vel saltem modum distinctam habẽtem, imponatur. Si verò per proprias significationes concurrere intelligatur; ita, vt tertia significatio, à propriis distincta, atq; indiuisibilis, cui simplex etiam & distinctus cõceptus correspõdet in mente, à conceptibus partiũ per se sumptarum; verum est: sed ex eo non sequitur: quòd partes separatæ retineant eandem significationem totius, vel quam ab eo participabant: quia hęc statim corrũpitur, quamprimùm partes separantur: sicut corrumpitur nomẽ ipsum compositum: ideo non potest in eis permanere. Quocirca benè Arist. dixit, nihil iam significare, iuxta significationem totius, vel vt partes eius.

Ad secundum. Concedendum est primũ enthimema, sed neganda vltima cõsequentia; quod partes separatæ significẽt, iuxta significationem totius: nam licèt significatio totius pendeat ex significatione partium, & desinat esse, partibus cadentibus à propria significatione: nihilominus cum distincta sit significatio totius, à propriis partium significationibus atque indiuisibilis; corrumpitur eis separatis: vnde permanere non potest in eis: sed licèt proprias significationes retineant, verum est, nihil significare separatas, iuxta significationẽ totius: quia nihil retinent de significatione eius: licèt eam aliquando retinere videantur; propter similitudinem, quam habent propriæ, cum significatione totius, iam corruptæ.

QVAESTIO V.

An nomen infinitum omnino sit excludendum à definitione?

SEx *sunt explicanda de nomine infinito;* 14. *Primum. Quid sit. Secundum, Quid, & quomodo significet Tertium. De quibus dicatur. Quartum. An nomina trãscendentia possint fieri infinita. Quintum, An nomen infinitum sit inter absoluta, vel inter connotatiua numerandum. Vltimum, An dicatur vniuocè de entibus, & non entibus vel analogicè.*

Circa primum notandum est. Negat io-

nem duobus modis sumi posse; *Primò neganter*; quod est sumi in tota vi negationis: quo pacto, etiamsi in principio propositionis ponatur; copulam eiusdẽ propositionis, & totam ipsam propositionẽ negat: & propterea de ea dictum est esse malignantis naturæ, ita, vt quidquid post se inueniat, destruat, & oppositum efficiat. Secundo modo, accipitur; non secundum totam vim negationis, sed *secundũ limitatam*: ita vt solùm neget significatũ illius vocis, cui proximè adiũgitur, nec vis eius vlterius transeat. Vnde, si adiũgatur subiecto propositionis; non transit vis eius ad copulam: nec negatiuam reddit propositionem: & hoc est accipi *Infinitanter*: quia effectus eius, solùm est negare significatum nominis, cui adiungitur; & ex hoc, quasi infinitum illud efficere: quia cætera omnia significat, præter rem illam, supra quam cadit: vt non homo, significat cætera omnia præter hominem nihil eorum determinans: & ideo dicitur habere significationẽ infinitã. *Nomen igitur infinitum negationẽ includit*, non neganter sumptam; hoc est, non in tota vi negationis, sed sumptam infinitanter: hoc est: secundum vim negandi, determinatam ad proprium eius significatum.

Ex quibus intelligitur. nomen infinitum hoc modo esse definiendum *Nomen infinitum, est nomen compositum ex nomine simplici, & negatione, infinitanter accepta*: vt non homo, non leo: & hæc de quidditate eius.

De modo significandi nominis infiniti.

QVantum verò ad modum significandi eius pertinet, aliqui dicunt *de materiali*, significare rem illam, quæ negatur: *de formali* verò, cæteras omnes: vt non homo, de materiali hominem: de formali verò, leonem, & bouẽ, ac cætera omnia præter hominem. *Melius tamen dicendum est*; non significare rem illam, quã negat, sed *de materiali*, cæteras præter illam: *de formali* verò, puram negationem eius: vt non homo, *de materiali*, leonem, & bouem cum cæteris, & *de formali*, solam negationem hominis: *quod sic probatur*: quia non homo, non significat leonem, aut bouem, secũdum naturas positiuas eorum, sed in quantum sub negatione hominis cadunt, vel continẽtur: ergo secundum naturas positiuas, *materialiter* pertinent ad significationẽ nominis infiniti. *Formaliter* verò secundum negationem talis naturæ, in propria inclusam.

Circa significatum verò eius omnes conueniunt: adeò extensum esse, vt cætera omnia, præter rem illam quam negat, significet, non solùm existentia actu, sed etiam possibilia: imò etiam impossibilia, vt Chimeram, & Centimanum. & ratio huius est manifesta ex dictis. Nam si formale significatum eius, est negatio illius rei, cui adiungitur: ergo materiale erit, omne illud, cui potest conuenire talis negatio: sed hæc conuenit cæteris omnibus existentibus, aut possibilibus: imò etiam impossibilibus: ergo hæc omnia cõprehenduntur sub materiali significato eius: sed omnino indeterminatè, atque cõfuse: & ideo modo quasi infinito; quia nõ magis aliquod Ens vnũ, quam aliud determinat, vt ex se est manifestũ.

Ex quibus sequitur Duo habere nomen infinitum, in quibus deficit à vera ratione nominis. *Primum, ex parte formalis significati*; quòd nullam rem, aut naturam, vel rationem positiuã significat formaliter: sed puram, & solam negationem illius rei, supra quam cadit: vt nõ homo: solam negationem hominis, *Secundum, ex parte significati materialis*: quia nihil determinatum significat: sed tam illud

quod

quod est, quàm quod non est; imò quod impossibile est. Et propter hæc duo, excludit Aristot. nomen infinitum à definitione nominis: quia verum nomen, determinatam significationem habere debet, & naturam aliquam positiuam, vel saltem positiuam rationem eius debet significare.

De quibusnam dicatur nomen infinitum in propositione?

15. P*Rima opinio asserit*: quod licèt nomen infinitum significet, tã ea quæ sunt; quam quæ non sunt, & tam possibilia, quàm impossibilia: tamen in propositione non potest verificari: nisi de solis existentibus; non de possibilibus, vel impossibilibus. Ita Sotus 1. lib. Summularum, cap. 1. notabili quinto: quod probat hoc arg. Nomen infinitum, non potest dici de non existentibus, atque impossibilibus, nisi in propositione affirmatiua, de subiecto non supponente: sed talis propositio, est falsa secundum regulas Summularum: ergo nunquam de his verificabitur; sed de solis existentibus. Maiorem probat, quia vt subiectum propositionis supponi pro aliquo dicatur; requiritur, quòd res significata existat in rerũ natura tẽpore significata per copulã: ergo solum potest supponi pro existentibus, non pro possibilibus, vel impossibilibus: quare propositio in qua de his dicitur, erit de subiecto non supponẽte. Minorẽ verò, quòd affirmatiua de subiecto non supponente sit falsa; manifestam esse ait, in his propositionibus; Adam est albus, Antichristus est niger: euidens namque est consequentia, à propositione de tertio adiacente, ad propositionem de secundo, vt Petrus est albus, ergo Petrus est. ergo euidẽs erit cõsequẽtia, Adam est non homo: ergo Adã est: sed consequens est falsũ: ergo & antecedens; quod est propositio affirmatiua de subiecto non supponente.

Secunda opinio affirmat. Nomen infinitum; non solùm significare existentia, & possibilia, atque impossibilia, sed etiam verificari posse de omnibus in propositione. Ita D. Tho. cap. præsenti, cùm Boëtio, & Ammonio, quos sequuntur moderni oẽs interpretes; & est expressa sententia Arist. cap. præsenti, vbi ita ait. *Non homo verò, non est nomen; quoniam similiter in quolibet est; & quod est, & quod non est; Et ita tenendum est.* Probatur duplici arg. *Primo* ex intrinseca conditione nominis infiniti; quæ talis est. Vt nullam formam ponat in subiecto; imò neque vllam rationem positiuam; sed puram negationem illius rei, cui adiungitur: vt nõ homo, solam negationẽ hominis: sed sola negatio nõ postulat existentiam subiecti: imò nec possibilitatem eius: quia etiam de re impossibili verificatur; vt de chimera, negatio hominis: ergo de his omnibus verificari potest nomen infinitũ. Probatur cõsequentia. quia euidens arg. ducitur à propositione negatiua ad affirmatiuam, de prædicato infinito, in eisdẽ terminis, vt leo non est homo: ergo leo est nõ homo: sed nomen infinitum, negatur de impossibilibus: quia vera est hæc; Chimera non est homo: ergo affirmabitur de eisdem, in propositione de prædicato infinito: & ita vera etiã erit hæc, chimera est nõ homo. Probatur iterum consequẽtia. nam ideo vera est propositio negatiua, de subiecto impossibili; quia negatio nihil positiuũ ponit in subiecto: sed nomẽ infinitum nihil positiuum ponit in subiecto, sed solam negationem: ergo secundum hanc, potest de eadem re possibili verificari in propositione affirmatiua.

Secundò, Prædicata cõtradictoria, habent immediatam oppositionem: ergo

 de quo-

de quolibet ente, aut non ente, necesse est alterum eorum verificari: sed homo, & non homo sunt prædicata contradictoria; ergo necesse est alterum eorum verificari, de quacunque re possibili, vel impossibili: sed de re impossibili vt de chimera, non verificatur homo: ergo verificabitur non homo: sicque de cæteris nominibus Infinitis; quæ de rebus etiam impossibilibus verificari debent.

Pro solutione arg. alterius opinionis, Notandum est. Prædicatum propositionis affirmatiuæ, duobus modis se habere ad subiectũ: nam vel accidens eius est, modumuè accidentis habet; vel ad essentiam eius pertinet, aut tanquam propria passio se habet: *Et si primo modo se habeat*; certum est subiecto actu existenti attribui: quia accidentia non conueniũt subiectis; nisi secundum actualem inhærentiam in eis: quam cõstat necessario supponere actualem existentiam; *Si verò secundo modo se habeat*: certum est non conuenire ei secundum actualem existentiam: sed secundum naturalem connexionem cum eo: quæ cùm nullum tempus determinet; sed perpetua sit, eodẽ modo semper se habens; propositio etiam perpetuæ veritatis est: & copula (vt aiunt) absoluitur à tẽpore: quod est extrema non coniungere, pro vlla differentia tẽporis: cũ tamen in propositione accidentali, pro determinata differentia tẽporis, in qua existat extrema, ea cõiũgat.

16.

Ex quibus sequitur, solùm in propositionibus accidẽtalibus, extrema supponi: & ideò solum in his requiri actualẽ existentiam extremorum, ad veritatem propositionis affirmatiuæ. Et etiam in his solum intelligi illam regulam summulistarum; quod propositio affirmatiua de subiecto non supponente est falsa: ac tandem solum in his esse bonam consequentiam, à propositione de tertio adiacente, ad propositionem de secundo. In propositionibus autem necessarijs; nec supponuntur subiecta, nec vniuntur secundum actualem existentiam; nec secundum aliquem differẽtiam tẽporis: sed solum secundum naturalem connexionem, abstrahentem ab existentia, & tempore: vnde in eis hæc sola regula vera semper est, & obseruanda: quòd omnes propositiones affirmatiuę, sunt semper verę: & omnes negatiuæ semper falsæ. Quare nec in his valet cõsequentia, à propositione de tertio adiacẽte, ad propositionem de secundo: quia in propositione de tertio; prædicatum cõiungitur subiecto, secundũm naturalem cõnexionem cum eo: in propositione verò de secundo, dicit actualem existentiam; vt si dicas: Homo est rationalis; ergo homo est: antecedens erit verum, nullo homine existente; & consequens falsum.

Quam doctrinam, si ad nomẽ infinitũ applicemus; inueniemus significare omnia possibilia, & impossibilia; quasi modo essentiali; cũ per se omnia significet. Et ex hoc sequitur, de illis verificari in propositione; quasi per modũ naturalis connexionis; & non secundum actualẽ existentiam: quare omnes propositiones affirmatiuæ sunt veræ: & omnes negatiuæ falsæ: quia extrema non supponuntur. nec valet in eis consequentia, à propositione de tertio adiacente, ad propositionem de secundo.

Ad formam igitur arg. Concedenda est maior; quòd nomen infinitum non possit verificari de impossibilibus, aut non existẽtibus; nisi in propositione affirmatiua de subiecto non supponẽte: sed minor distinguenda; quòd affirmatiua de subiecto non supponente sit falsa: nam si accidentalis sit, concedendum est; quia vniuntur extrema secundum actualem existentiam; quã habere debent tempore si-

re significato per copulam:& si eam nō habuerint, falsa erit propositio. In propositionibus verò necessarijs, non requiritur actualis existentia extremorū: quia solùm vniuntur secundùm naturalem cōnexionem:& ideò affirmatiua; licèt sit de subiecto non supponente, vera est. Et cùm propositiones affirmatiuæ de prædicato infinito, modum habeant necessariarum; negandum est etiam in eis, quòd affirmatiua de subiecto non supponente sit falsa.

An transcendentia nomina possint infinitari?

17. PRima opinio, tenet, infinitari non posse transcendentia; si in tota sua vniuersalitate accipiantur: vt ens absolutè sumptum. Si verò cum limitatione: vt pro ente reali tantum, aut pro ente rationis, infinitari posse. Ita Alber. Magnus in Comment. huius lib. tract 2. ca. 5. cum Auicēna; quos sequuntur Toletus & alij cap. præsenti, *Probatur* ex natura nominis infiniti; quòd tam de entibus, quam de non entibus dicitur: sed si infinitetur ens absolutè sumptum; solum de non entibus dici poterit: ergo non potest infinitari.

Secunda opinio, adhuc hoc modo sumpta transcendentia infinitari posse concedit: ita Sotus 2. lib. Summularum, cap. 1. notab. 6. Suesanus, & Louaniensis ca. præsenti. *Probant*. Quia prædicationes istæ; Chimera est non ens: Nihil est, non ens; sunt de prædicato infinito: & prædicatū est ens in sua vniuersalitate: ergo transcendentia in sua vniuersalitate sumpta infinitari possunt.

Pro solutione dubij. Distinguenda sunt transcendentia, hoc modo. *Quædam sunt Vniuersalissima, vt Ens, alia Minus vniuersalia, vt passiones eius, Verum, Bonum, & vnum*; quæ minus vniuersalia dicuntur: quia secundum rationes formales nō se includunt: nec enim bonum, est verum formaliter: nec verum, est formaliter vnum. Et rursus, vniuersalissimum transcendens, vt ens, potest sumi *absolutè, vel cum alia limitatione*. Videlicet pro solo ente reali; vel pro sola substantia. Et de transcendentibus minus vniuersalibus, euidens est infinitari posse: quia non verum, aut nō bonū, adhuc verificari possunt de entibus, & non entibus: nā verū est non bonum: & vnum est non verum formaliter. Certum est etiam, ens cum limitatione acceptum, infinitari posse; propter eandem rationem; sed an possit sine limitatione acceptum, de hoc solum potest esse dubium.

Et nostra sententia est infinitari posse, probatur, ex propria definitione nominis infiniti, à nobis assignata in principio; secundum quam solum dicit esse compositum ex nomine simplici, & negatione ei adiuncta: sed non ens, cōponitur ex vtroque: ergo simpliciter est nomen infinitum: & hoc etiam probat arg. secundæ opinionis.

Ad arg. verò primæ opinionis, Negandum est antecedēs; quod de ratione nominis infiniti sit, de entibus, & non entibus verificari: sed hoc solùm pertinet ad rationem nominis infiniti particularis: de quo Aristot. & omnes communiter loquuntur. Ad rationem verò nominis infiniti; vt sic, solùm pertinet, quòd ex nomine simplici particulari; vel transcendente, & ex negatione eì adiuncta componatur.

An nomina infinita sint numeranda inter absoluta, vel inter connotatiua?

CErtum est; *nec esse absoluta simpliciter, nec connotatiua*: cum nec simpliciter sint nomina; sed solùm secundum 18.

 quid

quid. Solum ergo potest esse dubium; *An ad hæc potius, quam ad illa reducantur.* Toletus in comment. huius capitis asserit, inter absoluta numerari: quia non habēt materiale, & formale significatum; vt connotatiua: sed solùm significant negationem in concreto.

Nostra verò sententia est, ad connotatiua potius reducenda esse. quia de formali dicunt negationem rei: cui adiunguntur: de materiali verò, rem aliam quamcunque: ideo connotatiuorum similitudinem habent.

An nomen infinitum dicatur vniuocè de entibus, & non entibus; vel analogicè.

R*Espondetur vniuocè dici de omnibus.* Cuius ratio est, quia significatum formale eius, est sola negatio eius rei, cui adiungitur: negatio verò æquè cõuenit entibus, & non entibus: ergo æquè dicitur de omnibus, atque adeò vniuocè: non quidem propria vniuocatione, quia denominatiua non sunt propriè vniuoca sed impropria, qualis in denominatiuis reperitur.

Adnotandum tandem est. Circa definitionem nominis: non esse ei addendas duas illas particulas, finita, & recta, vt excludantur nomina infinita, & obliqui casus: quia per alias particulas definitionis, iam exclusa censentur: nec Aristot. eos posuit in definitione, sed post integram explicationem eius.

CAPVT TERTIVM
De Verbo.

TEX. ARIST.

Verbum autem est quod consignificat tempus. cuius pars nihil significat seorsùm: & est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota, &c.

Breuis expositio textus.

I*Ntentum Aristot. est explicare naturam verbi.* Diuiditur autem caput in tres partes. *In prima. definitionem verbi proponit, & explicat: in secunda, Excludit à ratione verbi, infinitum verbum, & casus verbi: hoc est verba aliorum temporum à præsenti. In tertia. Colligit, verbum cum nomine, in duobus conuenire.*

Definitio verbi talis est. *Verbum est, quod significat tempus: cuius pars nihil significat seorsum: & est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota.* In qua definitione subintelligi debent, duæ istæ particulæ; vox significatiua ad placitum; ex definitione nominis: secundum communem expositionem interpretum: quia communes sunt nomini, & verbo: sed quia hoc satis erat notum; noluit Arist. eas in definitione verbi repetere; sed à cõsignificatione temporis initium eius sumere: quia iam incipit verbum, per hāc particulam à nomine differre. Consignificare vero tempus, idem est, ac cõnotare tempus: vel ex consequenti illud significare, Itaque, quia verbũ actionem aut passionem per se significat; aut aliquid per modum actionis, aut passionis: & actio aut passio fiunt in tempore; dicitur tempus simul, & ex consequenti significare. cum actione ipsa, aut passione per se primo significata. Itaque diuersum quid est, significare tempus, & consignificare. Significare enim tempus, est; rem, quæ est tempus; sicut quamlibet aliam; per se significare: sed consignificare tempus; vel significare cum tempore; est significare rem aliam, vt in tempore factam: ex hoc enim, licet non significetur tempus, sed res alia; simul tamen denotatur, & simul quasi ex consequenti significatur: quod est consignificari: & hoc soli verbo conuenit; nomini verò solùm conuenit significare tempus; vt dies,

vt dies, & nox, determinata quædam tempora significant; non tamen consignificant tempus.

Alia verò particula, *Cuius pars nihil significat seorsum;* distinguit verbum ab oratione: & satis fuit explicata in definitione nominis. Solùm restat vltima, *& est semper eorum, quæ de altero prædicantur nota*: quasi dicat; verbum esse signum, aut significare coniunctionẽ prædicati cum subiecto; quam facit. Nomen enim prædicatur, aut subijcitur in propositione; sed verbum vnit prædicatum cum subiecto; & talem vnionem significat: in quo etiam distinguitur à nomine, & oratione.

In secunda parte, Excludit verba infinita, & casus verbi, à definitione; propter easdem rationes, quibus exclusit nomen infinitum, & casus obliquos à definitione nominis. Quia verbum debet significare determinatam actionem, & Passionem; determinatamque coniunctionem prædicati cum subiecto; sed verbum infinitum, nihil determinatum significat: ergo non est simpliciter verbum; sed secundum quid: & propterea excludendum est à definitione verbi: atque etiam casus verbi; hoc est, verba aliorum tẽporum, quàm præsentis. Quia non ratione sui; sed ratione verbi præsentis, conuenit eis officium verbi: nec actionem, aut passionem simpliciter talem significant; sed præteritam, aut futuram: quę cùm non sit actu in rerum natura; solùm est talis secundum quid.

In tertia tandem parte capitis, Duo colligit; in quibus verbum conuenit cũ nomine. *Primum est*; quòd verbum per se sumptum; hoc est, extra propositionem, significat aliquam rem, sicut nomen: vt curro, significat cursum. *Secundò*; quòd sicut nomen per se sumptum, non significat verum, vel falsum; nisi adiungatur ei verbum: ita verbum per se sumptum; hoc est extra propositionem, non significat verum aut falsum: nisi ei aliquo modo adiungatur nomen. Cuius rationem assignat: quia veritas, & falsitas, solùm reperiuntur in compositione, & diuisione: sed verbum per se sumptum; non significat talem compositionem: quia non potest intelligi sine extremis; hoc est, sine prædicato, & subiecto: ergo verbum sine nomine sibi adiuncto, non potest veritatem, aut falsitatem significare.

QVÆSTIO I.

An verum sit verbum consignificare tempus.

NOn videtur hæc particula definitionis conuenire omni verbo: ergo non bene fuit posita ab Arist. in definitione. probatur antecedẽs: quia si verbum cõsignificat tẽpus; maximè quia significat actionẽ, cui conuenit mensurari tempore: sed non omne verbum significat actionem; vt probat verbũ substantiuum, est: ergo neq; omne verbum consignificabit tempus. Quod magis etiam fit manifestum; dum idẽ verbum, est, vnit extrema secundum naturalẽ connexionem eorum; quod facit quotiescunq; prædicatum est de essentia subiecti; aut propria passio eius: tunc enim non vnit ea pro aliqua differentia temporis: cùm tales propositiones, ante omne tempus, & post omne tempus sint veræ: & ideo dicantur esse perpetuæ veritatis; in quibus copula absoluitur à tempore: ergo in eis non potest consignificare tempus.

Nec soli verbo cõuenit; sed etiam nomini: ergo etiam ex hac parte; non bene fuit in definitione collocata eadem particula: probatur antecedens quia prandium, cœna; & similia nomina, significãt actionem comedendi, cõnotando quòd tali tẽpore fiat: ergo consignificant tempus

pus. Præterea participium; vt amans, currens; est verum nomen; cùm ponatur pro subiecto, aut prædicato propositionis: & tamen consignificat tempus; cùm significet actionem tẽpore præsenti: aut futuro exercendam: ergo nominibus etiam conuenit consignificare tempus.

Circa hanc particulam definitionis, *duo explicanda sunt. Primum, An soli verbo conueniat consignificare tempus; vel etiam participio, & alijs nominibus? Secundũ, An omnibus verbis, & semper conueniat? Circa primum præsupponendum est*, quid sit consignificare tempus. Non est enim aliud; quàm significare cum tẽpore: & vtrumque est significare aliquid; nempe actionem, cui conuenit mensurari tempore: ex hoc enim simul cum re illa, significatur tempus; quod est consignificari: vel res illa notatur, vt mensurata tempore; quod est significari cum tempore.

Quo supposito circa participium non loquuntur omnes eodem modo; sed plures negant cõsignificare tempus: quia licèt significet actionem tempore mensuratam; non tamen per modum actionis; sed per modum formæ inhærẽtis subiecto: vt currens, significat actionem currendi; per modum formæ inhærentis: sicut inhæret albedo: & ideo non significat eam, vt mensuratam tempore: nec proinde consignificat tempus.

Communis tamen sententia tenet, *participium consignificare tempus. Et hoc est verum.* Ita D. Tho. cap. præsenti, vbi asserit: Participium separari à verbo, per vltimam particulam definitionis, nempe: *& est semper eorum, quæ de altero prædicãtur, nota.* Et conuenire cum eo in cæteris omnibus: ita etiam Sotus 2. lib. Summularum, cap. 2. & ibidem Mercatus, Venetus tract. 2. de partibus propositionis, c. 2. Toletus cum ceteris modernis, in hoc c.

Probatur testimonio Arist. qui vltimam particulam, explicantem proprium officium verbi, posuit, ad excludendum participium; vt docuit D. Tho. non enim excludi potest per eam aliud: ergo sensit in reliquis particulis conuenire; quarum prima est, consignificare tempus.

Probatur etiam ratione: Quia participium significat actionẽ; vt egreditur ab agente: vt calefaciens significat calefactionem; vt à se egressam: ergo significat actionem per modum actionis. Probatur consequentia. quia modus actionis est, egredi ab agente: sed actio fit in tẽpore; ergo participium significat cum tempore: cuius euidens signum est; quòd ei adiunguntur aduerbia hæc; tardè & velociter: quæ non conueniunt; nisi his, quæ significant motum, vel actionẽ; vt actio est. Distinguitur verò participium à verbo, per vltimam particulam; vt asserit D. Tho. quia licèt significet cum tẽpore; non vnit tamen extrema: in quo consistit propria, & vltima ratio verbi. Et ex his habemus; quòd consignificare tempus, non conuenit soli verbo; sed etiam participio: quod videtur esse medium, inter nomen, & verbum.

Sed an puris nominibus conueniat? vt cœnæ, & prandio, ac similibus. *Dicendum est, Non conuenire:* quia solùm significant actionem materialiter; vel vt res quædam est; non formaliter, & per modum actionis: vnde nec per modum, quo mẽsuratur tempore: gratia exempli; cœna significat actionem comedendi; vt rem quandam: sicut albedo significat albedinem; non tamen significat eam ex parte sua; vt factam tali tempore: sed solùm habet tali tempore fieri, ex consuetudine hominum; non ex eo, quòd per tale nomen significatur: quod necessarium est ad consignificandum tempus.

Nam

Nam verbum, ex eo dicitur consignificare tempus: quia significat actionem per modum actionis: & ideo, vt mensuratam tempore. Quare, ex vi suæ significationis; & non ex consuetudine, vel alia ratione extrinseca, dicitur simul cum actione significare tempus: & proindeillud consignificare. Et ex hoc intelligitur, consignificare tempus soli verbo, & participio conuenire; non puris nomininibus.

Circa secundum verò; An omnibus verbis & semper conueniat? solùm est difficultas de verbo substantiuo, est: nam de cæteris satis est manifestum; quòd significent cum tempore. Et ratio dubitãdi est; quia solùm significat existentiam simpliciter; vel existentiam rei, sub aliqua forma accidentali: primum habet, in hac propositione; homo est: secundũ in hac; homo est albus. Dicendũ tamen est, ex communi sententia interpretum; *Non significare actionem veram; sed existentiam rei per modum actionis.* & hoc satis esse; vt significet cum tempore: quia existentia significata per modum actionis; significatur vt mensurata tempore; nã sicut actio, ex se mẽsuratur tempore: ita etiam, quòd per modum actionis significatur: & ideo verbum, est, significans existentiam rei per modum actionis; consequenter significat tempus: quod propriè est consignificare tempus; vel significare cum tempore.

Sed an semper hoc habeat? hoc est in propositionibus etiam, in quibus solùm vnit extrema, secundum naturalem connexionem prædicati cum subiecto: in quibus dicitur absolui à tẽpore; maxima difficultas est: quia non ab omnibus eodem modo explicatur; quid sit verbũ in his propositionibus absolui à tempore; vel quo modo possit absolui à tẽpore, & simul significare cum tempore.

Omissis autem aliorum explicationibus; 11. quia non videntur satisfacere difficultati: *Notandum est;* Verbum duo habere; duabus particulis definitionis, ab Arist. explicata, contenta. *Primum*, Consignificare tempus. *Secundum*, Vnire extrema, quod explicuit Arist. vltima particula definitionis. *Et est semper eorum; quæ de altero prædicantur, nota.* Hoc est coniunctionis prædicati cum subiecto; quam facit. Extrema autem vnit, secundum naturam eorum: ita, vt si prædicatum dicat actualem existentiam, vel actualem inhærentiam in subiecto; illud cum eo vniat, secundum actualem existentiam, vel inhærentiam in eo: & in hoc sensu vera, vel falsa, iudicanda sit propositio. Si verò prædicatum non dicat actualem existentiam, vel inhærentiam in subiecto; sed essentialem, aut necessariam cõnexionem cum eo; secundum hanc, & non secundum illam, ipsum vniat subiecto: exemplum vtriusque habemus in his propositionibus; homo est albus; homo est rationalis: nam in prima, prædicatum dicit actualem inhærentiam in subiecto; & secundum eam ei vnitur: in secunda verò, essentialem connexionem gradus rationalis, cum homine; abstrahentem ab actuali existentia: nam licèt nullus sit homo in rerum natura; tamen verum est, hominem esse rationalem.

Circa consignificationem etiam temporis, & extremorum vnionem, duo consideramus in verbo. Primum, Quòd essentiale est ei; nempe consignificare tempus, vniendo extrema. *Secundum*, Quasi accidentale; nempe consignificare tempus, & vnire extrema pro tempore significato. Itaque essentiale est verbo vnire extrema, consignificando tempus: sed ea vnire, pro determinata differentia temporis significata, solùm est acciden-

 tale

ta le: & ideo ex natura extremorum, iudicandum est; an hoc efficiat verbum in propositione, vel non. Nam si apta sint pro ea differentia cõiungi; ita coniungẽtur: si verò non sint apta pro ea coniũgi; suspendetur talis modus coniunctionis; & vnientur simpliciter, absq; tali determinatione, vel restrictione, & quidem extrema propositionum accidẽtalium; vel modum accidentalem habentium, non necessariò; sed contingenter vniuntur: cùm accidens, aut habens modũ accidentis, possit vniri, & non vniri subiecto: quare non sunt apta vniri; nisi pro determinata differentia tẽporis: & ideo in talibus propositionibus, verbum vnit extrema, pro determinata differentia tẽporis; quam consignificat: nempe pro tempore præsenti, præterito, & futuro. Extrema verò propositionum necessariarum, dicunt naturalem connexionem cum verbo eodẽ modo se habentẽ semper: quare non petunt vniri pro determinata differentia tẽporis; sed absolutè, & simpliciter, abstrahẽdo à qualibet differentia tẽporis: & ideo non vniuntur cũ limitatione; vel restrictione ad aliquã differentiam temporis; sed secundũ naturalem, & necessariam connexionem, abstrahentem ab illa. Vnit igitur verbũ, in his propositionibus extrema; sed non coarctat vnionem, ad differentiam temporis, quam consignificat; sed relinquit in propria natura, & conditione. *Et hoc est absolui à tempore*; hoc est etiam tales propositiones esse perpetuæ veritatis: quemadmodum eorum cõnexio necessaria est, atq; perpetua, & semper eodem modo se habens; nec à tempore vllo modo dependens. Igitur sat est explicatum; quomodo conueniat omni verbo, consignificare tempus, & semper ei cõueniat: & quid sit absolui à tempore: & quomodo non repugnet semper consignificare tempus; & aliquãdo absolui à tẽpore.

Et ex hac doctrina soluta sunt argumenta, in principio posita. Nam ad primum, Distinguenda est minor. quia quædam sunt verba, quæ significant veram actionem: alia quæ significant aliquid per modum actionis: vt substantiua; nempe existentiam rei: cùm existentia, significata per modum actionis, significetur ex consequenti per modum eius, quod mensuratur tempore; etiam verba substantiua consignificant tempus; quod etiam habent in propositionibus necessarijs; in quibus dicuntur absolui à tempore: quia non repugnat significare tempus, & absolui à tempore; vt explicatum est.

Ad secundum. Distinguendum est antecedens; quòd cœna, & prandium, significent actionem, per modum actionis: solùm enim eam significant materialiter; vt rem quandam; sicut cætera nomina: & ideo non connotando, quod tali tempore fiat: sed hoc quod est tali tempore fieri, ab extrinseco prouenit; ex hominum consuetudine; & nõ ex vi significationis eorum: quare non sufficit; vt dicantur significare cum tempore, vel consignificare tempus.

QVÆSTIO II.

An verbum sit vera pars propositionis?

PRima opinio, tenet verbum non esse partem propositionis; sed quasi partium ligamẽtum. Ita Sotus in 1 editione Summularum; & alij cum eo, *& probatur primò*, ex compositione domus: in qua ligna, & lapides, cõcurrunt tanquam partes: claui verò quibus vniuntur ligna; & ligamentum, quo vniuntur lapides, non sunt partes; sed partium nexus: sed ita se habet verbum in propositione; cum sit copula per quam vniuntur partes: ergo non est pars propositionis.

Secunda.

Secundò, ex eisdem partibus componitur res quælibet; in quas absoluitur: sed propositio solum resoluitur in extrema; quæ sunt subiectum, & prædicatum: ergo solùm componitur ex subiecto, & prædicato; tanquam ex partibus: quare verbum non erit pars; cùm nec sit subiectum, nec prædicatum. Probatur minor, ex Aristot. 1. lib. de Priori resolutione ca. 1. sic definiente terminum. *Terminus est extremum propositionis; in quod propositio resoluitur, tanquam in subiectum & prædicatum.*

23. *Secunda opinio*, de verbo saltem substantiuo, est, asserit, non esse partem propositionis: quia nullam actionem significat; quæ possit prędicari de subiecto: ita Villalpādeus, & Suesanus cap. præsenti.

Tertia opinio, tenet, verbum duo habere. *Primum*; quod significet aliquam rem; in quo cōuenit cum nomine. *Secundum*, quod vnit extrema: & ratione primi, est pars propositionis; ratione verò secundi, non est pars; sed nexus partium: ita tenent quidam moderni.

Communis sententia & vera, duo asserit. Primum, Verbum esse partem propositionis; quasi materialē ratione rei significatæ. Secūdum, Esse partem formalem; per proprium officium verbi; quod est vnire extrema. Ita Porph. Amonius, Boëtius, Albertus Magnus, D. Tho. & Toletus ca. præsenti.

Vt autem vtrumque explicemus, atq; probemus simul. *Notandum est duo habere verbum. Primum*; Rem aliquam significare cū tempore; nēpe, actionem, vel aliquid per modum actionis; quod habet nō solum in propositione; sed etiam extra illam: vt expresse docuit Arist. in fine præcedentis ca. *Curro* enim, significat actionem currendi cum tempore: & verbum substantiuum, *est*, existentiam rei per modum actionis. Habet secundum. Quod est, esse notam eorum, quæ de altero prædicantur (vt verbis Aristot. vtamur) quod non est aliud; quam esse signū compositionis: prædicati cum subiecto: nam ita consignificat cum tempore; vt eā applicet subiecto: vnde hoc secundum, est quasi propria, & vltima differentia verbi, per quam constituitur in ratione formali, & essentiali verbi; quod nō exercet, nisi in propositione; licèt aptum semper sit, exercere talem actum. Gratia exempli, in hac propositione, homo currit, sic actionem currendi significat cum tēpore; vt eam applicet homini. Et cum hæc applicatio, sit formalis compositio prædicati cum subiecto; verum est, quòd verbum cōtinet, atque significat formalem compositionem prædicati cū subiecto. Itaq; cursus, in eadem propositione est; qui cōponitur cum homine; & prędicatur de illo: sed verbū *curro* est; quòd illum cū homine componit, quòd illū de homine prædicat: cursus etiam est prædicatum; quòd; sed verbum curro, est quasi prædicatum, quo: cùm sit ratio, & quasi forma enunciandi: & tandem cursus, est quasi materiale prædicatum; verbum verò quasi formale. Et ideò D. Th. asseruit; verbum non solùm ratione rei significatæ, se tenere ex parte prædicati; cùm de subiecto illa enūcietur; sed etiam vt est nota cōpositionis: cū hoc modo sit quasi prædicatum formale: & ita ex vtroq; est prædicatum propositionis: ex primo quidē, quasi materiale; & vt quod: cū res ab eo significata sit; quę prædicatur: ex secūdo verò, quasi formale; & vt quo: cum sit signum compositionis, & prædicationis eiusdem prædicati cum subiecto.

Secundò Notandum; duobus modis cōtingere verbum applicare subiecto rem à se significatā. *Vno modo*, nudam quidem aut solam; dum propositio non habet aliud prædicatum, præter verbum. Quod patet in propositionibus de secū-

do adiacēte; vt homo currit: in quibus solā actionē significatā componit verbū cū subiecto, vel eam de illo prædicat. *Altero modo*, nudam, aut solam, sed coniunctam alteri prædicato, & modificatam per illud; vt in propositionibus de tertio adiacente; vt homo est albus; in quibus non solum esse; quod significatur per verbū, enunciatur; sed coniunctum cum albedine: & ita sensus eiusdem propositionis est; homo est ens, affectum albedine: & primo modo, totale prædicatum est significatum verbi; secūdo verò modo quasi partiale; sed vtroq; modo est prædicatū materiale; & verbum semper formale: quia semper significat, & facit compositionem prædicati cum subiecto.

Ex hac doctrina, colligūtur duo argumenta: quibus efficaciter probantur duo illa, quæ nostra sententia, & communis asserit. *Primum argumentum probat*; Verbum, ratione rei à se significatæ, esse prædicatum propositionis materiale; & vt quod; & ex consequenti veram partem eius: & est tale. Verbum significat actionem, vel aliquid per modum actionis; sed hoc est, quod prædicatur de subiecto: nudū quidem, in propositionibus de secundo adiacente: vel coniunctum cum alio prędicato; vt in præpositionibus de tertio adiacente: ergo verbum per rem à se significatam, semper est prędicatum totale, vel partiale propositionis: & proinde semper est pars propositionis.

Secundum arg. probat; Verbum semper esse prædicatum propositionis formale, & vt quo: atque adeò, partem formalem eius: & procedi; hoc modo. Propositio formaliter, est compositio prædicati cum subiectò: sed verbū est signum formale huius compositionis; eam faciens: ergo est ratio formalis eius: & ideo formalis pars: sicut anima est pars formalis viuentis; quod componit, tribuens ei esse tanquam vera eius forma. Verbum namque vnit se subiecto per rem à se significatā; & simul est signum formale, efficiens eandem vnionem: & ideo est quasi forma, tribuens propositioni vitam; ea similitudine, qua anima tribuit corpori esse, & viuere, per informationem. Et veritas hæc, ostendit deceptionem aliarum opinionum; quæ putant verbum solùm esse materialem nexum propositionis; ita; vt solùm materialiter vniat prædicatum cum subiecto: sicut lapides domus vniuntur calce, vel ligna clauo: cùm tamen hoc planè sit falsum. nā verbum sic vnit prædicatum subiecto, vt semper vniat rem à se significatam: ratione cuius, verum prædicatum propositionis est, veraque pars eius: sic etiam vnit; vt formale signum sit, eiusdem compositionis prædicati cum subiecto: & signum quidem, non solum significatiuum; sed simul factiuum formaliter: quod est esse formam totius propositionis: & ideò partem formalem eius.

Et si dicatur, Prædicatum esse partem formalem propositionis. *Respondeo*; Cōparatione subiecti, se habere tanquam formam: quia illud determinat; sed in ordine ad totam propositionem, tam subiectum, quam prædicatum, sunt partes materiales; & forma totius propositionis, & earundem partium materialium, est verbum. 25

Ex his facilè soluuntur argumenta primæ opinionis. Nā ad primū, Negāda est minor: quòd verbū ita se habeat in propositione; sicut se habet ligamentum partiū domus: nō enim vnit prædicatum & subiectum materialiter; sed per modū formę totius compositionis; vt explicatum est.

Ad secundum. Neganda est etiam minor: quod propositio solùm resoluatur in subiectum, & prædicatum; tanquam in partes: solùm enim in hæc resoluitur, tan-

tanquam in extremas partes; quas ideò vocat Aristoteles terminos eius: quia terminus non quamlibet partem rei significat; sed extremam: & aliquando non partem; sed indiuisibile extremum: quod non est vera pars; vt patet in termino lineæ. Verbum igitur, vera pars formalis propositionis est; licet non sit extrema: quòd intelligo in ratione formali verbi: nam per rem à se significatam; quam applicat subiecto, & de eo prædicat; etiam est extrema pars propositionis; cum sit prædicatum eius.

QVÆSTIO III.

An verbum infinitum possit collocari in propositione?

26. QVæstio hæc, *vnum præsupponit*, tanquam certum apud Aristot. & omnes; videlicet dari verbum infinitum extra propositionem: quod docuit expresse Aristoteles, c. præsenti; illud excludés à definitione verbi: & cũ eo omnes interpretes. *Sed quærit aliud*; An verbum infinitum; non solùm detur extra propositionem; sed etiam possit in propositione collocari?

Et est prima opinio, antiquorum Interpretum; Alberti Magni, & Boetij, in hoc capite: non posse collocari in propositione. *Quod probatur duplici argum. Primò*; Quia verbum fit infinitum; sicut nomen, per negationem; non neganter, sed infinitãter sumptam: ita vt vis eius vlterius non transeat; sed nomen, aut verbum cui adiungitur, solum neget: at repugnat negationem adiungi verbo in propositionè, nisi neganter sumptam: ergo repugnat infinitari verbum in propositione. Probatur minor. quia repugnat negationem adiungi verbo in propositione; quin propositio negetur: sed non potest esse propositio negatiua; nisi negatio adiuncta verbo *sumatur* neganter; vt per se est manifestum: ergo repugnat sumi infinitanter additam verbo in propositione: & ex consequenti, repugnat verbum infinitari.

Secundò. Negatio infinitanter sumpta, negat omnino illud, cui adiungitur; licèt vis eius vlterius non transeat: ergo adiũcta verbo, nõ solum negat significatum eius; sed proprium etiam officium verbi, quod est esse notam eorum, quæ de altero prædicantur: atqui negato officio verbi, redditur propositio negatiua: ergo non infinitatur verbum. Probatur consequentia. quia non potest esse negatiua propositio; nisi negatio eius neganter accipiatur: Sumpta autem neganter non potest verbum infinitum reddere; sed negatiuum; vt patet in propositionibus negatiuis.

Secunda opinio, tenet, non solum extra propositionem dari verbum infinitum; sed etiam in propositione. ita Amonius, Suesanus, Toletus cap. præsenti, Sotus, & Mercatus, 1. lib. Summularum, cap. 2. de verbo, & omnes moderni interpretes. *Videturq; nobis probabilior. Probatur primò duobus testimonijs Arist.* nam cap. præsenti, sic loquitur de verbo infinito. *Non valet autem; & non laborat; non verbum dico: consignificat enim tempus, & semper de aliquo est.* Quasi dicat; semper de aliquo prædicatur: sed non potest prædicari; nisi in propositione: ergo sentit Aristot. in propositione posse infinitari.

Secundum testimonium habetur lib. 1. posteriorum, cap. 10. vbi hanc demonstrationem constituit Arist. in prima figura: Stellæ non micãtes, sunt propè nos: planetæ non micant: ergo planetæ sunt propè nos. Quæ tamen vitiosus erit syllogismum; si negatio in minori sumatur neganter: nam tunc constituet propositionẽ negatiuam: minorem autẽ negati- 27.

ua, vitiosus est syllogismus in prima figura: ergo necesse est infinitanter accipi ab Aristot. ita vt sensus sit; planetæ sunt non micantes: & ita efficiet verbum infinitum in propositione. Probatur ètiam ratione. quia verbum extra propositionē est infinitum: ergo negatio ei adiuncta, non accipitur neganter; sed infinitanter: vel ergo negat totum, quod habet verbum, nempe significatum eius, & officium copulæ; vel solum significatum: si primum dicatur; sequitur posse esse infinitum in propositione; licèt totum, quod habet negetur: & etiam sequitur; si dicatur secundum: quia si solùm negetur significatum eius, non efficiet propositionem negatiuam; sed affirmatiuam de prędicato infinito: vt contingit in demōstratione Aristotelis adducta.

Vt autem veritas huius sententiæ fiat manifesta, & facilius soluantur argumenta alterius: Notandum est. Differentiam sententiæ vtriusque in eo solum consistere: quòd prima asserit; ex duobus, quæ habet verbum, nempe significare rem cū tempore, & esse notam eorum, quæ de

8. altero prædicantur; primum tantum ei conuenire extra propositionem: secundum verò non nisi in propositione exerceri: & ideò extra propositionem posse infinitari: quia potest negari totum; quod in eo statu habet: in propositione verò, non posse: quia non potest ei adiungi negatio, nisi negetur vtrumque: negans autem vtroque propositio constituitur negatiua: & ideo negatio sumitur neganter; & non potest ipsum efficere infinitum.

Secunda vero opinio: quā sequimur: Non putat necessarium; quòd negatio adiuncto verbo in propositione neget vtumque: sed sicut extra propositionem ei adiuncta; potest negare solùm significatum; non negata compositionis nota: ita in propositione potest illud solum negare; non negata eadem compositionis nota: & ita potest verbum infinitari; & constituere propositionem affirmatiuam; de prædicato infinito: & huius ratio est. quia duo illa distincta sunt in verbo: ergo potest negari primum, non negato secundo. *Præterea;* In eo, quod est rem aliquam significare, conuenit verbum cum nomine: & ideò quantum ad hoc, infinitari potest, per negationem; non tamen quantū ad notam compositionis: quia cum hæc limitetur ad hoc prædicatum; & hoc subiectum; siquidem verbum coniungit; necesse est cōiunctione hac; seu compositione negata, totam propositionem negari: & ideo negationem neganter sumi: non enim datur medium in compositione ipsa, inter negatiuam, & affirmatiuam: nec infinita esse potest propositio; vt propositio est formaliter: licèt possit esse infinita, ex parte prædicati; aut ex parte subiecti.

Ad primum arg. Negādæ est minor: quòd 28. non possit negatio adiungi verbo in propositione; nisi neganter sumpta, aut nisi fiat eo ipso propositio negatiua: potest enim solum negare significatum verbi; nō negata vnione eiusdem cum subiecto: vt fit extra propositionē. quia distincta est vtraque ratio in verbo: & ideò potest negatio cadere sub vna; & non sub alia, vt probatum est, in verbum.

Ad secundum. Negādum est antecedēs: quòd necesse sit negationem alicui adiunctam, negare quidquid in eo est; sed negare potest in verbo rem significatam, vt negat in nomine, & in eodem verbo extra propositionem; non negata compositionis nota: quid enim prohibet, verbum infinitum extra propositionem existens; in propositione collocari; absque eo, quòd vis negationis se extendat ad notam compositionis: nihil profectò: quia

quia negatio infinitàter sumpta, eodem modo se habet in propositione, & extra illam: necesse est ergo fateri; verbum sicut extra propositionem; sic etiā in propositione, posse infinitari: vt tenet communis, & vera sententia.

CAPVT QVARTVM. DE ENVNCIATIONE.

TEXTVS ARIST.

Oratio autem est vox significatiua; cuius partium aliqua significatiua est separata, vt dictio: non vt affirmatio, vel negatio, &c.

Breuis expositio textus.

INtentum huius capitis, est explicare naturam enūciationis. Diuiditur autem in tres partes: *In prima.* Definit orationē; quæ genus enunciationis est: & eius definitionem exponit. *In secunda.* Definit enunciationem, & variis diuisionibus eā diuidit *In tertia.* Incipit agere de oppositione enunciationum.

Vt enunciationem definiat; prius definienda est oratio, quæ genus eius est. Sic autem definitur. *Oratio est vox significatiua; cuius partium aliqua significatiua est separata, vt dictio: non vt affirmatio, vel negatio.* Loco generis ponitur vox; per quam definitur oratio, tanquam per subiectum: sicut cætera accidentia in cōcreto; vt diximus cap. de nomine. *per secundā particulam*, excludūtur à definitione voces nihil significātes: & *per tertiam*, subintelligendam; nempe, *ad placitum*: excluduntur voces significantes naturaliter: quam non expressit Aristot. quia satis expressa, atque explicata fuerat capit. de nomine. per particulas verò sequentes, excluduntur nomen, & verbum: quorum partes separatæ, vel nihil significāt; vel non significant iuxta significationem totius. Cum tamen partes orationis; quæ sunt diuersa nomina; aut nomen, & verbum, separatæ significēt: vt patet de partibus huius orationis; homo albus. Sed addit Arist. non significare; vt affirmationes, vel negationes: sed, vt dictiones tātùm: quia quælibet pars orationis separata, nihil continet de esse, aut non esse; nisi ei adiungatur verbum.

Orationem iam definitam *duplicem esse ait*, in 2. par. cap. *Vnam enunciatiuam*, quæ verum, aut falsum continet: & tales sunt orationes modi indicatiui: vt homo ambulat. *Aliam non enunciatiuam*; quæ nihil veri, aut falsi continet: vt orationes imperatiui, aut optatiui, aliorumúe modorum. Enunciationem igitur ait; nō esse orationem quamlibet; sed eam tantùm, quæ verum, aut falsum continet: & ideo sic definienda est. *Enunciatio est oratio, verum, vel falsum significans.* in qua definitione, insinuatur prima diuisio enunciationis; in veram & falsam. *Vera enunciatio*; est illa, quæ ita enunciat vnum de alio; sicut à parte rei se habent; vt homo est animal. falsa verò; quæ aliter enunciat, ac se habent à parte rei; vt animal est lapis.

Secunda diuisio est. Enunciatio, alia est Vna, alia Multiplex. Vna est; quæ vnum significat; vt homo est albus: vel, cuius partes coniunctione vniuntur; vt Petrus currit, & Ioannes loquitur. Multiplex verò; quæ vel non significat vnam; vel terminis æquiuocis constat: vel cuius partes non vniuntur aliqua coniūctione; vt Petrus loquitur, Ioannes ambulat. 19.

Tertia diuisio est. Enunciatio vna, alia est Simplex; vnum de vno enuncians; vt homo est albus, alia *Composita*; quæ plures simplices includit coniunctione vnitas; vt Petrus disputat, & Ioannes ambulat.

ram sensitiuam; non alia, quæ possunt cõuenire animali, in hac vel illa specie considerato; ratione alicuius differentię. Et ita in definitione orationis ponuntur ea, quæ conueniunt ei in genere; nempe, vt oratio est abstrahẽs à simplici; & composita: ex quibus vnum est; quòd partes eius non sint significatiuæ; vt affirmationes; sed solùm, vt dictiones. Quòd verò oratio aliqua, nẽpe composita, habeat partes significatiuas, vt affirmationes; nõ conuenit ei, vt est oratio, aut ex ratione generica orationis, quæ definitur; sed ex ratione specifica orationis compositæ: vnde, hoc non contradicit definitioni, nec tollit, quin sub ea comprehendatur.

QVÆSTIO II.

An enunciatio sit ens reale, vel rationis?

11. TRia sunt consideranda in enunciatione, *seu propositione. Primum.* Voces ipsæ, scripturæ, aut conceptus. *Secundum.* Ordinatio eorum in propositione; secũdum rationem prædicati, subiecti, & copulæ. *Tertium.* Actus intellectus per quẽ ordinantur, & ex eis sic ordinatis efficitur propositio. Et de primo, & tertio; certũ est, esse realia, & de quo nemo dubitauit: sed quia in his non consistit formalis ratio Enũciationis; sed solùm materialis; tertiũ verò pertinet ad formalẽ rationem eius: certum etiam erit, quòd enunciatio materialiter accepta, & quasi pro fundamento, sit ens reale. Dubium verò. *An enunciatio formaliter sit realis, vel ens rationis?*

Prima opinio. Distinguit de enunciatione vocali, scripta, atque mentali: & de duabus primis, asserit formaliter esse ens rationis; sed de mentali docet formaliter esse ens reale. Ita tenent moderni quidam: & vtrumque probant hoc arg. Enũciatio vocalis, & scripta, solùm sunt reales ex parte vocum, & scripturarũ; sed ex parte significationis, & veritatis, sunt entia rationis; cum significatio earum, ex libera impositione hominum dependeat; quæ nihil reale in eis ponit. veritas etiam cùm non sit in eis formaliter; sed solum tanquam in signo: ideo nihil habent etiam reale; sed rationis: ad rationẽ autem formalem propositionis, non pertinent scripturæ, & voces; nisi vt significatiuæ rerum, & veritatis in mẽte existẽtis; ergo propositio vocalis, & scripta, materialiter tantùm est ens reale; formaliter verò ens rationis: Quòd verò mentalis sit ens reale formaliter, probãt: quia cõceptus ex quibus fit, nõ solum sunt reales; sed significatio (quæ inest eis à natura) & veritas quoque reperitur in eis formaliter: ergo tam ex formali significatione, & veritate; in quibus consistit formalis ratio propositionis; quàm ex materiali conceptuum, erit ens reale.

Hæc sententia quantùm ad enunciationẽ vocalem, & scriptam, vera est: non tamen quãtum ad mentalem, quod ita probo: nã licèt duo illa realia sint in conceptibus; nẽpe significatio, & veritas; ordinatio tamẽ in modum compositionis, prædicati, subiecti, & copulę; nõ potest esse ens reale: quia nihil reale ponit in eis: sed sicut in vocibus, & scripturis; esse subiectũ, & prædicatum, & propositionem; solum est relatio rationis; quæ consequitur actum realẽ intellectus ea ordinantis: ita in cõceptibus, quantumuis naturaliter significantibus, & formalem rationẽ veritatis continẽtibus; solum est relatio rationis, esse ordinatos in ratione subiecti & prędicati, ac mentalis propositionis: quare non minus in his; quàm in scripturis, & vocibus ens rationis est, formalis ratio enunciationis. Quòd verò de veritate reali conceptuum dicitur, licèt in

nem; quae aliquid de aliquo affirmat, aut negat: & 1. lib. Poste. cap. 2. asserit; propositionem esse alteram partem enunciationis; in qua vnum de vno enũciatur; nulla facta mentione veri, aut falsi: ergo sentit non in his, sed in eo; quod est enũciare vnum de altero, consistere essentiã eius. *Probatur etiam ratione. Primò*, Quia si veritas, & falsitas pertinent ad essentiam enunciationis: ergo enunciatio vera, & falsa distinguuntur specie: sicut veritas ipsa, & falsitas, specie diuersae sunt: sed differentiae specierum essentiales, non pertinent ad essentiam generis; sed extra eam sunt: vt ex Arist. & Porphyrio adduximus, in tertio praedicabili: vt differentia rationalis, & irrationalis, non pertinent ad essentiam animalis: ergo verum, & falsum significare, extra essentiam enunciationis in genere sumptae esse debent: quare aliquid aliud de essentia eius erit, quod per verum, & falsum contrahatur ad diuersas species: & hoc erit enunciare vnum de altero; quod aliud erit verum, aliud falsum.

Et si dixeris. Totum disiunctum; nem-
33. pe verum, aut falsum, pertinere ad essentiam enuntiationis in genere: & alterutrum eorum per se, esse differentiã specificam: probatur hoc esse falsum. quia totum disiunctum, componitur ex partibus oppositis: ergo non potest esse de essentia vnius, & eiusdem rei.

Secundò probatur eadem essentia. Quia enunciatio genus est, ad mentalem, vocalem, & scriptam: ergo conueniet eis vniuocè: sed veritas, & falsitas, non possunt eis vniuocè cõuenire: ergo nec pertinere ad essentiam eius. Probatur minor. quia in sola enunciatione mentali, reperiuntur formaliter; in vocali verò, & scripta, solùm tanquam in signo: & ideo per attributionem ad mentalem: ergo conuenit eis analogicè.

Tertiò. Quia haec causalis est vera; quia enunciatio enunciat vnum de altero; est vera, aut falsa: & haec causalis est falsa; quia enunciatio est vera. aut falsa: enũciat vnum de altero: ergo prius natura est enunciationem enunciare vnum de altero; quam esse veram aut falsam: in illo ergo consistit essentia eius; quam sequuntur verum, & falsum; vt proprium accidens. Et certè ita est: quod eo ipso, quòd intelligimus vnum enũciari de altero; intelligimus orationem enunciatiuam: quãuis nihil de vero, aut falso, intelligamus: ergo in eo solũ cõsistit essentia enũciationis; haec verò extra eã sunt.

Ad arg. alterius sententiae; Distinguenda est maior. nam distingui ab alijs speciebus eiusdem generis, dupliciter cõtingit. *Primò* distinctione specifica: & hoc modo nõ potest vnum distingui ab alio; nisi per differentiam essentialem. *Secundò* non distinctione specifica: sed accidentali: & sic distinguũtur enunciatio vera: & falsa; non essentialiter. Voluit autem Arist. enũciationem definire cap. praesenti; per verum, & falsum; tanquam per accidentia eius nobis notiora: ex quibus innotesceret nobis essentia eiusdem enunciationis; in eo solum consistens, quòd vnum de altero enuncietur.

QVAESTIO IV.

An enunciatio mentalis sit vna simplex qualitas?

De *sola enunciatione mentali quaerimus*; An sit vna qualitas simplex; vel composita potius ex multis simplicibus: non de vocali, & scripta; de quibus certũm est, cõpositas esse ex multis vocibus simplicibus, aut scripturis. Circa mentalem verò, *Notandum est primò*; quod si accipiatur pro actu intellectus, quo apprehendimus res, aut de rebus appre-

hensis iudicamus; non est quid compositum, sed simplex. Nam iudicium intellectus; quo iudicamus veram esse hanc enunciationem, homo est albus; vnicus est, atque simplex actus intellectus: nec propriè sumitur pro eo enunciatio mentalis: ideo de hoc non procedit quæstio; sed de conceptibus; quos format intellectus de rebus ipsis: quibus formatis, iudicat vnum conuenire alteri; & iudicando, componit vnum cum altero: & hæc cōpositio & propositio mentalis: de qua inquirimus; *An sit vna qualitas simplex, vel non, nisi ex multis composita.*

Secundò notandum est. Sic se habere intellectum in formanda enunciatione mentali; vt primò apprehendat Simplicia, per plures, ac simplices conceptus: deinde, ex his efficiat compositionem; priusquam iudicet de cōuenientia, vnius respectu alterius: vel aliquando integram apprehensionem totius enuntiationis habeat; ante iudicium: quia prius apprehendit compositionem integram; quàm iudicet de conuenientia prædicati cum subiecto: vt patet, dum audimus hanc propositionem: astra sunt paria: quam integram apprehendimus; antequam iudicemus de veritate, aut falsitate eius: imò cùm apprehensionem eius habeamus; nunquam habemus iudicium: quia nulla appareret ratio iudicandi veram esse; potius quàm falsam. De propositione igitur mentali apprehensa, euidens est; non esse simplicem qualitatē: quare difficultas quæstionis reducitur, ad propositionem mentalem iudicatam; *An sit simplex qualitas, vel composita.* Nam duobus modis possumus intelligere; quod intellectus iudicet veram esse hac propositionem apprehensam: homo est albus, ex tribus conceptibus compositam *Primò.* ita, vt iudicet conceptum simplicem albedinis conuenire conceptui simplici hominis: & tūc euidens est, propositionem mentalem iudicatam; quæ est quasi terminus iudicij, non esse qualitatem simplicem; sed compositam: sicut propositionem mentalem apprehensam. Alio modo potest se habere intellectus in iudicio; non iudicando vnum conceptum simplicem conuenire alteri; sed ex tota apprehēsione composita, vel ex tribus conceptibus simplicibus; prędicati, subiecti, & copulæ, formando quendam alium distinctum; per quem repræsententur significata totius compositionis; nempè prædicati, subiecti, & copulæ: ita vt simul per vnum illum conceptum iudicet de veritate, aut falsitate totius compositionis; eo modo, quo phantasia ex duplici specie montis, & auri, format tertiam quandam simplicem, repræsentantem montem aureum. Eo etiam modo, quo Angelus per vnum simplicem cōceptum, intelligit integram compositionem à nobis factam. Si enim ita fiat; enuntiatio mentalis erit vnicus simplex conceptus, & vna simplex qualitas; per quam repræsententur prædicatum, subiectum, & copula.

Et prima opinio tenet; Ita fieri: & ideò enunciationē mentalem iudicatam esse vnam simplicem qualitatem. Ita Sotus 2. libro Summularum, cap. 5. Toletus 3. lib. de anima, quæst. 19. *Probaturq; hoc arg.* Intellectus, cùm sit potentia superior phantasia, habet eandē, aut maiorem virtutem componendi; quàm illa: sed phantasia ex duplici specie, simplici diuersarum rerum, elicit vnam etiam simplicem repræsentantem; quidquid per duas illas repræsentabatur: ergo eādem habebit intellectus: & ita poterit sic iudicare de apprehēsione composita, vel de conuenientia vnius conceptus simplicis cum altero; vt vnum conceptum eliciat repræsentantem, quidquid

quid per vtrumque conceptum repræsentabatur; vel per totam compositionem apprehensam: & ita enuntiatio iudicata, & repræsentata per vnum illum conceptum, erit vna simplex qualitas.

Secũda opinio tenet; Hoc esse impossibile: & omnino necessarium; vt sicut intellectus apprehendit subiectum, prædicatum, & copulam propositionis; non per vnum; sed per plures conceptus: ita vnum attribuat alteri per iudicium: & per hanc attributionem, componat enũciationem iudicatam, ex eisdem simplicibus conceptibus, per apprehensionem formatis. Et sic propositio mentalis iudicata, nõ fit vnus conceptus simplex, neque vna simplex qualitas; sed composita ex multis conceptibus, & qualitatibus simplicibus. Ita pater Gabriel Vazques tomo 2. 1. par. dis. 13. c. 13. *Et videtur mihi vera sententia, & expressa apud D. Tho.* 1. par. qu. 58. art. 4. ad 1. vbi de enunciatione mentali, sic loquitur. *Non qualiscunque multitudo intellectuum compositionem causat, sed multitudo illorum intellectuum, quorum vnum attribuitur alteri*, Per multitudinem namq; intellectuum multitudinem cõceptuum intelligit, ex quibus intellectum componere ait, enũciationem mentalem iudicatam; per attributionem vnius ad alterum.

31. *Probatur etiam ratione. Primò.* Quia intellectus efficit enunciationem mentalem iudicatam; per attributionem vnius ad alterum; hoc est affirmando vnũ de altero, vel negando illud de eo Sed attribuere vnum alteri, ab eo diuerso; dicit multiplicitatem: ergo cum id quod attribuitur alteri in propositione mentali, sit conceptus attributus alteri conceptui, sicut in propositione vocali, est vna vox attributa alteri: sic propositio mentalis, nõn est minus composita qualitas; quàm vocalis.

Secundò. Voces significant res medijs conceptibus: ergo propositio vocalis est signum propositionis mentalis: sed illa non est vna vox simplex; sed composita ex multis: ergo neque propositio mentalis erit vnus simplex conceptus, vel qualitas; sed ex multis cõceptibus prædicati, subiecti, & copulæ composita. Quod præsertim verum est, ac necessariũ; vbi prædicatum, & subiectum, sola ratione distinguuntur; vt in propositione identica: quã repugnat intellectum efficere; nisi ea distinguendo, quæ à parte rei nõ sunt distincta: hæc autem distinguere non potest; nisi per plures conceptus ea intelligat, & vnum eorum alteri attribuat: ergo repugnat talem enunciationem mentalem, esse vnum simplicem conceptum, vel vnã simplicẽ qualitatẽ.

Ad arg. alterius sententiæ, Concessa maiore, distinguenda est minor. quia ex duplici cõceptu simplici diuerso, elicere tertium, etiam simplicem, repræsentantem plura; quæ repræsentabantur per illa; duobus modis intelligi potest. *Primò*, per modum simplicis expressionis; ita, vt vno illo cõceptu exprimatur, quidquid per plures repræsẽtabatur. *Secundo*, per attributionem, & compositionem vnius cum altero *Et primò modo*, fieri potest à phantasia, & intellectu nostro: *sed secundo modo*, fieri repugnat: quia cõponere vnum cum altero, dicit multiplicitatem cõceptuum: & cùm sic fieri debeat per iudicium, quo constituitur enunciatio mentalis; non potest per vnũ conceptum fieri; sed necessariò per plures, ex quibus enunciatio mentalis componatur: & propterea nõ potest esse enunciatio mentalis cõceptus simplex, aut simplex qualitas; sed composita ex pluribus conceptibus, & qualitatibus. In Angelis verò, simplex cõceptus, & simplex qualitas est: quia nõ iudicant com-

ponēdo vnum cum altero, vel vnum alteri attribuendo; sed vno simplici conceptu exprimēdo vtrumque. Modus autem iste, pugnat cum imperfectione nostri intellectus; non intelligentis; nisi componendo, & diuidendo.

QVAESTIO V.

An diuisio enuntiationis, in affirmatiuam, & negatiuam, sit generis in species, vel analogi in analogata?

36. PRima opinio est Alexandri; quem citat D. Tho. cap. præsenti; asserentis esse diuisionem analogi, in analogata; quam sequuntur etiam Philoponus, 1. lib. Poster. cap. 21. Aspasius, & Burana, 1. lib. Priorum. cap I. *Probatur hac ratione*. Analogum est, quod de vno membro dicitur per prius, & de alio per posterius: sed enunciatio dicitur per prius de affirmatiua; & per posterius de negatiua: ergo analogum est respectu earum: & ita diuisio erit analogi in analogata. Probatur minor. Primò ex Aristot. cap. præsenti: vbi sic ait. *Est autem vna prima oratio enunciatiua affirmatio, deinde negatio. Probatur etiam ratione*. Quia affirmatio dicit compositionem; negatio diuisionē: compositio autem prior est diuisione. Præterea, affirmatio dicit formam positiuam; qua priuat negatio: forma verò prior est priuatione Et tandem negatio cadit supra affirmationem: cum propositio negatiua non sit aliud, quam affirmatiua, addita negatione: illa igitur prior est; posterior hæc.

Secunda opinio est Soti, 2. lib. Summularum, asserentis affirmationē, & negationem esse diuersas qualitates enunciationis: & cùm qualitas sit accidens; diuidetur enuntiatio in affirmatiuam, & negatiuam; tanquā subiectum in diuersa accidentia. *Probatur hoc arg.* Accidens est; quod potest adesse, & abesse subiecto præter corruptionem eius: sed affirmatio, & negatio, ita se habent respectu enunciationis: ergo sunt accidentia eius. Probatur minor quia enunciatio eadem permanent secundum essentiam, transit de affirmatiua in negatiuam; vt hæc eadē: Petrus currit; fit negatiua addita negatione: Petrus non currit.

Tertia opinio est communis: quod diuisio enunciationis sit generis in species; ita Porphyrius, Ammonius, Boëtius, Simplitius, D. Tho. Louanien. Suesan. Lemosius, & Tolet. cap. præsenti. *Et hæc est probabilior & tenenda.*

Probatur primò Quia essentia enunciationis; vt superius probauimus, consistit in eo, quod est attribuere vnum alteri, aut enunciare de illo: sed hoc fit per affirmationem, & negationem: ergo istæ sunt differentiæ essentiales, diuidentes enunciationem. Erit ergo diuisio generis in species.

Secundò Enunciatio affirmatiua, & negatiua, cōueniunt in ratione communi enūciationis, quæ de vtraque prædicatur: nam vera est hæc; Enuntiatio affirmatiua, est enunciatio: & enuntiatio negatiua est enunciatio; est æque vera: quæ distinguuntur specie: ergo enunciatio est genus ad vtramque. Probatur minor quia affirmatiua dicit vnionem, & compositionem prædicati cum subiecto; negatiua verò diuisionem, & separationem ab illo: at isti sunt modi enunciandi, formaliter, & essentialiter diuersi; vt patet: ergo constituunt enunciationes, formaliter, & essentialiter diuersas.

Ad arg. primæ opinionis: Distinguenda est maior: nam dici per prius de vno; & per posterius de altero; duobus modis contingit: vel ratione prædicati superioris, in quo conueniunt; vel ratione differen-

differentiarum per quas distinguuntur; & primus modus tollit vniuocationem; & efficit analogiam: secundus verò nullo modo: cum in omnibus generibus reperiatur: in quibus semper datur vna species, prior aliis, propter minorem perfectionẽ suæ differẽtiæ: quod nõ impedit; quin natura generica ex sua parte, æqualiter, & vniuocè participetur ab omnibus speciebus. Et ita contingit in enunciatione; cuius ratio ex parte sua æquè participatur ab affirmatiua, & negatiua; & nõ secundum prius, & posterius: sed enunciatio affirmatiua, propter maiorẽ perfectionem suæ differentiæ; prior est negatiua, vt asserit Arist. & probat argumentum: hoc tamen non tollit vniuocationem, nec rationem genericam.

Ad arg. secundæ opinionis. Distinguenda est minor. quia propositio eadem permanens, solùm materialiter; hoc est, secundum materiales terminos, transit de affirmatiua in negatiuam: non tamen eadem permanens formaliter, & essentialiter: sed diuersæ speciei fit, addita negatione; propter diuersũ modũ enunciãdi; vt probauimus: quare affirmatio, & negatio, differẽtię essentiales sunt enunciationis; & non qualitates: nisi eo modo; quo differentiæ essentiales dicuntur qualitates generis essentiales: quare nec sunt vllo modo accidentia eius.

QVAESTIO VI.

An diuisio enunciationis in simplicem & compositam, sit generis in species? vel analogi in analogata?

37 PRima opinio tenet Vniuocam esse hãc diuisionem: & ideo generis in suas species. Ita Sotus 2 lib. Summularum, ca. 6. & alij: Probant primo: Quia enunciatio simplex, & composita, conueniunt vniuocè in genere orationis: ergo etiam in genere enunciationis; quod est oratione inferius. Probatur cõsequẽtia. quia quæ cõueniunt vniuocè sub genere superiori, necesse est etiam vniuocè conuenire, sub genere inferiori: vt si duo animalia conueniunt sub genere viuẽtis superiori; necesse est sub genere animalis viuẽte inferiori, etiam vniuocè conueniri.

Secundò. Significare verum, aut falsũ; vel est de essentia enũciationis; vel propria passio eius: sed enunciatio simplex, & composita, conueniũt vniuocè in eo; quod est significare verum, aut falsum: nam enunciatio composita, simpliciter est vera, aut falsa; sicut simplex: ergo cõueniunt etiam vniuocè in ratione communi enunciationis; tanquam species sub genere.

Secunda opinio quorundam modernorũ; asserit diuisionem hanc esse Subiecti in accidentia. *Probat hoc arg.* Quòd magis, & minus compositum; solùm differũt ex hoc accidẽtaliter: vt paries à tota domo: & enunciatio omnino simplex, ab ea, quæ componitur ex parte subiecti, ex alia simplici enunciatione; vt hæc: *homo est albus, est propositio*: solùm differt accidentaliter ab illa, *homo est albus*: quia magis composita est. sed enũciatio composita; solũ differt à simplici, penes magis, & minus compositum: quia simplex, solùm componitur ex subiecto, prædicato, & copula: composita verò, ex his quidẽ remotè; proximè verò ex multis enunciationibus simplicibus: ergo solùm distinguuntur accidentaliter.

Tertia opinio est communis. Quòd hæc diuisio sit analogi in analogata. Ita Boëtius, Amonius, Suessanus, Toletus ca. præsenti D. Thom. opusc. 48. cap 6. & moderni plures. *Videturq; nobis probabilior, & magis conformis doctrinæ Arist.* qui enunciationem simplicem, vocauit vnam, propter vnum significatũ: & ideo vnam simpliciter: compositam verò vnã coniun-

ctione; quod est, esse vnam secundum quid: & ideo secundũ quid enunciationẽ.

Probatur id ratione. Primo. quia ratio formalis enunciationis; vt superius probauimus, consistit in enunciando vnum de altero: sed enunciatio composita, nõ enunciat vnum de altero: quia non componitur proximè ex subiecto, & prædicato; sed solùm dicitur enunciatio ratione simplicium; ex quibus constat, coniunctione vnitis: & solùm ratione earum significat veritatem, aut falsitatem: ergo ratio formalis enunciationis, conuenit per se primo simplici; compositæ verò solùm per participationem, & attributionem ad illam: quod est analogicè conuenire.

Secundo. Vna species non componitur formaliter ex altera; licèt materialiter componi non repugnet: sed composita enunciatio, componitur ex simplicibus formaliter: hoc est, in quantum enunciant vnum de altero, & in quantũ veritatem etiam simplicem habẽt: cum quolibet horum ab eis sublato, non consistat enunciatio composita: ergo nõ possunt esse species enunciationis: sed erũt analogata eius, *contra primam opinionem.* *Itẽ probatur contra secundã*, quòd nõ differant solum accidentaliter: quia differunt per modum formalem, & essentialem: qui in simplici est enunciatiuus; in composita verò non: sed forma eius potius consistit in vnione simplicium, aut enunciatiuarum: ergo differunt essentialiter: quare diuisio non potest esse subiecti in accidentia; sed erit analogi in analogata; vt probauimus aduersus secũdam opinionem.

Ad cuius arg. Respondendum est. *& ad primum.* Concesso antecedente, negãda est consequentia. & ratio est: quia ratio enunciationis, est longè perfectior oratione: quam non potest per se attingere composita enũciatio; sed solùm per participationem simplicis: quamuis per se, & simpliciter, possit attingere rationem orationis. Et licèt simile exemplum, nõ facilè inueniatur in entib. naturalibus; quia eorum natura, nõ est ita variabilis: inuenitur tamen in eisdem rebus artificialibus, ab intellectu factis: nam species, & indiuiduum, vniuocè conueniunt sub genere relationis rationis; tanquam species eius: sub genere tamen inferiori, relationis prædicabilitatis, non cõueniunt nisi analogicè: quia indiuiduum, nõ attingit perfectionem eius; cùm nõ prædicetur, nisi impropriè, de seipso. Itaque ratio inferior, adeò perfecta esse potest; & ratio superior, adeò imperfecta; vt nõ per se; aut non vniuocè eam possit participare: sed solùm per attributionem, ad aliud membrum perfectius; cum quo in genere superiori, valde imperfectiori, vniuocè conueniebat: & hoc satis est; vt non sit bona consequẽtia ita arguentis: hæc duo conueniunt vniuocè in prædicato superiori; ergo etiam in prædicato inferiori.

Ad secundum. Neganda est minor: quod enunciatio simplex, & composita conueniant vniuocè in eo; quod est verum, vel falsum significare: nam hoc solùm conuenit compositæ per participationẽ simplicis: quare negandũ est etiam, quod sit vera, vel falsa simpliciter.

Ad arg. secundæ opinionis. Neganda est etiam minor: quòd enunciatio simplex, & composita, solum differant penes magis, & minus compositum; nam differũt per diuersos modos formales enunciationis: quia simplex habet modum formalem enunciandi; composita verò non habet per se modum enunciandi: vnde nec per se enunciat; sed solùm per participationẽ simplicis: per se verò solùm habet modũ coniunctionis enunciatiuarum;

38.

rum: & ideo essentialiter sunt diuersæ.

CAPVT QVINTVM de modis oppositionum.

CApite quinto, agit Aristotel. de modis oppositionum, inter enunciationes repertis. Quod caput nõ est à nobis exponendum: quia de oppositione propositionum, & modis omnibus eius, satis disputant Summulistæ; regulas eorum, ex hoc capite, atque ex lib. 2. huius operis deducentes: quare non putamus necessarium in hac parte eas repetere.

CAPVT SEXTVM de oppositione, & veritate enunciationum de futuro contingenti.

TEXTVS ARISTO.

In his ergo quæ sunt, & quæ facta sunt; necesse est affirmationem, & negationem verã esse, vel falsam, &c.

Breuis expositio textus.

INtentum Arist. cap. præsenti est; ostẽdere regulam propositionum contradictoriarũ: quæ est talis. Si vna est vera, altera necessariò debet esse falsa; nõ esse veram eodem modo in propositionibus singularibus, de futuro contingenti: quẽadmodum vera est in propositionibus materiæ necessariæ, & remotæ, atque etiam in propositionibus contingentibus de subiecto vniuersali. *Diuiditur aũt cap. hoc in duas partes*. nam in prima proposita quæstione & soluta; dupli ci ratione probat propriam sententiam. *In 2. verò*, duplicem distinctionem necessarij circa res & propositiones tradit.

Egerat Aristot cap. præcedenti, sub finem, de natura contradictionis, aut oppositionis in propositionibus repertæ: dixeratque necessariam esse conditionẽ contradictoriarum enunciationum; vt si vna sit determinatè vera, altera determinatè sit falsa. Cap. verò præsenti, proponit hanc quæst. videlicet; *An hæc cõditio contradictoriarum vera sit, non solùm in propositionibus materia necessaria, & remota; sed etiam materia contingentis*; Loquitur autem non de contingenti rarò; quale est fodientem inuenire thesaurũ: nec de contingente frequenter; quale est hominem noctu cubare: sed de contingente ad vtrumlibet; hoc est, ad vtramque partem; quod æquè potest esse, & nõ esse: vt Petrũ peccare; vel honestè viuere.

Et præsupponit tanquam certum. Primò; veram esse regulam in omnibus propositionibus materiæ necessariæ, & remotæ; siue vniuersales sint, siue singulares: nam si determinatè verũ est; Petrum esse hominem. determinatè est falsum; Petrum non esse hominem: & si determinatè verùm est; omnem leonem non esse lapidem: determinatè est falsum; quòd aliquis leo sit lapis. *Secundò, præsupponit tanquã certum*; veram quoque esse regulam in propositionibus contingentibus de subiecto vniuersali. nam si determinatè verum est; hominẽ esse album: determinatè est falsum; nullum hominem esse album. *Tertium quoq; certum esse ait*: nempe eandem regulam esse veram in propositionibus contingẽtibus, de subiecto singulari; si sint de præsenti, aut præterito: nã si determinatè verũ est; Petrum studiosè viuere, aut vixisse: determinatè est falsum; Petrum non studiosè viuere, aut vixisse. Nulla enim in his propositionibus potest esse indeterminatio, sed sicut determinatè verum est, quod fuit, & est ita determinatè falsũ erit, nõ fuisse, aut nõ esse. Solùm ergò procedere quæstio. ait de propositionibus singularibus de futuro cõtingẽti. *An vna earũ sit determinatè vera, & alia determi-*

natè falsa? Et ratio dubitandi est manifesta: quia causa contingens aut libera, non est determinata ad effectum futurū; sed potest se determinare, & potest se nō determinare: & ideo quamdiu determinatio eius futura enūciatur, per propositionem sigularem de futuro; tam diu quasi suspensa manet: & ideo veritas eiusdem propositionis indeterminata semper videtur.

Respondet autem Arist. In his propositionibus, determinatè verum esse totum disiunctum, ex vtraque contradictoria constans. Vt petrus peccabit, aut non peccabit: nam peccare, aut non peccare; ita necessarium est, sicut esse, vel nō esse: ergo ita determinatè verum. Sed vtramlibet contradictoriam per se sumptam, nō esse determinatè verā, aut falsam; vt Petrus peccabit, atque etiam Petrus non peccabit. *Quod probat duplici argum. ducente ad impoßibile.* Primo. Quia si determinatè essent veræ; nihil esset in rebus contingens, sed omnia euenirēt necessariò: vt si determinatè verum esset; Petrus hoc efficiet, aut illud: studiosus, aut vitiosus erit: bellum erit futurū cras, vel non erit futurum; necessariò euenirent effectus isti: & ideo non possent nō euenire: quare nihil esset in rebus contingens; quod est absurdum.

Secunda ratio. Quia si propositiones istæ singulares de futuro contingenti essent determinatè veræ; & omnes futuri effectus, necessariò euenirent, neq; aliquis esset effectus contingens; non esset consultandum de rebus futuris, nec deliberandum: quare nec esset consilium, nec libertas: nam deliberatio, & consultatio, solùm est de rebus contingētibus; quæ possunt esse, & non esse: de his enim quæ necessariò futura sunt; vt de ortu solis crastino, nullus vnquam sanæ mentis consultandum esse dixit. Tollere autem contingentiam, consilium, deliberationem; imò, & libertatem nostram, absurdum est: ergo non est dicendum propositiones singulares de futuro contingēti esse determinatè veras, aut determinatè falsas.

Explicat tandem duplicem distinctionem necessitatis rerū, & enunciationū. 40

Prima talis est. Quædam res sunt necessariæ ex propria natura; vt cœlum: *aliæ vero, nō nisi ex conditione temporis, quo mensurantur*: cùm tamen ex propria natura contingentes sint: vt Petrum ambulare, dum ambulat; necessarium est; nō ex propria natura, sed ex conditione temporis, quo mensuratur ambulatio eius: & hoc modo verū esse vniuersaliter ait; quòd omnis res quando est; necessariò sit: omnis propositio pro tempore, quo vera est; necessariò est vera. sed necessitatem primā simpliciter esse talem affirmat: secūdam verò, non nisi secundum quid: hoc est ab extrinseco, & ex suppositione temporis; in quo res est, vel in quo propositio vera est.

Secunda est distinctio necessarij. Quædam sunt necessaria absolutè, id est, sine comparatione ad aliud: vt hominē esse animal. *Alia nō nisi ex comparatione ad suum oppositum*: ita, vt quod per se sumptum contingens est; sumptum cum suo opposito sit necessarium: contingens est hæc: Petrus ambulabit; at si sumatur cum sua opposita; necessarium facit totum, disiunctū; vt, Petrus ambulabit, aut nō ambulabit. Et hunc etiam modum necessitatis extrinsecum esse ait, & secundum quid talem: cum tamen primus simpliciter sit talis, & ab intrinseco. Et hunc modum necessitatis, atque etiā secundum, primæ distinctionis; reperiri docet in enunciationibus singularibus cōtingentibus de præsenti, præterito, & futuro: nā dū Petrus ambulat; necessariū est ex suppositione

positione ambulare: & etiam quòd ambulauerit, supposito; quod ambulauit: & etiã est necessaria hæc de futuro; Petrus ambulabit, ex suppositione, quòd ambulabit. Necessarium quoque est; disiunctũ hoc: Petrus ambulabit, vel non ambulabit: sed cum vtraque hac necessitate totius disiuncti, & etiam cuiuslibet partis per se sumptæ, ex suppositione temporis verum est, quamlibet per se sumptam esse contingentẽ, & indeterminatè verã.

QVÆSTIO VNICA.

An singulares enunciationes de futuro contingenti, habeant veritatem aut falsitatem determinatam?

De *solis singularibus, & contingentibus procedit quæstio*: nam propositiones necessariæ, atq; etiam ex materia remota constantes, necessariò veræ sunt, vel necessariò falsæ: siue sint vniuersales, siue singulares: & ideò determinata est earum veritas, aut falsitas: determinatè etiam veræ sunt contingentes de subiecto vniuersali; aut determinatę falsę: vt omnis homo ambulabit: nullus homo ambulabit: &, homo ambulabit: homo non ambulabit Quia licet effectus futurus, atque contingens, in singulari possit esse, & non esse, vniuersaliter tamen verum est; quod causa contingens determinabitur ad operandum: imò necessaria est determinatio eius in singulari vago; licèt sit omnino contingens in quolibet singulari determinato. Necessitate quidẽ morali: quia moraliter loquendo; hoc est more humano, vel vt res humanę solẽt euenire; necesse est, homines ambulare: & ideò determinatè vera hæc; homo ambulabit; & aliquis homo ambulabit: & determinatæ falsæ; omnis homo ambulabit: nullus homo ambulabit. In hoc enim sensu accipitur illud Christi apud Matthæum. *Necesse est, vt veniant scandala*, Certum quoque est; singulares propositiones cõtingentes de præsenti, & præterito, esse determinatè veras, vel falsas: imò necessarias, non quidem ab intrinseco, vel simpliciter; sed ab extrinseco, & ex suppositione temporis: vt iã fuit à nobis expositum. Solùm ergo de singularibus de futuro contingenti quęstio esse potest; *An determinatam habeant veritatem, vel indeterminatam*? quia determinatio causæ futuræ, à qua pendet veritas earum; quandiu futura enũciatur, indeterminata est: & ideò non videtur posse tribuere veritatem determinatam eisdem propositionibus.

41 *Ideò prima opinio asserit*; Nullam prorsus habere veritatem, aut falsitatẽ tales propositiones; sed neutras esse: hoc est, nec veras, nec falsas. Ita Antonius Cordubensis, lib. 1. sui Quæstionarij quæ. 55. dub. 2. Probatur: quia veritas, vel falsitas enunciationis sumitur, per cõformitatem, aut difformitatem, ad rem significatam: sed res significata per hanc enunciationem; Petrus peccabit, nõ est in rerum natura; quandiu enunciatur futura: ergo enunciatio ipsa non est ei conformis, nec difformis: quare non erit vera, neque falsa; sed neutra. & certè si vera, aut falsa concedatur; sequitur simul esse verã, & falsam: quòd repugnat. Probatur consequentia, quia cum res significata indifferens sit ad essendũ, & non essendum, & non magis ad vnum, quàm ad alterum determinata; non est maior ratio, ob quam enunciatio sit vera, potius quàm falsa: quare vel neutrum habebit; vel vtrumque: & hoc est impossibile: ergo illud necessariũ; quod est esse neutrũ.

Secunda opinio. Aliquam veritatẽ tribuit his enũciationibus, non quidem determinatam; sed confusam, aut indeterminatam: ita vt eorum disiunctũ ex vtraque

traque contradictoria compositum, sit determinatè verum, ac necessarium; vt Petrus disputabit, vel nō disputabit: sed vtraque earum per se sumpta indeterminatè, vera sit, aut falsa, quod est dicere indifferentem esse ad veritatem, aut falsitatem: & ideo nō esse actu verā, nec actu falsam; sed quasi in potentia, nondū determinata. Ita Alber. Mag. 1. lib. de interpretatione, tract. de oppositione, cap. 4. Catherinus in opusc. de veritate enunciationum, Louanien. & Tolet. cap. præsenti. *Et hac videtur expressa sententia Aristotelis, qui eam probauit hac ratione.* Quod determinatè verum est, necessarium existimatur; ergo si enunciatio singularis de futuro contingenti, determinatè vera est; erit necessaria. Ex quo sequitur; futura omnia necessariò euenire. Probatur consequentia. quia si hæc est necessariò vera: Petrus disputabit, disputatio Petri, à qua sumit suam veritatem, erit necessariò futura, & non cōtingens: quare nulla relinquetur libertas, nec locum habebit cōsilium, aut deliberatio: quia de rebus necessariò futuris, non deliberamus: nec dicuntur esse in nostra potestate necessaria; sed cōtingentia solum; quæ possunt euenire, & non euenire; sic, vel alio modo fieri.

Probatur secundo. Nam ab eo quod res est, vel non est, enunciatio dicitur vera, vel falsa: sed res significata per enunciationem singularem de futuro contingēti; ita est indetermina; vt quamdiu futura est, & vt talis enunciatur, nullam determinationem habeat: ergo nec propositio de futuro eam enuncians determinatam habebit veritatem sed indeterminata, atque indifferens semper erit ad veritatem, & falsitatem.

Tertia opinio, tenet; Tales enunciationes habere determinatam veritatem, aut falsitatem, sed contingentem. Et hac est vera, & valde conformis fidei Catholicæ; quā tenet Scotus in 1. d. 3. q. 1. §. ad argumenta principalia, D. Bona. d. 38. art. 2. q. 1. ad 1. Richar. art. 1. q. 5. ad 1. Greg. q. 1. art. 2. Ocham quæst. 1. ad 1. principale, Grabriel qu. 1. art. 1. Notab. 7. Marf. q. 40. ad 3. Holcoth in 2. quæ. art. 7. Sotus in cap. 9. Epistolæ ad Rom. p. 5. Pater Franciscus Suarius opusc. de absoluta scientia futurorum contingentium, cap. 2. nu. 6. P. Gabriel Vazques, tomo 1. primę partis, disp. 67. cap. 3. & iam ferè omnes moderni nostri temporis.

Sed vt eam simul explicemus, & probemus, *Notādum est. Quid sit determinata veritas:* nam ex hoc constabit; an tribuenda sit singularibus enunciationibus de futuro contingenti. Determinata autem veritas, duo habere debet. *Primum;* quòd sit distincta; & non confusa: sicut confusa est ea, quæ reperitur in propositionibus æquiuocis: vt in hac; canis mouetur: in qua non verificatur prædicatum de aliquo subiecto distinctè; sed confusa, & quasi suspensa manet veritas eius. *Secundo requiritur;* quòd sit actualis: quę in ordine ad actuale significatum accipiatur, nam si solum sit in potentia indifferenti, suspensa dicetur enunciatio à veritate. Actuale autem significatū enunciationis, illud dicitur; quod actu est in rerum natura, tempore significato per copulam eius: ita vt si enunciatio sit de præsenti; actualem habeat veritatem, ac determinatam; si res significata existat tempore præsenti: & si sit de præterito; determinatè vera erit; si eius significatū aliquando fuit in rerum natura. Si verò sit enūciatio de futuro, erit determinatè vera, si eius significatum aliquādo futurum sit in rerum natura: vt hæc enunciatio; sol orietur cras; determinatè vera est hodie: quia significatum eius crastina die erit in rerum natura.

42. *Secundo notandum est.* Propositionem de futuro; sicut de præterito, duplicem esse: *Vnam*, quæ determinat aliquod tempus: vt hæc, Petrus disputabit cras. *Aliam* quæ nullum determinat, sed totum tempus futurum; quasi indefinitè significat: vt Petrus disputabit. Et vt determinatè vera sit prior; necesse est, disputationem Petri futuram esse die crastino: vt autem posterior; sufficit, quòd aliquo tempore habitura sit esse actuale in rerum natura: ita vt verum sit tunc de præsenti enunciare; Petrus disputat.

His suppositis. Probatur iam nostra sententia. Quòd propositiones singulares de futuro contingenti, sint determinatè veræ aut falsæ. Ex fide Catholica; quæ docet Deum ab æterno euidenter cognouisse veritatem earum: ex quo sequitur; eam habuisse ab æterno. Probatur consequētia. quia Deus non cognoscit futura esse; nisi quæ verè futura sunt. Gratia exempli. Deus ab æterno cognouit hāc singularem, de futuro contingēti, veram esse, Antichristus est peccaturus: ergo cognouit; quòd aliquando erit vera de præsenti: sed propositio, quæ aliquando est vera de præsenti; semper fuit vera de futuro, & determinatè vera; cùm aliquando sit de præsenti determinatè vera: ergo cognouit Deus ab æterno; determinatam veritatem eius de futuro: quod non potest esse, nisi eā habuerit. Alioqui cognouisset Deus tanquam futurum; id, quod futurum non est:

Probatur etiam ratione. Primò, Quia, si Petrus hodie disputat; determinatè verum erit, de præsenti enunciare; Petrus disputat: ergo etiā fuit determinatè verum, heri enunciare de futuro; Petrus disputabit Probatur euidēter consequētia. quia veritas enunciationis de futuro, mensuratur per significatum eius: & determinata veritas, per determinationem eiusdem significati: sed disputatio præsens, habet nunc esse determinatum de præsenti: ergò habuit heri esse determinatum de futuro: & ideò enunciatio de futuro; quæ illud enunciabat, determinatam veritatem habuit: quam sicut heri habuit; certum est ante mille annos habuisse.

Secundò. Determinata veritas enunciationis, sumitur ex significato eius determinato: sed significatum huius enunciationis; Petrus disputabit, habebit aliquādo esse determinatum de præsenti: ergo habet modo esse determinatum de futuro; & ideò propositio, quæ illud de futuro enunciat; erit determinatè vera, cùm eius significatum sit determinatè futurum. Probatur minor. quia disputatio Petri aliquandò habebit esse actuale, atque distinctum extra causas.

Probatur tandem. Quia si propositiones istæ non habent determinatam veritatem: ergo nullo modo sunt veræ, aut falsæ; nec erunt aliquādo: hoc est; nec actu, nec potentia; quod est absurdum. 43.
Probatur consequentia. quia frustra est potentia; quæ nec reducitur, nec reduci potest ad actum: sed istæ enunciationes, nunquam erunt de futuro veræ: imò nec esse poterunt; si modò non sunt determinatè veræ: quia cum effectus præsens fuerit: iam non sunt veræ de futuro, sed de præsenti: ergo nec habent veritatem de futuro: determinatam actu; nec potentiā: quod est nullo prorsus modo esse veras de futuro.

Ad arg. primæ opinionis, Distinguenda est minor: quòd significatum propositionis singularis de futuro, contingenti, non sit in rerum natura: quia licèt non sit in differentia temporis præsentis; est tamen in differentia temporis futuri, significata per copulam; in qua habebit esse determinatum, & actuale: & hoc

sufficit; vt determinatè sit vera enunciatio de futuro: sicut nec modo est in rerum natura significatum propositionis de præterito: sed quia in propria differentia temporis, habuit esse actuale, ac determinatum; sufficit, vt enunciatio de præterito, sit determinatè vera. Aliud vero, quod infertur simul esse verã, & falsam; si determinatè vera concedatur: negandum est: quia ideo est determinatè vera; quia significatum eius habebit esse determinatum, tempore significato per copulam: quod licèt possit non esse, cùm sit contingens: erit tamen. & ideo propositio erit vera; non autem falsa. quia licèt possit non esse; non est tamen verum, quòd non sit habiturum esse in propria differentia temporis. Itaque cum enunciatur futurum; & non solum possibile; non satis est, quod possit non esse; vt falsa sit propositio: sed requiritur; vt omnino non sit futurum: quod patet esse falsum: & ideo malè infertur; propositionem simul esse veram & fasam.

Pro solutione argum. secundæ opinionis. Notandum est. Effectum futurum duplicem esse: *Necessarium, & contingentem.* Necessariò futurus est ille; qui non potest non esse futurus: quia per causam necessariam futurus est: vt ortus solis crastinus, necessariò futurus est, quia per causam necessariam, ac determinatam ad vnum. Contingenter verò futurus esse dicitur ille, qui tempore quidem futuro habiturus est esse, non minus quàm effectus necessarius; contingenter tamen: ita vt possit non esse futurus; quia per causam sit liberam, aut cõtingẽtem; quæ sic eum producit in differentia temporis futuri: vt possit illum non producere: sic se ad operandum determinabit, vt possit se non determinare. Et cùm veritas, aut falsitas enunciationis mensuretur per rem significatam: duplex est etiam enunciatio de futuro: *Vna necessaria*; vt sol orietur cras. & *Alia contingens*, vt Petrus disputabit: & quidem vtraque determinatè vera, aut falsa: sed illa prior necessariò: quia ita est vera; vt non possit esse falsa: hæc verò posterior contingenter: quia ita est vera; vt possit esse falsa. Vnde sequitur; hãc nõ esse bonam consequentiam: Hæc enunciatio; Petrus disputabit, est determinatè vera: ergo necessaria; vel necessariò vera: nam ita est determinatè vera; vt contingens, & contingenter sit vera: quia sic est vera; vt possit esse falsa: sicut effectus per eam significatus, sic est determinatè futurus; vt possit non esse futurus.

Ex hac doctrina soluitur argum. Arist. Cuius negandum est antecedens. quia nõ omne, quod futurum est; habebit esse per causam necessariam: siquidem habebunt plura per contingentem: ideo nec sunt necessaria, nec necessariò futura; sed contingentia, & contingenter futura: & ex consequenti enunciationes, per quas significantur; licèt sint determinatæ veræ; non tamen necessariæ; sed contingentes: quia sic sunt veræ, vt possint esse falsæ.

Pro solutione alterius. Aliud est *notan-* 44
dum: in quo consistit deceptio huius opinionis: Nempe, causam liberam, vel contingentem indeterminatam esse, atque indifferentem: quia potest se determinare, & potest se non determinare. Certum tamẽ est, quòd determinabit se, vel non se determinabit: & ideo, certum est etiam, effectum eius futurum esse; vel nõ esse futurum: & si futurus est, potuisse non esse futurum: & si futurus non est, potuisse etiã esse futurũ. Gratia exẽpli. Voluntas Petri, sẽper est determinata, & indifferẽs, ad disputandũ, vel non disputandum;

tandum; quousq; se determinet crastino die, tali hora ad disputandum & tunc cessabit indifferentia eius. Quare disputatio, determinata erit tali hora diei crastini: ita tamen, vt potuerit non esse: sed sicut verum erit tūc de præsenti, esse determinatam cōtingenter: & potuisse nō habere esse determinatum illa eadē hora: quia posset causa libera se non determinare: ita verum est hodie, quòd habitura sit cras esse determinatum; contingenter tamen: quia verum est; potuisse non esse: & ideo est verum, quod disputatio habitura sit esse determinatum. Enūciatio igitur futura, Petrus disputabit die crastino, tali hora; non cōparatur ad voluntatē eius; vt indeterminatā; sed vt se determinantem tali hora ad disputādum: nec significat disputationem; vt in potentia; vel, vt in potestate voluntatis nondum determinatæ: sed, vt determinatam, & habentem esse actuale; nō præsens; sed futurum crastino die, tali hora: & ex hoc determinatam habet veritatē non minus quam propositio de præsenti, eodem tempore quo fit disputatio prolata; Petrus disputat. Quia sicut tunc habet disputatio esse determinatū de præsenti: ita nunc habet esse determinatum de futuro. Et in hoc cōsistit deceptio secundæ opinionis: quia putat propositionem de futuro, comparari ad causam; vt indeterminatam tantùm: cùm tamen nō comparetur ad eam; vt nunc indeterminatam; (licèt verè nunc indeterminata sit) sed ad eandem; vt se determinantem tempore futuro, per copulam significato: ex quo determinatam habet veritatē enunciatio, licèt contingentem: quia cōparatur ad causam; vt se determinantem in futuro; contingenter tamē, iuxta propriam naturam: & ideo potentem se non determinare.

Ad formam igitur argum. Distinguenda est minor. quòd res significata per enunciationem de futuro; quamdiu enunciatur futura, nullam habeat determinationē: nam licèt nullam habeat determinationem præsentem; habet tamen determinationem futuram, quam significat: & contingentem quidem; cùm sic futura sit disputatio determinata; vt possit non esse: hoc enim non tollit futuram eius determinationem; sed ostendit esse contingentem: & ideo non tollit determinatam veritatem enūciationis de futuro; sed ostendit determinatam eius veritatem, non esse necessariam; sed contingentem.

Sed quid dicendum ad Arist. qui videtur sentire, tales enunciationes non esse determinatè veras. *Respondeo.* plures adhiberi solutiones à pluribus; quæ quidem non videntur ad mētem eius esse. Et ideo eas non refero. Alij verò quibus prædictæ solutiones non satis faciunt, asserūt: ita sensisse Arist. quòd tales enunciationes non habeant determinatam veritatem: sed errasse in hoc, aduersus fidem nostram; quæ cùm ponat à Deo euidenter cognosci ab æterno, quasdam esse veras, & alias falsas; necesse est concedere, determinatè veras esse, aut falsas: quia quod Deus cognoscit futurum esse; determinatè futurum est, licèt contingēs. Quare nō est audiendus in hac parte Arist. Ego verò credere non possum Aristotelem errasse: quia certum est cognouisse eum libertatem nostræ voluntatis, & contingentiam aliarum causarū: quæ sunt duæ radices totius contingentiæ futurorum effectuum; quos enunciationes singulares de futuro contingenti enunciāt. Et cum cognouerit eosdem effectus, habituros esse determinationem actualem; licèt contingentem, tempore futuro per copulam earū significato; impossibile est eundem non intellexisse; quòd

 tales

tales enunciationes habeãt determinatam veritatem; licèt contingentem.

In eo igitur sensu, determinatam veritatem eis denegauit: in quo eam concessit enunciationibus materiæ necessariæ, & remotæ, atque etiam contingentibus de subiecto vniuersali: imò & singularibus de præsenti, & præterito, atque etiam toti disiuncto, ex vtraque contradictoria singulari de futuro constãti; quale est hoc; Petrus disputabit, vel non disputabit. His autem omnibus concessit veritatem determinatam, sumptam pro necessaria; quã negauit singularibus de futuro contingenti; non tamẽ eis denegauit determinatam veritatem contingentem. Itaq; sensus eius fuit; Regulam contradictionis; quòd ex duabus cõtradictoriis, vna determinatè est vera, & alia determinatè falsa; id est, vna necessariò est vera, alia necessariò est falsa; in omnibus enunciationibus cuiuscunque materiæ esse veram, exceptis singularibus de futuro contingenti, in quibus solis deficit: quia neutra per se sumpta est determinatè vera, id est, non est necessariò vera; sed contingenter veræ sunt, vel falsæ: & ob id, non est de illis humana scientia: hanc nihilominus veritatem contingentem, determinatam habent; propter determinationem contingentem effectus tempore futuro, per copulam earum significato. Quòd autem iste fuerit sensus eius: ex duobus ostendo. *Primò*, ex argumentis; quibus id probauit: in quibus arguit à determinata veritate, ad necessariam. Et ex determinata veritate harum enunciationum, infert, tolli consilium, & deliberationem: esset autem friuolum argumentum, nisi determinationem veritatis pro necessitate acciperet. *Secundò*, ex his verbis; quibus apertè eundem sensum significauit. *Sed, & in contradictione eadem ratio est, esse quidem, vel non esse omne, necesse est: & futurum esse, vel non. Non tamen diuidentem dicere alterum necessarium. Dico autem, vt necesse est; Futurum esse bellum nauale cras, vel non futurum esse; non tamen cras fieri bellum nauale necesse est, neque non fieri: fieri tamen, vel non fieri, necesse est.* Et in hoc sensu explicant Aristotelem, Rich. in 1. dist. 38. arti. 1. quæst. 5. ad 1. & Maior ibidem, quæst. 1.

Breue dubium; an effectus contingens quando est, sit necessarius; vel adhuc contingens?

NOn parùm iuuabit, ad melius intelligendum præcedentem quæstionem, determinatio huius dubij; ex qua etiam explicabitur vniuersalis illa propositio Aristotelis, frequẽter in hac materia repetita; nempe. *Omne quod est; quando est, necesse est, esse.* Quæ si vera sit; sequitur ex ea, futurum contingens, dum iam est in rerum natura, non esse contingẽs; sed necessarium. Quod etiã sic probo. nam causa libera priusquam se determinet ad operandum; indeterminata, & contingens est; sed dum de præsenti operatur; cessat iam indeterminatio: ergo cessat contingentia eius: & ex consequẽti cessabit contingentia effectus; & erit necessarius.

Dubium hoc hac distinctione soluendum est. *Necessarium dupliciter sumitur. Primò; Ex propria natura*: & hoc dicitur necessarium simpliciter; vt ortus solis; quia ita est; vt non posit nõ esse propter necessitatem suæ causæ. *Secundò*, dicitur aliquid necessarium; non ex propria natura; sed *Ab extrinseco*: ex determinatione temporis; in quo p[illegible]itur extra causas; licet à causa contingente fiat. Quo supposito dicimus, *Effectum contingentem, dum iam est, adhuc esse contingentem simpliciter: sed necessarium solùm ab extrinseco; ex determinatione temporis.*

Probatur

Probatur primū. Quia causa libera, liberè se determinat ad operādū: ergo ita se determinat; vt posit se non determinare: & consequenter ita operatur; vt possit non operari: quare dum operatur, non necessariò sed liberè, & contingenter operatur: & ideò operatio ipsa, aut effectus, etiam dum fit, vel præsens est, contingenter procedit à sua causa; & contingens esse habet simpliciter: *Probatur secundum.* quòd sit necessarium ex suppositione: quia supposito; quod iā habet esse, non potest non esse: alioqui simul posset esse, & non esse: quod repugnat. Et in hoc sensu intelligitur propositio Arist. Omne quod est quando est, necesse est esse: quasi dicat ex suppositione temporis, in quo præsens est; non potest non esse: & hoc tantum probat argumentum factum: quia licèt per determinationem causæ liberæ ad operandum, cesset indeterminatio, atque indifferentia eius: liberè tamen cessat: & ideo liber semper est effectus, atque contingens ex propria natura; etiam tum, quando præsens est: licèt ex suppositione præsentialitatis sit necessarius, ab extrinseco, & ex suppositione.

In secundo libro huius operis; solùm agit Aristoteles, de enūciationibus modalibus; & oppositione earum: de quibus copiosè in Summulis differitur: & cùm ex hoc libro desumpta sint; quæ à Summulistis repetuntur, & inculcantur; non iudicamus necessarium, ea nunc repetere, nec capita huius libri exponere: cùm iam sit tota eorum doctrina ab adolescētibus satis intellecta. Sed ad libros de Priori resolutione procedendum esse.

Finis huius operis.

COMMENTARII IN LIB. ARISTOT. DE PRIORI ANALYSI, SEV RESOLVTIONE.

PROOEMIVM HVIVS OPERIS.

OPVS hoc initium est tertiæ partis dialecticæ, in quo Aristot. incipit agere de tertià operatione intellectus; ad quam pertinet syllogismus. Inscribitur autē de priori resolutione: & Resolutio Logica, siue intellectualis: de qua intelligitur inscriptio, nō est dissolutio syllogismi; sicut materialis, & physica resolutio rei, est eius dissolutio: sed est, quasi examinatio partiū; ex quibus syllogismus: qui est instrumentū dialecticæ, constare debet. Finis quoque resolutionis est, perfectio eiusdē syllogismi: quę nota debet esse, ex modo ipso resolutionis, aut examinationis eum cōponente, vt vim habere possit ad inueniendam, ac probandam veritatem: vt copiosius explicabimus in proœmio librorum de posteriori resolutione.

De inscriptione huius operis.

SED cur de priori resolutione inscribantur, non satis constat. complures quippe dicunt; ideo de priori dici hos

hos libros, sequentes verò de posteriori resolutione: quia in his agitur de forma syllogismi: in sequentibus de materia. Hæc tamen ratio insufficiens est: quia licèt verũ sit, in his libris agi de syllogismo, secundum formam: falsum tamen, quòd in sequẽtibus solum agatur de eodem, secundum materiam. quia si verum hoc esset, demonstratio nõ distingueretur à syllogismo in communi: nec à syllogismo topico, & sophistico; nisi per materiam: quod est apertè falsum: nam ex eo sequeretur; nec demonstrationem esse speciem syllogismi, nec distingui specie à syllogismis dialecticis, & sophisticis. probatur euidenter consequentia. quia à materia non sumitur differentia essentialis, constituẽs speciem, & distinguens eam ab aliis; sed è forma. Propterea dicẽdum est: hos lib. appellari de resolutione priori; sequentes vero de resolutione posteriori: quia in his agitur de forma syllogismi communi, atque generica; quæ sumitur ex dispositione eius in figura, & modo: & quam constat communem esse omnibus syllogismis. In lib. verò sequentibus, agitur de forma speciali: nempe, de modo concludendi necessariò vnam veritatem de altera; per quã cõstituitur demõstratio in specie syllogismi, & distinguitur ab aliis: vt etiam explicatur copiosius in proœmio operis sequentis. Forma autem communis, atq; generica, prior est, & notior nobis: ideò de priori resolutione merito inscribuntur libri isti.

Quodnam sit obiectum huius operis?

2. PRima opinio asserit; Demonstrationem esse subiectum: quia ex his, & sequẽtibus lib. vnum opus efficitur, cuius scopus est Demonstratio, tanquam finis, in quem proximè ordinatur. Vnde Aristot. cap 1. huius lib. proponẽs intentum huius operis, asserit esse, de demõstratione, & disciplina demonstratiua disputare.

Secunda opinio. Opus hoc à sequenti distinguit: & ideò negat demonstrationem esse obiectum; sed neque asserit syllogismum esse adæquatum obiectum; verum argumentationem in communi: quia Arist. nõ de solo syllogismo agit; sed etiã de aliis argumentationibus: vt de inductione, enthymemate, & exemplo: quare aliquid his commune, debet esse obiectum huius operis.

Nostra tamen sententia, & magis communis inter expositores huius loci est; supposita distinctione huius operis, à sequẽti; necessariò admittenda; cùm diuersa sint ea, de quibus in vtroq; agitur: *Solum syllogismum in communi esse adæquatum obiectum eius.* Quia vel nihil de cæteris argumentationibus agit in ea Arist. vel si agit aliquid; solùm, vt deseruire possunt syllogismo. *Idipsum ratione probatur.* Quia adæquatum obiectum scientiæ alicuius est; cuius partes ex professo explicat sciẽtia, cuius definitionem tradit, cuius passiones probat: sed in hoc opere traduntur partes syllogismi, assignatur definitio eius, & passiones probãtur, vt in 1. & 2. lib. est manifestũ: ergo syllogismus est obiectũ huius partis adæquatum. Quod verò Arist. dicit; propositum sibi esse, agere de demõstratione: solum probat; quòd libri sequentes, quasi finis sint; in quem ordinatur opus hoc: de quo fine patet, non agi in hoc opere: & ideò neque ad eius obiectum pertinet.

Diuisio totius Operis.

IN duos libros, aut partes diuiditur opus hoc. *In quorum primo, de syllogismo & partibus eius agit Arist. In 2. de eius proprietatibus seu passionibus*: quas potestates seu potentias, & impotentias vocat Aristoteles. 3.

Primus autem hic liber, diuiditur in tres partes. *In 1.* quæ proœmij rationem habet;

habet; Proponit Arist. materiam totius operis: syllogismumque, & partes eius (quæ sunt propositio, & terminus) definit. In 2. Agit de conuersionibus propositionum: In 3. De figuris, & modis syllogismorum: & de his, quæ ad easdem figuras pertinent.

CAPVT PRIMVM.

TEXTVS ARIST.

Primum dicere circa quid, & cuius sit consideratio; quoniam circa demonstrationem.

Breuis expositio textus.

4. CAPVT hoc quasi prooemium est totius operis; in quo Arist. intendit proponere finem eius; in quem ordinetur, atque etiam ea, de quibus in eo acturus est. *Diuiditur in duas partes. In quarum prima:* proposito fine, proponit ea de quibus agendum est: nempe, propositionem, terminum, syllogismum perfectũ, & imperfectum: & singula hæc definit: ac item diuidit; quæ multiplicia sunt: nempe, propositionem, & syllogismum.

Finem huius operis, asserit esse demonstrationem: quæ cum sit potissimum instrumentum dialecticæ; ad illam ordinantur omnia; remotè quidem simplicia: proximè verò propositiones, & forma syllogistica: de qua in hoc opere agendum est. Forma hæc, eo ferè modo, quo genus, ordinatur ad constituendam potissimam eius speciem.

Definit ergo primò propositionem: quia notior nobis erat; cum de ea iam egerit in lib. de interpretatione. & definitio eius talis est. *Propositio est oratio affirmatiua, vel negatiua, alicuius de aliquo.* In qua pro genere ponitur oratio, quæ secundũ se nihil affirmat, aut negat. Contrahitur autem per affirmationem, & negationem, tanquam per differentias essentiales: vt 1. lib. de interpretatione diximus & per has definitur potius; quam per verum, vel falsum: quia in ordine ad syllogismum; ad quem proximè ordinatur, nihil refert; quòd vera sit, vel falsa: cum forma syllogistica, tam in falsis; quam in veris propositionibus consistere possit: sed necesse est, affirmatiuam esse, aut negatiuam; vt syllogismo deseruiat.

Diuidit eandem propositionem, duplici diuisione. Prima est, in Vniuersalem, Particularem, & indefinitam. *Vniuersalis*, illa est; cuius subiectum pro omnibus inferioribus sub se contentis, distribuitur: vt omnis homo est animal. *Particularis*; cuius subiectum afficitur signo particulari; vt aliquis homo est animal. *Indefinita*; cuius subiectum est terminus cõmunis, nullo signo affectus; vt homo est animal. De propositione singulari non facit mentionem; quia non pertinet per se ad artem, vel scientiam, nec ad formam syllogisticam.

Secunda diuisio propositionis est; in Dialecticam, & Demonstratiuam. Dialectica; est probabilis; ex qua efficitur probabilis syllogismus: sed quæ formam habet interrogationis, in eo qui interrogat: in eo verò, qui syllogismum constituit; solùm est simplex propositio probabilis: vt si dicas; putasnè, animal rationale, est definitio hominis? modum habet interrogationis. Si vero interrogationem auferas; habet modum simplicis propositionis; ex qua fit syllogismus. *Alia est propositio Demonstratiua*; quæ vera debet esse, ac necessaria: & ex vtraque potest fieri syllogismus: & ideò propositio syllogistica, vtrique communis est. 5.

Definit deinde terminum, tali definitione. *Terminum voco; in quem resoluitur propositio; vt in prædicatum, & de quo prædicatur*: vt homo, & animal.

Definit tandem syllogismum, hac definitione *Sillogismus est oratio; in qua positis quibusdam, alterum quid, à positis, necesse est contingere, eo quod hæc sint.* In qua definitione, *Oratio*, ponitur pro genere: quia communis est ad omnes argumentationes: cū quibus in ea conuenit syllogismus. *In qua quibusdam positis*; hoc est, duabus præmissis, dispositis in modo, & figura: vt distinguatur ab exemplo; quod ex vna tantum singulari colligit aliam: ab enthymemate; quod ex vna tantum procedit, quasi supprimens aliam: atque etiam ab inductione; quæ licèt ex multis singularibus colligat vniuersale, non tamen dispositis in modo, & figura; sed solum numeratis. Addit autem; *eo quod hæc sunt*; vt explicet conclusionem syllogismi, sequi ex virtute præmissarum, sic dispositarum; absque aliquo extrinseco additamento.

Diuidit syllogismum; in perfectum, & in imperfectum. Perfectum esse ait; qui nullo
6. indiget; vt appareat necessarius: & tales sunt syllogismi primæ figuræ. *Imperfectum verò*; qui reductione quadā indiget, ad perfectum, vt appareat necessarius.

Principia tandem per se nota quibus innititur tota ars syllogistica; duo esse docet; nempe: *Dici de omni*; cui innituntur syllogismi affirmatiui: & *Dici de nullo*; cui innituntur negatiui. *Et dici de omni*, sic explicat, quando nihil est sumere sub subiecto: de quo non dicatur prædicatum: sed minor propositio sumitur sub maiori, quia subiectum eius continetur sub subiecto eiusdem maioris: ergo euidens est, quod si prædicatum maioris dicitur de subiecto; dicentur etiam de omni contento sub illo: quod colligitur in conclusione: vt ostēdit hic syllogismus; Omne animal est substantia: omnis homo est animal: ergo omnis homo est substātia: in cuius conclusione, prædicatum maioris; quod dicitur maior extremitas, prædicatur de subiecto minoris; quod dicitur extremitas minor, & continetur sub subiecto eiusdem minoris. *Dici autem de nullo*, tale est; Si prædicatum maioris negatur de subiecto minoris: negabitur etiam de quolibet cōtento sub eo: & hoc fit in conclusione: vt si dicamus; Nullum animal est lapis: omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis. Euidens est enim; quod si lapis negatur de omni animali in maiori, negatur etiam de omni homine, in conclusione; quod sub eo assumptum fuit in minori. His autem duobus principiis; Dici de omni, & Dici de nullo; non indiget syllogismus perfectus; vt appareat necessarius: sed vt appareat, quibus efficacitas eius innitatur: & ideo necesse est; vt sciamus eam probare per illa; vt certi simus de ea. Nam si quis eam probare nesciat; quod est reducere formam syllogisticam ad sua principia indemonstrabilia, non habet scientiam de efficacitate eius. Et ideo hæc principia dicuntur, dici de omni, & de nullo prioristicè: quia in posterioribus sumuntur secundum veritatem, ac necessitatem propositionum: & dicuntur posterioristica; quibus innititur tota ars demonstratoria.

CAPVT SECVNDVM.

TEXTVS ARIST.

Quoniam verò omnis propositio est; aut inesse, aut necessariò inesse, aut contingenter inesse.

Breuis expositio textus.

INtentum Arist. est explicare modum; 7.
quo propositiones de inesse conuertantur. Diuiditur autem in duas partes;

tes. In primâ, diuidit propositionem; in eam, quam vocat de inesse; & aliam, quæ vocatur *Modalis*. In *secunda*, docet; quonam modo conuertantur propositiones de inesse: nam de conuersione modalium agit cap. sequenti.

Diuisio est hæc: *Propositio, alia est*; in qua simpliciter prædicatur vnum de altero: aut negatur de illo, absque modo aliquo necessario, aut contingenti adiuncto: & hæc vocatur proposito de inesse: quia prædicatum dicitur de subiecto, secundum esse, quod habet in eo; non secundum hunc vel illum modum, quo ei conuenit; videlicet secundum modum necessitatis, aut contingentiæ: vt homo est animal. *Alia est propositio modalis*: in qua prædicatum dicitur, vel negatur de subiecto; cum aliquo modo necessitatis, aut contingentiæ adiuncto: vt homo necessario est animal: paries contingenter est albus. Acturus igitur Aristot. de conuersione propositionum; prius agit de conuersione propositionum de inesse, capite præsenti; quàm de conuersione modalis: quia propositio de inesse, prior est, & quasi fundamentum modalis,

Propositio de inesse quadruplex est. Vniuersalis negatiua, Vniuersalis affirmatiua; Particularis affirmatiua, & Particularis negatiua: quam hoc modo diuidit; quia diuersum modum conuersionis habent affirmatiuæ: & negatiuæ. *Indefinita* verò, eundem modum conuersionis habet, ac particularis.

8. *Quatuor igitur assignat regulas*, pro cõuersione harum quatuor propositionum *Primam*; pro cõuersione Vniuersalis negatiuæ; quam dicit conuerti in seipsam: vt Nullus homo est animal; in hãc, Nullum animal est homo. *Secundam*; pro Vniuersali affirmatiua; quam dicit, non cõuerti in seipsam; hoc est, non in aliam vniuersalem: sed in partem, hoc est, in particularem: vt Omnis homo est animal, in hanc, Aliquod animal est homo. *Tertiam*; pro particulari affirmatiua, quã dicit conuerti in seipsam; vt aliquis homo est animal: ergo aliquod animal est homo. *Vltimam* regulã; pro conuersione particularis negatiuæ; quam dicit nullo modo conuerti. Vt hæc propositio, Aliquod animal non est homo: non conuertitur in hanc. Aliquis homo non est animal.

Notabile circa literam.

QVadam *sunt notanda circa hoc cap.* vt melius intelligatur doctrina Arist. *Primum, quid conuersio sit*? Et licèt à pluribus sic definiatur; Conuersio propositionis est; *Transmutatio prædicati in subiectum*: tamen insufficiens est hæc definitio: quia conuersio, argumentatio quædam est ab vna propositione; in alteram, per transmutationem extremorũ: & bona conuersio illa debet appellari; quæ bona consequentia est: quia in ea, repugnat dari antecedens verum, & cõsequens falsum Mala verò, in qua id dari potest. Ita ergo definienda est. Cõuersio propositionis est; *Argumẽtatio, in qua per transmutationem prædicati in subiectum, colligimus vnam propositionem ex altera*; vt si sic dicamus; Nullus homo est animal: ergo nullum animal est homo. Transmutatio autem extremorum, sic debet fieri in conuersione; vt non solum non variẽtur termini; sed nec significatio eorum, nec suppositio, nec distributio. 9.

Secundum notabile.

10. SEcundò *notandum est*. Duplicem esse conuersionem; *Vna est*, quæ fit per simplicem transmutationem extremorum: *Alia*; quæ fit per contrapositionem eorũ: & *prima*, satis per se est manifesta: *Secunda* verò, fit per transmutationem quidẽ extremorũ, sed additis eis duab. negati-

 onibus

onibus infinitantibus: & huius conuersionis non est vsus, nisi in proposionibus affirmatiuis, quia negationes non possūt addi supra alias negationes, sine magna confusione. Vniuersalis igitur affirmatiua, conuerti potest in seipsum, per cōtrapositionem hoc modo. Omnis homo est animal: ergo omne non animal, est nō homo. Et particularis etiam affirmatiua: vt aliquis homo est animal: ergo aliquod non animal, est non homo. Huius autem conuersionis non fecit mentionem Arist. quia non est propriè conuersio: nam cum extremis addantur negationes, non videntur eadem manere, sed variari: quod tamen ad veram conuersionem necessarium esse diximus: vnde nō tam est conuersio secundum formā propositionis, quàm secundum sensum. Prę terea, quia ad constitutionem syllogismorum inutilis etiam est, propter negationes, quibus obscura redditur forma syllogistica. Alij addunt, hanc conuersionem solum posse fieri in terminis existentibus: quia si nō existant dabitur antecedens verum, & consequens falsum: vt patet in hac cōuersione. Omnis homo est ens; ergo omne nō ens, est nō homo, in qua antecedens est verū, & consequēs falsum, cum sit propositio affirmatiua, de subiecto nō supponēte. Mihi tamē videtur, etiam in terminis nō existentibus fieri posse: neque vnquam dari antecedēs verum, & consequens falsum: quare nec datur in eodem exemplo. Sed negandum est, quod consequens sit propositio affirmatiua, de subiecto non supponente: nā terminus infinitus; etiā de non entibus, & de quibuscunque non existentibus dicitur: vt in 1. lib. de interpretatione probauimus: quare non efficit propositiones de subiecto non supponente; sed similes essentialibus, in quibus, copula absoluitur à tēpore: & ideo non est necessaria existentia extremorum ad suppositionem.

Tertium notabile.

Circa conuersionem particularis negatiuæ, *Notandum* est; ideo non cōuerti: quia dari potest aliquando in conuersione eius antecedens verum, & consequens falsum: quod sufficit, vt conuersio non sit legitima: cum de ratione conuersionis sit, argumentatio: & hæc euidenter probetur vitiosa, ex eo tantum, quòd semel dari possit antecedens verū, & cōsequens falsum, in simili forma argum. Ratio autem fundamentalis, propter quā in tali conuersione, datur antecedens verū & consequens falsum est: quia fit argumentū à termino non distributo in antecedente, ad eundem distributum in consequente: vt fit manifestum, si dicamus: Aliquod animal, nō est homo: ergo Aliquis homo, non est animal. Animal enim non distribuitur in antecedente, cùm sit subiectum propositionis particularis; & distribuitur in cōsequente, cùm sit prædicatum propositionis negatiuæ. Et ideo, non est bona cōsequentia, à conuersa ad conuertentem: nec proinde legitima conuersio; & hoc vult dicere Arist. dum particularem negatiuam, non conuerti docet: quia mala consequentia, non est consequentia. 11.

CAPVT TERTIVM.

TEX. ARISTOTELIS.

Eodem autem modo se habebit, & in necessariis propositionibus, &c.

Breuis expositio textus.

INtentum Arist. in hoc capite est, tradere regulas cōuertēdi propositiones modales. *Diuiditur autem cap. in duas partes.* 12.

In prima. Tradit regulas cōuertendi propositiones de necesse. *In secunda* verò, Regulas conuertendi propositiones, de modo contingenti.

Pro conuersione igitur Propositionū de necesse, easdem regulas tradit; quas capite præcedenti tradiderat, pro cōuersione propositionum de inesse. *Prima regula est*, *Quod vniuersalis negatiua de necesse, conuertitur simpliciter*, Quam probat arg. ducēte ad impossibile, in terminis non significantibus. Sed vt melius intelligatur, illud cōstituemus in terminis significantibus; hoc modo: Si vniuersalis negatiua non conuertitur simpliciter: ergo hęc non est bona cōsequentia. Necesse est nullum hominem esse æquum: ergo necesse est, nullum equum esse hominem: poterit ergo dari antecedēs verum, & consequens falsum. Sit igitur verum illud antecedens; Necesse est nullū hominem esse æquum: & hoc consequēs falsum; Necesse est nullum equum esse hominem: & si hoc consequens falsum est; verum erit istud; Contingit aliquem equum esse hominē: ex quo bene sequitur: ergo contingit aliquem hominem, esse equum; per conuersionem simplicem: sed hæc est contradictoria primi antecedentis malæ conuersionis; quod cōcessum est esse verum, nempe, Necesse est nullum hominem esse equum: ergo concedendum est; vniuersalē negatiuam de necesse, conuerti simpliciter; vel dari duas contradictorias simul veras.

131 *Secunda regula esse Vniuersalem affirmatiuam de necesse conuerti in partem: & particularem, affirmatiuam conuerti simpliciter*, Quam probat simili alio argumento, ducente ad impossibile; quod nō est necessarium repetere. *Tertia regula. Particularis negatiua de necesse non conuertitur.* Hanc probat hac ratione. Quia sicut hæc est mala consequentia, Aliquod animal non est homo: ergo aliquis homo non est animal; in conuersione particularis negatiuæ de inesse: quia datur antecedens verum; & cōsequēs falsum: ita in particulari negatiua de necesse; Aliquod animal non esse hominem, est necesse: ergo aliquem hominem esse animal, non est necesse.

In secunda parte cap. agit de conuersione propositionum de contingenti: quod duobus modis sumi posse ait. *Primò*; prout est idem, quod possibile: & hoc modo etiam conuenit rebus necessariis: quia si necesse est hominē esse animal: ergo etiam est possibile; & consequenter contingens, sumpto contingenti pro possibili. Sed hanc acceptionem cōtingentis, impropriam esse docet. *Ideo secundo modo*, sumitur propriè, pro eo; quod potest esse, & potest non esse.

Hoc supposito *Prima regula est. Quòd omnes propositiones de contingenti; Primo modo, eadem prorsus ratione conuertantur; ac propositiones de inesse, & de modo necesse*, quam nec oportet probare; nec exemplis ostendere; cùm sit satis manifesta.

Secunda regula: Omnes propositiones affirmatiua de contingenti, Secundo modo accepto, conuertuntur, etiam eisdem modis: nempe, Vniuersalis affirmatiua in partem: vt contingit omnem hominem esse albū: ergo contingit aliquod album esse hominem; & particularis affirmatiua simpliciter: vt contingit aliquem hominē esse album: ergo cōtingit aliquod album esse hominem. Quæ etiam regula non probatur ab Arist. quia manifesta est.

Tertia Vniuersalis negatiua, non conuertitur; particularis verò negatiua conuertitur simpliciter: & in hoc differunt propositiones de contingēti, ab omnibus aliis. Hanc regulam non probat alia ratione; nisi quia negatiuæ de modo contingenti propriè sumpto, affirmatiuam habent figuram:

guram; quid autem hoc sit, statim explicabitur.

Dubium primum circa conuersionem propositionum de necesse,

An vera sit secunda regula conuersionis, vniuersalis affirmatiuæ, & particularis affirmatiua, de necesse?

14. PRimò agendum est de conuersione propositionum de necesse; vt ordinem Arist. sequamur: *Deinde de cõuersione propositionum de contingenti*: & tandem dicemus, quid sentiendum sit, de propositionibus de possibili, & impossibili. *Est ergo primũ dubium* Quia secundum hanc regulam; propositio vniuersalis affirmatiua de necesse, conuertitur in particularem, & particularis affirmatiua simpliciter: sed probatur vtrumq; falsum: quia in vtraq; cõuersione datur antecedens verum, & consequens falsum: ergo vtraq; est mala cõuersio. Probatur antecedẽs in his; Necesse est omnem grammaticũ esse hominem, ergo necesse est aliquem hominem, esse grammaticũ: & rursus, Necesse est aliquem grammaticum esse hominem: ergo necesse est aliquem hominem esse grammaticũ. Aliqui respõdent, has propositiones modales, duobus modis sumi posse. *Primo in sensu composito*: ita, vt significatio modi, cadat supra totũ illud concretum; vt compositum ex homine, & grammatica: & sensus sit; Necesse est omne, quod necessariò est grammaticũ, esse hominem: & tũc antecedens est falsum; sicut & cõsequens: quare non probatur malam esse conuersionem, *Si verò sumantur in sensu diuiso*: ita vt modus nõ componat grammaticam cum homine; sed naturæ suæ relinquat. verbi gratia, si talis sensus sit; Omnem grammaticum, non posse non esse hominem; nõ possunt conuerti iuxta traditas regulas: quas solum in sensu composito intellexit Arist. Hæc solutio non placuit Villalpãdeo in Commentarijs huius capitis: quia verè diminuta est. Nam cùm in vtroque sensu, possit sumi modus; & melius atque frequentius sumatur in sensu diuiso; vt per se est manifestum, satis diminutus esset Aristot. si regulas conuersionis non assignaret iuxta communem, & magis proprium sensum propositionũ. Propterea respondet ipse. Veram esse eandem regulam, etiam in exẽplo allato: si seruetur idem sensus vtriusque propositionis. Quod in conuersione vniuersalis negatiuæ probat. Videlicet; Necesse est nullum grammaticum esse hominem: ergo necesse est nullum hominem esse grammaticum: nam vtraque in eodem sensu accepta, est falsa.

Sed hæc solutio minus satisfacit; quàm prima. nam regula non habet difficultatem in conuersione vniuersalis negatiuæ; sed in solis affirmatiuis: quæ etiam si in eodem sensu accipiantur; necesse est dari aliquando in earum cõuersione, antecedens verum, & consequens falsum. Vt exemplum datum probat euidenter.

Ideo Respondemus. Propositiones de modo *Necesse*, vniuersaliter loquendo, accipiendas esse, supposita existentia extremorum: vt in eis vera esse possit regula conuersionis, tradita ab Arist. Vt in exempli argumẽto; supposito, quòd homines, & grammatica sint in rerũ natura; tunc verum est antecedens: Necesse est omnem grammaticum esse hominem: quia sensus est; existente homine, & grammatica; necesse est omnem grammaticam esse in homine. Et etiam verum est consequens; Necesse est aliquem hominem esse grammaticum: quia sensus est; homine, & grammatica existentibus in rerũ natura; necesse est aliquem homi-

hominem esse grammaticum: quamuis non supposita existentia extremorũ; sed absolutè acceptã, sine tali suppositione, falsa esset propositio.

Dubium secundum.

An benè probauerit Aristoteles regulas conuersionis propositionum de necesse?

15. Videtur non benè id probasse, propter hoc arg. quia non benè probatur res aliqua per medium minus notum; quàm ipsa sit: sed Aristotel. probauit regulas conuertendi propositiones de necesse, per conuersionem particularis de contingenti, de qua nihil adhuc dixerat: ergo minus bene id probauit. Minor patet ex litera Aristotelis. Respondetur; quòd si bene intelligatur ratio Aristotelis, non vtitur conuersione propositionis de modo contingenti; sed propositionis de inesse: ex qua postea colligit, propositionem particularem de contingent, hoc modo. Si non conuertitur simpliciter vniuersalis negatiua de necesse: ergo potest dari antecedens verum; & consequens falsum. Sit ergo verum hoc antecedens; Necesse est nullum hominem esse equum: & hoc consequens falsum; Necesse est nullum equum esse hominem. Et si hoc consequens falsum est; bene sequitur ex eo, veram esse hanc propositionem: Contingit aliquem equum esse hominem; quæ est eius contradictoria. Et quia contingens, sumptum pro possibili; significat id, quod potest esse: ex propositione particulari de contingenti, hoc modo sumpto, infert Aristotel. propositionem particularem de inesse, per illam regulam; Possibili posito in esse, nullum sequitur inconueniens; hoc modo: Contingit aliquem equũ esse hominem: ponatur ergo in esse; Quòd aliquis equus sit homo, & tunc propositio hæc de inesse; Aliquis equus est homo, cõuertitur simpliciter in hãc; ergo aliquis homo est equus; per regulas conuertendi propositiones de inesse, iam traditas cap. præcedenti: ex qua colligit hanc modalem de contingenti pro possibili; Contingit aliquem hominem esse equum: quia ex propositione de inesse, euidenter colligitur propositio de possibili; sicut ex actu, colligitur benè potentia. Et hæc vltima, est contradictoria illius antecedẽtis malæ conuersionis; quod verum esse cõcedebatur: videlicet; Necesse est nullum hominem esse equum: & ideo colligit duas contradictorias simul esse veras; sine vlla conuersione propositionis de contingenti; per solam conuersionem propositionis de inesse, & per regulam contradictoriæ oppositionis, traditam lib. 2 de interpretatione: quod si vna est falsa, altera debet esse vera: & quod propositiones de necesse, habeant oppositionem cum propositionibus de contingenti; etiam sumpto pro possibili, modo, quo explicatur.

Circa conuersionem propositionum de modo contingenti.

Primum notabile.

Dvobus modis docuit Aristot. sumi contingens. Primò, Impropriè. *Secundò*. Propriè. Impropriè quidem pro possibili: & ita sumpto, eisdem modis conuerti propositiones eius; ac conuertuntur propositiones de necesse: & eisdem argumentis probandæ sunt: atque etiam; vt regulæ veræ esse possint, intelligi debent propositiones; supposita existentia extremorum: vt dictum est in eisdem propositionibus de necesse. Et tandem in conuersione omnium modalium, intelligendum est; solùm agere Aristot de propositionibus, de modo affirmato: sed variatis ex parte dicti, 16.

secun-

secundum quantitatem, & qualitatem. Hoc est de vniuersalibus, & particularibus, affirmatiuis, & negatiuis.

Secundum notabile.

Circa propositiones verò de contingenti; Secundo modo sumpto, *Notandum est*, Omnes propositiones eius efficere sensum compulatiuum: vt hęc propositio: Contingit hominem esse album; efficit hũc sensum; Possibile est hominẽ esse album; & hominem non esse album: sicque de reliquis: cuius ratio euidens est, significatio ipsius modi; quæ est, rem posse esse, & posse non esse: & propterea contingẽs hoc modo sumptum, vocatur ad vtrumlibet; quasi vtramque partem possibilem significet. Vnde sequitur ex affirmatiua inferri negatiuam; & ex negatiua, affirmatiuã. Bene enim sequitur; Cõtingit hominem esse album: ergo cõtingit hominem non esse album: atq; etiam; Contingit hominem non esse albũ: ergo contingit hominem esse album. Et ideo propositionibus de modo cõtingẽti, opponuntur propositiones de modo necesse, & de modo impossibili: quia ex duobus potest prouenire; quòd aliquid non sit contingens: nempe, ex eo; quòd sit necessarium, & ex eo, quòd sit impossibile: vnde vtraque hæc est falsa; Contingit hominem esse animal atq; etiam; Contingit hominem esse equum: *Prima*; quia necessaria. *Secunda*; quia impossibilis. Et ex hoc procedit, tã diuersum modum conuersionis habere propositiones de contingẽti; ab aliis omnibus aliorum modorum. Nam cum vniuersalis negatiua aliorũ modorum, conuertatur simpliciter; de modo tamen contingenti, nõ conuertitur simpliciter. Et cum particularis negatiua aliorum modorum, non conuertatur; si sit de modo contingenti, conuertitur simpliciter; & hæc est sententia Aristotelis.

Tertium notabile.

Sed vt eam intelligamus, *Notandum est, Tertiò*, quòd vt aliqua propositio conuertatur; necesse est, secundum omnia, quæ includit conuerti: nam si secundum aliquid non conuertatur: non fiet conuersio secundum integrum sensum eius: nec dicetur ipsa cõuerti; sed aliquid eius: quare talis conuersio, fiet secundũ vocẽ tantum; & non secundùm sensum & veritatem: & ideò non erit vera, sed apparens tantum. Ex quo præsupposito certissimo, non erit difficile intelligere; verum esse vtrumque assertum ab Arist. *Primum quidem*: quòd vniuersalis negatiua de contingenti, non conuertatur simpliciter. Exempli gratia: Contingit nullum hominem esse album: non conuertitur in hanc; Contingit nullum albũ esse hominẽ: quia includit has duas propositiones, de possibili; Nullum hominẽ esse album, est possibile: & Possibile est omnem hominẽ esse album: sed hæc secunda non conuertitur simpliciter; vt per se est manifestum: ergo nec vniuersalis negatiua eam includens poterit simpliciter conuerti.

Quòd verò secunda regula, de cõuersione particularis negatiuæ vera sit; hoc modo probatur. Propositio particularis negatiua, propter significationem modi, infert affirmatiuam: vt probauimus: ergo hæc est bona consequentia; Contingit aliquem hominem nõ esse album ergo contingit aliquem hominem esse album: ex qua sequitur per conuersionem simplicem iam traditam: ergo contingit aliquod album esse hominem: & ex hac sequitur etiam, propter significationem modi, negatiua; nẽpè, Contingit aliquod album non esse hominem; quæ est conuertens negatiuæ particularis in principio sumptæ: ergo euidẽter probatur, cõ-

uer-

uertendam esse simpliciter. Sed vt hæc regula vera sit; propositiones debent sumi supposita existentia extremorum: vt in propositionibus de possibili, & necesse diximus: alioqui dabitur antecedens verum; & consequens falsum : vt in hoc exemplo; contingit hominem non esse ridentem: ergo contingit ridentem non esse hominem: atque etiam; Contingit hominem non esse grammaticum: ergo contingit grammaticum non esse hominem. Supposita autē existentia extremorum; nempe risu, & hominis; aut Grammaticæ, & hominis; sicut cōsequens est falsum, ita & antecedēs: nam homine & Grammatica existentibus; non est contingens; quòd Grammaticum sit homo; sed necessarium ex suppositione: nam si Grammatica est in rerum natura; non potest esse nisi in homine, seu non esse in homine: ergo necesse est eam in homine esse: quare falsum erit; quod contingat Grammaticum esse hominem.

Sed aduersus hanc conuersionem particularis negatiua, est arg. satis difficile. Nam ideò dictum est ab Aristot. particularē negatiuam de inesse non cōuerti simpliciter: quia datur antecedēs verū & consequēs falsum: & hoc ideo, quia fit argumentum à termino non distributo, ad terminū distributum; ex parte subiecti propositionis conuertendæ: vt patet in hac; Aliquod animal non est homo: ergo aliquis homo non est animal. Animal enim non est distributum in antecedente: & tamē distribuitur in consequente, ratione negationis supra illud cadentis: sed idem defectus contingit in conuersione particularis negatiuæ de contingenti: ergo falsum erit; quod conuertatur. Et hæc regula erit contraria illi, quæ negat particularem negatiuam de inesse conuerti. Probatur minor. quia dum sic procedimus; Contingit aliquem hominem non esse album: ergo contingit aliquod album non esse hominem: homo, qui est subiectum in antecedente; non distribuitur; sed solùm afficitur signo particulari: & tamē distribuitur in consequente, ratione negationis cadentis supra illum: ergo ex parte eius erit talis conuersio, argumenti à termino non distributo, ad terminum distributum; sicut conuersio particularis negatiuæ de inesse: & consequenter, erit vitiosa; & nulla; sicut est illa.

Respondetur, Distinguendo minorem; quòd in conuersione negatiuæ de cōtingenti, fiat argumentum à non distributo ad distributum: quia diuerso modo fit, atque in propositione de inesse: nam in hac fit, ex parte totius, atque integri extremi; sed in modali de contingēti, tantum ex parte extremi partialis: cùm tamen ex alia parte maneat extremū sine distributione. nam extremum propositionis modalis est dictum: & cum propositio de modo cōtingente negatiua, cōtineat etiam affirmatiuam; duas habet partes dictum eius: vnam negatam, & alteram affirmatam. Et ideo vnam distributam; & alterā sine distributione. Gratia exempli; dum sic procedimus, in eodem exempli loco allato arg. Contingit aliquem hominem non esse album: ergo contingit aliquod albū, non esse hominem: hoc consequens negatiuum, continet etiam affirmatiuum; nempe, contingit aliquod album esse hominem: in quo patet hominem nō distribui; licet distribuatur in alia parte eiusdem dicti negatiua: ex affirmatiua autem sequitur iterum alia pars negatiua: nempe; Contingit aliquod album, non esse hominem: quæ est conuertens eiusdem particularis negatiuæ. Vnde sequitur, nō impedire conuersionē, nec vitiosam eam reddere, argumētationem, à non distributo

ad distributum, ex parte extremi partialis, manentis sine distributione in alia parte affirmatiua eiusdem.

Sed aduersus hanc solutionem, est argumentum adhuc difficilius. Quia ex eo sequitur, vniuersalem negatiuam eiusdem modi contingentis, cõuerti simpliciter; contra aliam regulam negantem cõuersionem eius. *Probatur id sequi.* quia ex eo tantum non potest conuerti vniuersalis negatiua simpliciter; quia includit vniuersalem affirmatiuam, non conuertibilem simpliciter; sed vniuersalis affirmatiua, ex eo solùm non potest conuerti simpliciter; quia talis conuersio erit argumentum à non distributo ad distributũ, ex parte prædicati eius: quod cùm non sit in ea distributum, distribuitur in conuertente; vt patet, dum sic procedimus: Cõtingit omnem hominem esse album: ergo contingit, omne album esse hominem. Constat verò vniuersalem affirmatiuã; solùm esse partem dicti vniuersalis negatiuæ, eam includentis: & ideo solum esse extremum partiale eius: ergo si non reddit vitiosam conuersionem; quod in ea fiat argumentum, à non distributo ad distributum, ex parte extremi partialis: vt dictum est in conuersione particularis negatiuæ, nec igitur efficietur vitiosa conuersio vniuersalis negatiuæ. *Respõdetur;* Esse diuersam rationem in vniuersali negatiua, includente vniuersalem affirmatiuam; ac in particulari negatiua: nã in conuersione huius duo sunt: *Primum;* quòd idem terminus, qui non est distributus in subiecto antecedentis; non distribuitur in vtraque parte cõsequentis; sed in altera tantum: in alia verò, sine distributione manet; cum sit particularis affirmatiua. *Secundum est;* quòd eadem pars affirmatiua conuertitur simpliciter: & per tagem conuersionem, colligitur euidenter ex ea particularis negatiua: quæ est conuertens particularis negatiuæ; in principio assumptæ ad conuersionem: & ideo à primo ad vltimum; sequitur euidenter particularem negatiuam conuerti. In vniuersali verò affirmatiua, inclusa in negatiua vniuersali, neutrũ horũ reperitur. *Non primum*; quia sic argumentum à non distributo ad distributum; dum eam conuertimus: vt terminus qui non distribuitur in antecedenti; semper in consequenti distribuatur: hoc est, tam in 20
couertente affirmatiua; vt patet, cùm sit vniuersalis; quàm in negatiua vniuersali, quã includit; cuius omnes terminos patet esse distributos. Ideo omni ex parte, est argumentatio à non distributo ad distributum: & plus infertur in consequenti; quã contineatur in antecedenti. *Sed nec reperitur secundum*: quia vniuersalis affirmatiua, in quam conuertitur; non includit propositionem conuertibilem, ex qua possit deduci cõuertẽs vniuersalis negatiuæ; sed solum vniversalem negatiuam non cõuertibilem; vel de qua disputatio est; an cõuertatur; quare nõ possumus vti conuersione eius in eadem argumentatione; sicut possumus vti conuersione particularis affirtiuæ, inclusæ in alia particulari negatiua, & ideo nunquam possumus colligere ex conuersione vniuersalis affirmatiuæ; quam includit, vniuersalem negatiuam; quæ sit conuertens alterius vniuersalis negatiuæ: de cuius couersione agitur. Ex his igitur duabus differentiis, tanquam à signo euidenti colligimus; propositionem particularem negatiuam, continere virtualiter suam conuertentem: cùm per euidentes consequentias ex ea deducatur: & ideo conuerti posse; vt docuit Aristot: Vniuersalem verò negatiuam, non continere suam conuertentem vllo modo; cum ex ea nõ posit deduci

deduci: sed solùm affirmatiuam vniuersalem; quæ impedimento est ei, ne possit simpliciter conuerti.

Etsi tandem dicatur, Hinc sequi; quòd vniuersalis negatiua, saltem possit conuerti in partē: cùm vniuersalis affirmatiua, quam includit, & propter quam solam non potest conuerti, in particularem conuertatur: quod tamen videtur esse contra regulam Arist. negantem vllo modo conuerti. *Respondeo*. Necessariò concedendum esse; quòd vniuersalis negatiua cōuertatur in particularem: quia id conuincit argumentum: quin hoc nūquam Arist. negauit: quia nullum est fundamentum, propter quod negari possit; sed solùm negauit conuerti; vt petit propria natura: hoc est conuersione simplici; sicut conuertitur in alijs modis, atque in propositionibus de inesse. Et hæc de conuersione propositionum de modo contingenti.

Notabile vnicum.

Circa conuersionem propositionum de possibili & impossibili.

VLtimò notandum est, circa conuersionem propositionum de possibili, & impossibili; non esse locutum Arist. expressè, & in particulari de illis: quia eisdem modis couertuntur, secundum sensum, & æquipollentiam; ac propositiones de necesse: licèt aliquādo diuersæ appareant ab eis; præsertim propositiones de impossibili. Et de propositionibus de possibili, res est manifesta; cùm sint de contingenti impropriè sumpto: de quibus supra diximus, eodē modo cōuerti posse, ac propositiones de necesse. Sed de propositionibus de impossibili, intelligetur facilè; si cōsideremus propositiones de impossibili affirmato, æquipollere propositionibus de necesse, habentibus oppositum dictum: vt hæc propositio; Impossibile est aliquem hominem esse equum; æquipollet huic, necesse est nullum hominem esse equum: quare sicut illa conuertenda est: & sic de cæteris de impossibili, affirmato modo: nam de his solis loquitur Aristot. in his conuersionibus; vt diximus. Solùm est repetendum in hac parte; quod intelligitur semper, supposita existentia extremorum.

CAPVT QVARTVM.

TEXTVS ARISTOTELIS.

Determinatis verò his. Dicamus iam per quæ, & quando, & quomodo fiat omnis syllogismus, &c.

Breuis expositio textus.

INtentum Aristot cap. præsenti est, explicare naturam, & rationem primæ figuræ. 22 *Diuiditur autem in duas partes. In prima*. Explicat modos vniuersales; quibus syllogismi fieri possūt: ex quibus alios omnes inutiles; qui videntur eis similes, reijcit. *In secunda*. Explicat duos alios modos particulares vtiles: & ex eis tanquā inutiles, omnes alios; qui in simili dispositione fieri possūt, etiā reijcit.

Modos vniuersales explicat his verbis *Quando tres termini sic se habent, vt postremus sit in toto medio, & medius in toto primo, sit vel non sit; extremorum fieri syllogismum necesse est, &c* Per medium terminum intelligit eum; qui bis sumitur in præmissis. Per postremum terminum; minorem extremitatem: & per primum; maiorem extremitatem. Sensus igitur verborum eius talis est. Quando tres termini, ita sunt dispositi; vt mediū subijciatur vniuersaliter maiori extremitati, in prima propositione; in secunda verò, minor extremitas subijciatur

vniuersaliter medio; affirmatiuè quidē fit syllogismus in primo modo; qui vocatur, *Barbara*: quia cōstat tribus propositionibus affirmatiuis; & est talis. Omne animal est substātia: omnis homo est animal: ergo omnis homo est substantia. Negatiuè verò, in secūdo modo; qui vocatur, *Celarent*: quia constat minori affirmatiua, & maiori, & conclusione negatiuis: & ita constituitur. Nullum animal est lapis: omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis. Quomodocunque autem aliter disponātur mediū, & extremitates in propositionibus vniuersalibus, modos inutiles, ac vitiosos efficiūt: in quibus tā propositiones vniuersales affirmatiuæ; quàm negatiuæ, indifferenter sequuntur: vel; vt alij dicunt: dantur termini; in quibus omni, & etiam termini; in quibus Nulli. & probatur vitiosas esse consequentias; v.g. dari duas contradictorias simul veras. Itaque; ex dispositione vniuersali terminorum solùm duo producti modi vtiles resultant; in quibus perfecti efficiuntur syllogismi. *Quod probatur euidenter*, quia in primo; dicitur de omni: hoc est prædicatum maioris; quod vniuersaliter dicitur de subiecto in maiori; dicitur necessariò de aliquo contento, & sumpto sub eo in conclusione. In secundo verò, dicitur de nullo: nam prędicatum maioris negatur vniuersaliter de subiecto eiusdem: & ideo negatur etiam necessariò de subiecto minoris in conclusione.

In secunda part. cap. Explicat duos alios modos vtiles eiusdē figuræ; quos vocat particulares: quia altera præmissarum particularis est; & vniuersalis altera. Si ergo inquit vtraque præmissa sit particularis; inutiles fiunt omnes modi: Si verò particularis vna, & vniuersalis altera: vel maior est vniuersalis; in qua maior extremitas dicitur vniuersaliter de medio: & minor particularis, in quā medium dicitur de minori extremitate, modo particulari: fit tertius modus perfecti syllogismi; qui dicitur *Darij*; quia constat minori vniuersali affirmatiua; & minori, & conclusione particularibus etiam affirmatiuis. Et talis est modus is; Omne animal rationale: est risibile. Aliquis homo est animal rationale: ergo aliquis homo est risibilis. Si verò maior sit vniuersalis negatiua; in qua maior extremitas negetur vniuersaliter de medio: & minor particularis affirmatiua; in qua medium dicatur de minori extremitate, modo particulari; fit modus vtilis quartus primæ figuræ; qui vocatur *Ferio*; & est talis. Nullum animal est lapis: Aliquis homo est animal: ergo aliquis homo non est, lapis. Quòd verò duo isti syllogismi perfecti sint; euidēs est; ex duobus alijs prioribus: à quibus solū differunt ex parte minoris propositionis; quę in illis est vniuersalis; & in his particularis: & cōsequenter conclusiones eorū sunt particulares. Cū ergo particulares propositiones eorū, cōtineantur sub vniuersalibus aliorum, si illi euidentes sunt, & in eis dicitur de omni, & de nullo; idē prorsus habebunt isti. Cæteri verò modi; quibus disponi possunt præmissæ vniuersalis, & particularis; inutiles sunt: & in quibus dantur termini, in quibus omni, & in quibus Nulli. Hæc Arist.

Quid sit figura; & quotuplex; & quid modus, explicatur.

F*igura syllogismorum, nihil aliud est quā debita dispositio trium terminorum*: hoc est; medij, & extremitatum; *secundum debitum modum prædicationis, & subiectionis*. Dicitur autem per metaphoram, ex similitudine figuræ geometricæ: nam sicut hæc resultat ex lineis terminatis per puncta, ita dispositis; eodē modo figu- 24

do figura syllogistica; ex propositionibus, quæ sunt quasi lineæ terminatæ extremis punctis; hoc est subiecto, & prædicato: quæ vocantur termini propositionum; quia sunt extrema eius.

Figura triplex est: quia tribus tantum modis disponi possũt media & extremitates. Nam vel medium in prima est subiectum; & in secunda prædicatum: & vocatur prima figura propter tria. *Primò*; Quia medium in hac dispositone, non solum rationem habet medij, quod per id coniunguntur extremitates: sed etiam proprium situm medio debitum; cùm sit inter extremitates collocatum: ita vt sit subiectum vnius; & prædicatum alterius. *Secundò*; Quia in hac figura, omne genus propositionis colligitur; nempe vniuersalis affirmatiua, vniuersalis negatiua, particularis affirmatiua, & particularis negatiua. *Tertiò*; Quia ex hac figura deriuãtur aliæ: nam vel medium est prædicatum vtriusque præmissæ; & sic est secunda figura: vel est subiectum vtriusq; & sic est tertia. Cuius ratio satis congruens est: quia prædicatũ est nobilius subiecto: & ideo nobiliorem rationem, & locum habet medium: & nobilior ex cõsequenti est dispositio ipsa; in qua semper est prædicatum; ea, in qua semper est subiectum: & propterea dispositio illa. Secundam; hæc verò figuram Tertiam meritò constituit.

Modus est, debita dispositio præmissarum; secundum debitam qualitatem, & quantitatem; hoc est secundum rationem vniuersalis; & particularis: in qua consistit quantitas propositionis: & secundum affirmationem, & negationem; in quibus consistit qualitas.

25. *Modi primæ figuræ*, quatuor tantũm enumerati sunt; nempe, duo vniuersales, & duo particulares. Quia his tãtùm quatuor modis, debito modo disponi possunt præmissæ; vt ex eis euidenter inferatur conclusio: cæteri verò omnes modi, inutiles sunt; vt dictum est.

Dubium vnicum.

An præter tres figuras enumeratas ab Arist. addenda sit quarta?

PRima opinio tenet, Addẽdã esse quartam: quam tribuunt Galeno medicorum Principi. Et probatur hoc arg. Figura est debita dispositio medij, & extremitatum; secundum debitã subiectionẽ, & prædicationẽ: sed præter tres modos: quibus disponuntur ab Aristotel possunt quarto alio modo ab eius diuerso disponi: ergo ex tali dispositione efficietur diuersa figura; quæ sit quarta. Probatur minor. quia dispositio primæ figuræ est; in qua medium est subiectum maioris, & prædicatum minoris: dispositio secundæ; in qua medium est prædicatum vtriusque præmissæ: & dispositio tertiæ; in qua mediũ est vtriusque subiectum. sed possunt etiam quarto modo disponi; ita vt medium sit prædicatũ maioris, & subiectum minoris: scilicet vt ex tali dispositione non minus euidenter sequatur conclusio, quàm ex tribus prioribus: ergo resultabit ex tali dispositione quarta figura: distincta à tribus. Minor probatur hoc exemplo: omne risibile est homo: omnis homo est animal rationale: ergo omne animal rationale, est risibile. 26

Communis tamen consensus totius scholæ tres tantùm figuras ponit cum Arist. Et ita nobis sentiendum est. & probatur hac ratione. Quia figura propriè loquendo, est quasi forma syllogismi: in qua formaliter disponuntur propositiones: hoc est secundum modum naturalem, ac debitũ formæ earum. Debitus autem modus, in eo cõsistit; vt id quod se habet, vt forma, sit prædicatum, & quod se habet vt materia; sit subiectum: sed tribus tantùm modis

modis ita possunt propositiones disponi: ergo tres tantùm erunt figuræ enumeratæ ab Aristot. Minorem sic probo. Non possunt disponi quarto illo modo; nisi in maiori prædicetur, id, quod verè se habet vt materia, & subijciatur, quod se habet vt forma: atqui hęc dispositio prçter naturam, & formā propositionis est; vt idem exemplum assignatum probat: ergo ex illa dispositione non potest propria aliqua figura resultare: quare rarò, vel nūquam in disputationibus tali dispositione syllogismorum vtimur. Talis ergo dispositio; si aliquid simile figuræ habere potest; imperfectū quiddam est, & dispositioni primæ figuræ, quodāmdo affine; ad quam reduci debet. *Ad argum. verò.* Distinguenda est minor: quia disponi possunt; sed non modo debito ad efficiendam figuram; vt probatum est: & ideo talis dispositio, figuram distinctam non efficit; sed propter quandam similitudinem, reducitur ad primam.

Etsi aliquis obiiciat ex opposito; primam
17 solam sufficere; cùm per eam inferatur omne genus propositionis: & ideo, secundam, & tertiam non fuisse addendas. *Respondeo.* Necessarias esse secundam, & tertiam: quia licet in prima colligi possit omne genus propositionis; non tamen semper ea vti possumus in disputationibus: quia non semper tam manifesta consequentia constitui potest; vt omnibus euidens appareat: sed necesse est, alijs minus euidentibus sæpe vti; vt per eas ad euidētiores primę figuræ perueniamus. Necessariæ præterea sunt; vt copiam syllogismorum habeamus, ad instituendas disputationes; quam per solam primam figuram non haberemus.

CAPVT QVINTVM.

TEXTVS ARISTOT.

Quando verò huic quidem omni, illi autem nulli insit; aut vtrique omni, aut nulli; figuram quidem talem voco secundam.

Breuis expositio textus.

INtentum *Arist.* cap. præsenti est, explicare naturam secundæ figuræ. Diuiditur autē in duas partes. *In prima.* Explicat dispositionem secundæ figuræ. *In secunda.* Modos omnes vtiles syllogizādi in ea; refutatis inutilibus, percenset. 18

Secunda figura efficitur, (inquit Arist.) quando sic disponuntur præmissæ; vt medium sit prædicatum vniuersale de extremitatibus, in vtraque: ita vt affirmetur in vna; & negetur in alia: indifferēter quidem; quia siue maior sit negatiua, siue minor; dummodo non sit vtraque affirmatiua, aut negatiua; bona est dispositio; vt his duobus exemplis ostēditur. Nullus lapis est animal: Omnis homo est animal: ergo Nullus homo est lapis; & rursus. Omnis homo est viuens: Nullus lapis est viuens: ergo nullus lapis est homo. ideo medium in hac figura, ait Arist. esse; quod omni, vel nulli extremitati inest. Extremitates verò; quibus inest medium: & vt vtramque distinguat; asserit maiorem extremitatem esse eam; quæ iuxta medium posita est: esse autem iuxta medium positam dicit; quia sicut medium est prædicatum in præmissis; ita maior extremitas in conclusione. Ideo medio similis est. Minòrem verò extremitatem, lōgius ait distare à medio; quia cum medium semper sit prædicatū; minor extremitas, semper est subiectum. Vnde (inquit) sequitur; quod mediū quasi foris seu extra ponatur respectu extremitatum: quia semper prædicatur, & nūquam subijcitur: atque etiam primum sit positione:

positione: quia cùm sit prædicatum semper; præcipuum locum in hac figura tenet: extremum porrò vtrumque in præmissis subijcitur. In hac figura nullum syllogismum perfectum fieri dicit: quia syllogismus perfectus ille est; qui nullo indiget, vt appareat necessarius: sed omnes syllogismi huius figuræ, indigent reductione ad syllogismos primæ: ergo nullus eorum perfectus est.

In secunda parte capitis, Enumerat mo-
29 dos vtiles huius figuræ; inutilesque reijcit. *Inquit ergo.* Quando medium huic quidem omni; illi verò nulli inest: *fit primus modus vtilis*, qui vocatur *Cæsare*, hoc modo: Nullus lapis est animal: Omnis homo est animal: ergo Nullus homo est lapis. Reducitur autem ad secũdum modum primæ figuræ; per solam conuersionem simplicem maioris; hac ratione: Nullum animal est lapis: Omnis homo est animal: ergo Nullus homo est lapis.

Si verò è contrario medium huic quidem nulli; illi verò omni inest: id est, si in maiori negatur vniuersaliter de maiori extremitate; & in minori vniuersaliter affirmatur de extremitate minori, *fit secundus modus*; qui dicitur *Camestres*; vt ostenditur hoc exemplo: Omnis homo est animal: Nullus lapis est animal: ergo Nullus lapis est homo. Qui reducitur ad secundum modum primę figuræ; cõuersa minori simpliciter, & trãsmutatis pręmissis. Ita vt minor conuersa fiat maior; & maior fit minor; hoc modo: Nullum animal est lapis: Omnis homo est animal: ergo Nullus homo est lapis.

Tertium modum fieri, ait; si medium, huic quidem nulli: id est in maiori vniuersaliter negetur de maiori extremitate: illi verò alicui insit: id est, in minori dicatur de aliqua extremitate minori; fit tertius modus; qui dicitur *Festino*. Fit autem vtrumque; si maior fit vniuersalis negatiua: & minor particularis affirmatiua; hac ratione: Nullus lapis est animal: Aliquis homo est animal: ergo aliquis homo nõ est lapis. Reducitur autem ad quartum modum primę figuræ, per solam conuersionem simplicem maioris; hoc modo: Nullum animal est lapis: Aliquis homo est animal: ergo Aliquis homo non est lapis.

Quartum denique modum, fieri ait; quãdo medium, huic quidem omni; illi verò 30
alicui non inest: hoc est, quando maior est vniuersalis affirmans; in qua vniuersaliter prędicatur de maiori extremitate: & minor particularis negans; in qua negatur de ea sumpta in particulari, resultat modus iste; qui vocatur, *Baroco*: & est talis; Omnis homo est animal: Aliquis lapis nõ est animal: ergo Aliquis lapis non est homo. Modus autem iste non potest reduci ad primam figuram ostensiuè: vt per se est manifestum: ideò Aristoteles illum reducit per impossibile, ad primum modum; hac ratione: vt ex maiori, & contradictoria conclusionis, pro minori; inferatur contradictoria minoris, eiusdem syllogismi, simul vera cum ea: vt si ita dicamus. Syllogismus in *Baroco*, dicis; non est bona consequentia: ergo dari potest in ea, antecedens verum, & consequens falsum: sit ergo verum illud antecedens, pro maiori, & minori; & sit conclusio falsa: cuius contradictoria, vtique debet esse vera; nempe, Omnis lapis est homo: quam sic accipio pro minori: & cum maiori eiusdem syllogismi; hunc syllogismum efficio: Omnis homo est animal: Omnis lapis est homo: ergo Omnis lapis est animal: quæ est contradictoria minoris illius syllogismi; nempe, aliquis lapis non est animal: & vtraque est vera: hæc quidem; quia erat pars antecedentis

malæ consequentiæ: altera verò; quia erat contradictoria cõsequentis falsi, eiusdem malæ consequentię. Vnde sequitur, vel bonum esse syllogismum, quarti modi huius figuræ; vel dari duas contradictorias simul veras. Cæteri autem modi huius dispositionis inutiles sunt: & tales probari possunt per terminos; in quibus Omni, & in quibus Nulli.

CAPVT SEXTVM

TEXTVS ARIST.

Si autem eidem, hoc quidem omni, illud verò nulli inest; vel ambo omni, vel nulli: figuram quidem huiusmodi voco tertiam.

Breuis expositio textus.

Intentum huius capitis est; explicare naturam tertiæ figuræ. Diuiditur autem in duas partes. *In prima*; definit, & explicat tertiam figuram: medium atque extremitates, quomodo sint in ea disposita. *In secunda*; Modos vtiles; qui in ea fieri possũt enumerat, inutilibus exclusis.

In prima parte. Tertia, inquit, figura fit, quando tres termini sic disponuntur; vt medium in vtraque præmissa subiectum sit; maior verò extremitas, prædicatum maioris, & minor prædicatum minoris: sed necesse est; vt maior propositio semper sit vniuersalis, & conclusio semper particularis: ideò mediũ sic definit *Medium autem in hac dico, de quo ambo prædicantur.* Id est de quo prædicantur ambæ extremitates. Extremitates verò esse ait; quæ prædicantur: sed maiorem longius esse à medio; quia semper prædicatur, tam in præmissis; quam in conclusione. Mediũ verò semper subijcitur; ideo quasi dissimiles, & oppositas rationes habent: ac propterea hanc extremitatẽ longius esse dicitur à medio. Minor verò extremitas (inquit) est, *quæ propius*; hoc est, quæ magis accedit ad medium; cùm saltem in cõclusione sit subiectum; sicut medium in vtraque præmissa. Nullum autem syllogismum perfectum fieri in hac figura docet: quia omnes indigent reductione ad primam; vt appareat necessarij.

In secunda parte capitis, enumerat modos vtiles, qui in hac figura effici possunt, inutilibus exclusis. *Primus igitur modus efficitur*; quando vtraque præmissa est vniuersalis affirmatiua; vt si dicamus: Omnis homo est viuens: Omnis homo est animal: ergo aliquod animal est viuens. Et vocatur modus iste *Darapti*. Reducitur autem ad tertiũ modum primæ figuræ, per solam conuersionem minoris in partem hoc modo: Omnis homo est viuens: Aliquod animal est homo: ergo Aliquod animal est viuens.

Secundus modus fit; quando maior est vniuersalis negatiua; & minor vniuersalis affirmatiua: & vocatur *Felapton*; atq; est talis. Nullum animal est lapis: Omne animal est viuens: ergo aliquod viuens non est lapis. Reducitur autem ad quartum modum primæ figuræ, per solam cõuersionem minoris in partem; hoc modo Nullum animal est lapis: Aliquod viuens est animal: ergo Aliquod viuens non est lapis.

Tertius modus fit; quando maior propositio est particularis affirmatiua, & minor vniuersalis negatiua: & dicitur *Dissamis*. Vt si dicamus; Aliquod animal est corpus: Omne animal est viuẽs: ergo aliquod viuẽs est corpus. Reducitur autem ad tertium modũ primæ figuræ, per conuersionem minoris, & transmutationem præmissarum. Ita, vt maior cõuersa fiat minor; idque per conuersionem simplicẽ conclusionis, & ex minori, fiat maior hoc modo. Omne animal est viuẽs Aliquod corpus est animal: ergo Aliquod corpus est viuens.

Quartus

Quartus modus fit; quando maior est vniuersalis affirmatiua, & minor particularis etiam affirmatiua: vt si dicamus. Omne animal est viuẽs: Aliquod animal est corpus: ergo aliquod corpus est viuens: & vocatur *Datisi*. Reducitur autem ad tertium modum primæ figuræ, per solam conuersionem simplicem minoris: hoc modo. Omne animal est viuens: Aliquod corpus est animal: ergo aliquod corpus est viuens.

Quintus modus fit; quando maior est particularis affirmatiua: & minor vniuersalis affirmatiua: vt si dicamus. Aliquod animal nõ est lapis: Omne animal est viuens: ergo aliquod viuens non est lapis. Et vocatur *Bocardo*; qui nõ potest deduci ad modos primæ figuræ ostensiuè sicut alij, sed solùm per impossibile, secundum regulas huius reductionis hoc modo. Omne viuẽs est lapis: Omne animal est viuens: ergo Omne animal est lapis.

Sextus modus fit; quando maior est vniuersalis negãs, & minor particularis affirmans; vt in hoc exemplo: Nullũ animal est lapis: Aliquod animal est viuens ergo aliquod viuens non est lapis: & vocatur *Ferison*; qui reducitur ad quartum modum primæ figuræ, per solam conuersionem simplicem minoris, hoc modo. Nullum animal est lapis: Aliquod viuens est animal: ergo Aliquod animal non est lapis. Per has autem reductiones ad modos primæ figuræ; probatur euidenter, vtiles ad bonos esse omnes syllogismos secũdæ, ac tertiæ figuræ. Solùm autem vsi sumus reductione ostensiua: quia breuis est. Reductionem verò per impossibile, tanquam longiorem ad Summulas remittendam censemus; vbi iuuenes in ea frequenter exercentur: & propterea non est necessarium hac in parte eam repetere. Ex tribus figuris, resultant quatuordecim tantum modi vtiles, sequentibus dictionibus significati; quarum quælibet significat suum modum: & quatuor primæ; significant quatuor modos primæ figuræ: quatuor sequentes; significant quatuor alios secundæ figuræ: sex verò vltimæ; sex alios tertiæ figuræ. Dictiones verò istæ sunt. *Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison*. Quinque enim alij imperfecti primæ figuræ, non sunt constituti ab Aristotele; sed post eum ab alijs additi.

Traditur ars inueniendi medium, ad conficiendos syllogismos, & probandum quodlibet genus propositionum.

DE *hac arte agit Arist.* cap. 29. huius primi lib. vbi quod ex se obscurum est; obscurius multò fecit, vtens elemẽtis, aut literis, nihil significantibus, pro medijs inueniendis. Nos verò eã in terminis significantibus, nobisque familiaribus; atque etiã verbis minimè obscuris, breuiter explicabimus: tanquam fundamentum præsupponentes, proprium officium medij in syllogismo: quod non est aliud, quã vnire, aut disiungere extremitates. vnire quidem in syllogismo affirmatiuo; seu prædicatiuo; qui componitur ex propositionibus affirmatiuis: disiungere verò, in syllogismo negatiuo; hoc est constante aliqua propositione negatiua. Et ratio huius distinctionis est manifesta: quia per syllogismum affirmatiuum; probanda est propositio affirmatiua; in qua aliquod prædicatum vnitur alicui subiecto: medium autem ad vniendum terminos accedere debet. In syllogismo verò negatiuo, probãda est propositio negatiua; in qua prædicatum negatur de subiecto: quod est separari ab eo: medium verò, ad ali-

qua separanda, tale debet esse; vt disiungat ea; nō vt vniat. Vtrumque ergò officium conuenit medio, respectu diuersorum syllogismorum, & diuersarum propositionum probandarum.

Ex quibus sequuntur duæ regulæ vniuersales. Prima; Ad probandam propositionem affirmatiuam quamcunque quærendum esse medium, quo extrema eius, hoc est prædicatum, & subiectum vniantur. *Ad probandam verò quamlibet negatiuam, medium potius quærendum, quod ea disiungat.* Sed vt particulares regulas; quas Arist. tradit intelligamus aliud fundamentum debet præsupponi, nempe, medium cōparatum ad extremitates; quas vnire, aut separare debet, triplex esse *Antecedens, Consequens, & Extraneum. Medium antecedens*, illud dicitur; ex quo aliqua, vel vtraque extremitas sequitur: vt homo; respectu risibilis. *Medium consequēs*; quod ex vna, vel ex vtraque extremitate, sequitur. *Medium denique extraneum*; quod alteri, vel vtrique extremitati repugnat: vt lapis respectu animalis, atque etiam viuentis.

Ex quo infertur, Primò. Quòd ad probādam propositionem quamlibet affirmatiuam, quærendum sit medium antecedens, vel consequens, respectu vnius; aut vtriusque extremitatis: ad probandam verò propositionem negatiuam; nō est quærendum medium antecedens, neque consequens; sed extraneum.

Secundò sequitur. Ad probandam quālibet propositionem oblatam, considerandum esse; quonam modo se habeant prædicatum, & subiectum eius: nam si vnum cōueniat alteri; per medium antecedens, vel consequens probanda est: si verò ei repugnet; per medium extraneum. Supponimus autem propositionem probandam; veram esse debere, aut probabilem; vel quod talis existimetur: nā ad probandum propositiones falsas, vt tales; nec medium dari potest, neque ars vlla: illud inueniendi.

His suppositis, quatuor regulas tradit Aristoteles vbi supra, ad concludenda quatuor genera propositionum; sub quibus comprehenduntur omnes alię. *Prima regula est*, Ad inferendam vniuersalem affirmatiuam, tale medium quærendum est; quòd sit consequens respectu subiecti, & antecedens respectu prædicati; v. g. ad inferendam hanc propositionem; Omnis homo est substantia, assumēdum erit animal; quod est consequens ad hominem, & antecedens respectu substantiæ; & syllogismus fiet hoc modo in *Barbara*: Omne animal est substantia: Omnis homo est animal: ergo Omnis homo est substantia.

Secunda regula. Ad inferendam particularem affirmatiuam, assumendum est medium; quod sit antecedens respectu subiecti, & prædicati eius; quæ sunt extremitates: vt ad inferendum hanc; Aliquod animal est substantia; assumi debet homo, ex quo vtrumque sequitur: & fiet hoc modo in *Darapti*. Omnis homo est substantia: Omnis homo est animal: ergo Aliquod animal est substantia.

Tertia regula. Ad inferendum vniuersalem negatiuam, assumendum est medium; quod sit consequens respectu subiecti; & extraneum respectu prædicati: vt ad probandam hanc; Nullus homo est lapis, assumendum est animal: & sic probabitur in *Cæsare*. Nullus lapis est animal: Omnis homo est animal: ergo Nullus homo est lapis.

Quarta regula. Ad concludendā particularem negatiuam, assumendum est medium; quòd sit antecedens ad subiectum & extraneum, respectu prædicati, vt ad concludendam hanc; Aliquod animal

mal non est lapis; assumendum est,]Homo: & ita concludetur, in *Festino*, Nullus homo est lapis: Aliquis homo est animal: ergo Aliquod animal, non est lapis.

Finis huius operis.

COMMENTARII IN DVOS LIB. ARIST. STAGIRITAE, DE POSTERIORI ANALYSI, SEV RESOLUTIONE, vnà cum dubijs, & quæstionibus hac tempestate agitari solitis.

PROOEMIVM TOTIVS OPERIS.

1 CVM officiũ Dialecticæ sit dirigere opera rationis: hoc est disponere illa, atq; ordinare, in diuisiones, definitiones, propositiones, & syllogismos, cæterasq; argumentationes; iuxta triplicem operationem intellectus dirigendã, diuiditur hæc scientia ab omnibus: Ita vt prima pars eius, cẽseatur illa; quę primam operationẽ; nempe apprehensionẽ simplicium ordinat; naturã eius sic explicãs; vt sciamus ea apprehẽdere, vt oportet, ad efficiendã cõpositionem: quod pertinet ad secundam operationem intellectus, ita dirigendã; vt per illam sciamus ex simplicibus iam apprehensis, compositionem cõstituere; nempe diuisionem, definitionem, & argumentationem. per debitam nanque constructionem horum instrumentorũ; directa, atque ordinata cẽsetur operatio. Tertiam verò dirigit logica; dum ex eisdem compositionibus argumẽtationẽ constituit. Nam in argumẽtatione, iuxta regulas dialecticæ constituta, ordinata censetur tertia operatio intellectus; cuius officium est, vnum ex alio colligere. Prima igitur pars dialecticæ, sunt prędicamenta; ex simplicibus ordinatis cõstituta. prædicabilia verò; non tam primam partem constituere censentur, quã præambulum quoddam esse, ad primam partem prædicamentorum.

Secunda pars dialecticæ, est opus de interpretatione; in quo traduntur regulæ constituendi propositionem, seu enũciationem. Ad tertiam verò partem pertinent, libri Priorum; in quibus agitur de syllogismo in communi; libri posteriorum, topicorum, & elenchorum; in quibus de syllogismis in speciali agitur: nẽpe, demonstratiuo, topico, seu probabili, atque sophistico. Et hac ratione habemus totam hanc scientiam in tres partes diuisam; per quam tres operationes intellectus diriguntur, ordinantur, perficiuntur. Ad cuius postremam partem pertinere, duos istos libros; de Posteriori analysi, aut resolutione; quos nunc interpretandos suscipimus, ex eadem diuisione efficitur manifestum: qua supposita, ad scopum huius operis; (quod subiectum, vel obiectum vocant) oculis subijciendum veniamus. 2

Quodnam sit subiectum; vel obiectum huius operis?

PRO eodem iam accipiuntur subiectum; cuius notitiam tradit scientia, demõstrãdo proprietates, aut passiones eius; & obiectum, circa quod; quasi circa scopum versatur consideratio eius. Quærimus ergò primò; *Quodnam sit subiectum, vel obiectum huius Posterioristicæ partis?* Præ supponendæ autem sunt conditiones obiecti, in 6. quæst. procemiali à nobis traditæ.

Prima opinio, tenet. Esse modum sciendi; vt comprehẽdit non solùm demõ-
3. strationẽ, sed etiam definitionem. Imò hanc principaliter: ita commentator, Alexander, & Theophrastus, in procemio huius operis: quos sequuntur nonnulli ex modernis.

Et Probatur hac ratione. Quia definitio est principale instrumentum scientiæ: ergo per se pertinet ad dialecticam, docentem instrumenta omnia sciendi facere: sed in nulla alia parte docet Arist. modum efficiendi definitionem; nisi in his libris: ergo ad eos pertinet per se, de definitione agere; quare ad eius obiectum simul cum demonstratione pertinebit. probatur minor quia in libris Topicorum; & si quæ est alia pars dialecticæ, in qua aliquid de definitione agatur; non de modo eam efficiendi agitur; sed supponendo eam iam constitutã in his libris, examinatur eadem.

Secunda opinio est communis & vera; quod sola demonstratio; & non modus sciendi, communis demonstrationi, aut defini-
4. *tioni sit obiectum huius operis.* Sic D. Tho. Albertus magnus, Caiet, Sotus, Toletus, Mercatus, & omnes ferè moderni interpretes. Probatur testimonio Aristot. qui statim in principio primi capitis; omnem doctrinam, omnemque disciplinam, ex præexistenti cognitione fieri docet, & probat: quod potissimum fundamentum est, totius artis demonstratiuæ. Ex quo cognoscimus, assensum conclusionis, ex notitia principiorum generari: quod est naturam demonstrationis intelligere.

Probatur deinde ratione. Quia illud est obiectum alicuius operis; cuius partes essentiales traduntur in eo, cuius natura explicatur, & cuius passiones probantur: sed hæc omnia præstantur in his libris, de sola demonstratione; & non de modo sciendi communi: vt in discursu eorum est manifestum: ergo. Nam si de definitione agitur (quod cõcedimus) non vt de alio modo sciendi, à demonstratione distincto; sed tanquam de parte eius essentiali agitur; quia potissimum principium eius est: ergo sola demonstratio est obiectum; & non aliquid aliud commune demonstrationi, & definitioni.

Et ex hoc soluitur argum. contrariæ opinionis; cui omnia concedenda sunt; sed ex concessione eorum, solùm habetur: quod per se in his libris agatur de definitione, tanquam de parte essentiali demonstrationis; non verò tanquam de alio modo sciendi distincto. Vnde qui asserit demonstrationem solam esse obiectum, non excludit definitionem; sed eam comprehendit: non tanquam sub aliquo prædicato communi; sed vt pars comprehenditur sub toto: & consequenter sub consideratione eius.

Digniorem esse hanc partem Dialecticæ cæteris omnibus ostenditur.

CVM notum sit, scientiam ex obiecto sumere dignitatem; colligitur opus

Opus hoc dignius, atque perfectius esse. cæteris partibus dialecticæ: quod sic probo. Notitia simplicium, de quibus agit prima pars dialecticæ, ordinatur ad cōpositionem, tanquam ad finem; de qua agitur in secunda parte: & compositio, ad syllogismũ eodem ordinatur modo: ergo sicut compositio, est perfectior simplicibus; pari ratione syllogismus erit perfectior compositione, & eisdem simplicibus: sed inter syllogismos, perfectissima est demonstratio, ad quam ordinantur, quæcunque tractantur in hac scientia, tanquam ad potissimum instrumentum, per quod generatur scientia: ergo opus hoc, quasi finis est aliarũ partium dialecticæ: & ideo dignius erit cæteris omnibus.

6. *Sed contra hoc, est arg. difficile.* Quia libri de priori resolutione, agunt de forma syllogismi; hoc est, de figura, & modo: in quo debet constitui: cæteri verò libri; de materia eiusdem; nempe libri de posteriori resolutione, de materia necessaria; ex qua constat demonstratio; libri Topicorum, de materia probabili; ex qua conficitur syllogismus dialecticus; libri Elenchorum, de materia apparenti; ex qua conficitur syllogismus pseudographus, aut deceptorius: sed forma cùm sit actus, est perfectior materia; quæ est potentia: ergo libri priorum, sunt pars nobilior dialecticæ, quàm libri posteriorũ, Topicorum, & Elenchorum. Probatur consequentia. quia sicut sciẽtia totalis, sumit suam dignitatem, ex dignitate obiecti totalis; ita quælibet pars sciẽtiæ, ex obiecto partiali sibi proprio. Vnde sequitur; falsum esse quod dicimus, hos libros posteriorum, esse nobiliorem partem totius dialecticæ.

Hoc argum. concludit aduersus plures,
7. qui tenent hoc opus solùm agere de materia necessaria syllogismi: & per hanc distingui à libris Priorum, agentibus de forma syllogistica; & à libris Topicorũ, & Elenchorum, agẽtibus de materia probabili, & apparenti. Ideo dicendum est; hoc opus, non solum de materia syllogismi agere: sed etiam de forma. Sed forma syllogismi duplex est; generica, & specifica. Forma generica est dispositio in modo & figura. Forma verò specifica ex modo speciali concludendi vnum ex alio, sumitur. Quod sic probo. Forma generica syllogismi, sumitur ex modo inferendi conclusionem ex præmissis, dispositis in modo, & figura: ergo specialis modus inferendi conclusionem ex præmissis, erit specialis forma syllogismi: sed demõstratio, de qua agitur in hoc opere, tanquam de proprio obiecto, continet nõ solum dispositionem, in modo, & figura; sed etiam specialem modũ inferendi cõclusionem ex præmissis: nẽpe, tanquam effectum ex causa per se, & propria; aut tanquam causam ex effectu proprio, & per se: ergo continet formam specialem, & perfectissimam syllogismi.

Secundò probatur. Quia demonstratio generat sciẽtiam, syllogismus verò probabilis opinionem: at isti duo effectus, 8.
sunt specie distincti: ergo duo isti syllogismi; nempe demonstratiuus, & probabilis; qui sunt causæ per se eorundẽ effectuum, distinguũtur specie. Et distinctio specifica, non est per materiam; sed per formam: ergo distinguũtur per formam. Non per formam vtique communẽ; quæ est dispositio in modo, & figura: cùm hæc sit generica, & vtrique communis: ergo per formam specialem; & nõ solùm per materiam.

Itaque tenendum est; quòd præter communem formam, & genericam syllogismi, ex modo, & figura desumptam; datur duplex forma specialis, ex modo speciali con-

cludēdi desumpta; per quam distinguuntur specie demonstratio, & syllogismus dialecticus seu probabilis. Forma specialis demonstrationis est, modus concludendi euidēter, effectū per se ex causa; vel causam per se ex effectu: modus verò cōcludendi syllogismi probabilis non est euidens; sed probabilis. Itaque in modo, & figura coueniunt; sed in modo speciali inferendi conclusionem ex præmissis, dispositis in modo, & figura, distinguuntur: quia modus concludendi demonstrationis euidēs, & necessarius est. Modus verò concludendi syllogismi dialectici. nō est euidens, aut necessarius: sed probabilis. & cū ille modus sit perfectissimus: perfectissima species syllogismi erit demonstratio. Exemplo esse possunt duo isti syllogismi; omne animal diligit sibi simile: sed Omnis homo est animal simile alteri homini: ergo omnis homo diligit alterum hominem. Et; Omne animal rationale, est risibile: Omnis homo est animal rationale: ergo Omnis homo est risibilis. Nam cùm vterque sit constitutus in primo modo primæ figuræ; secundus concludit euidenter: quia conclusio eius sequitur ex præmissis; tanquam effectus proprius, & per se, ex sua causa. Nam risibilitas, proprius effectus, necessarius, & per se rationalitatis est; cum qua conuertitur. Nihilominus primus syllogismus non concludit euidenter, sed solùm probabiliter: quia cōclusio eius nō sequitur ex præmissis, tanquam effectus necessarius, aut per se: sed tanquam effectus quasi contingens. Nam licèt similitudo inclinet ad dilectionem: tamen nō tanquam ad effectum necessarium; sed liberum, & qui sępe impeditur alijs rationib. Syllogismus verò Sophisticus, distinguitur specie ab vtroque: quia peccat in forma: non enim habet debitam dispositionem in modo, & figura, licèt videatur habere: quare nec habet veram formam; sed solùm apparentem.

Ad Arg. igitur. Negandum est antecedens; quod opus hoc solùm agat de materia syllogismi: agit enim etiam de forma; non communi, aut generica, de qua agūt libri Priorum; sed de specifica: & perfectissima quidem; vtpote ex perfectissimo modo euidenter concludendi desumpta. & ex hoc habet: quòd sit nobilissima pars totius dialecticæ; ad quam ordinātur ceteræ omnes, tanquam ad finē. Sed deceptio eorum; qui falso putant agere de sola materia; occasionē sumpsit ex hoc: quod modus iste perfectissimus, euidenter inferendi conclusionem ex præmissis, nō reperitur, nisi in propositionibus in materia necessaria constitutis: vnde verū est; opus hoc agere, de materia necessaria syllogismi: sed falsum; quod agat de sola materia: sed præcipuè, de forma speciali, & perfectissima.

Finis huius operis & titulus, seu inscriptio eius explicatur. 10

F*Inis huius operis nobilissimus est*: quia naturale desiderium hominis; vt est rationalis perficit. Ab ipsa enim rationali natura hominis procedit, naturale desiderium sciendi; hoc est cognoscēdi effectus per causas, aut causas per effectus; vt docuit expresſè Arist. 1. li. Met. in principio dicens; *omnes homines natura scire desiderant.* & ad hoc desiderium adimplendum ordinatur opus hoc; de natura demonstrationis agens: quæ est potissimum instrumentum sciendi; vt patet ex eius definitione, tradita ab Arist, ca. 2. huius 1. lib. in hunc modum. *Demonstratio est syllogismus faciens scire.* Inscribitur verò, de posteriori resolutione, Quem titulum vt intelligamus; vtraque particula eius explicanda est: nempe;

Re-

Resolutio, & Posterior. *Resolutio verò alicuius rei, duplex est; Physica, seu realis; & Logica, aut rationalis. Physica resolutio:* est dissolutio, aut destructio realis rei: vt dum equus moritur: dicitur resolui in materiam: & tum domus destruitur,
31. dissolui, aut resolui eam dicimus, in lingna, lapides, & terram: ex quibus constructa fuit. *Logica verò*, seu rationalis resolutio, non est destructio: sed perfectio rei. Consistit enim, in quoddam examine singularium partiũ; ex quibus res est constituta: quo examine ostenditur, singulas eius partes tales esse: quales esse debent, secundum præcepta illius artis: per quã constructa est. Vt dum examinamus partes definitionis: iuxta regulas definiendi traditas à dialectica, ostẽdentes proprio genere, & propria differẽtia constare dicimus resoluere definitionẽ. Quod patet idem esse: ac ostendere perfectam esse. Resoluere igitur demõstrationem non erit aliud: quàm partes, hoc est principia, seu præmissas eius examinare: dum scilicet ostẽduntur non vt cũque veræ: sed etiam necessariæ esse, & per se: atque immediatæ: ita vt cognitis terminis, sine vllo argumento: quo probentur, eis assentiatur intellectus: vel certè, per euidentes demõstrationes reducantur: vsque ad prima principia, ex sola noticia terminorum euidentia: nisi enim vno, aut altero modo cognoscat quis: esse per se euidentia: nec verã demõstrationem habebit, nec scientiã cõclusionis: sed syllogismũ dialecticum & opinionem. Vt Aristotel. docet capit. 2. huius 1. lib. his verbis. *Ex primis autem indemonstrabilibus, quoniam non sciet non habens demonstrationẽ ipsorum* Res fit manifesta hac demonstratione. Omne animal rationale est risibile: Omnis homo
32. est animal rationale: ergo Omnis homo est risibilis: cuius minor est propositio, per se nota, aut immediata; cùm in ea prædicetur definitio de suo definito: & definitio, sine vllo medio, vel argumento probante, sola per se immediatè conueniat definito: ita vt statim ac significationem terminorum cognoscit intellectus, iudicet esse veram. Hoc est enim esse principium immediatum, aut per se notum. Cæterum maior non est per se nota: quia risibilitas non cõuenit homini immediatè; sed media alia passione priori; nẽpe admiratione. Demonstranda igitur est; vt intellectus certò, atque euidenter cognoscat esse veram. Demonstratur verò per admirationem, pro medio assumptam, hoc modo. Omne admiratiuum, est risibile: Omnis homo est admiratiuus: ergo omnis homo est risibilis. Sed adhuc demonstratio hæc non sufficit: quia licèt maior præmissa sit immediata, in qua prædicatur vna passio immediata de alia; nempe risibilitas de admiratione; quæ sine vllo medio ex ea sequitur: minor tamen, in qua prædicatur admiratio de homine; non est immediata: quia admiratio nõ sequitur ex rationalitate per se immediatè; sed media alia passione priori, nempe capacitate disciplinæ. Quare vt cognoscat intellectus esse certam, & euidentem; scire debet eam demonstrare, per capacitatem disciplinæ sumptam pro medio; hoc modo. Quidquid est capax disciplinæ, est admiratiuũ: Omnis homo est capax disciplinæ: ergo Omnis homo est admiratiuus. Porrò hæc demonstratio perfectissima est: quia constat præmissis immediatis; aut per se euidentibus: atque indemonstrabilibus. talis est enim maior: in qua vna passio immediata prædicatur de alia: nempe admiratio de capacitate disciplinæ: qua mediante, sequitur ex rationalitate. Talis est etiam minor: in qua prima passio; quæ immediatè

sequitur essentiam, prædicatur de definitione, explicante eandem essentiam: & ad hanc demonstrationem reducta est prima; quæ non esset vera demonstratio; nisi ad eã reduceretur per veras demonstrationes. Quod si aliquis nesciat eã ita reducere; nõ erit in ei⁹ intellectu demõstratio vera; sed syllogismus probabilis: nec habebit per eam scientiam conclusionis, sed opinionem. Et hæc reductio, est resolutio logica, & rationalis; quia per eã examinantur partes demonstrationis, & probatur euidẽter tales esse; quales esse debent secundum regulas huius artis: hoc est, secundum definitionẽ eiusdem demonstrationis, tradendam in 2. cap. huius lib. quæ prima regula est totius artis scientiæ. Et tandem; quia in hoc opere, docetur modus iste resoluẽdi demonstrationem, per reductionem præmissarum vsque ad prima principia per se nota, aut indemonstrabilia; ideo inscribitur de resolutione.

Sed quia demonstratio duplici forma
14 constat (vt iam diximus) communi, aut
generica; ex modo, & figura desumpta, & speciali desumpta ex modo concludendi: *duobus modis resoluitur*; nempè, secundùm formam communem; quæ examinatur, & probatur per illa principia; dici de omni, & dici de nullo: *& etiam secundum formam specialem*; quã resolutionem modò ostendimus: & resolutio secundum formam genericam, prior est; resolutione secundum formam specificam: quia vniuersaliora sunt priora: & genus est prius specie: ideo libri agentes de syllogismo in communi appellantur de priori resolutione: hoc est de resolutione syllogismi, secundum formam genericam; quæ prior est. Hoc verò opus, docens resoluere syllogismum secundùm formam specialẽ; quę est posterior, inscribitur de posteriori resolutione,

Sed contra hoc est argum. Quia in his libris non solùm docet Aristot. resoluere demonstrationem, vsque ad prima principia; sed etiam componere illam ex talibus præmissis, & partibus: & prius est demonstrationem componere; quàm eam resoluere: quia resolutio est quasi examen compositionis: ergo de compositione potius tanquam de prima; quàm de resolutione debent appellari. Respõ-
deo, omissis aliis solutionibus: Con- 15
cesso antecedente; sed negata consequẽtia; quia licet de compositione per se tractetur, & prior sit; resolutio tamen est perfectior: quia est quasi forma, & anima cõpositionis; per quam constat euidenter, factam esse secundũ regulas artis, & ideò bonam esse: & demonstrationem compositam esse exactam, firmam, & stabilem, atque generatiuam sciẽtiæ

Ex *quibus sequitur*; non esse distinguendam resolutionem rationis; in Logicã, & Mathematicam: vt distinguit Toletus, in procemio huius operis, quæst 2. quia si resolutio certa sit; per veras demonstrationes fieri debet. Omnis autem resolutio facta per demonstrationes; est logica: quia ad solam logicam pertinet eam docere. Quocirca solum potest appellari mathematica; in quantum ad hanc scientiam applicatur; sicut etiam potest appellari physica, aut metaphysica; vt applicatur ad has scientias. Nam licèt omnis scientia resoluat suas conclusiones, & demõstrationes, vsque ad prima principia; tamen modum resoluendi per veras demonstrationes, à dialectica accipit; cuius proprium est id docere.

Explicatur quem locum obtinere debeat opus hoc, inter ceteras partes dialecticæ.

QVidam (vt Villalpãdeus) in procemio lib. de priori resolutione, *asserunt*;

ferunt; vnum, & eundem tractatum componi, ex libris priorum; & posteriorum: & ideo eundē locum esse concedendum his lib. & illis. *Alij verò:* vt Philoponus, & Auicena, *Distinctum tractatū esse dicunt*;
26 tamen libros topicorum collocant immediatè, post lib. priorum: hoc verò opus statim post lib. topicorum.

Verùm communis sententia duo asserit: primum. Opus hoc distinctum esse à lib. priorum. Quia in eo agitur de syllogismo, secundum formam specialem; in lib. verò priorum de eodem, secundum formam communem tractatur: & considerationes istæ diuersæ sūt; ideo ad distinctos pertinent tractatus. *Secundū. Hos lib. immediatè post lib. priorum; & ante lib. topicorum, & elenchorum esse collocandos*: ita D. Tho. in procemio huius operis, Albertus Mag. 1. posteriorum, tractat. 1. Caieta. Sotus, Louanien. Tolet. Merc. & moderni omnes, in hoc procemio: & ratio est manifesta. Quia in libris priorum, agitur de syllogismo in genere; sub qua consideratione prior est, quam secundū suas species; de quibus agitur in cæteris libris: ergo libris priorum, debetur primus locus, respectu aliorum; in quibus agitur de syllogismo: sed inter species syllogismi, perfectissima est demonstratio (de qua agit. hoc opus) & ex consequenti prima: ergo statim post lib. priorum collocari debet.

Quare dicatur iudicatiua hac pars posterioristica; pars verò topica inuentiua.

SED *quæri tandem solet in hoc procemio; Quare hæc pars dialectica dicatur Iudicatiua?* Cui omissis alijs opinionibus, Respondeo, ex doctrina D. Tho. in hoc procemio posita; rationē rei huius esse: quia iudicium intellectus factum de veritate rei; est quædam sententia: & perfectūm iudicium, non quæcunque sententia ab intellectu prolata; sed firma, atque certa: firmam autem, & certam sententiam, non potest ferre intellectus; nisi firmiter, & certò adhæreat alteri parti contradictionis. Hoc autem cōsequitur per demonstrationem: cuius non solùm præmissæ; sed etiam conclusio ex eis deducta, certa, atque euidens est: vt docuit Arist. lib. 1. cap. 1. dicens. *Oportet scientem simpliciter à credulitate impermutabilem esse.* Meritò ergo dicitur, hæc pars posterioristica iudicatiua: quia in ea docetur modus certum iudicium ferendi, de veritate propositionum: quod 18
perfectissimum quid est. Pars verò Topica, nō vocatur iudicatiua; quia per syllogismum topicum, nō fertur iudicium certum de conclusione; sed probabile tantùm: Inuentiua verò dicitur: quia ad inuentionem (vt bene D. Tho. inquit) nō requiritur certitudo: quamuis loca ipsa inuenta, per certam demōstrationē probentur in parte topica; in quantum pars est logicæ docentis. Per Topicam quoque eadem logica docet; in cæteris scientijs, loca aduenire, ad eruenda argumenta probabilia. Itaque quælibet pars dialecticæ, habet aliquid inuentionis, & aliquid etiā iudicij. Sed iudicare, quasi per ἀντονομασίαν conuenit huic operi posterioristico; cæteris verò per participationem eius, & inuenire loca argumentorum probabilium; eodem modo conuenit parti topicæ, & cæteris ex eius participatione. Ideo pars posterioristica, vocatur *Iudicatiua*; Topica verò *Inuentiua*: quia ab eo, quod principale est, vel principaliùs conuenit, sumitur appellatio.

Modus procedendi, & diuisio totius operis.

CIrca *modum procedendi; An definiendo, ac diuidendo procedat Arist. vel e-* 19

tiam demonstrando; nō omnes conueniunt. Sed Venetus ca. 1. huius operis, affirmat, diuisionibus, ac definitionibus, vti Arist. in discursu huius operis; nō demonstrationibus: quod probari potest testimonio Arist. qui in 2. c. 1. lib. duplici definitione definit demōstrationē. Et etiā hoc arg. Arist. in hoc opere, agit de demōstratione: ergo non procedit demonstrando. Probatur consequentia, quia si per demōstrationes procederet; daretur processus in infinitum: & idem probaretur per se ipsum. Probatur cōsequentia. quia si per demōstrationem probaretur natura demōstrationis: ergo natura illius demonstrationis, qua vteretur, esset probanda per aliam demonstrationē: & ita in infinitum. Et si per demonstrationem probatur natura demonstrationis; illa eadem demōstratio, per quā probaretur, seipsam probaret; cùm sit vera demonstratio: vel ignotum per ignotius; cùm ante demonstrationem, per quam probatur natura demonstrationis; non sit illa demonstratio cognita.

Duo tamen dicenda sunt in hac re. Primò Omnem scientiam, aut omnem partem scientiæ, vt plurimum procedere definiendo. Quia necesse est proprium obiectum in principio definire; vt definitio eius assumi possit, tanquam medium ad probandas passiones de illo: & ideo in hoc opere non sic procedit Arist. demonstrando; quin etiam procedat definiendo. *Secundò dicendum est. Proprium modum procedendi huius operis esse per demonstrationem,* vt in 2. & 10. c. pluribusque aliis ostenditur; in quibus demonstrationibus vtitur Arist. ad ostendendam naturam demonstrationis, & proprietates eius: & de hoc nemo potest dubitare. *Ad arg verò.* Negādum est inconuenientia illa sequi: nam assignata prius definitione demonstrationis; iam per illam cognoscitur natura cuiuscunque demonstrationis: etiam illius, quæ postea adducitur ad probandū aliquid de demonstratione. Nec tamen demonstratio, quæ adducitur; indiget alia, per quam probetur: sed seipsam probat, diuersa ratione: quia in quantum cōuenit cum cæteris demonstrationibus, in natura communi demōstrationis, explicata per definitionem; est id, de quo aliquid probatur: & in quantum est mediū, per quod probatur; est id, quo aliquid de natura eadem communi probatur: non verò de qua id probatur. Diuersa autem ratione esse id; de quo aliquid probatur, & id; quo illud idem probatur, non est inconueniēs: quia definitio per quam explicatur natura communis definitionis; seipsam explicat diuersa ratione vt notum est.

Generalis diuisio totius operis est in duos libros: In quorum Primo; de natura demōstrationis, & partibus eius agit Arist. *In Secundo;* De modo constituendi definitionem; quæ potissimum medium est eiusdem demonstrationis: particularis autem diuisio, cuiuscunque libri, suis locis designabitur.

CAPVT PRIMVM.

TEXTVS ARIST.

Omnis doctrina, omnisque disciplina intellectiua, ex præexistenti fit cognitione, &c.

Breuis expositio textus.

P*Rimus hic liber,* de posteriori resolutione, in tres partes diuiditur. *In prima.* Docet Arist. demonstrationem esse. *In secunda.* quid sit demonstratio; & quibus partibus constet. *In tertia.* qualis sit; hoc est, quas habeat passiones, aut proprietates. 1.

Intentum huius cap. est, docere, atque probare, quòd actualis rerū notitia, at-

quæ scientia, verè sit in nobis, & ex alia notitia priori generetur. Habet autem duas partes; *in quarum prima*, tradit Arist. vniuersalem quandam propositionem, prædictam veritatem continentẽ; eãq; probat in omni genere intellectualis cognitionis, *In secunda* quod & quæ sint pręcognitiones; & de quibus habeantur.

Duo versabantur errores in scholis tẽpore Arist. circa acquisitionem scientiæ. *Primus*, Heracliti, & Cratilli antiquorum Philosophorum: qui nõ distinguentes notitiam intellectiuam à sensitiua, nec putantes aliquid esse in rebus vniuersale: sed solum singularia sensibilia, quæ in cõtinuo motu, & de fluxu sunt consequenter asserebant, nec dari sciẽtiam de rebus, nec dari posse: quia scientia si esset possibilis, de vniuersalibus, atque perpetuis deberet esse. *Secundus error*, fuit Platonis; vt testatur idem Arist. 1. & 7. lib. Meta. concedentis quidem scientiam; non tamen de nouo acquisitam, sed à principio habitam; hoc modo: vt dum materia, ex qua generatur homo, disponitur ab agẽte naturali statim per impressionem, atque virtutem ideæ hominis separatæ infundatur anima, plena speciebus rerum omnium: per quas posset scire omnia: solum quod non exeat in actum cognoscendi, propter impedimentum corporis, & quasi ligamentum sensuum; quousque tale impedimentum exercitatione collatur; quo sublato cognoscere incipiat anima, non ea, quæ prius ignorabat, sed quæ à principio cognouerat: impedita tamen fuerat ab actuali consideratione eorum: & ideo ita se habuit; ac si obliuioni tradidisset; quæ prius cognouerat: Vnde inferebat Plato; scire nostrum esse, quasi reminiscentiam quandam eorum, quæ prius cognouimus. Quod hoc arg. probat, in quodam dialogo de scientia, & virtutes qui vocatur *Menon*, à Menone persona quadam eiusdem appellationis in eo introducta. Dum homo vult aliquid scire, aut scire vult, id quod iam sciebat; vel quod nesciebat: primum est impossibile; quia nemo scire vult ea, quæ iam cognoscit. Nec minus impossibile est secũdum; quod scire velit; id quod ignorat: nam: sicut frustra aliquis quæreret hominem; quem non nouit: quia etiam si illum inueniat, cognoscere non poterit: ita frustra quæreret aliquis scientiã eius; quod non cognouit: quia non poterit illud cognoscere; etiam si ei sese offerat. Necesse est ergo dicere; quòd ea velimus scire, quæ prius cognoscebamus: sed quasi obliuioni tradidimus: & ideo non de nouo, sed quasi per quandam reminiscentiam illud modo cognoscimus.

Aduersus hos duos errores, proponit Arist. hanc propositionem vniuersalem. 3. *Omnis doctrina, omnisq; disciplina, intellectiua, ex praeexistenti fit cognitione.* Cuius sensus est; Omne iudiciũ intellectus, nõ ex sola notitia terminorum habitũ, sed aliquo medio, aut ratiocinatione acquisitum, siue propria industria, aut labore; ita vt doctrina appelletur: siue à magistro acceptũ; & ideo disciplina vocatũ, sit, hoc est, verè datur aduersus Heraclitũ; & fit de nouo: ita vt res per illud cognita; nõ fuerit cognita prius, sed simpliciter ignorata; aduersus Platonẽ. Hãc veritatẽ vniuersalẽ, probat Arist. in triplici genere cognitionis. *In Scientifica* quidem certissima; qualis est ea, quæ habetur, per Mathematicas disciplinas: in quibus euidens est, iudiciũ, ac notitiam cõclusionis fieri, ex notitia præmissarum prius habita. Et eodem modo in cæteris Artibus; non solum liberalibus; sed etiam mechanicis: in quibus vnum semper cognoscitur, ex notitia alterius prius

habita, quousque perueniatur ad primũ principium illius artis; nõ per aliud, sed per se notum hoc est, ex sola notitia terminorum. Probat deinde in cognitione probabili; quæ habetur per syllogismũ Dialecticum; cuius conclusio cognosci ex notitia probabili præmissarum; vel euidenti, per consequentiam probabilem, aut per inductionem: in qua, ex notitia singularium, fit experimentum: quod est iudicium vniuersale. Probat tandem in Rhetoricis argumentationibus: quæ sunt Enthymema, & Exemplũ: nam enthymema, est quasi syllogismus truncatus: cui deficit maior vel minor: subintellecta tamen ab arguente: & iudicium conclusionis, fit ex iudicio alterius præmissæ prius habito. Exemplum vero procedit, ex vno singulari ad aliud, per similitudinẽ: & ideo notitia vnius habetur, ex notitia alterius prius habita.

4 *In secunda par. cap.* agit Arist. de præcognoscendis, & Præcognitis. Nam si notitia conclusionis debet fieri, ex præexistenti cognitone: necesse est explicare, quæ, & quod sint præcognoscenda: & de quibus: vt ex eis haberi possit notitia conclusionis: Duo ait esse præcognoscẽda; aut duas esse præcognitiones ad notitiam conclusionis necessarias: *an sit? & Quid sit? Tria autem esse*, de quibus habendæ sunt præcognitiones; nempe, *Subiectum, Passio, & Principium*; & hæc appellantur præcognita. *Subiectum*: est illud de quo est scientia, vel scientifica conclusio. *Principia*; sunt præmissæ demonstrationis; ex quibus infertur cõclusio. *Passio est*; quæ demonstratur de subiecto in conclusione. Exẽpla ponit Arist. in Mathematicis disciplinis: sed nos ea afferemus in reb. nobis notioribus hoc modo. Vt habeamus euidentem notitiã huius conclusionis: Omnis homo est risibilis: necesse est, duo præcognoscamus; an sit, & quid sit: & de tribus quidẽ, nempe, de subiecto, circa quod versatur conclusio; quod est homo: de principijs; quæ sunt præmissæ istæ, per quas demõstratur; nempe, Omne animal rationale est risibile: & Omnis homo est animal rationale: & de passione demonstrata de illo; quæ est risibilitas. Non est tamen habenda vtraque præcognitio de singulis: sed de subiecto tantùm: de principijs verò, prima, nempe, an sint; hoc est, an sint vera: de passione verò, secundum; nempe, quid sit; hoc est; quid nomen significet: nam quod sit; probatur in conclusione: id est, quod insit subiecto. quia cùm sit accidens, non habet aliud esse, quàm subiecto inesse.

His explicatis, respondet Arist. in fine cap. ad arg. Platonis. Distinguendo maiorem: nam dum interrogatur: an qui vult scire aliquid, velit scire, quam sciebat prius, vel quod ignorabat? Respondendum esse ait; non velle scire, quod simpliciter sciebat: nec quod omnino ignorabat; sed quod ignorabat formaliter, atque simpliciter, sciebat tamẽ virtualiter, & secundum quid, hoc est non in se; sed in alio prius cognito: in quo virtualiter cõtinetur. Gratia exempli; dum volo scire, an homo sit capax disciplinæ; volo scire, id quod non sciebam actu, & formaliter; sed solùm virtualiter, in illis duabus præmissis prius cognitis: omne animal rationale est capax disciplinæ; & omnis homo est animal rationale: in quibus notitia eius virtualiter continetur: & ideo dum infertur ex eis; cognosci potest: quia nõ prorsus ignorabatur; sed virtualiter saltem cognoscebatur: & per illationem, cognoscitur formaliter. 5

QVAESTIO I.

An de omni, & sola cognitione intellectiua, intelligatur vniuersalis propositio Ar.

prius

6. PRius quàm diuersas sententias proponamus; *paucis explicanda est propositio Arist.* in qua per doctrinam, & disciplinam, idem assensus intellectus significatur: qui, vt propria industria acquiritur, vel; vt à magistro procedit; doctrina dicitur: vt verò à discipulo acceptus, disciplina. Deinde per cognitionem intellectiuam; non quodlibet iudicium intellectus significatur; sed illud solum, quod per aliquod medium, vel ratiocinationem habetur: nam si ex sola cognitione terminorum habeatur; certum est non fieri ex alio iudicio intellectus: quamuis fiat ex notitia apprehēsiua terminorū, & significationis eorum. Alioqui, si ex alio iudicio fieret; daretur processus in infinitum. Sensus igitur propositionis est; Omne iudicium intellectus, per aliquod medium, vel ratiocinationem habitum, fit ex alio, habito etiam per ratiocinationem, vel ex sola notitia terminorum: ita vt tandem ad aliud per se notum, aut sine medio habitum reducatur. Iste est sensus propositionis, de qua inquiritur; *An de omni, & sola cognitione intellectiua accipiatur; & an vera sit?*

7. *Et prima opinio tenet*, Non solum in scientijs; sed etiam in opinione, & fide humana verum esse, ac de eis intelligi: & ex consequenti, de omni iudicio intellectus, per medium habito. Ita Sotus q. 1. huius cap. in solutione ad primam confirmationem, 2 arg. *Probat id.* | Quia vtraque generatur ex aliquo principio euidēti, per probabilem, aut ineuidentem cōsequentiam: opinio quidem; dum sic argumentamur. Corpus sphæricum, aut perfectè rotundum, tangit aliud corpus perfectè planum in puncto: ergo datur pūctum indiuisibile. Fides etiam humana; dum dicimus; Homini fide digno credendum est: ergo vera sunt, quæ ab hoc homine, fide digno, dicuntur.

Secunda opinio asserit; non solùm ad scientias humanas; sed etiam ad scientiam angelorum se extendere, & in ea veram esse. Ita moderni quidam: qui hanc sententiam ita probant. Quia Angelus cognoscit effectum per causam: vt quòd homo sit risibilis; quia est rationalis: & cognitio causæ, est prior cognitione effectus; sicut causæ est prior effectu: ergo cognitio effectus fit in eo, ex præexistenti cognitione causæ. Præterea. Angeli inferiores illuminantur à superioribus: & illuminatio non videtur esse aliud; quā manifestatio veritatis, quam superior cognoscit, & ignorat inferior: ergo cognitio inferioris angeli, fit ex præexistēti cognitione superioris.

Nostra sententia, & communis omnium ferè expositorum Arist. in hoc capite, his conclusionibus explicatur. Prima: *Non intelligitur propositio Arist. de scientia angelorum, nec in ea potest habere veritatem.* Vt hanc explicemus, atque probemus simul; *Notandum est*: Aliud est cognoscere; quòd vnum sit ab alio, aut ex alio, vel propter aliud: aliud habere cognitionem vnius, ex cognitione alterius: *nam primum*; non dicit distinctam cognitionem vtriusque, nec vllam imperfectionem ex parte cognoscētis; sed per vnam & eandem cognitionem, potest vtrumque cognosci, cum illo ordine, aut dependentia; quam secundum se habent: & ita cognoscuntur à DEO, & ab angelis, causa, & effectus quicunque. Ita, vt per vnam simplicem cognitionem, vtrumque cognoscant: & quam vnum habet esse ab alio: sic etiam cognoscunt essentiam quamcunque, & omnes passiones ab ea procedētes. Habere autem cognitionē vnius, ex cognitione alterius; dicit distinctionē cognitionum, & causalitatē; non solum inter obiecta cognita; 8.

sed etiã inter cognitiones ipsas: ita vt vna sit causa alterius, in aliquo genere. & hæc est maxima imperfectio: quę solum reperitur in cognitione nostra discursiua; per quam successiuè plura cognoscimus: & cognitio vnius sequitur post aliã, & fit ex alia: & hoc est fieri ex precxistẽti cognitione; vt asserit propositio Arist.

9. *Ex hac ergo verissima doctrina probatur iam*, Nullũ iudicium intellectus diuini, aut angelici, fieri ex præexistenti cognitione. *Quod sic probo*. iudicium intellectus fieri ex præexistenti cognitione dicit distinctionem cognitionũ, quia eadẽ cognitio non dicitur fieri ex se ipsa: sed Deus & Angeli, non cognoscunt effectũ, & causam distinctis cognitionibus: ergo cognitio effectus in eis, non fit ex præexistenti cognitione causæ.

Quod verò dicitur, Angelum cognoscere effectũ per causã; Distinguẽdũ est: nam ex parte rei cognitę, verum est: quia verè cognoscit Angelus, effectum habere esse à causa, & propter eã esse: sed ex parte cognitionis, nõ est verũ: quia cùm cognitio causę, & effectus sit eadẽ, nõ est verũ, quod cognitio vnius fiat ex cognitione alterius: hoc enim distinctionẽ cognitionũ dicit; quę nõ reperitur in Deo, nec in angelis, respectu causę, & effectus Et quod de scientia Angelorum dicimus; eodẽ modo intelligendũ est, de scientia infusa primi Parentis; quam habuit à principio, quo factus est à Deo.

10. De illuminatione verò. Concedimus; quod cognitio inferioris angeli, fiat ex prę existenti cognitione superioris: propositio tamen Arist. intelligitur in eodem intellectu; non in diuersis.

Secunda conclusio. In opinionibus nõ semper est verũ; quòd vna cognitio fiat ex alia; vt asserit prima opinio: sed solùm ea, quæ habetur per discursum. Probatur hæc Cõclusio. Quia opinio; non solum habetur per discursum, ex propositione euidenti; sed dantur etiam opiniones per se notæ; hoc est per se probabiles: sicut principia scientiarum per se euidentia: & in eis non habetur vna cognitio ex alia; sed ex sola notitia terminorũ: vt hæc propositio; Mater diligit filium suum, per se est probabilis: & non quia colligitur ex alia; sed sola significatione terminorum habitã, necessariò iudicat intellectus esse probabilem: ergo in his opinionibus, non fit cognitio ex præexistẽti alia cognitione. verum hoc ipsum ex professo explicabitur in c. 26. huius lib.

Tertia conclusio. Assensus fidei humanæ, non fit ex præexistenti cognitione. Probater hæc etiam, contra Sotum. Quia formalis, & proxima ratio assentiendi in fide, est testimonium fide digni; per quam rationem distinguitur ab opinione. Huius enim assẽsus vel habetur ex sola notitia terminorum; vel colligitur ex alio assensu euidenti, per consequentiã probabilem: ergo assensus fidei, non fit ex alio, nec per discursum; sed ex solo testimonio habetur sine discursu: quare non fit ex præexistenti cognitione. Et quod de fide humana dicimus, eodem modo intelligendum est, de fide diuina, & de reuelationibus Prophetarum. 11.

Ad arg. verò primæ opinionis. Respondeo Assensum opinionis, habitum per illum discursum, fieri ex præexistenti cognitione; sed non omnem assensum; opinionis haberi per dicursum; vt probauimus: & ideo non semper fieri ex pręexistenti cognitione. Quòd verò assensus fidei humanę fiat per illũ discursum negamus. Immediatè quippe habetur ex testimonio fide digni: alias si fieret per illũ discursũ, opinio esset, nõ fides humana.

Ex his tribus conclusionibus, sequitur; propositionem Aristotelis vniuersaliter esse veram, in omni scientia, humano more

more acquisita, & in opinione, quæ habetur per discursum tãtum. Et ideò sensum eius hunc esse; *Omne iudicium intellectus per discursum habitũ; siue euidens sit, vel probabile fieri ex præexistenti aliquo iudicio intellectus, ex sola notitia terminorũ habito*: vel etiam per discursum; reducibili tamẽ ad iudicium aliud, ex sola notitia terminorum habendum.

QVÆSTIO II.

An de subiecto sit præsupponenda actualis existentia?

12. DVAS præcognitiones assignauit Arist. nempe, An res sit; & Quid sit; & vtramque habendam esse docuit de subiecto, vel obiecto; circa quod versatur scientia, & huius ratio est manifesta: quia si subiectum non habet esse; neque habebit essentiam, aut quidditatem: & ideò nec proprias passiones; quæ de illo probentur in scientia. Nec denique habebit definitionem quidditatiuam; per quam probentur: quare si non sit, non poterit esse obiectum scientiæ. Esse autem; vt modò loquimur; non est aliud, quàm existẽtia in rerum natura: Sed hæc duobus modis habetur; *Actu quidem*; dũ res existit extra suas causas: vel *Potentia*; dum nõ est extra illas; sed in virtute earum, à quibus produci potest. De existẽtia autem subiecti possibili, nemo dubitat; quin sit necessariò præsupponenda: quia si non possit vllo modo eam habere; reputabitur nos impossibile; sicut Chimæra: quare non poterit de illo haberi scientia. Ideò solùm quærimus de existentia actuali; *An necesse sit de subiecto præcognoscere; quod actu sit in rerum natura, vt de illo habeatur scientia: vel sufficiat præsupponere; quòd eã possit habere?*

Et prima opinio affirmat; Necessarium
13. esse; quòd de subiecto præsupponatur actualis existẽtia: non quam semper habeat; sed saltem tẽporibus à natura statutis: vt de rosa, actu non existente, habetur sciẽtia in hyeme: quia præcognoscimus illam habituram tempore veris. Si verò eam suo tempore non esset habitura; non posset de ea haberi scientia. Ita Caiet, cap. præsenti, & Toletus, quæst. vnica ad 5.

Et probatur testimonio Arist. id expressè asserentis, lib. 2. huius operis, textu 8. his verbis, *Quærere autem, Quid est, non habentis, Quod est, nihil est quærere.* Quasi dicat; non esse quærendam definitionem eius; quod non habet existentiam: quia non poterit inueniri: & ideo nec poterit esse obiectum scientiæ.

Probatur etiam ratione: Quia ab eo quòd res est, vel non est; propositio dicitur vera, vel falsa: id est, ab eo quod actu existit; vel non existit: ergo actualis existẽtia subiecti, temporibus saltem, quibus eam accipere potest à causis naturalibus, fundamẽtum est omnium veritatum; quæ de illo possunt cognosci in scientia: quare necessariò erit de illo præcognoscenda.

Secunda opinio est opposita. Quòd non sit necessariò præcognoscenda actualis 14.
existentia subiecti, temporibus etiam à natura statutis: sed licet eam nunquam habeat, nec habiturum sit, posse haberi scientiam de illo; si præcognoscatur, quod eam habere possit. Ita Sot. qu. 1. de præcognitis; vbi docet, quod dum Arist. ait de subiecto præcognoscendum esse, An sit; hunc sensum tenet, id est An sit verum ens; habens saltem esse possibile in suis causis.

Ratio huius sententiæ est. Quia sufficit subiectum habere esse possibile in suis causis; vt veram habeat definitionem, verasque passiones; quæ de illo possint probari in scientia: ergo sufficit hoc de illo præcognoscere.

Nostra sentẽtia duabus cõclusionibus explicatur. Prima est. Intrinseca ratio scientiæ; non petit actualem existentiam subiecti: ideo est necessariò præcognoscẽda de illo; sed sufficit præcognoscere existentiam posibilem. Probatur hoc argumento scientia ex propria natura est perpetua, & circa obiectum necessarium, & perpetuum debet versari: sed actualis existentia; nec semper cõuenit subiecto, nec necessariò; sed modo quodam contingenti; cùm passim res eam amittant, dũ corrumpuntur: ergo non habetur scientia de subiecto; vt actu existente etiam statutis tẽporibus. Nec erit necessariò præcognoscenda actualis eius existentia; sed sufficiet præcognoscere posibilem. Hæc est contra Caiet.

15 *Secunda conclusio, Vt habeatur scientia de aliquo subiecto à nobis, imperfectè cognoscentibus; necesse est quod habuerit aliquando actualem existentiam; non quocunque tempore à natura statuto; sed vel semel.* Hæc ex parte est contra vtranque opinionem. *Et probatur hac ratione.* Imperfecta nostra cognitio, habetur per sensus: ergo non possumus habere scientiam de aliquo obiecto; nisi per aliquem sensum illud percipiamus: sed sensus non percipiunt; nisi res actu existentes: ergo necesse est obiectum aliquãdo habuisse actualem existentiam; vt notitia eius sciẽtifica ad intellectum perueniat medijs sensibus. Quod verò temporibus à natura statutis, eam habeat; necessariũ non est: cum posit per eam; quam semel habuit modo scientifico à nobis cognosci. Vtramque cõclusionem nostrã, tenet Ferra: 1. lib. contra gentes, cap. 66.

Testimonium verò Arist. pro sententia Caiet. adductum; de esse possibili intelligẽdũ est: quod sufficit; vt quidditas eius inueniatur. Vel, si de actuali intelligitur; de modo quo à nobis acquiritur scientia loquitur in eo Arist. non de scientia secundum rationem intrinsecam.

Ad arg verò eiusdem sententiæ. Distinguendum est antecedens: Nam ab eo, quòd res est, vel nõ est; id est ab eius existentia possibili accipitur veritas propositionis scientificæ: non ab actuali: & illa est fundamentum sufficiens veritatum, totius scientiæ.

Arg. verò pro sententia Soti, Concedendũ est: quia solùm probat, sufficere existentiam possibilem subiecti præcognoscere ad intrinsecam rationem scientiæ: vt asserit prima conclusio nostra: sed ad imperfectum modũ; quo eam nos communiter acquirimus; necessarium est, vt eam habuerit; aliquando, & aliquando de illo fuisse præcognitam: vt probat conclusio secunda.

QVÆSTIO II.

An de subiecto præcognoscendum sit quid rei; vel solum quid nominis?

Dvplex est definitio, Vna per quam explicatur essentia rei, & hæc vocatur definitio rei, vel quid rei; vt animal rationale. *Alia* est definitio; seu potius explicatio vocis: vt dum dicimus; magnanimum esse, magnum habentem animum: vel infinitum; quod non habet finem. Et hæc dicitur definitio nominis, vel quid nominis: quia quidditas nominis, videtur esse significatio eius, per eã explicata. Et hæc, non est dubium; quin sit necessariò præcognoscenda de subiecto scientiæ; nam si ignoremus; quid significet hæc vox, homo; non poterimus habere de illo veram aliquam notitiam, nec scientiam. Sed quæstio procedit de definitione, quid rei, aut quidditatiua subiecti; *An sit necessariò præcognoscenda.* 17.

Et prima opinio asserit; Non esse necessariò præcognoscendam; sed sine eius noti-

stia posse haberi de re scientiam. Ita Tolet. vbi suprà probat hoc modo. Quia ad demonstrandum effectum per causam; non requiritur præcognoscere quid sit Causa, & quid effectus; sed solum quòd effectus procedit per se à causa: ergo non requiritur præcognitio, quod quid est. Vnde Astrologi demonstrant lunam eclipsari, per suam causam; ignorantes definitionem lunæ & cœlorum: & Mathematici multa demõstrãt de figuris, & numeris; ignorãtes definitiones eorum.

18. Vt autem quid sit tenendum in hac quæst. decernamus; *Notandum est; Duplicem esse demonstrationem; Quia, & Propter quid. Demonstratio propter quid;* est illa; per quam demonstramus effectum per suam causam: & talis est hæc: Omne animal rationale est risibile: Omnis homo est animal rationale: ergo Omnis homo est risibilis. *Demonstratio Quia* est; per quam ex opposito demonstramus causam per effectum; vt si dicas. Omne risibile est admiratiuum: Omnis homo est risibilis: ergo Omnis homo est admiratiuus. Præterea demonstratio Propter quid, adhuc est duplex; *Vna*, per quam demonstratur propria passio de subiecto: & talis est prima; quam adduximus: tales etiam sunt plures in scientiis particularibus, demõstrantibus passiones de subiecto: vt in Metaphysica, & vtraque Philosophia Naturali, & Morali. *Alia est*, in qua demonstratur effectus per causam; cuius non est propria passio: & talis est secunda demonstratio adducta: tales etiam sunt ferè omnes demonstrationes Mathematicæ. Nam istæ scientiæ, non tam demonstrant passiones de subiecto; quàm rationes quasdam figurarum, & proportiones numerorum, posteriores per priores.

19. *His suppositis*, tribus conclusionibus explicatur nostra sententia. *Prima est. Præcognitiones, & ordo; quo habēda sunt de subiecto, passione, & principijs quæ vocantur præcognita, non habent locum in demonstratione Quia; sed solùm in demonstratione Propter quid. Probatur testimonio Arist.* qui cap. 2. huius lib. asserit, de modo sciendi à posteriori; hoc est per demonstrationem Quia, nodum se fuisse locutum; sed nec locuturum vsque ad decimum cap. vbi vtramque demonstrationem distinguit. Ergo regulæ in hoc capite traditæ, de præcognitionibus, & præcognitis; solùm intelliguntur in processu demonstrationis Propter quid; vt etiam ostendunt exempla omnia ab Aristotele adducta.

Probatur etiam ratione. Quoniam per demonstrationem Quia, sæpè demonstratur definito, vel essentia rei, per propriam passionem: vt ostendit hæc demonstratio: Omne risibile est animal rationale: Omnis homo est risibilis: ergo Omnis homo est animal rationale. Aliquando etiam probari solet; quod subiectum sit; quando non est adeò manifestum. Sed id quod demonstratur non potest præsupponi, aut præcognosci: ergo in demonstratione Quia, non est præcognoscendum de subiecto, an sit neque quid sit, sed sufficiet præcognoscere quid nominis.

Secunda conclusio. In demonstrationibus etiam Propter quid; in quibus non demonstratur propria paßio de subiecto; sed effectus de sua causa; non est necessariò præcognoscendum quid rei de subiecto: sed sufficit præcognoscere proprium conceptum causæ, ac dependentiæ effectus ab ea; seu rationis, per quam demonstratur effectus. Probatur. Quia in his definitionibus non sumitur pro medio demonstrandi definitio subiecti; sed solum dependentia per se effectus à causa: non requiritur præcognitio illius: sed huius sufficiet.

20. *Tertia conclusio. In demonstrationibus probantibus passionem de subiecto, necessariò præcognoscenda est definitio quid rei*: Hæc est etiam manifesta. Quia in his demonstrationibus, definitio quid rei assumitur pro medio: ergo est altera præmissarum: sed præmissæ præcognoscuntur ad inferendam conclusionem: ergo necesse est quid rei de subiecto præcognoscere. Et in his demonstrationibus intelligitur præceptum Aristot. de præcognoscendo quid rei, de subiecto; vt docet expresè D. Tho. 1. p. q. 1. art. 7. ad primum: ex quo desumptæ sunt omnes tres conclusiones nostræ; quas tenet etiam Caiet. cap. præsenti. Ex quibus intelligitur, regulas Arist. de præcognitionibus, & præcognitis; secũdum proportionem intelligendas esse, in diuersis demonstrationibus. Ita vt de subiecto præcognoscendum sit, quid rei, atque etiam; quid nominis, in his demonstrationibus; quæ probant passionem de subiecto: in aliis vero, in quibus ratio posterior, vel effectus per rationem priorem, vel causam probatur; solùm conceptus causæ, & dependentia eius ab affectu est præcognoscenda, verum quid nominis in omnibus.

Argum verò Tolet. Solum probat non esse necessariò præcognoscendum, quid rei de subiecto, in demonstrationibus probãtibus effectus per causas? vel rationes posteriores per priores: quod concedit secunda conclusio nostra: ideo nihil efficit contra tertiam.

QVÆSTIO IIII.

An præcognitiones de subiecto, passione, & principio, haberi debeant ante demonstrationem? vel etiam in demonstratione ipsa?

21. VT *intelligatur titulus quæstionis*, Explicandum est; quid sit aliquid præcognoscere de aliquo: & qua necessitate haberi debeant præcognitiones istæ, de tribus præcognitis. *Præcognoscere aliquid de aliquo* est; priusquam de illo disputetur, vel probetur vnum aliquid; aliud distinctum cognoscere, vel præsupponere: quod non probatur; sed tanquam certum præsupponitur. Gratia exempli. Si demõstrare velimus de homine; quod sit admiratiuus; aut risibilis; priusquam intellectus assentiatur conclusioni; oportet, vt intelligat hominem esse: & etiam quid sit; quid nomen risibile significet. Nisi enim hæc cognoscantur; non poterit intellectus præmissis assentire, nec ex eis inferre conclusionem. Et hæc est necessitas præcognoscendi. An verò hæc præcognoscenda sint; antequam formetur demonstratio: vel satis sit, dũ præmissæ disponũtur, & eis assentitur intellectus, ea præcognoscere; *de hoc est quæst.*

Circa quam prima opinio tenet. Ante totam 22. demonstrationem, necessariò esse præcognoscenda: & non sufficere in demonstratione ipsa. Ita Tolet. quod probat testimonio Arist. qui exempla posuit in illo principio vniuersalissimo; quodlibet est, vel non est: & in vnitate; quæ est principium numeri, pro subiecto. In triangulo verò, pro passione: de quibus euidens est, cognosci ante totam demonstrationem: ergo intellexit Arist. præcognitiones ante demonstrationẽ habendas esse: & non in demonstratione ipsa.

Probat etiam ratione. Quia præcognitiones, & præcognita, præsupponuntur scientiæ acquirendæ: sed ad acquisitionem scientiæ pertinet tota demõstratio; cum scientia acquiratur per eam: ergo ante demonstrationem necessariò habendæ sunt præcognitiones.

Pro solutione quæst. Notandum est. Præcognitiones, & præcognita; duobus modis considerari posse. *In communi, & in parti-*

particulari. vel in exercitio; aut in apprehensione vniuersali. vt si dicamus: *Principium esse;* Totum est maius sua parte: *Subiectum verò,* vnitatem: & *Communem passionem;* triangulum figuræ. Hæc enim vix, aut nunquam ingrediũtur demonstrationem; sed tanquam cõmunissima exempla, & quasi speculatiua afferuntur. Subiectum verò, Passio, & principiũ accipiuntur in particulari, pro his, quę ingrediũtur demonstrationẽ, & pertinent ad particulares scientias: vt Subiectum in scientia de homine; est homo. Passiones; quæ de illo probantur, sunt admiratio, & risibilitas. Principium, per quod probantur; est eius definitio.

23\. *Quo supposito, duo asserit nostra sentẽtia. Primum est. Præcognitiones, & præcognita, sub vniuersali ratione considerata, ante demonstrationem haberi. Secundum. Si considerentur in particulari; hoc est, ea quæ pertinent ad particulares scientias, possunt quidẽ ante demonstrationem haberi, & communiter ante illam habentur: hoc tamẽ non est necessarium ad assensum conclusionis, nec ad acquisitionem scientiæ sed in demonstratione ipsa haberi possunt, simul ac intellectus disponit præmissas, & eis assentitur.* Hæc est communis sententia; quam tenent Themistius, in sua Paraphrasi, super 1. lib. Posterior. ca. 1. & 2. D. Tho. Caiet. Venetus, Sotus, & cæteri cap. præs. Et primum nõ oportet probare; cum illud concedat opposita sententia: *sed probatur secundum hac ratione.* Præcognosci dicitur illud; quod non probatur per demonstrationem; sed præsupponitur ante assensum conclusionis. Sed ea quæ cognoscuntur in præmissis demonstrationis; & non ante demonstrationem integram, nõ probantur per demõstrationem; sed præsupponuntur ante assensum conclusionis: ergo verè, & propriè dicuntur præcognosci: & sufficit ad assensum conclusionis, & acquisitionem scientiæ; quòd intra demonstrationem præcognoscantur. Quòd verò communiter præsupponantur demonstrationi, manifestum est: quia experientia constat, ferè semper nos ea cognoscere; antequam formemus syllogismum demonstratiuum: sed cõtingere posset vnum vel alterum eorum non esse nobis cognitum: & tunc sufficeret inter disponendas præmissas, illud percipere.

Testimonium Arist. pro prima opinione, nihil probat contra nostram: Quia Aristot. in communissimis præcognitis, exempla posuit; quæ cum demonstrationem vix, aut nunquam ingrediantur; ante illam habendæ sunt eorum præcognitiones. *Ad arg. verò.* Distinguendum est antecedens: nam per acquisitionem scientiæ possumus intelligere, constitutionem totius demonstrationis: & tũc negandum est: quod ante acquisitionem scientiæ necessario debeant haberi præcognitiones. Vel solum assensum conclusionis intelligimus; in quo magis propriè consistit acquisitio scientiæ: nam præmissæ potius sunt principia acquisitionis, quam acquisitio: & in hoc sensu magis proprio, concedendũ est antecedens: quod ante acquisitionem scientiæ haberi debeant; sed ex hoc non sequitur; quòd ante demonstrationem: vt per se est manifestum. 24.

QVAESTIO V.

An assensus conclusionis fiat, ex assensu præmissarum, aut principiorum, in genere causa efficientis; vel solum materialis?

QVæstio hæc fundamentũ habet in propositione vniuersali Arist. asserentis 25.
Doctrinam, vel disciplinam; quæ est iudiciũ conclusionis, fieri ex præexistenti iudicio præmissarum, vel principiorum. Vnum autem fieri ex alio; aliquod

genus causæ denotat. *Et potest denotare materialem:* vt dum dicimus; domum fieri, ex lignis, & lapidibus: vel cognitionē intellectiuam, fieri ex sensitiua: hoc enim materialem quoque causalitatem denotat. Quia cognitio sensitiua concurrit ad intellectiuam, determinando materiam, vel obiectum circa quod versari debeat. *Et potest etiam denotare causam efficientem:* vt dū dicimus, calorē fieri ex igne, aut ab igne: ideo quærim⁹; *An assensus cōclusionis fiat ex assensu principiorū in genere causa efficientis; vel materialis tantū.* Et quod materialiter ex eo fiat certissimum est: quia conclusio componitur ex terminis præmissarum; nempe ex maiori, & minori extremitate: & præterea determinantur per assensum principiorum: quia ex talibus principiis: tales conclusiones deducere potest intellectus; & non alias diuersas. Hæc autem ad genus causæ materialis pertinere manifestum est. Sed an præter genus causæ materialis; efficiens quoque reperiatur in eis: ita vt assensus præmissarum sint causæ efficientes assensus conclusionis: *de hoc est quæst.*

Circa quam est prima opinio Durandi, negantis eis efficientiam in 2. d. 2. q. 2. ad quartum: propter hæc duo argumēta. *Primò.* Quia causa efficiens agit, in quantum est actu in rerum natura: nam quod non est; nihil potest efficere: sed dum intellectus assentitur conclusioni; iam non sunt assensus principiorum: ergo non possunt esse causa efficiēs eius; probat minorem: quia intellectus non potest simul habere plures actus, vel assensus: sed vnum post alterum: ergo dum habet assensum conclusionis; iam transiuit assensus præmissarum: quare non poterit esse efficiens causa eius. Et vniuersaliter loquendo vnus actus non potest habere virtutem effectiuam alterius.

Secundò. Assensus principiorum, cum per solam notitiam terminorum habeatur; specie distinguitur ab assensu conclusionis; qui habetur per medium demonstrationis: ergo si ille sit causa efficiens huius; erit causa æquiuoca specie distincta, ab effectu: sed non potest esse causa æquiuoca: ergo nec erit efficiens. Probatur minor: quia causa æquiuoca est vniuersalis, & remota; vt cœlum, vel Sol: assensus autem principiorum, est causa particularis, & proxima conclusionis: vt per se est manifestum: ergo non est æquiuoca.

Secunda opinio est opposita. Quòd assensus principiorum, non solùm sint causæ materialis conclusionis; sed etiam efficiens: hanc tenet expressè D. Thom. cap. præsenti, lect. 3. vbi asserit; esse sententiam Arist. 2. lib. Physic. & 1. lib. contra gentes, cap. 57. ratione 4. vbi eum exponit; & sequitur Ferra. atque etiam Gabriel quæst. 8. prologi dub. 2. Sotus quæst. 1. huius capitis, ad 2. Toletus in expositione primi textus, notab. 3. *Et hæc est vera, & tenenda.* 27.

Probatur duplici arg. Primò. Quia illud quod constituit potentiam in actu primo; concurrit cum ea efficienter ad actum secundum: vt species coloris, tanquam virtus eiusdē coloris; qui est obiectum visus, constituit potentiam visiuam in actu primo ad videndum: & ideo concurrrit efficienter cum ea ad visionem; quæ est actus secundus, sed per species principiorum, & assēsum eorum constituitur intellectus in actu primo ad assentiendum conclusioni: ergo assensus eorum concurrit efficienter ad assensum conclusionis. Minorē probo. Quia intellectus nudus, non est sufficiens, neque completa causa assensum conclusionis, nisi informetur per assensum principiorum: ergo assensus iste concurrit,

per modum formæ determinantis intellectum, & constituentis ipsum in actu primo ad assensum conclusionis: sed forma determinans, atque constituens in actu primo, est caussa efficiens operationis: ergo assensus principiorum concurrit effectiuè ad assensum conclusionis.

28. *Secundò*. Ratio formalis obiectiua est causa efficiens actus; vt patet, in actu videndi: cuius ratio formalis obiectiua, est visibilitas eiusdem coloris; & ideò efficiens causa. Item in fide humana; cuius ratio formalis obiectiua, est testimonium fide digni: & ideo efficiens causa actus credendi: sed ratio formalis obiectiua; propter quam assentitur intellectus conclusioni, est assensus principiorum; vt docet expressè Arist. cap. sequenti. Et probat euidens ratio: quia propter principia assentitur intellectus conclusioni: ergo erit causa efficiens assensus conclusionis.

Ad primum arg. Durandi, Neganda est minor: quod dum intellectus assentitur conclusioni, non permaneant assensus principiorum. Et cùm dicitur; intellectum non posse simul habere plures assensus: distinguendum est: quia duobus modis possunt se habere plures assensus; vel per modum plurimum, quando non sunt inter sese ordinati, vel per modum vnius; quando sunt ordinati Intellectus ergo non potest habere plures assensus per modum plurium; bene tamē per modum vnius: & ita se habent assensus principiorum & conclusionis; qui ordinati sunt; cùm ille sit ratio formalis assentiendi huius. Dum ergo intellectus assentitur cōclusioni, perseuerare potest, & perseuerat in assensibus principiorum; quasi continuans eos: & ideo possent esse caussa efficiens assensus conclusionis. Quod verò vnus actus intellectus, non possit esse causa alterius; negandum est: nam saltem potest esse causa, Qua; licet non sit causa; Quæ: hoc est, ratio formalis causandi; licèt, non sit id quod causat: & ita assensus principiorum, est ratio formalis assentiendi; licèt non sit causa, quæ efficiat assensum cōclusionis: sed hoc solus intellectus habet, ratione eiusdem assensus principiorum: & ideo assensus iste est efficiens, Quo, assensus conclusionis, nō efficiens, Quòd: sicut veritas rei, est causa efficiens intellectionis eius, tanquam Quo, non tanquam Quod.

Ad secundum. Concedenda est prima consequentia; quòd assensus principiorū sit causa æquiuoca assensus conclusionis: quia speciei distinctus ab eo: sed minor neganda; quòd sola causa vniuersalis, & remota sit æquiuoca: nam omnis causa: siue vniuersalis, siue particularis: proxima, vel remota, verè est æquiuoca: quia ratio causæ æquiuocæ, nō cōsistit in eo: quod particularis sit, vel vniuersalis, proxima, vel remota, sed solùm in eo; quod sit distincta specie à suo effectu: quod patet: quia eo ipso, quod est eiusdem speciei, est vniuoca. 29.

QVÆSTIO VI.

An assensus principiorum includatur formaliter in assensu conclusionis

CErtum est, quòd intellectus diuerso actu, atque priori, assentitur præmissis, deinde conclusioni: & diuerso quidem numero, atque specie: quia principiis assentitur propter se: hoc est sine aliquo medio; sed habita solum significatione terminorum. Conclusioni verò non propter se; sed propter principia; quorum assensus præsupponitur ascensui conclusionis. Quæstio igitur est; An postquam intellectus habuit ascensum principiorum, & accedit ad ascentiendum 30.

tiendum conclusioni; sic ei assentiatur propter principia, vt assensum eorum iterum repetat: vel satis sit, vt dicatur assentire conclusioni propter principia, quòd assensum eorum immediatè habuerit absque eius repetitione: nam si primo modo fiat; includetur formaliter assensus principiorum in assensu conclusionis: si verò secundo modo; nō includetur formaliter, sed solum præsuppositiuè: quod est verè non includi formaliter; sed præsupponi.

Et prima opinio; quam sequuntur moderni quidam, tenet; necessariò quidem præsupponi; sed cùm sit prior, realiter atque specie distinctus ab assensu conclusionis; non posse in eo includi formaliter. *Probat testimonio* Arist. *Et duplici arg.* Arist. enim in libris priorum, agens de forma syllogistica, asserit; mediū bis sumendum esse in præmissis: & ideo non esse repetendum in cōclusione; sed in ea vnam extremitatem prædicari de altera. Peccaret igitur syllogismus in forma; si medium ingrederetur conclusioné: sed hoc est necessariò concedēdum; si assensus principiorum includatur formaliter in conclusione: ergo non potest includi. Minorem sic probo. Præmissæ componuntur ex medio, & extremitatibus; ergo repetantur in assensu conclusionis, medium erit necessariò in conclusione repetendum: sed non potest includi formaliter; nisi repetatur, vt per se est manifestum: ergo falsum est, quòd formaliter includatur. Asserit etiam Aristoteles cap. præsenti, agens de modo demōstrādi; notitiam conclusionis fieri, ex præexistendi notitia principiorum: si ergo assensus principiorum præexistens, est respectu assensus cōclusionis; erit præsuppositus: & consequenter, non inclusus formaliter in eo: nā si formaliter includeretur; simul haberetur, & non prius.

Primum arg. eiusdem sententiæ est: quia si principia includuntur formaliter in cōclusione; ergo eodem actu; quo assentitur intellectus conclusioni, assentitur etiam principiis: sed assensus conclusionis, est scientificus, procedens ab habitu scientiæ: ergo per actum & habitum scientiæ assentiremus principijs: consequens autem est falsum: quia assensus conclusionis est notitia discursiua; assensus verò principiorum intuitiua, & sine discursu: ergo nō potest iste formaliter in illo includi. Quòd etiam probatur impossibile: quia assensus principiorum, numero, & specie distinctus est, ab assensu conclusionis: ergo non potest includi in eo formaliter. Probatur consequentia, quia quæ sic distincta sunt; non possunt formaliter se includere.

Probatur secundo. Quia in syllogismo euidenti infertur aliquando conclusio vera, ex præmissis falsis. Vt patet in hoc; Omnis arbor est animal: Omnis homo est arbor: ergo Omnis homo est animal: Si ergo præmissæ includuntur in cōclusione formaliter; falsum includetur formaliter in vero: quod repugnat. Confirmari etiam potest experientia, quia in conclusione solùm coniungitur vna extremitas cùm altera, nulla ibi facta mentione medij: coniungitur ergo propter medium præsuppositū; non formaliter inclusum, sed ad summum virtualiter. Probatur consequentia, quia formalis inclusio impossibilis est; sine formali mentione, aut repetitione.

Secunda opinio, affirmat assensum principiorum, non solùm præsupponi assensui conclusionis; sed formaliter includi in eo. Ita D. Tho. 1. 2. q. 8. art. 3. his verbis. *Primo aliquis intelligit, ipsa principia secundum se: posimodum autem intelligit ea in ipsis conclusionibus: secundum quod assentit conclusionibus, propter principia.* Idem etiam tenet,

tenet, q. 12. art 4. D. Th. sequuntur Capr. in 1. d. 2. q. 1. in solutione ad arg. contra 4.
53. conclus.: Ferra. lib. contra gentes, cap. 57. Soncin. 6. Meta. q. 10 Duran. in 2. d. 38. q. 3. ad 3. qui omnes docent; intellectum eodem actu ferri in conclusionem, & principia; cùm ei propter principia assentiatur: quod aliter fieri repugnat; nisi assensus principiorum includatur formaliter in assensu concl.

Deinde probatur hoc argu. satis efficaci. Eodem actu fertur potentia quælibet in obiectum, & in rationem formalem eius; vt visus eodem actu fertur in colorē, & in rationem visibilitatis: aut in colorem, & lucē; si lux se teneat ex parte obiecti in visione coloris. Et ratio huius euidens est: quia ex obiecto, quod percipitur, & ex ratione formali illud percipiendi, constituitur vnum obiectum totale, atque completū; tāquam ex Quo, & Quod: sed assensus principiorum, est ratio formales obiectiua assentiendi conclusioni: ergo eodem actu fertur intellectus in conclusionem; quæ est obiectum, cui assentitur, & in principia; quæ sunt rationes assentiendi: sed non potest ferri in principia eodem actu; nisi in obiecto eiusdem actus includantur formaliter: ergo necessariū est formaliter includi: præsertim cùm assensus conclusionis distinguatur specie, à fide humana, & opinione; solùm propter diuersam rationē formalē assentiendi: quæ in opinione est, ratio probabilis; in fide humana, testimonium fide digni; in assensu scientifico, principia per se euidentia.

54. *Probatur secundò.* Inductione, in actibus intellectus, & voluntatis: nam in actu fidei, formaliter includitur testimonium fide digni: quia est ratio formalis credendi: vt in actu voluntatis; per quē volumus media, includitur voluntas finis; tanquam ratio volendi media: vt in actu; quo volumus sumere potionem propter sanitatem; includitur formaliter actu intentionis, quo volumus sanitatem. sed assensus principiorum est ratio formalis, & actualis; propter quem assentimus conclusioni: ergo actu; & formaliter includitur in assensu conclusionis.

Sed vt veritas nostræ sententia intelligatur, & arg. opposita melius soluantur. *Notandum est.* Principia, & conclusionē, & assensus vtriusque *duobus modis considerari posse. Primo;* in quantū intellectus assentitur Principiis per se, & ex sola cognitione terminorum: & Conclusionis tanquam alteri obiecto distincto: non considerando; quod ei assentiatur propter principia: cùm constet posse ei assentire propter aliam rationem; vt propter testimonium fide digni, aut propter argumentum probabile. Et hoc modo; nec præmissæ includuntur in conclusione; nec assensu eorum. *Secundo modo considerantur;* in quantum habent ordinem, ac dependentiam inter sese: nempe conclusio; vt ei assentitur intellectus, propter principia: & principia, vt sunt causa conclusionis; tanquam formalis ratio assentiendi: & hæc dependentia, & hic ordo, essentialis est assensui conclusionis. Sicut ordo, ac dependentia assensus fidei ex testimonio, intrinsecus est ei. Euidens igitur est; assensum conclusionis, essentialiter includere ordinem dependentiæ, ad assensum principiorum; tanquam ad rationem formalem obiectiuam. Sed vbi clauditur formaliter ordo; clauditur ex consequenti illud, ad quod ordo ipse terminatur: ergo in assensu conclusionis, clauditur etiam ex consequenti assensus principiorum; tanquam terminus dependētiæ essentialis; quam habet ab eo assensus, cōclusionis. Itaque assensus, non clauditur 55.

for-

formaliter, aut essentialiter in assensu; cum distinguatur specie, & numero: sed ordo dependētiæ vnius ab altero, clauditur formaliter: & consequenter, assensus ipse, à quo essentialiter dependet. Vnde ordo dependentiæ, tanquam quid intrinsecum, & formale includitur; assensus verò, tanquam extrinsecum, quo dependet; & sine quo idem ordo dependentiæ essentialis, nec esse, nec intelligi potest. Verum actu includitur: quia actualis est ordo: nec includitur vt Quod; sed solùm vt Quo: quia solùm, vt ratio assentiendi. Exemplum huius possumus adducere in visione coloris; supposito quod lux sit necessaria ex parte obiecti ad vidēdum: tunc enim eodem actu fertur visus, in colorem, & lucem: non ita, vt lux sit, quod videtur, sed ratio formalis vidēdi: nec lux ipsa includitur in colore ipso, qui videtur: imo nec in obiecto actus videndi; tanquam aliquid intrinsecum: sed quia color; vt est obiectū visus, habet essentialem ordinem depēdentiæ à luce: quia nec esse potest, nec intelligi sine illa; propterea lux etiam actu includitur in obiecto visionis; per quam videtur color, tanquam terminus actualis dependentiæ obiectiuæ. Sic ergo intelligendum est; principia & eorū assensus includi in cōclusione, & assensu eius: quia essentialis est ordo dependentiæ ab eis, assensui conclusionis: & quia ordo iste actu, formaliter, & essentialiter includitur in assensu conclusionis; necesse est, principia etiam, & eorū assensum, actu, & formaliter includi: nō tanquam ei intrinseca; sed tanquam id, sine quo essentialis ipse ordo, nec esse potest, nec intelligi.

36. Ex hac ergo doctrina Respondetur ad testimonia Arist: *Ad primum* quidem, Concedendo; quod medium non debet ingredi conclusionem: nec id sequitur ex nostra sententia; quòd formaliter ingrediatur: quia principia non ingrediuntur; vt Quod: id est; vt quibus assentitur intellectus; sed solum, vt Quo. Ideo non sunt formaliter exprimenda, aut repetenda in conclusione: sed sufficit extremitates formaliter exprimere, aut repetere, atque coniungere, cum actuali dependentia à principiis: & consequenter à medio, vt formaliter includantur, licèt non exprimantur: sicut in actu fidei non exprimimus testimonium dicentes, non credere propter testimonium fide digni; sed solum exprimitur illud, quod creditur: ratione tamen actualis dependentiæ ab eodem testimonio, inclusum censetur testimonium; licèt non exprimatur. *Ad secundum testimonium.* Respōdemus; Notitiam conclusionis fieri, ex præexistenti notitia principiorum: præsupposita quidem, vt Quod; sed inclusa in ea, vt Quo. Hoc est, vt ratio assentiendi, eidem conclusioni.

Ad primum arg. Concedendum est quidquid assumit, & concludit; præter vltimam consequentiam, quam hoc modo infert: ergo per actum, & habitum scientiæ assentiretur intellectus principiis. Hæc enim neganda est: quia principia, vel eorum assensus, non includuntur in assensu conclusionis; tanquam id cui assentitur intellectus: sed tanquam ratio assentiendi: vnde solum sequitur; quòd per actum, & habitum scientiæ assentiatur intellectus conclusioni, propter principia.

Quod verò dicitur, Assensum principiorum specie, & numero distingui, ab assensu conclusionis; Verum est: sed ex hoc solùm sequitur; quòd non possit in eo includi, tanquam aliquid ei intrinsecum; sed tāquam extrinsecum: sine quo, nec esse, nec intelligi potest essentialis ordo dependentiæ; quem includit assen- 37.

sus

sus conclusionis, ab eo. Hunc enim modum inclusionis, non tollit differentia numerica, nec specifica; vt per se est manifestum.

Ad secundum. Concedendum est antecedens, & neganda consequentia; quòd falsum includatur in verò: quia conclusio vera, nō sequitur ex præmissis, vt falsis; sed vt sic dispositis in forma syllogistica: quare solum infertur: quod illæ, vt sic dispositæ, includantur in assensu conclusionis, tanquam, Quo modo iam explicato.

Ad confirmationem. Concedendum est antecedens; quod solum in conclusione coniungantur extremitates, nulla facta mentione medij: sed quia coniunguntur per medium; hoc est cum actuali, & formali dependentia ab eo; necesse est, medium includi formaliter in tali coniunctione; quæ est assensus ipse conclusionis: veruntamen, quia non includitur tanquam Quod: hoc est, tanquam id cui assentiatur intellectus, per assensum conclusionis: sed tanquam Quo; id est tanquam ratio formalis, & actualis assentiendi eidem conclusioni: ideo non exprimitur, nec expressa mentio eius fit; sed nec exprimi potest, absque peccato contra formam syllogisticam.

QVÆSTIO VI.

An habito assensu præmissarum, assentiatur intellectus conclusioni in eodem instanti?

SI præmissæ disponantur debito ordine; quem postulat ars syllogistica, ac demonstratiua; *Certum est, assensum maioris, prius tempore haberi posse; quàm assensus minoris, & conclusionis habeatur.* Quia vniuersalis propositio est; sub qua sub sumenda est minor, tanquam particularis: & ex vtraque inferenda conclusio: ideo non dependet ab assensu minoris, & conclusionis. *Certum est etiam; quod* 31.
si non seruetur ordo disponendi præmissas etiam assensus minoris poterit haberi prius tempore; quàm assensus maioris, & conclusionis: quia dum minor non subordinatur maiori; sine illa esse potest: & si ita habeatur; non est necessarium, quòd statim ex ea inferatur conclusio. Gratia exempli. Prius tempore habere potest intellectus, hunc assensum maioris; Omne animal rationale est risibile; quàm habeat hunc assensum minoris; Homo est animal rationale: & hunc assensum cōclusionis; Omnis homo est risibilis. Potest etiam nullo ordine seruato, prius tempore habere secundum; quàm primum & tertium: de his igitur non potest esse dubium.

Sed solum. An habitis assensibus maioris, & minoris, dispositis, & ordinatis; necesse sit simul habere assensum conclusionis: vel prius haberi possint illi, quàm habeatur iste? Et de prioritate naturæ, certum est; prius illos haberi: quia sunt causa assensus conclusionis: causa autem prior est natura suo effectu. Quæstio ergo procedit, de prioritate temporis; An possit intellectus habere assensum maioris, & minoris, dispositis in hoc instanti; & non habere in eodem assensum conclusionis: vel necesse sit; quòd in eodem instanti sequatur ex eis, & cum eis simul tempore habeatur.

Et videtur non esse necessarium; quòd habeatur in eodem instanti: quia intellectus non Potest simul plura intelligere, vt docet Arist. 2. lib. Top. cap. 3. loco 33. his verbis. *Contingit enim plura scire, cogitare autem non.* Per cogitationem, intelligens actualem cognitionem: sed præmissæ, & conclusio sunt plura: ergo non poterit ea simul; hoc est, in eodem

instanti intelligere. Et si dicas plura quidem esse; sed habere modum vnius: in quantum ordinata sunt in eodem syllogismo
89 *Adhuc duplex est aliud impedimentum. Primum.* quia potest habere errorē cōtrarium conclusioni, & nimis radicatum in subiecto; per plures actus: tunc ergo non poterit statim eum expellere per assensum conclusionis: & ideò, nec statum ei assentire. *Secundum.* quia capacitas intellectus, per quam potest multa simul intelligere; finita est: ergo si numerus eorum; quæ potest actu considerare, impleatur per assensus præmissarum, non poterit simul habere assensum conclusionis; quousque alium dimittat.

Vera tamen sententia est; Assensum conclusionis in eodem instanti sequi, ex assensibus præmissarum. Cuius ratio est. Quia vt Arist. docuit, cap. præsenti; ex terminis eorū fit, & in eis continetur virtualiter, tāquam in causa, aut tanquam arbor in semine: ideo nullum potest esse impedimentum; quin statim ex eis sequatur.

Ad testimonium Arist. Respōdetur; intelligendum esse de pluribus; vt plura sunt; hoc est diuersa, & nullo modo inter se, vel ad tertiū ordinata: nā quæ per modum vnius intelliguntur; non dicuntur plura simpliciter, sed vnum: assensus autem præmissarum, & conclusionis, per modum vnius se habent: quia in eodem syllogismo ordinati sunt: ideo simul possunt haberi ab intellectu. Cui non obstat impedimentum erroris: nam cùm fortior causa sit demonstratio; statim illum vincit atque expellit: & etiam si nimis sit radicatus; nō impediet assensū cōclusionis, neq; habitū scientiæ, qui per illū producitur in eodem instanti; sed permanebit simul cū eo; quousque multiplicatis demonstrationibus omnino expellatur. Nō enim repugnat, contrarios habitus remissos, simul permanere in eodem subiecto: sicut neq; cōtrarias qualitates remissas; vt calorē, & frigus. Aliud denique impedimētū, de capacitate intellectus finita (circa quod multa verba cōsumit Sotus ca. præsenti) difficultate caret: nam licèt intellectus, duo, vel quatuor tantū diuersa simul possit intelligere, & vnum, vel tria actu cōsideret: dum accedit ad constituēdam demonstrationem; poterit assensus præmissarum, & conclusionis simul habere; cùm modum vnius habeant, licèt sint tres.

QVÆSTIO VIII.

An habitu assensibus præmissarum, liberum sit intellectui assentire conclusioni; vel necesse sit assensum eius habere in eodem instanti?

Duplex est libertas voluntatis, Cōtrarietatis & Contradictionis: & illa vocatur etiam libertas, quoad specificationem; hæc verò libertas quoad exercitium. 40 Libertas contrarietatis est; posse voluntatem actum bonum, & malum habere; aut intellectum assensum, vel dissensum. Et dicitur contrarietatis: quia actus bonus, & malus contrarij sunt; atque etiam assensus, & dissensus intellectus. Specificationis verò; quia ab obiecto speciem accipiunt actus. Libertas verò contradictionis est; posse voluntatem, vel intellectum exercere actum, vel eum suspendere: quia habere actum, & non habere contradictoriè opponuntur. Et exercere actum; vel non exercere, denotat exercitium potentiæ. Intellectus autem, licet radicalem quandam rationem libertatis habeat: in quātum formalis libertas voluntatis originē habet ab eo; quòd intellectus plura potest ei obiecta proponere; & ideo ipsa operari valet, circa vnum, vel alterum; vt sibi placuerit: nihilominus formalem libertatem; quæ consistit in eo, quod est vel

est velle se applicare ad operandum, vel nolle operari; sola voluntas habet: à qua eam participat intellectus; in quantum potest applicari ad intelligendum: non à se; sed à voluntate: & etiam potest ab intelligendo diuerti, aut remoueri.

Quo supposito, quærimus; *An habitis assensibus euidentibus maioris, & minoris, possit intellectus per dependentiam à voluntate assensum conclusionis suspendere: Ita vt in eodem instanti, vel non operetur; vel à voluntate diuertatur ad operandum circa aliud obiectum diuersum, ab assensu conclusionis; vel omnino necessitetur ad assentiendum eidem conclusioni.*

41. *Certum est autem necessitati;* quantùm pertinet ad specificationem: ita vt non sit ei liberum assentire, aut dissentire: sed si operetur circa obiectum propositum, assentire debeat conclusioni; dissentire verò nullo modo possit: quia ex assensibus principiorum veris, & necessariis, nō potest; nisi assēsus verus, ac necessarius procedere: ergo si procedat aliquis, assensus debet esse; dissensus esse non potest. Nam sicut voluntas non potest odio prosequi bonum; vt bonum sibi repræsentatum: ita intellectus, non potest dissentire vero ac necessario; vt tali sibi proposito. Quæstio igitur est: *An possit non assentire conclusioni; vel quod idem est, assensum suspendere cessando omnino ab operatione, vel operando circa aliud.*

Et est prima opinio quorundam modernorum, asserentium; Nullo modo posse intellectum suspendere assensum conclusionis; sed necessariò eum elicere. *Probant primò:* Quia assensus principiorum sunt per se euidentes, & necessarij, & continent virtualiter assensum cōclusionis; & continentia quidem naturali: sicut semen continet virtualiter arborē & arbor fructū: ergo conuincitur ab eis intellectus naturaliter; vt assentiat conclusioni: sed necessitas naturalis, non subditur libertati voluntatis; vt patet in 42.
actu potentiæ nutritiuæ, quem non potest suspendere volūtas; quin cibum sibi applicatum cōuertat in substantiam viuentis: ergo non poterit voluntas: suspendere actum intellectus; quin statim assentiatur conclusioni.

Secundò Quia sicut se habet in voluntate intentio finis ad electionem mediorum; sic se habet in intellectu assensus principiorum, ad assensum cōclusionis; vt D.Tho. docet, 1.2. quæst.8. art.3. & cum eo tota schola: sed certum est apud omnes; quod posita efficaci intentione finis & perseuerant voluntate in ea; non potest suspendere actum electionis; sed necessitatur omnino ad eligendū aliquod medium, pro cōsecutione eius: ergo habito assensu principiorum, & perseuerāte in eo intellectu, non potest vllo modo suspendere actum conclusionis.

Secunda opinio est opposita; quòd adhuc positis assensibus præmissarum, possit intellectus suspendere assensum conclusionis; ita vt à voluntate diuertatur ad operandum circa aliud obiectum. *Hanc sequitur iam maior pars modernorum, & continetur in doctrina D. Tho. & ideo à nobis tenenda est.*

Sed vt eā explicemus simul, & probemus; Duo sunt notanda, ex doctrina D. Tho. ab omnibus iam recepta. *Primum est.* quòd intellectus subditur voluntati, quantum ad exercitium actus: hoc est, quantùm ad applicationem eius ad operandū; vel remotionem ab operatione hac, vel illa: ita docet D.Tho. 1. 2. quæ.9. art.1. ad 3. his verbis. *Volūtas mouet intellectum, quātùm ad exercitium actus: quia & ipsum verum; quod est perfectio intellectus, continetur sub vniuersali bono; vt quoddam bonū particulare.* Ex quibus deducitur hæc distinctio. *Sicut bonum est duplex: Summum* 43.

habitus ad videndum, néque potest illū acquirere, per frequentes actus visionis. Sed intellectus, per assensus principiorum, acquirit habitum; qui vocatur intellectus: & habitis assensibus principiorum; etiam acquirit habitum scientiæ, per assensum conclusionis; secundum communem sententiam totius Scholæ: ergo aliquam habet libertatem in assensu principiorum: & eo habitu, in assensu conclusionis: minima autem libertas est, posse assentire, & assensum suspendere: ergo negari non potest, quin hāc habeat.

47. *Ad primum arg. oppositæ sententiæ.* Cōcedendum est antecedens, cum consequentia; sed distinguendum consequēs; quòd conuincatur intellectus per assensum principiorum, ad assentiendum conclusioni: nam licet conuincatur quātum ad specificationem actus: quia non est ei liberum, si operatur circa conclusionem; elicere actum dissensus; sed necessariò assentiendum est ei: quantùm ad exercitium tamen non conuincitur: quia intellectus non est potentia purè naturalis; sicut visus: nec operatur omnino ex determinatione ad vnum; sicut ille: sed subditur imperio volūtatis, circa quodcumq; particulare verum; quantū ad applicationem, vel exercitium: & ita potest à voluntate applicari ad assentiendū principiis, & cōclusioni (quæ vera particularia sunt) & diuerti ab assensu eorū.

Ad secundum. Distinguendum est antecedens: quia sic se habet in intellectu assensus principiorum, ad assensum conclusionis; sicut in voluntate intentio finis, ad electionem mediorum; quantum ad aliquid: sed quantum ad aliud, se habet diuerso modo. Conueniunt namque

48. in eo; quod sicut voluntas, per se primò tendit in finem, & ex intentione finis mouetur ad media; sic intellectus, per se primò mouetur ad assensū principiorū, & ex assensu principiorum mouetur ad assensum conclusionis. Differunt tamen; quod voluntas non eligit media, propter finem vtcumque spectatum; sed propter consecutionem eius: & ex hoc prouenit; quod si velit perseuerare in intētione finis, non possit suspendere actum electionis; sed quamuis liberū sit ei, vnū aut alterum medium eligere; non possit non eligere aliquod. In intellectu verò hoc non reperitur: quia assensus conclusionis, non ordinatur ad consecutionem alicuius finis; sed solùm habet necessitatem consequentiæ: quia virtualiter continetur in principiis, ex quibus procedit per euidentem consequentiam. Sed procedere, aut non procedere; pēdet ex applicatione voluntatis ad assensum eliciendum: quæ applicatio libera est, vt probauimus; cum sit circa verum quoddam particulare, & distinctum ab ipsismet principiis. Vnde liberum est voluntati applicare; aut diuertere intellectum ab assentiendo.

CAPVT SECVNDVM TEXTVS ARIST.

Scire autem arbitramur vnum quodque simpliciter; & non sophistico more, &c.

Breuis expositio textus.

1. CApite præcedenti, docuit Aristot. scientiam esse, & de nouo acquiri per demonstrationem, ex præexistenti cognitione principiorum. *In hoc autem secundo c. intendit docere quid scientia, & quid Demonstratio sit. Diuiditur autē in tres partes. In prima*, Vnam definitionem scientiæ, & duplicem demonstrationis tradit. *In secunda*, Definit principium; illudque duplici diuisione diuidit. *Et in tertia*, Docet, & probat principia, seu præmissas notiores esse conclusione.

Pluribus verbis definit scire, hoc est scientiam in concreto: ex quibus pauca hæc sumẽda sunt; quibus breuis definitio assignatur, *Scire est cognoscere causam rei: & quòd illius est causa, & quod nõ contingit aliter se habere.* Per quã solum definit Arist. perfectissimã scientiam; quam vocat scientiam Propter quid: (nã de scientia Quia, minus perfecta, c. 10. huius libri se acturum promittit) ad quã habendã, triplicẽ conditionẽ requiri affirmat. *Prima* est, vt causam cõclusionis cognoscamus. *Secunda*, vt cognoscamus talem causam; nõ solùm secundũ cognitionem nostrã esse causam; sed etiam secundum rem: nã dum probamus hominem esse rationalem; quia est risibilis, risibile prius est in nostro intellectu: & ideo causa cognoscendi rationale, sed nõ est causa essendi eius; verũ potius est effectus. Et ideò non habemus scientiam Propter quid, de rationali; sed solùm Quia. *Tertia conditio est*, vt cognoscamus, nõ solùm esse causã essẽdi; sed causam necessariam: ita vt ea posita, necessariò sequatur effectus: hoc enim significatur illo verbo; *Et quod contingit aliter se habere.* Integram definitionem breuissimè explicat Arist. dicẽs: Scire esse, per demonstrationem intelligere: quia si vera sit demonstratio Propter quid; tres illæ conditiones reperiuntur in præmissis respectu conclusionis.

Definit deinde demonstrationẽ, duplici definitione; quarum prima ita habet. *Demonstratio*, est syllogismus sciẽtialis; siue syllogismus faciens scire: & est definitio finalis: quia finis demonstrationis est, generare scientiam: & hæc scientia genita per demonstrationem; est assensus conclusionis eius, genitus ex præmissis.

Secunda definitio, Materialis est. Nam sicut ex fine, propter quẽ efficitur domus; nempe, vt à pluuijs, aliisuè temporũ injuriis nos defẽdat colligimus; ex quibus partibus materialibus constare debeat nempe ex lignis, lapidibus, alijsque partibus tali modo dispositis: ita Arist. ex fine demõstrationis, colligit; quibus partibus dispositis, & ordinatis, cõstare debeat demõstratio: quasi ita arguens. Demõstratio ordinatur ad generandã sciẽtiam; tãquã ad finẽ: ergo talis debet esse; *Vt procedat ex veris, primis, immediatis, notioribus, & prioribus, causisq; conclusionis.* *Probat* singulas particulas definitionis: & *Primò*; quòd demonstratio procedat *ex veris*, hoc modo. Obiectum scientiæ debet habere esse: ergo quod non est; nõ scitur: sed falsum nihil est: ergo non potest de illo esse sciẽntia: veram igitur esse oportet conclusionem demonstrationis; cuius assensus est sciẽtia: ergo debet procedere ex præmissis veris; tanquam ex causa. Probatur consequentia. quia falsum cùm nihil sit; non potest esse causa veri. Quòd verò demõstratio procedat *ex primis probat secundo*: quia nisi præmissæ sint principia per se euidentia formaliter; hoc est; quibus cognita significatione terminorum, statim assentiatur intellectus: vel saltem virtualiter; si is qui demonstrationem facit, sciat ea reducere ad principia per se nota, per alias demonstrationes; non habebit scientiam conclusionis: nec proinde verem demonstrationem; sed dialecticum tantũ syllogismũ, & assensum opinionis de conclusione. *Probat tandem tertiò; quod notioribus, prioribus, & causis conclusionis procedat.* Quia scire, est rem per causam cognoscere: ergo præmissæ debẽt esse vera causa cõclusionis; sed causa est prior & notitior effectu ergo debẽt esse priores & notitiores: nõ solùm quoad nos: quo pacto, illud est prius, quod notius est nobis; licet secundum naturam sit posterius: vt effectus notior nobis est causa: & ideo prior quoad no-

ad nostram cognitionẽ: sed præmissæ debent esse priores, & notiores cõclusione, ex natura rei; quod habebũt, si secundum rem sint causæ eius, vt expositum est.

4. *In secunda par. cap.* Quia dixerat demõstrationem debere procedere ex primis: hoc est, ex præmissis; quæ sint principia indemonstrabilia: definit principium indemonstrabile: hoc modo; *Principiũ est, propositio immediata demonstrationis:* Explicat autem; quid sit esse propositionẽ demonstrationis, vel demonstratiuam: & quid sit esse immediatam. *Propositio, inquit, est altera pars enunciationis, vnum de vno complectens.* Nam enunciatio diuiditur in affirmatiuam, & negatiuam. Esse igitur propositionem demonstrationis idem est; ac esse enunciationem affirmatiuam, aut negatiuam: quæ tanquam præmissa ponitur in demonstratione, ad inferendam conclusionem: & ideo debet esse vera, ac necessaria; vt distinguatur à propositione dialectica, quæ solum est probabilis: & ideo potest esse falsa. *Immediata verò propositio est; quæ non est alia prior.* Hoc est, quæ non habet aliam, per quam demonstrari possit; sed cui intellectus, ex sola notitia terminorum assentitur.

5. *Diuidit deinde principiũ in duo membra:* nempe in *Dignitatem, & Positionem.* Dignitas, seu ἀξίωμα, est propositio immediata, atque indemonstrabilis; adeò vniuersalis, & manifesta; vt eius veritas omnibus pateat: & hac fortè ratione vocatur Dignitas; quia dignũ est, cui assentiãtur omnes. Et hac etiam de causa inquit, Arist. Dignitates cognoscere debere omnes; qui scientiam aliquã acquirere volunt; priusquam ad eam ad discẽdã accedãt. Tales sunt, *Quodlibet est vel nõ est:* Totum est maius sua parte; & similes. Positio verò, seu θέσις, est propositio per se nota, & indemonstrabilis; sed nec vniuersalis adeo, vt ἀξίωμα; nec cuius veritas, omnibus sit manifesta: & ideo, quam non est necessarium, vt cognoscat prius, qui aliquam scientiam addiscere incipit; sed tunc potest per se, vel à magistro eam accipere: & talia sunt omnia principia particularium sciẽtiarum; vt definitiones. Est autem alia differentia, inter Dignitatem, & Positionem; quòd Dignitates vix, aut nũquam ingrediũtur demonstrationem, sed omnibus scientiis præsupponuntur. *Positiones verò,* præmissæ demonstrationis sunt: & ideò positiones vocantur; quia ponuntur in demonstratione ad inferendam conclusionem.

Positionem rursus diuidit, in eam quæ verũ, vel falsum cõtinet: & hæc est propositio; quã appellãt *Suppositionem:* quia sub tali dispositione ponitur in demonstratione ad inferendã cõclusionẽ. Et in eam; quo nõ continet, verũ, nec falsum; sed ex illa potest suppositio fieri: & dicit esse definitionem; vt animal rationale, est principium; quod vocatur definitio; ex qua potest fieri aliud principiũ; quod sit suppositio: vt si dicamus; homo est animal rationale; Suppositio est: quia verum, vel falsum continet.

In tertia parte. Docet principia, vel præmissas demonstrationis, magis euidentes, magisque certas esse debere, quàm conclusionem eiusdem demõstrationis. Quod probat, ex cõmuni illo axiomate. *Propter quòd vnumquodque tale, & illud magis.* Vt si Petrum diligo propter Ioannem; magis diligo Ioannem, quàm Petrum: sed conclusioni demonstrationis assentitur intellectus propter præmissas: ergo fortiùs, ac certiùs assentitur præmissis: quare certiores, & notiores esse debent conclusione. 6.

QVÆSTIO I.

An secunda definitio demonstrationis sit bona?

QVæstio hæc, non tam proponitur ad rei difficultatem discutiendam; quàm ad elucidandam definitionem Arist. atque ostendendum exactam esse. Quod vt fiat, duo arg. aduersus eam proponemus; ex quorum solutione id fiat manifestum. *Primum est.* Quia definitio per genus, & differentiam dari debet; vel per aliquid, quod loco generis, aut differentiæ ponatur: sed nihil ponitur pro genere in hac definitione; vt verba eius ostendunt, quibus ab aliis argumentationibus distinguatur; in nullo verò eorum cum eis conuenit: ergo caret omnino genere: & ideò non est integra vel completa.

7. *Secundum.* Quia bona definitio, nec vnum verbum debet habere superuacaneum: sed hæc habet plura eiusmodi: ergò non est bona. Probatur minor. quia demonstrationem procedere ex primis & prioribus; idem sunt, nam prima, & priora, idem prorsus significant: ergo redundat alterum. Præterea, Causa est prior, & notior effectu; ergo qui dicit demonstrationem procedere ex causis, dicit debere procedere ex prioribus, & notioribus: sufficeret ergo ponere in definitione, particulam ex causis: & sic duę aliæ, nempe ex prioribus, & notioribus, videntur superfluæ, totamque definitionem vitiosam efficere. Et tandem. Quod procedat ex primis, & ex immediatis, aut indemonstrabilibus; idem est: cùm idem sit principia demonstrationis esse prima, & esse immediata, aut indemonstrabilia: ergo aliquod horum verborum superfluum est.

Nihilominus definitionem hāc bonam esse, ita probo. Bona definitio est; per quam sufficienter explicatur natura definiti, & distinguitur à cæteris: sed hæc duo præstat hæc definitio demonstrationis, explicans naturam demonstrationis, & eam distinguens à cæteris argumentationibus: exacta igitur censenda est. Probatur minor. quia hęc definitio, explicat partes; ex quibus demonstratio constare debet; nempe, præmissas veras, necessarias: & quæ sint veræ causæ, & per se conclusionis: & quæ sic disponātur; vt ex eis euidenter inferatur conclusio. Et demōstratio ex his constituta, essentialiter distinguitur ab aliis speciebus argumentationis; cum quibus conuenit in genere remoto argumentationis; & cum syllogismo dialectico in genere syllogismi: quod genus sub intelligitur, absq; dubio ab Arist. nec necessarium fuit illud expresse in definitione ponere: quia & in lib. Priorum proximè antecedentibus, syllogismum definierat: & in prima definitione eiusdem demōstrationis, præsenti cōtradita, eundem syllogismum expressè posuit pro genere dicens: Demōstrationem esse syllogismum scientialē, aut facientē scire. Quare secūda definitio his verbis debet assignari. *Demonstratio est syllogismus procedens ex veris, primis, & immediatis, notioribus, & prioribus, causisque conclusionis.* ita vt per syllogismum; cōueniat in genere immediato cum dialectico & per eandem particulam; censeantur separatæ ab ea cæteræ argumentationes, atq; etiam syllogismus sophisticus: qui dum peccat in forma; non est syllogismus simpliciter; sed secundum quid: & ideo non conuenit cum demonstratione in syllogismo; tanquam in genere; sed solùm analogicè: & ob eā caussam sic censetur separatus. Per cæteras verò particulas definitionis, distinguitur demōstratio à syllogismo Dialectico; qui ex aliis valde diuersis procedit: vt in 8.

Topicis dicetur. Et ex his manet explicata definitio demonstrationis. *Et solutum primum arg.*

9. *Ad secundum.* Negāda est minor; quod in hac definitione aliquod verbum sit superuacaneum: quia licet quædam eandem rem significent; singula tamen diuersam rationem eiusdem rei significant: quod satis est, vt nullum sit superfluum. Vt principia esse prima, & esse immediata; aut indemonstrabilia, diuersas rationes principiorum denotant. Principium namque, dicitur primum; in ordine ad conclusionem: quæ nō est prima; sed à primò deriuata. Immediatum verò, aut indemonstrabile; respectu alterius medij prioris; per quòd demonstrari possit, quo caret. Prima quoque dicuntur principia, propter dignitatem; & priora propter causalitatem. Causa denique duplicem habet dignitatem, respectu effectus, & quòd sit prior natura illo, & quòd sit notior: & licèt vna sequatur ex altera, ratione tamen distinguuntur. Quocirca nullum est verbum in definitione; quod non significet rationem aliquam, vel dignitatem principiorum, distinctam ab ea; quam significat aliud: quod satis est; vt nullum sit superfluum. Imò necesse fuit omnia illla verba in definitione ponere; vt omnes rationes principiorum exprimerentur: & ratio, atque dignitas demonstrationis explicatiùs traderetur. Vnum tamen est notandum: quòd dum dicitur demonstrationem procedere ex causis: per causas, non solùm intelliguntur illæ, ex quibus realiter procedit effectus; sed quæcunq; rationes priores aliis. Nam de ente demōstrantur proprietates, aut passiones eius in Metaphysica; vt quòd sit vnum verū, & bonum: & de Deo demonstramus; quod sit æternus: quia est immutabilis: idque per veras demonstrationes; & tamen nō potest esse vera causalitas, inter vnum & alterū; cùm nec sit distincto ex natura rei: verum sufficit prioritas rationis; quā intellectus noster inter ea ponit, ad veram demonstrationem.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit propositio per se nota; & an omnia immediata appellanda per se nota?

Circa definitionē & diuisionem *propositionis per se nota*, non videntur eodem mòdo sentire, D. Tho. & Scotus. atque ex consequenti; nec sectatores vtriusque. Nam D. Th. de veritate q. 10. ar. 12. li. 1. contra gentes, cap 10. & 11. & 1. p. q. 2. ar. 1 sic definit propositionem per se notam. *Propositio per se nota est: cuius prædicatū includitur in ratione intrinseca subiecti*: vt homo est animal. *Deinde diuidit primò propositionem per se notam*; in eam; quæ est per se nota, *Secundum suam naturam*; & non quoad nos: & in eam; quæ est per se nota, etiam *quoad nos*. *Per se nota ex natura sua*; & non quo ad nos, est illa; cuius prædicatum verè est intrinsecum respectu subiecti; sed nos id ignoramus: & talis erit illa, in qua definito nobis ignota prædicatur de suo definitio. *Per se nota verò ex natura sua, & quoad nos*, erit illa; cuius prædicatum verè est subiecto intrinsecum, & à nobis cognoscitur: vt homo est animal rationale. 10.

Secundo diuidit propositionem per se notam ex natura sua, & quoad nos in *Vnam; cuius termini omnibus patēt*. Et tales sunt, principia vniuersalissima; vt quodlibet est, vel non est: & totum est maius sua parte. Et in *Aliam; cuius termini non omnibus sunt* manifesti; sed solis sapientibus: & talis est hæc; Spiritualia nō sunt in loco circumscriptiuè. Hanc definitionem propositionis per se notæ, cum vtraque diuisione, amplectuntur ferè omnes; Ri-

 char.

char. in 1. d. 3. art. 1. q. 2. Duran. ibidem q. 3. Ferr. 1. lib. contra gentes cap. 10. Capreol. in 1. d. 2. q. 2. art. 1. & 2. Caiet. 1. p. q. 2. art. 1. & cap. præsenti Sotus cap. præcedenti quæst. 2. ad 9. & plures alij.

Secunda opinio Scoti, opposita est, quia nec definitio ei placet, nec diuisiones recipit; sed aliam definitionem ipse assignat, prolixam satis, & obscuram; his verbis. *Propositio per se nota; quæ ex terminis proprijs, qui sunt aliquid eius; vt sunt eius, hoc est, vt sic concepti; & non propter aliquid aliud, quod sit extra terminos proprios, habet euidentem veritatem.* Vt omne totū est maius sua parte: & talem ait esse omnem propositionem, per se notam: & ideo non esse diuidendam illis diuisionibus traditis, à D. Thom.

Ex qua definitione colligit. Distinctā esse
11. propositioné; in qua prædicatur prima passio de definitione: vt animal rationale, est capax disciplinæ: & in qua prædicatur de definito: vt homo est capax disciplinæ; quod multis probat argumentis, putans fortè contrariū hoc esse sententiæ. D. T. Sed hæc arg. omittēda sunt; quia id nō negat D. Th. vt videbimus. Scotū sequūtur Aureol. & Greg. quos citat Capreol. in 1. d. 2. q. 2. art. 2. qui aduersus definitionem D. Th. sic arguunt.

Primò. Multæ sunt propositiones per se notæ in Mathematicis scientia; in quibus prędicatum non est de intrinseca ratione subiecti: vt totum est maius sua parte: &, à quolibet puncto in quodlibet punctum, possumus lineam ducere. Et in Philosophia naturali; Motum esse; atq; etiam Naturam esse: imò, & hæc per se nota est; Animal rationale est capax disciplinę: Nix est alba: Coruus est niger. Et ex opposito, aliæ sūt; in quibus prædicatum est de intrinseca ratione subiecti: vt Homo est substātia. Animal est corp.: & tamen non sunt immediatæ, quia inter prędicatū, & subiectū dantur alia prædicata media vt patet, Ergo definitio D. Th. ex vtraque parte probatur insufficiens. 12

Secundo arguunt, Contra diuisionem: quia propositioné esse per se notam, non consistit in eo, quòd termini eius à nobis cognoscantur, sed solum in eo, quòd ex se habeat euidētem veritatem: & multò minus consistit in eo; quod à solis sapientibus, vel ab omnibus cognoscātur eius termini: sed solum in eo; quòd per se sint cognoscibiles. Ergo diuisiones in per se notam ex natura sua; & quoad nos: & in per se notam sapientibus, vel insipientibus, extra rationem propositionis per se notæ sunt: & ideò admitti non debent.

Tertiò. Quia propositio per se nota est illa; quæ ex propriis conceptibus, à quocunque intellectu formatis, talis est: ergo omnis propositio per se nota; nobis etiam erit per se nota: & ideo male diuiditur; in per se notam ex natura sua, & quoad nos. Antecedens probāt quia, vel formamus proprios conceptus eius, vel alios diuersos: si proprios: nobis erit per se nota: si diuersos, non erit eadem propositio; sed alia diuersa: ergo propositio per se nota: ex se cuilibet intellectu erit per se nota: nulla ergo dabitur per se nota, ex natura sua; quæ non sit etiam per se nota, quoad nos.

In hac re, nostra sententia est. Propositionem per se notam, definiendam esse, ac diuidendam; vt Arist. cap. præsenti definiuit ac diuisit: eius autem definitioni, ac diuisionibus magis esse conformem sententiam D. Th. & communem; quam sententiam Scoti.

Verba Arist. sic habent. *Principium demonstrationis, est propositio immediata: immediata verò, quæ non est alia prior*. Quibus per principium demonstrationis, intelligit propositioné per se notam: hæc enim sola principium vocari potest: nā quæ mediata est; non principium; sed 13

conclu-

conclusio vocatur. *Sic ergo definienda est propositio per se nota apud Arist.* vt breuis, clara, & vniuersalis sit definitio. *Propositio per se nota est; inter cuius prædicatum & subiectum nullũ datur medium, per quod à priori poßit demonstrari.* In qua definitione, solũ definitur propositio per se nota demonstrationis, aut demonstratiua: hoc est necessaria; quod Arist. apertè significauit dicens; principium demonstrationis esse propositionem immediatam. quod dicimus, ad excludendas aliquas propositiones; quæ cùm vere accidentales sint, & ex contingentes, & non demonstratiuæ; ab aliquibus dicuntur per se notæ, atque immediatæ: vt nix est alba; superficies est colorata; & similes.

14 *Ex definitione autem sic intellecta.* Colligitur *primò.* Omnino conuerti propositionem per se notam, & immediatam, atque indemonstrabilem: quia de vtraq; verum est; nullum eam habere medium, per quòd à priori possit demonstrari. A priori autem dicimus: quia nil impédit, quo minus propositio sit per se nota; & per effectum demonstretur: vt homo est animal rationale; demonstratur per illam: homo est risibilis: & nihilominus est per se nota: quia non demonstratur à priori; sed à posteriori: & hæc de definitione propositionis per se notæ.

Hanc Arist. diuisit, quatuor diuisionibus; ex quibus tres posuit cap. præsenti; quartam verò cap. sequenti. *Prima*, in dignitatem, & positionem. Dignitatem vocauit vniuersalissimam; quæ vix ingreditur scientiam, vel demonstrationem; sed quasi fundamentum est plurium, vel omnium scientiarum, & demõstrationũ: vt quodlibet est, vel nõ est: totum est maius sua parte: quã ideo dixit necessariò debere cognosci ab his; qui aliquã scientiã addiscere incipiunt. Positionẽ verò, quæ est propositio per se nota non tamen vniuersalis, nec etiam, quam cognoscere debet, qui aliquam scientiam addiscere vult: sed particularis, & propria alicuius sciẽtiæ, ex qua fiunt demonstrationes in ea, & quæ in ipsamet scientia traditur: & tales sunt omnes definitiones, & omnia principia propria particularium scientiarum. Hæc autem diuisio, eadem est cum secunda; quã tradit D. Th. dicens; propositionẽ per se notam vnam esse, cuius termini omnibus patẽt: quales sunt vniuersalissimæ, quas appellauit Arist. dignitates. Et in aliam, cuius termini non omnibus; sed sapientibus tantum sunt manifesti: & istæ sunt, quas vocat Arist. positiones.

Secunda diuisione; eam diuisit in posi- 15
tionem, & suppositionem: circa quam versabitur quæstio sequens.

Tertiam verò diuisione, satis apertè insinuauit; dum notiora diuisit in ea; quæ sunt notiora natura, & quoad nos. Ex hac enim diuisione sequitur; per se notũ, aliud esse ex natura sua, & nõ quoad nos; aliud verò ex natura sua, & quoad nos: & ex cõsequenti propositionem per se notã, eiusdem modis diuidi ab Arist. Et probatur hoc arg. Omnis definitio constituit propositionem per se notam, cum definito: sed plures sunt definitiones nobis incognitæ: ergo propositiones, quas constituere possunt cum suis definitis, erunt, ex natura sua per se notæ; non tamen quoad nos: imò quæ demonstrari, quoad nos poterunt; à posteriori, per aliquem effectum.

Quartam deniq. diuisionẽ, posuit c. seq. In *per se notã positiuè*; cuius prædicatum positiuũ, sine medio demonstratiuo cõuenit subiecto; & *in per se notã negatiuè*; cuius prædicatũ negatiuum, sine medio conuenit subiecto: tales sunt propositiones; in quibus vnum prædicamentum negatur de altero: vt substantia non est

Pro aliis denique propositionibus essentialibus, & mediatis; quas adducit idem argum. *Alia distinctione vtendum est*; nempe, *Medium esse duplex, Reale vel Rationis; aut formale, & virtuale. Medium reale*, dicitur illud; quod est res distincta à prædicato, & subiecto; inter quæ ponitur medium: vt admiratiuum; est medium reale, inter hominem, & risibile: & hoc etiam dicitur medium formale. *Medium verò rationis est*; quod solum ratione nostra distinguitur à subiecto, & prædicato. & dicitur medium virtuale, quia secundum rem, aut formam non est distinctum ab extremis; sed secundum nostrum intellectum, plures conceptus eiusdem rei concipientem: virtute tamē; & quasi fundamentaliter contentos in re ipsa. Et quantùm pertinet ad propositiones demonstratiuas; vtrumque medium constituit propositionem simpliciter mediatam, & simpliciter demonstrabilē. Probatur ex Arist. qui concedit definitionem esse medium demonstrationis: atqui Definitio solum potest esse medium rationis, & virtuale.

Vnde sequitur, Omnes propositiones; quæ possunt demonstrari per definitionem prædicati aut subiecti, esse simpliciter mediatas: vt sunt illę, in quibus prima passio, prædicatur de definito, atque etiam de definitione: quia illa potest demōstrari per definitionem subiecti; hæc verò per definitionem passionis; & etiam illa; in qua vna passio prædicatur de alia; vt admiratiuum est risibile: & etiā illæ; quæ assumuntur in arg. Sed communiter dicuntur immediatæ; quia secundum rem tales sunt.

19. *Ad secundum*. Distinguendum est antecedēs. Nam sicut notiora, vel minus nota dicūtur talia; & ex natura sua, & etiam in ordine ad intellectum imperfectè cognoscentem: sic etiam propositio per se nota. & licèt per accidens sit ad rationem propositionis per se notæ secundum se sumptæ; quòd non sit per se nota quoad nos: nihilominus sumpta in communi; quasi analogicè diuiditur, in propositionem per se notam natura sua, & quoad nos.

Ad tertium. Negandum est antecedens; quòd propositio per se nota sit, quæ ex propriis cōceptibus, à quocunque intellectu formatis talis est. sed illa est, inter cuius prædicatum, & subiectum non datur medium; per quod à priori sit demonstrabilis: & quia hoc non est semper nobis notum, de quacumque propositione; ideo non quæcumque per se nota ex natura sua; est per se nota quoad nos. Talis autem propositionis non formamus proprios conceptus distinctos; sed confusos: & ideo non est alia; sed eadem: non tamen per se nota nobis: quia immediationem prædicati, & subiecti non cognoscimus.

QVÆSTIO III.

An nuda definitio sit principium quod vocatur positio?

DEfinitio duobus modis considerari potest. *Primo:* Secundum rationem definitionis præcisam; vt explicat naturam definiti: vt animal rationale. *Secundò.* Vt simul definitio coniungitur in propositione: vt cùm dicimus; homo est animal rationale. Et *primo modo nuda sumitur*; hoc est sine definito: & de ea sic accepta quærimus; *An sit principium demonstrationis, quod vocatur positio.* 02, Et rationem dubitandi ex vna parte præbuit. Arist. qui positionem diuisit in eam; quę est propositio, verum, aut falsū cōtinens. Et in aliam; quæ non continet verum, aut falsum: qualis est definitio; nude quidam accepta, & non cum definito; quia dum definito coniungitur, iam cōtinet

tinet verum, aut falsum; cùm efficiat cũ eo propositionem. Ex quo euidenter infertur pars affirmatiua; quòd nudè definitio sit principium, quod vocatur positio.

21. *Sed opposita pars*; quòd non possit esse positio, videtur probari euidenter hoc argum. à superiori ad inferius negatiuè. Quia principium diuisit Arist. in dignitatem, & positionem: & rursus positionem, in eam; quæ continet verum, aut falsum, & in eam, quę nihil horum dicit: qualis est definitio. Ex hoc ergo desumitur tale arg. Principium est quid superius, ratione dignitatis, & positionis; cũ in hæc principia specialia diuidatur: ergo euidens est talis consequentia, à superiori ad inferius negatiuè. Definitio non est principium: ergo non est positio. Antecedens probatur; ex definitione principi; tradita ab eodem Arist. Principium inquit est; propositio immediata: sed nuda definitio, non est propositio: ergo nec propositio immediata: & ex consequenti, nec est principium.

Plures solutiones adhibentur huic difficultati; quas consulto prætermitto: quia iam nemo eas curat. Solùm afferam solutionem D. Th. in Comment. huius cap. quam sequuntur ferè omnes moderni: & videtur mihi necessariò admittenda. Positionem duplicem esse; *Formalem, & Virtualem. Formalis*, est propositio. *Virtualis verò*, est definitio: quia ex ea proximè potest effici propositio; quæ sit formalis suppositio. Arist. ergo vocauit definitionem positionem: non quòd formalis sit positio, sed quod sit virtualis. Et hoc etiam modo est principium, & immediata propositio

22. *Sed contra hanc solutionem est arg.* Quia si hoc sufficit, vt definitio dicatur positio; etiam definitum poterit vocari positio. Probatur consequentia, quia sicut ex definitione adiuncta definito, potest proximè effici propositio; quæ sit formalis positio: eodem modo ex definito adiuncto definitioni: sed definitum non potest vllo modo vocari positio; alioqui, cuilibet parti poterit attribui denominatio totius: ergo nec definitio vocari potest positio, propter illam rationem virtualem. *Respondetur*. Negando consequentiam. quia specialis est ratio in definitione; vt dicatur positio virtualis; quæ non est in definito, nec in aliis. Nam definitio ex prppria natura, est medium ordinatum; per quod passiones demonstrantur de subiecto in scientia: vnde per se & proximè ordinatur, ad constituendam propositionem necessariam, & per se notam: quam non potest constituere; nisi cum definito. Per se etiam ponitur in scientia; tanquam fundamentum omniũ veritatum eius. & hęc est etiam specialis ratio; propter quã vocari debet positio. Et has speciales rationes considerans. Aristot. meritò eam vocauit principium, & positionem; quæ non reperiuntur in definito. Nam cum non sit medium ordinatum ad demonstrandas passiones, nec per se ordinatur ad propositionem per se notam constituendam; potius, quàm ad constituendã quamlibet aliam, non ponitur, tanqnam fundamentum proximum omnium veritatum eiusdem scientiæ; sed ad summum remotum. Ideò non potest vllo modo vocari positio.

QVÆSTIO IV.

An principia demonstrationis sint magis vera quàm conclusio & vniuersaliter vna propositio, an possit esse verior altera?

Præsupponenda est definitio veritatis; quam omnes recipiunt *Veritas est; adæquatio intellectus cum re vel ad rem* Adæquatio intellectus vocatur: quia veritas, 23.

ritas, saltem complexa (quam formalem vocare solent) primò, & formaliter reperitur in intellectu, & propositione mentali; per quam enunciat vnum de altero. In propositione verò vocali, & scripta; solum reperitur tanquam in signo. Dum ergo intellectus ita enunciat, per propositionem mentalem; sicut res se habet in se, dicitur verus: dum verò enunciat aliter; ac res se habet in se, dicitur falsus. Nam, vt sæpè Aristot. repetit; ab eo quod res est, vel non est; enunciatio dicitur vera; vel falsa: vt si de Petro sedente enunciet; quòd sedet: verus est. si verò quòd stet; vel non sedeat, erit falsus. Veritas igitur consistit, in adæquatione conceptus cum re ipsa: vel in adæquatione rei; vt repræsentatæ per conceptum, cum se ipsa; vt est in se. Quærimus ergo; *An complexa hæc veritas, suscipiat magis, & minus, in ordine ad præmissas, & conclusionem*: ita vt intellectus dum assentitur præmissis, magis verus sit, quam dum assentitur conclusioni: & ex consequenti, præmissæ in intellectu; quæ sunt propositiones mentales, sint magis veræ, quam conclusio, etiam in mente: quæ est propositio mentalis ex eis deducta: & consequenter, eadem principia; vt sunt propositiones vocales, aut scriptæ, sint veriora conclusione vocali, aut scripta. Et vniuersaliter, intellectus per vnam propositionem mentalem, an magis verus sit; quàm per alteram: & propositio ipsa mentalis, sit verior: atque ex consequenti, vocalis, & scripta.

24. *Prima opinio*. Negat præmissas esse veriores conclusione: & vniuersaliter vnam propositionem esse veriorem altera. Ita tenent ex modernis nõnulli. Probant ex intrinseca ratione veritatis. Nã veritas consistit in adæquatione conceptus cum re ipsa repræsentata. Ita vt tũc verus sit, quando repræsentat rem; sicut se habet in se: falsus verò; cum eam alio modo repræsentat: sed adæquatio consistit in indiuisibili: ita vt non possit intelligi maior, aut minor: ergo veritas propositionis etiam consistit in indiuisibili: ita, vt non possit maior, aut minor intelligi in diuersis propositionibus. Probatur minor. quia adæquatio est quædam æqualitas conceptus repræsentantis; cum re repræsentata: sed æqualitas consistit in indiuisibili: ita vt non possit esse maior, vel minor. Quia si duo corpora habent æqualem magnitudinem; ita vt neutrum excedat alterum: tunc dicuntur æqualia: si verò vnum excedat alterum; quantumuis minimo excessu, nõ erunt æqualia, sed simpliciter inæqualia: ergo eodem modo: vel conceptus repræsentat rem; sicut est in se, vel excedit, aut deficit; quantumlibet minimo excessu. Si primo modo se habeat; verus erit: si secundo, falsus: & consequenter, si propositio enunciat rem sicuti est, erit vera, si verò excedat, vel deficiat, quãtum libet parum, erit falsa: non potest igitur intelligi, quòd sit vna magis vera, quàm alia: sed eo ipso; quòd minus vera excogitatur, erit falsa. Gratia exempli. Non minus verum erit Petrum esse album, si ei albedo inhæreat; quàm esse hominem: quia non minus adæquatur vna propositio rei significatæ; quàm altera: sicut, si duo corpora sint æqualia; non erit possibile excogitare alia magis æqualia.

Secundam opinionem, tenet ex modernis alij. Affirmantes principia esse veriora conclusione: & vniuersaliter, vnam propositionem veriorem altera. Probatur testimonio Aristot. 4. Meta. tex. 18. vbi docet aliquid esse magis verũ; quàm aliud: & pariter magis falsum. quod sic probat. Quia non æquè mentitur; qui dicit, quatuor esse quinq;; ac ille; qui dicit, quatuor esse millia: ergo magis fal- 25.

sum est, quod iste asserit; quàm quod ille: sed falsum, est contrarium veritati: ergo eodem modo erit vna propositio magis vera; quàm alia. Probatur consequentia. quia contrariorum eadē est ratio. Præterea cap. præsenti, docet expresse; conclusionem esse veram propter præmissas: ergo præmissæ erunt magis veræ, quia propter quod vnumquodque tale; & illud magis.

Probant deinde ratione. Quia à nemine negatur; principia esse certiora, euidentiora, & magis necessaria, quàm conclusionem; cùm sint per se certa, per se euidentia, per se necessaria; hoc est, sine vllo medio; sed quibus intellectus, cognita tantum significatione terminorum assentitur: conclusio verò non sit certa, euidens, aut necessaria per se; sed per aliud: hoc est per principia; quibus mediis ei assentitur intellectus: sed magis certum, magis euidens, & magis necessarium, est magis verum: ergo erit eodem modo magis vera. Et certè, si vna propositio non esset verior altera; non esset fides diuina magis vera; quàm sciētia, aut quam quælibet alia cognitio humana. Vnde, nec magis verum esset; quòd Deus est trinus, & vnus; quàm quòd paries est albus; cui inhæret albedo: quod tamen falsum est, & contra D.Th. 2. 2. q. 4. art. 8. vbi docet; fidem diuinam ex propria natura, certiorem esse quacunque scientia nostra.

26. *Nostra sententia, medium tenet inter hæc extrema*, & explicatur hac distinctione. *Veritas duobus modis potest considerari. Primo. Formaliter, ex parte essentiæ*: quæ consistit in adæquatione intellectus per conceptum, vel iudicium cum re, extra existente, per eundem conceptum repræsentata. *Secundo ex parte fundamenti, & causarum eius.* Fundamentum, est entitas & perfectio ipsarum rerum; circa quas versatur. Nam cùm verum, sit passio entis; quæ perfectiora sunt secundum entitatem; censentur etiam perfectiora secundum veritatem. Causæ autem veritatis esse possunt; necessitas, infallibilitas, certitudo, atque euidentia: pondus etiam, siue momentum rationum quibus probatur.

Duplici ergo conclusione respondemus. 27.
Prima. Veritas ex parte rationis formalis, & essentialis ipsius adæquationis, in qua consistit; non potest esse maior in vna propositione, quàm in alia. Secunda, ex parte fundamenti, & causarum eius; maior esse potest: & ideo vna propositio ex hac parte magis vera; quàm altera. Vtraque conclusio cum distinctione adducta, continetur expressè in doctrina D. Th. quæ. 1. de virtutibus, art. 9. vbi ita ait. *Cum veritas consistat in adæquatione intellectus, & rei; si consideretur veritas secundum rationem æqualitatis, quæ non recipit magis, & minus; sic non contingit esse aliquid magis, & minus verum. Sed si consideretur ipsum esse rei; quæ est ratio veritatis, sicut dicitur in 2. Meta eadem est dispositio rerum in esse, & veritate: vnde quæ sunt magis entia, sunt magis vera: & propter hæc etiam in scientijs demonstratiuis, magis creduntur principia; quàm conclusiones* Et primam conclusionem nostram, *probat arg. primæ opinionis.* Secundam verò, *probant arg. opinionis secundæ.* & ideo non est necessarium illi, aut his respondere.

Solùm restat explicandum; quomodo 29. sit loquendum absolutè, in hac re: An dicendum sit absolutè; præmissas esse veriores conclusione: & vnam propositionem veriorem alia: vel absolutè negandum. *Respondeo*; Eodem modo loquendum esse, vt loquimur in substantia. Quia sicut substantia non habet latitudinem gradualem; sed consistit in indiuisibili ratio eius; ita veritas non habet

bet latitudinem gradualem; sed ratio eius consistit in indiuisibili adæquationis. In substantiis autem, non dicimus vnam esse magis substantiam, quàm aliã; sed id negamus absolutè cum Arist. Dicimus autem; vnam substantiam esse meliorem aut perfectiorem alia: aut secundum maiorem perfectionem specificam, aut indiuidualem: pari ratione de veritatibus seu propositionibus veris loquendum est. Ita vt absolutè negandum sit: vnam propositionem esse veriorem altera. Concedendum tamen habere perfectiorem veritatem: aut essentialiter, aut indiuidualiter. Et ideo dicen-
29. dũ est; præmissas perfectiorem veritatem specificam continere; quàm conclusionem; & vnam conclusionem, perfectiorem veritatem indiuidualem; quam alteram: quia proximior est principiis à quibus ambæ deriuantur. Et eodem modo loquendum est de falsitate. Quamuis perfectio, non bene ad falsitatem applicetur; quæ nihil est, sed loquendum est de illa iuxta naturam eius; eodem modo, ac loquimur de veritate: quamuis distinctis terminis, aut medio loquendi. Hæc tamen ratio reperitur particularis in falsitate; quòd hæc, cum sit quasi recessus à veritate; præter causas illas; propter quas vna veritas dicitur perfectior alia: & vna propositio perfectiorem veritatem continere, quàm alia: vna falsitas dicitur etiam maior, aut ingentior alia: & vna propositio continere maiorem falsitatem; quàm alia: quia magis à veritate recedit. In quo sensu dixit Arist. vti supra; magis mentiri eum, qui dicit quatuor esse mille; quam alium, qui diceret quatuor esse quinque: cuius sensus est: ingentius proferre mendacium.

QVÆSTIO V.

An semper sit necessarium, vtramque præmissam demonstrationis, certiorem esse conclusione?

Præmissæ demonstrationis, in *duplici differentia possunt esse.* Nam vel sunt 30.
propositiones *Immediatæ*, atque indemonstrabiles: vel *Demonstrari possunt. Quod vt intelligatur, sciendum est*, quod omnes conclusiones totius scientiæ, cõtinentur virtualiter in principiis eiusdem scientiæ; à quibus suo ordine procedunt; ita vt quædam proximiores sint principiis; quam aliæ: Vnde quædam demonstrãtur per alias priores: mediatas tamen, & adhuc demonstrabiles; quousque perueniatur ad aliquam immediatè deriuatam ex principiis. Et hinc est; quòd non omnes demonstrationes habent præmissas immediatas, vel indemonstrabiles: sed plures, vnam saltem; vel alteram; quæ demonstrari potest. Gratia exempli. Ab essentia hominis procedunt plures passiones, vt capacitas disciplinæ, admiratio, & risibilitas tali ordine; vt capacitas disciplinæ procedat immediatè: & hac media; admiratio: media verò admiratione; risibilitas; & iuxta hunc ordinem demonstrantur in scientia de illo: prima per essentiam: secunda per primam: & tertia per secundam: & ideo demonstratio illa, per quam demonstratur prima passio de essentia; habet vtramque præmissam immediatam; atque indemonstrabilem: alia vero in quibus demonstrantur reliquæ; vnam quidem præmissam indemonstrabilem; & aliam quæ demonstrari potest. *Prima* passio demonstratur sic: Omne animal rationale est capax disciplinæ, Omnis homo est animal rationale: ergo Omnis homo est capax disciplinæ. Cuius demonstrationis vtraque præmissa est immediata; maior quidem, in qua prædicatur prima passio de essentia: &

sum est, quod iste asserit; quàm quod ille: sed falsum, est contrarium veritati: ergo eodem modo erit vna propositio magis vera; quàm alia. Probatur consequentia. quia contrariorum eadē est ratio. Præterea cap. præsenti, docet expresse; conclusionem esse veram propter præmissas: ergo præmissæ erunt magis veræ, quia propter quod vnumquodque tale; & illud magis.

Probant deinde ratione. Quia à nemine negatur; principia esse certiora, euidentiora, & magis necessaria, quàm conclusionem; cùm sint per se certa, per se euidentia, per se necessaria; hoc est, sine vllo medio; sed quibus intellectus, cognita tantum significatione terminorum assentitur: conclusio verò non sit certa, euidens, aut necessaria per se; sed per aliud: hoc est per principia; quibus mediis ei assentitur intellectus: sed magis certum, magis euidens, & magis necessarium, est magis verum: ergo erit eodem modo magis vera. Et certè, si vna propositio non esset verior altera; non esset fides diuina magis vera; quàm sciētia, aut quam qualibet alia cognitio humana. Vnde, nec magis verum esset; quòd Deus est trinus, & vnus; quàm quòd paries est albis; cui inhæret albedo: quod tamen falsum est, & contra D. Th. 2. 2. q. 4. art. 8. vbi docet; fidem diuinam ex propria natura, certiorem esse quacunque scientia nostra.

26. *Nostra sententia, medium tenet inter hæc extrema*, & explicatur hac distinctione. *Veritas duobus modis potest considerari. Primo. Formaliter, ex parte essentiæ*: quæ consistit in adæquatione intellectus per conceptum, vel iudicium cum re, extra existente, per eundem conceptum repræsentata. *Secundo ex parte fundamenti, & causarum eius.* Fundamentum, est entitas & perfectio ipsarum rerum; circa quas versatur. Nam cùm verum, sit passio entis; quæ perfectiora sunt secundum entitatem; censentur etiam perfectiora secundum veritatem. Causæ autem veritatis esse possunt; necessitas, infallibilitas, certitudo, atque euidentia: pondus etiam, siue momentum rationum quibus probatur.

Duplici ergo conclusione respondemus. Prima. Veritas ex parte rationis formalis, & essentialis ipsius adæquationis, in qua consistit; non potest esse maior in vna propositione, quam in alia. Secunda, ex parte fundamenti, & causarum eius; maior esse potest: & ideo vna propositio ex hac parte magis vera; quàm altera. Vtraque conclusio cum distinctione adducta, continetur expressè in doctrina D. Th. quæ. 2. de virtutibus, art. 9. vbi ita ait. *Cum veritas consistat in adæquatione intellectus, & rei; si consideretur veritas secundum rationem æqualitatis, quæ non recipit magis, & minus; sic non contingit esse aliquid magis, & minus verum. Sed si consideretur ipsum esse rei; quæ est ratio veritatis, sicut dicitur in 2. Meta eadem est dispositio rerum in esse, & veritate: vnde quæ sunt magis entia, sunt magis vera: & propter hæc etiam in scientijs demonstratiuis, magis creduntur principia; quam conclusiones* Et primam conclusionem nostram, *probat arg. primæ opinionis.* Secundam verò, *probant arg. opinionis secundæ.* & ideo non est necessarium illi, aut his respondere. 27.

Solùm restat explicandum; quomodo sit loquendum absolutè, in hac re: An dicendum sit absolutè; præmissas esse veriores conclusione: & vnam propositionem veriorem alia: vel absolutè negandum. *Respondeo*; Eodem modo loquendum esse, vt loquimur in substantia. Quia sicut substantia non habet latitudinem gradualem; sed consistit in indiuisibili ratio eius; ita veritas non habet 29.

bet latitudinem gradualem; sed ratio eius consistit in indiuisibili adæquationis. In substantiis autem, non dicimus vnam esse magis substantiam, quàm aliã; sed id negamus absolutè cum Arist. Dicimus autem; vnam substantiam esse meliorem aut perfectiorem alia: aut secundum maiorem perfectionem specificam, aut indiuidualem: pari ratione de veritatibus seu propositionibus veris loquendum est. Ita vt absolutè negandum sit: vnam propositionem esse veriorem altera. Concedendum tamen habere perfectiorem veritatem: aut essentialiter, aut indiuidualiter. Et ideo dicen-
29. dũ est; præmissas perfectiorem veritatem specificam continere; quàm conclusionem; & vnam conclusionem, perfectiorem veritatem indiuidualem; quam alteram: quia proximior est principiis, à quibus ambæ deriuantur. Et eodem modo loquendum est de falsitate. Quamuis perfectio, non bene ad falsitatem applicetur; quæ nihil est, sed loquendum est de illa iuxta naturam eius; eodem modo, ac loquimur de veritate: quamuis distinctis terminis, aut medio loquendi. Hæc tamen ratio reperitur particularis in falsitate; quòd hæc, cum sit quasi recessus à veritate; præter causas illas; propter quas vna veritas dicitur perfectior alia: & vna propositio perfectiorem veritatem continere, quàm alia: vna falsitas dicitur etiam maior, aut ingentior alia: & vna propositio continere maiorem falsitatem; quàm alia: quia magis à veritate recedit. In quo sensu dixit Arist. vti supra; magis mentiri eum, qui dicit quatuor esse mille; quam alium, qui diceret quatuor esse quinque: cuius sensus est: ingentius proferre mendacium.

QVÆSTIO V.

An semper sit necessarium, vtramque præmissam demonstrationis, certiorem esse conclusione?

Præmissæ demonstrationis, in duplici differentia possunt esse. Nam vel sunt 30.
propositiones *Immediatæ*, atque indemonstrabiles: vel *Demonstrari possunt.* *Quod vt intelligatur, sciendum est*, quod omnes conclusiones totius scientiæ, cõtinentur virtualiter in principiis eiusdem scientiæ; à quibus suo ordine procedunt; ita vt quædam proximiores sint principiis, quam aliæ: Vnde quædam demonstrãtur per alias priores: mediatas tamen, & adhuc demonstrabiles; quousque perueniatur ad aliquam immediatè deriuatam ex principiis. Et hinc est; quòd non omnes demonstrationes habent præmissas immediatas, vel indemonstrabiles: sed plures, vnam saltem; vel alteram; quæ demonstrari potest. Gratia exempli. Ab essentia hominis procedunt plures passiones, vt capacitas disciplinæ, admiratio, & risibilitas tali ordine; vt capacitas disciplinæ procedat immediatè: & hac media; admiratio: media verò admiratione; risibilitas; & iuxta hunc ordinem demonstrantur in scientia de illo: prima per essentiam: secunda per primam: & tertia per secundam: & ideo demonstratio illa, per quam demonstratur prima passio de essentia; habet vtramque præmissam immediatam; atque indemonstrabilem: alia vero in quibus demonstrantur reliquæ; vnam quidem præmissam indemonstrabilem; & aliam quæ demonstrari potest. *Prima* passio demonstratur sic: Omne animal rationale est capax disciplinæ; Omnis homo est animal rationale: ergo Omnis homo est capax disciplinæ. Cuius demonstrationis vtraque præmissa est immediata; maior quidem, in qua prædicatur prima passio de essentia: &

sum est, quod iste asserit; quàm quod ille: sed falsum, est contrarium veritati: ergo eodem modo erit vna propositio magis vera; quàm alia. Probatur consequentia. quia contrariorum eadē est ratio. Præterea cap. præsenti, docet expresse; conclusionem esse veram propter præmissas: ergo præmissæ erunt magis veræ, quia propter quod vnumquodque tale; & illud magis.

Probant deinde ratione. Quia à nemine negatur; principia esse certiora, euidentiora, & magis necessaria, quàm conclusionem; cùm sint per se certa, per se euidentia, per se necessaria; hoc est, sine vllo medio; sed quibus intellectus, cognita tantum significatione terminorum assentitur: conclusio verò non sit certa, euidens, aut necessaria per se; sed per aliud: hoc est per principia; quibus mediis ei assentitur intellectus: sed magis certum, magis euidens, & magis necessarium, est magis verum: ergo erit eodem modo magis vera. Et certè, si vna propositio non esset verior altera; non esset fides diuina magis vera; quàm sciētia, aut quam qualibet alia cognitio humana. Vnde, nec magis verum esset; quòd Deus est trinus, & vnus; quàm quòd paries est albis; cui inhæret albedo: quod tamen falsum est, & contra D.Th. 2. 2. q. 4. art. 8. vbi docet; fidem diuinam ex propria natura, certiorem esse quacunque scientia nostra.

26. *Nostra sententia, medium tenet inter hæc extrema,* & explicatur hac distinctione. *Veritas duobus modis potest considerari. Primo. Formaliter, ex parte essentiæ:* quæ consistit in adæquatione intellectus per conceptum, vel iudicium cum re, extra existente, per eundem conceptum repræsentata. *Secundo ex parte fundamenti, & causarum eius.* Fundamentum, est entitas & perfectio ipsarum rerum; circa quas versatur. Nam cùm verum, sit passio entis; quæ perfectiora sunt secundum entitatem; censentur etiam perfectiora secundum veritatem. Causæ autem veritatis esse possunt; necessitas, infallibilitas, certitudo, atque euidentia: pondus etiam, siue momentum rationum quibus probatur.

Duplici ergo conclusione respondemus. Prima. Veritas ex parte rationis formalis, & essentialis ipsius adæquationis, in qua consistit; non potest esse maior in vna propositione, quàm in alia. Secunda, ex parte fundamenti, & causarum eius; maior esse potest: & ideo vna propositio ex hac parte magis vera; quàm altera. Vtraque conclusio cum distinctione adducta, continetur expresse in doctrina D. Th. quæ. 1. de virtutibus, art. 9. vbi ita ait. *Cum veritas consistat in adæquatione intellectus, & rei; si consideretur veritas secundum rationem æqualitatis, quæ non recipit magis, & minus; sic non contingit esse aliquid magis, & minus verum. Sed si consideretur ipsum esse rei; quæ est ratio veritatis, sicut dicitur in 2. Meta eadem est dispositio rerum in esse, & veritate: vnde quæ sunt magis entia, sunt magis vera: & propter hæc etiam in scientijs demonstratiuis, magis creduntur principia; quam conclusiones.* Et primam conclusionem nostram, *probat arg. primæ opinionis.* Secundam verò, *probant arg. opinionis secundæ.* & ideo non est necessarium illi, aut his respondere. 27.

Solùm restat explicandum; quomodo sit loquendum absolutè, in hac re: An dicendum sit absolutè; præmissas esse veriores conclusione: & vnam propositionem veriorem alia: vel absolutè negandum. *Respondeo;* Eodem modo loquendum esse, vt loquimur in substantia. Quia sicut substantia non habet latitudinem gradualem; sed consistit in indiuisibili ratio eius; ita veritas non habet 29.

bet latitudinem gradualem; sed ratio eius consistit in indiuisibili adæquationis. In substantiis autem, non dicimus vnam esse magis substantiam, quàm aliã; sed id negamus absolutè cum Arist. Dicimus autem; vnam substantiam esse meliorem aut perfectiorem alia: aut secundum maiorem perfectionem specificam, aut indiuidualem: pari ratione de veritatibus seu propositionibus veris loquendum est. Ita vt absolutè negandum sit: vnam propositionem esse veriorem altera. Concedendum tamen habere perfectiorem veritatem: aut essentialiter, aut indiuidualiter. Et ideo dicen-
29. dū est; præmissas perfectiorem veritatem specificam continere; quàm conclusionem; & vnam conclusionem, perfectiorem veritatem indiuidualem; quam alteram: quia proximior est principiis, à quibus ambæ deriuantur. Et eodem modo loquendum est de falsitate. Quamuis perfectio, non bene ad falsitatem applicetur; quæ nihil est, sed loquendum est de illa iuxta naturam eius; eodem modo, ac loquimur de veritate: quamuis distinctis terminis, aut medio loquendi. Hæc tamen ratio reperitur particularis in falsitate; quòd hæc, cum sit quasi recessus à veritate; præter causas illas; propter quas vna veritas dicitur perfectior alia: & vna propositio perfectorem veritatem continere, quàm alia: vna falsitas dicitur etiam maior, aut ingentior alia: & vna propositio continere maiorem falsitatem; quàm alia: quia magis à veritate recedit. In quo sensu dixit Arist. vti supra; magis mentiri eum, qui dicit quatuor esse mille; quam alium, qui diceret quatuor esse quinque: cuius sensus est: ingentius proferre mendacium.

QVÆSTIO V.

An semper sit necessarium, vtramque præmissam demonstrationis, certiorem esse conclusione?

P*Ræmissæ demonstrationis, in duplici differentia possunt esse.* Nam vel sunt 30.
propositiones *Immediatæ*, atque indemonstrabiles: vel *Demonstrari possunt. Quod vt intelligatur, sciendum est,* quod omnes conclusiones totius scientiæ, cõtinentur virtualiter in principiis eiusdem scientiæ; à quibus suo ordine procedunt; ita vt quædam proximiores sint principiis, quam aliæ: Vnde quædam demonstrãtur per alias priores: mediatas tamen, & adhuc demonstrabiles; quousque perueniatur ad aliquam immediatè deriuatam ex principiis. Et hinc est; quòd non omnes demonstrationes habent præmissas immediatas, vel indemonstrabiles: sed plures, vnam saltem; vel alteram; quæ demonstrari potest. Gratia exempli. Ab essentia hominis procedunt plures passiones, vt capacitas disciplinæ, admiratio, & risibilitas tali ordine; vt capacitas disciplinæ procedat immediatè: & hac media; admiratio: media verò admiratione; risibilitas: & iuxta hunc ordinem demonstrantur in scientia de illo: prima per essentiam: secunda per primam: & tertia per secundam: & ideo demonstratio illa, per quam demonstratur prima passio de essentia; habet vtramque præmissam immediatam; atque indemonstrabilem: alia vero in quibus demonstrantur reliquæ; vnam quidem præmissam indemonstrabilem; & aliam quæ demonstrari potest. *Prima* passio demonstratur sic: Omne animal rationale est capax disciplinæ; Omnis homo est animal rationale: ergo Omnis homo est capax disciplinæ. Cuius demonstrationis vtraque præmissa est immediata; maior quidem, in qua prædicatur prima passio de essentia: &

sum est, quod iste asserit; quàm quod ille: sed falsum, est contrarium veritati: ergo eodem modo erit vna propositio magis vera; quàm alia. Probatur consequentia. quia contrariorum eadē est ratio. Præterea cap. præsenti, docet expressè; conclusionem esse veram propter præmissas: ergo præmissæ erunt magis veræ, quia propter quod vnumquodque tale; & illud magis.

Probant deinde ratione. Quia à nemine negatur; principia esse certiora, euidentiora, & magis necessaria, quàm conclusionem; cùm sint per se certa, per se euidentia, per se necessaria; hoc est, sine vllo medio; sed quibus intellectus, cognita tantum significatione terminorum assentitur: conclusio verò non sit certa, euidens, aut necessaria per se; sed per aliud: hoc est per principia; quibus mediis ei assentitur intellectus: sed magis certum, magis euidens, & magis necessarium, est magis verum: ergo erit eodem modo magis vera. Et certè, si vna propositio non esset verior altera; non esset fides diuina magis vera; quàm sciētia, aut quam qualibet alia cognitio humana. Vnde, nec magis verum esset; quòd Deus est trinus, & vnus; quàm quòd paries est albis; cui inhæret albedo: quod tamen falsum est, & contra D.Th. 2. 2. q. 4. art. 8. vbi docet; fidem diuinam ex propria natura, certiorem esse quacunque scientia nostra.

26. *Nostra sententia, medium tenet inter hæc extrema,* & explicatur hac distinctione. *Veritas duobus modis potest considerari. Primo. Formaliter, ex parte essentiæ*: quæ consistit in adæquatione intellectus per conceptum, vel iudicium cum re, extra existente, per eundem conceptum repræsentata. *Secundo ex parte fundamenti, & causarum eius.* Fundamentum, est entitas & perfectio ipsarum rerum; circa quas versatur. Nam cùm verum, sit passio entis; quæ perfectiora sunt secundum entitatem; censentur etiam perfectiora secundum veritatem. Causæ autem veritatis esse possunt; necessitas, infallibilitas, certitudo, atque euidentia: pondus etiam, siue momentum rationum quibus probatur.

Duplici ergo conclusione respondemus. Prima. Veritas ex parte rationis formalis, & essentialis ipsius adæquationis, in qua consistit; non potest esse maior in vna propositione, quàm in alia. Secunda, ex parte fundamenti, & causarum eius; maior esse potest: & ideo vna propositio ex hac parte magis vera; quàm altera. Vtraque conclusio cum distinctione adducta, continetur expressè in doctrina D. Th. quæ. 2. de virtutibus, art. 9. vbi ita ait. *Cum veritas consistat in adæquatione intellectus, & rei; si consideretur veritas secundum rationem æqualitatis, quæ non recipit magis, & minus; sic non contingit esse aliquid magis, & minus verum. Sed si consideretur ipsum esse rei; quæ est ratio veritatis, sicut dicitur in 2. Meta eadem est dispositio rerum in esse, & veritate: vnde quæ sunt magis entia, sunt magis vera: & propter hæc etiam in scientijs demonstratiuis, magis creduntur principia; quam conclusiones* Et primam conclusionem nostram, *probat arg. primæ opinionis.* Secundam verò, *probant arg. opinionis secundæ.* & ideo non est necessarium illi, aut his respondere. 27.

Solùm restat explicandum; quomodo sit loquendum absolutè, in hac re: An dicendum sit absolutè; præmissas esse veriores conclusione: & vnam propositionem veriorem alia: vel absolutè negandum. *Respondeo*; Eodem modo loquendum esse, vt loquimur in substantia. Quia sicut substantia non habet latitudinem gradualem; sed consistit in indiuisibili ratio eius; ita veritas non habet 29.

bet latitudinem gradualem; sed ratio eius consistit in indiuisibili adæquationis. In substantiis autem, non dicimus vnam esse magis substantiam, quàm aliã; sed id negamus absolutè cum Arist. Dicimus autem; vnam substantiam esse meliorem aut perfectiorem alia: aut secundum maiorem perfectionem specificam, aut indiuidualem: pari ratione de veritatibus seu propositionibus veris loquendum est. Ita vt absolutè negandum sit: vnam propositionem esse veriorem altera. Concedendum tamen habere perfectiorem veritatem: aut essentialiter, aut indiuidualiter. Et ideo dicen-
29. dũ est; præmissas perfectiorem veritatem specificam continere; quàm conclusionem; & vnam conclusionem, perfectiorem veritatem indiuidualem; quam alteram: quia proximior est principiis, à quibus ambæ deriuantur. Et eodem modo loquendum est de falsitate. Quamuis perfectio, non bene ad falsitatem applicetur; quæ nihil est, sed loquendum est de illa iuxta naturam eius; eodem modo, ac loquimur de veritate: quamuis distinctis terminis, aut medio loquendi. Hæc tamen ratio reperitur particularis in falsitate; quòd hæc, cum sit quasi recessus à veritate; præter causas illas; propter quas vna veritas dicitur perfectior alia: & vna propositio perfectiorem veritatem continere, quàm alia: vna falsitas dicitur etiam maior, aut ingentior alia: & vna propositio continere maiorem falsitatem; quàm alia: quia magis à veritate recedit. In quo sensu dixit Arist. vti supra; magis mentiri eum, qui dicit quatuor esse mille; quam alium, qui diceret quatuor esse quinque: cuius sensus est: ingentius proferre mendacium.

QVÆSTIO V.

An semper sit necessarium, vtramque præmissam demonstrationis, certiorem esse conclusione?

Præmissæ demonstrationis, in duplici differentia possunt esse. Nam vel sunt propositiones *Immediatæ*, atque inde- 30.
monstrabiles: vel *Demonstrari possunt. Quod vt intelligatur, sciendum est,* quod omnes conclusiones totius scientiæ, côtinentur virtualiter in principiis eiusdem scientiæ; à quibus suo ordine procedunt; ita vt quædam proximiores sint principiis; quam aliæ: Vnde quædam demonstrãtur per alias priores: mediatas tamen, & adhuc demonstrabiles; quousque perueniatur ad aliquam immediatè deriuatam ex principiis. Et hinc est; quòd non omnes demonstrationes habent præmissas immediatas, vel indemonstrabiles: sed plures, vnam saltem; vel alteram; quæ demonstrari potest. Gratia exempli. Ab essentia hominis procedunt plures passiones, vt capacitas disciplinæ, admiratio, & risibilitas tali ordine; vt capacitas disciplinæ procedat immediatè: & hac media; admiratio: media verò admiratione; risibilitas; & iuxta hunc ordinem demonstrantur in scientia de illo: prima per essentiam: secunda per primam: & tertia per secundam: & ideo demonstratio illa, per quam demonstratur prima passio de essentia; habet vtramque præmissam immediatam; atque indemonstrabilem: alia vero in quibus demonstrantur reliquæ; vnam quidem præmissam indemonstrabilem; & aliam quæ demonstrari potest. *Prima* passio demonstratur sic: Omne animal rationale est capax disciplinæ; Omnis homo est animal rationale: ergo Omnis homo est capax disciplinæ. Cuius demonstrationis vtraque præmissa est immediata; maior quidem, in qua prædicatur prima passio de essentia: &

tinet verum, aut falsum; cùm efficiat cũ eo propositionem. Ex quo euidenter infertur pars affirmatiua; quòd nudè definitio sit principium, quod vocatur positio.

21. *Sed opposita pars*; quòd non possit esse positio, videtur probari euidenter hoc argum. à superiori ad inferius negatiuè. Quia principium diuisit Arist. in dignitatem, & positionem: & rursus positionem, in eam; quæ continet verum, aut falsum, & in eam, quę nihil horum dicit: qualis est definitio. Ex hoc ergo desumitur tale arg. Principium est quid superius, ratione dignitatis, & positionis, cũ in hæc principia specialia diuidatur: ergo euidens est talis consequentia, à superiori ad inferius negatiuè. Definitio non est principium: ergo non est positio. Antecedens probatur; ex definitione principi; tradita ab eodem Arist. Principium inquit est; propositio immediata: sed nuda definitio, non est propositio: ergo nec propositio immediata: & ex consequenti, nec est principium.

Plures solutiones adhibentur huic difficultati; quas consulto prætermitto: quia iam nemo eas curat. Solùm afferam solutionem D. Th. in Comment. huius cap. quam sequuntur ferè omnes moderni: & videtur mihi necessariò admittenda. Positionem duplicem esse; *Formalem, & Virtualem. Formalis*, est propositio. *Virtualis verò*, est definitio: quia ex ea proximè potest effici propositio; quæ fit formalis suppositio. Arist. ergo vocauit definitionem positionem: non quòd formalis sit positio, sed quod sit virtualis. Et hoc etiam modo est principium, & immediata propositio

22. *Sed contra hanc solutionem est arg.* Quia si hoc sufficit, vt definitio dicatur positio; etiam definitum poterit vocari positio. Probatur consequentia, quia sicut ex definitione adiuncta definito, potest proximè effici propositio; quæ sit formalis positio: eodem modo ex definito adiuncto definitioni: sed definitum non potest vllo modo vocari positio; alioqui, cuilibet parti poterit attribui denominatio totius: ergo nec definitio vocari potest positio, propter illam rationem virtualem. *Respondetur*. Negando consequentiam. quia specialis est ratio in definitione; vt dicatur positio virtualis; quæ non est in definito, nec in aliis. Nam definitio ex prppria natura, est medium ordinatum; per quod passiones demonstrantur de subiecto in scientia: vnde per se & proximè ordinatur, ad constituendam propositionem necessariam, & per se notam: quam non potest constituere; nisi cum definito. Per se etiam ponitur in scientia; tanquam fundamentum omniũ veritatum eius. & hęc est etiam specialis ratio; propter quã vocari debet positio. Et has speciales rationes considerans. Aristot. meritò eam vocauit principium, & positionem; quæ non reperiuntur in definito. Nam cum non sit medium ordinatum ad demonstrandas passiones, nec per se ordinatur ad propositionem per se notam constituendam; potius, quàm ad constituendã quamlibet aliam, non ponitur, tanqnam fundamentum proximum omnium veritatum eiusdem scientiæ; sed ad summum remotum. Ideò non potest vllo modo vocari positio.

QVÆSTIO IV.

An principia demonstrationis sint magis vera quàm conclusio & vniuersaliter vna propositio, an possit esse verior altera?

Præsupponenda est definitio veritatis; quam omnes recipiunt *Veritas est; adæquatio intellectus cum re vel ad rem* Adæquatio intellectus vocatur: quia veritas, 23.

ritas, saltem complexa (quam formalem vocare solent) primò, & formaliter reperitur in intellectu, & propositione mentali; per quam enunciat vnum de altero. In propositione verò vocali, & scripta; solum reperitur tanquam in signo. Dum ergo intellectus ita enunciat, per propositionem mentalem; sicut res se habet in se, dicitur verus: dum verò enunciat aliter; ac res se habet in se, dicitur falsus. Nam, vt sæpè Aristot. repetit; ab eo quod res est, vel non est; enunciatio dicitur vera; vel falsa: vt si de Petro sedente enunciet; quòd sedet: verus est. si verò quòd stet; vel non sedeat, erit falsus. Veritas igitur consistit, in adæquatione conceptus cum re ipsa: vel in adæquatione rei; vt repræsentatæ per conceptum, cum se ipsa; vt est in se. Quærimus ergo; *An complexa hæc veritas, suscipiat magis, & minus, in ordine ad præmissas, & conclusionem*: ita vt intellectus dum assentitur præmissis, magis verus sit, quam dum assentitur conclusioni: & ex consequenti, præmissæ in intellectu; quæ sunt propositiones mentales, sint magis veræ, quam conclusio, etiam in mente: quæ est propositio mentalis ex eis deducta: & consequenter, eadem principia, vt sunt propositiones vocales, aut scriptæ, sint veriora conclusione vocali, aut scripta. Et vniuersaliter, intellectus per vnam propositionem mentalem, an magis verus sit; quàm per alteram: & propositio ipsa mentalis, sit verior: atque ex consequenti, vocalis, & scripta.

24. *Prima opinio*. Negat præmissas esse veriores conclusione: & vniuersaliter vnam propositionem esse veriorem altera. Ita tenent ex modernis nõnulli. Probant ex intrinseca ratione veritatis. Nã veritas consistit in adæquatione conceptus cum re ipsa repræsentata. Ita vt tũc verus sit, quando repræsentat rem; sicut se habet in se: falsas verò; cum eam alio modo repræsentat: sed adæquatio consistit in indiuisibili: ita vt non possit intelligi maior, aut minor: ergo veritas propositionis etiam consistit in indiuisibili: ita, vt non possit maior, aut minor intelligi in diuersis propositionibus. Probatur minor. quia adæquatio est quædam æqualitas conceptus repræsentantis; cum re repræsentata: sed æqualitas consistit in indiuisibili: ita vt non possit esse maior, vel minor. Quia si duo corpora habent æqualem magnitudinem; ita vt neutrum excedat alterum: tunc dicuntur æqualia: si verò vnum excedat alterum; quantumuis minimo excessu, nõ erunt æqualia, sed simpliciter inæqualia: ergo eodem modo: vel conceptus repræsentat rem; sicut est in se, vel excedit, aut deficit; quantumlibet minimo excessu. Si primo modo se habeat; verus erit: si secundo, falsus: & consequenter, si propositio enunciat rem sicuti est, erit vera, si verò excedat, vel deficiat, quãtum libet parum, erit falsa: non potest igitur intelligi, quòd sit vna magis vera, quàm alia: sed eo ipso; quòd minus vera excogitatur, erit falsa. Gratia exempli. Non minus verum erit Petrum esse album, si ei albedo inhæreat; quàm esse hominem: quia non minus adæquatur vna propositio rei significatæ; quàm altera: sicut, si duo corpora sint æqualia; non erit possibile excogitare alia magis æqualia.

Secundam opinionem, tenet ex modernis alij. Affirmantes principia esse veriora conclusione: & vniuersaliter, vnam propositionem veriorem altera. Probatur testimonio Aristot. 4. Meta. tex. 18. vbi docet aliquid esse magis verũ; quàm aliud: & pariter magis falsum. quod sic probat. Quia non æquè mentitur; qui dicit, quatuor esse quinq;; ac ille; qui dicit, quatuor esse millia: ergo magis fal- 25

bet latitudinem gradualem; sed ratio eius consistit in indiuisibili adæquationis. In substantiis autem, non dicimus vnam esse magis substantiam, quàm aliā; sed id negamus absolutè cum Arist. Dicimus autem; vnam substantiam esse meliorem aut perfectiorem alia: aut secundum maiorem perfectionem specificam, aut indiuidualem: pari ratione de veritatibus seu propositionibus veris loquendum est. Ita vt absolutè negandum sit: vnam propositionem esse veriorem altera. Concedendum tamen habere perfectiorem veritatem: aut essentialiter, aut indiuidualiter. Et ideo dicen-
29. dū est; præmissas perfectiorem veritatem specificam continere; quàm conclusionem; & vnam conclusionem, perfectiorem veritatem indiuidualem; quam alteram: quia proximior est principiis, à quibus ambæ deriuantur. Et eodem modo loquendum est de falsitate. Quamuis perfectio, non bene ad falsitatem applicetur; quæ nihil est, sed loquendum est de illa iuxta naturam eius; eodem modo, ac loquimur de veritate: quamuis distinctis terminis, aut medio loquendi. Hæc tamen ratio reperitur particularis in falsitate; quòd hæc, cum sit quasi recessus à veritate; præter causas illas; propter quas vna veritas dicitur perfectior alia: & vna propositio perfectiorem veritatem continere, quàm alia: vna falsitas dicitur etiam maior, aut ingentior alia: & vna propositio continere maiorem falsitatem; quàm alia: quia magis à veritate recedit. In quo sensu dixit Arist. vti supra; magis mentiri eum, qui dicit quatuor esse mille; quam alium, qui diceret quatuor esse quinque: cuius sensus est: ingentius proferre mendacium.

QVÆSTIO V.

An semper sit necessarium, vtramque præmissam demonstrationis, certiorem esse conclusione?

Præmissæ demonstrationis, in duplici 30.
differentia possunt esse. Nam vel sunt propositiones *Immediatæ*, atque indemonstrabiles: vel *Demonstrari possunt. Quod vt intelligatur, sciendum est*, quod omnes conclusiones totius scientiæ, cōtinentur virtualiter in principiis eiusdem scientiæ; à quibus suo ordine procedunt; ita vt quædam proximiores sint principiis; quam aliæ: Vnde quædam demonstrātur per alias priores: mediatas tamen, & adhuc demonstrabiles; quousque perueniatur ad aliquam immediatè deriuatam ex principiis. Et hinc est; quòd non omnes demonstrationes habent præmissas immediatas, vel indemonstrabiles: sed plures, vnam saltem; vel alteram; quæ demonstrari potest. Gratia exempli. Ab essentia hominis procedunt plures passiones, vt capacitas disciplinæ, admiratio, & risibilitas tali ordine; vt capacitas disciplinæ procedat immediatè: & hac media; admiratio: media verò admiratione; risibilitas; & iuxta hunc ordinem demonstrantur in scientia de illo: prima per essentiam: secunda per primam: & tertia per secundam: & ideo demonstratio illa, per quam demonstratur prima passio de essentia; habet vtramque præmissam immediatam; atque indemonstrabilem: alia vero in quibus demonstrantur reliquæ; vnam quidem præmissam indemonstrabilem; & aliam quæ demonstrari potest. *Prima* passio demonstratur sic: Omne animal rationale est capax disciplinæ; Omnis homo est animal rationale: ergo Omnis homo est capax disciplinæ. Cuius demonstrationis vtraque præmissa est immediata; maior quidem, in qua prædicatur prima passio de essentia: &

go cõcluſio; Chriſtus eſt riſibilis; certior eſt, quocunq; modo accipiatur, maiore præmiſſa; nempe omnis homo eſt riſibilis: quare non ſolùm concluſio æqualem poteſt habere certitudinem, cum altera præmiſſarum: ſed aliquando maiorem.

Noſtra ſententia eſt, Vtramque præmiſſam ſemper, & neceſſariò eſſe certiorem concluſione, ita, vt nullo caſu poßit habere æqualem certitudinem cum aliqua earum. Et hæc eſt magis communis inter modernos.

Probatur duplici arg. Primo. Quia in demonſtratione propter quid (de qua loquimur) præmiſſa demonſtrabilis agit in virtute principiorum, à quibus proximius deriuatur; quàm concluſio: cùm hæc deriuetur mediante illa: ergo maiorem habebit certitudinem. Probatur euidenter conſequentia: quia quò effectus proximius deriuatur à cauſa; eò perfectius participat virtutem eius præſertim comparatione alterius effectus; à quo non niſi vllo mediãte participatur.

34 *Secundo.* Quia præmiſſæ, quæcunq; illæ ſint; continent vnionem extremitatum cum medio: concluſio verò continet vnionem earundem extremitatum inter ſeſe; media vnione earum cum medio, tanquam ratione formali, ac totali, propter quam vniuntur inter ſe; ergo prior vnio, à qua totaliter dependet ſecunda, fortior eſt; cum ſit immediatior: ſed fortiorem eſſe vnionem extremitatum cum medio, eſt certiores eſſe præmiſſas: ergo maior certitudo prouenit eis, ex natura demonſtrationis. Quare repugnat concluſionem habere æqualem certitudinem, cum aliqua earum.

Ad teſtimonium Ariſt. Reſpondet D Th. in Cõmentariis illius: non dixiſſe, omnia principia certiora eſſe concluſione; ſed ſaltẽ aliqua: quia licèt ex virtute demõſtrationis ſemper ſit vtraq; præmiſſa certior, contingit tamen aliquando cõcluſionem habere aliã certitudinẽ experientię præter eam, quam à præmiſſis participat; ratione cuius habebit æqualẽ certitudinẽ cum aliqua præmiſſarum: vt dum, quod luna nunc eclipſetur, experientia ſenſuũ cognoſcimus: & ideo nõ eſt minus nobis certa; quàm quod terra interponatur inter eam, & ſolem; per quam demonſtratur à priori: tamen per accidens contingit hoc: & ideo non tollit, quin per ſe, & ex virtute demonſtrationis ſemper ſit vtraque præmiſſa certior concluſione.

Primum arg. petit expoſitionem illius vniuerſalis axiomatis, *Propter quod vnũquodque tale, & illud magis.* Vt conſtet in quo ſenſu verum ſit: & cur ab Ariſt. adductũ, ad probãdũ præmiſſas debere eſſe 35
certiores concluſione. Et an ex illo efficaciter probetur. Plures ac variæ expoſitiones eius, adducuntur à diuerſis interpretibus. Plures etiam, & diuerſas conditiones requirunt, ad veritatẽ eius; quas moleſtum eſſet referre. Nos igitur tres conditiones requiſitas eſſe dicimus; vt verum ſit: quarum duas poſuit ipſemet. Ariſt. 4. lib. Meta. tex. 4. idemmet axioma referens his verbis. *Vnumquodque autem maximè tale eſt, præ cæteris; cuius cauſa nomine, & ratione idem conuenit: ſic ignis eſt calidißimus; quod cæteris caloris cauſa ſit.* Quibus *Primò,* aſſerit; prædicatum debere conuenire pluribus formaliter: & vni eorum per ſe primò, alijs verò per participationem eius; & non aliunde. *Secundò.* Eidem primo; & cæteris nomine, & ratione: hoc eſt vniuocè: & ideo eſſentialiter. *Tertiam conditionem* poſuit D. Thom. 1. p. q. 87. art. 2. ad 3. quod in eodem ordine cauſarũ contineantur: hoc eſt, in eodem genere cauſę efficientis, vel finalis, aut quouis alio. Ita, vt ſi illud cui per ſe primò prædicatum conuenit, ſit finis; cætera ſint media ad ipſum ordi-

natæ: & si illud sit efficiens; cætera sint, quasi effectus ab ipso procedentes. His igitur tribus conditionibus concurrentibus verum est, ac necessarium illud axioma, *propter quòd vnumquodque tale; & illud magis tale.* Cuius sensus est: Si aliquid conuenit multis: & vni eorum per se primò: quod ideo dicitur maximè; tale; aliis verò propter ipsum, necesse est magis conuenire primo; quam cæteris. Nec potest dari aliquis casus, in quo oppositum contingat.

Ex eodem axiomate, efficax deduxit arg. Arist. ad probandum; certiores, euidentiores, magis necessarias esse, perfectioremque veritatem continere præmissas; quàm conclusionem: quia tam illis, quàm huic conuenit formaliter certitudo, euidētia, necessitas, atque veritas: & omnes continentur in eodem ordine causæ efficientis: præmissis etiam conueniunt hæc, per se primò: conclusioni verò; vt conclusio demonstrationis est solùm propter præmissas; & non aliunde: ideo euidenter infertur; quòd magis, aut perfectius eis conueniant.

36. *Ad formam etiam arg.* Neganda est cōsequentia; quòd solùm teneat verum, prædictum axioma in causis æquiuocis: & negandum est; quòd solùm probet de præmissis immediatis; & non de demonstrabilibus. Nam licèt primo probet de illis; consequenter tamen etiam probat de his: quia præmissæ demonstrabiles, non sunt causa conclusionis ex propria virtute, aut secūdùm se; sed virtute principiorum, à quibus deriuantur; & vt ab eis deriuantur: cuius euidens signum est; quod si is, qui demonstrationem cōstituit, nesciat eas reducere ad prima principia, per euidentes demonstrationes, non efficiet demonstrationem, nec habebit scientiam conclusionis: sed efficiet argumentum probabile, generans opinionem. Vnde sequitur, prima principia virtualiter, & vt talia, esse causam conclusionis. Et ideo per se primò, secundum eandem rationem virtualem, conuenire eis veritatem, necessitatem, certitudinem, & euidentiam; conclusioni verò solùm propter illa: & propterea illis perfectius.

Ad secundum. Neganda est consequentia; quòd æqualē habeat certitudinē conclusio, cum præmissis demonstralibus; quia omnes deriuantur ab eisdem principiis, nam non deriuantur æquè proximè: ideo non æqualiter participant certitudinem principiorum; sed perfectiùs illæ: quia magis propriè deriuantur.

Vltimum quod additur in eo secūdo arg. tangit demonstrationes scientiæ Theologicæ; quæ procedunt, ex vna præmissa diuinæ fidei, & ex altera euidenti: & aliquando ex vtraque de fide, per consequentiam euidentem. In quibus dicimus, conuincere rationem Aristo. quòd ambæ præmissæ sint certiores conclusione. Quod præterea probatur, ex communi alio axiomate in scholis recepto; *Conclusio sequitur debiliorem partem præmissarum:* ergo si vna, vel ambæ sint fidei diuinæ; cùm diuina fides sit obscura, non poterit esse euidens conclusio: imò neque habere eandem certitudinem fidei; sed obscura quoque erit. Et si vtraque præmissa sit diuinæ fidei; conclusio obscura erit, & minus certa vtraq; præmissa. Cuius ratio est: quia præmissæ fidei non concurrūt in demonstratione Theologica ad inferendam cōclusionem; nisi media dēmōstratione: ergo certitudo earum, modificatur per certitudinem cōsequentis; quæ non potest esse, nisi naturalis: vnde nec poterunt producere cōclusionem perfectiorem in certitudine; quā sit perfectio certitudinis naturalis. Sed hæc est minor certitudine diuinæ fidei: ergo 37.

ergo minorem habebit certitudinem conclusio; quàm præmissæ. Et si altera præmissarum sit certa, certitudine Philosophica; minorem habebit certitudinem conclusio. Et si contingeret, quòd altera præmissarũ esset solùm probabilis, non posset esse certa conclusio, sed probabilis tantùm. *Probantur hac omnia, duabus illis rationibus*; quibus probatum est; præmissas perfectiores esse debere conclusione, in veritate, in certitudine, necessitate, atque euidentia, & in cæteris omnibus. Ex quo deductum est hoc idem axioma; Conclusio sequitur debiliorem partem præmissarum: cuius sensus est; nullam posse habere perfectionem æqualem, cum præmissis; sed quidquid imperfectionis est in eis, manifestari debet in conclusione.

38. *Ex quibus infero.* Conclusionem demonstrationis Theologicæ: non pertinere ad habitum fidei diuinæ, vt quibusdam modernis placuit: sed ad habitum scientiæ Theologicæ. *Quod hac ratione probo.* Habitus fidei diuinæ, solùm innititur testimonio, aut reuelationi diuinæ: & immediatè ei innititur; non discursui, aut ratiocinationi, seu demonstrationi: sed conclusio demonstrationis Theologicę innititur immediatè discursui, aut demonstrationi; per quam deducitur ex præmissis; & non testimonio, aut reuelationi immediatè: ergo non pertinet ad habitum diuinæ fidei; sed scientiæ Theologicæ. Minorem licèt satis per se certam; probo. quia si vtraque præmissa syllogismi sit diuinæ fidei; vel altera euidens euidentia naturali, & syllogismus solum probabilis; certum est cõclusionem solùm esse probabilem: hoc est; nec scientiam, nec fidem diuinam, sed opinionem: ergo non causatur à præmissis secundum se; sed vt modificatis per certitudinem demonstrationis: huic ergo innititur proximè conclusio; & non testimonio, aut reuelationi diuinæ.

Et ex his respondetur ad argumentum. 39. Conclusionem demonstrationis Theologicæ; nec pertinere ad fidem diuinam, neque ad scientiam naturalem: sed ad scientiam Theologicam imperfectam, & obscuram: vnde fit, imperfectiorem esse, & minus certam vtraque præmissa. Concedimus ergo; quòd fides diuina sit certior scientia: negamus tamen; quòd conclusio ab ea deriuata, sit etiam certior scientia: nam conclusio ab ea deriuata, non habet maiorem certitudinem; quàm sit certitudo consequentiæ, vel illationis, per quam modificantur pręmissæ ad inferendam conclusionem: in illatione verò, aut syllogismo, perfectius esse habent præmissæ; quam conclusio, in certitudine, euidentia, necessitate, ac veritate; vt probauimus: & ideo, impossibile est conclusionem esse æqualem in his, cum altera præmissarum.

CAPVT QVARTVM.

TEXTVS ARIST.

Quoniam autem impossibile aliter se habere; cuius est scientia simpliciter, necessarium vtique fuerit scibile. &c.

Breuis expositio textus.

INtentum Arist. in pręsenti cap. est, docere quales debeant esse propositiones, ex quibus demonstratio componitur. *Diuiditur autem in duas partes. In 1.* 1. Propònit hanc conclusionem vniuersalem; nempe, Scientiam; quæ per demonstrationem generatur; esse de rebus necessariis: & ex ea colligit demonstrationem debere procedere, aut componi ex propositionibus necessariis. *In 2. parte.* Ponit tres conditiones, quas habere debent

bent propositiones; vt ita sint necessarię, quòd ex eis possit componi demonstratio. *Conclusio, quam proponit, est*; Scientia, quæ est conclusio demonstrationis, debet esse de rebus necessariis. *Quam sic probat*. Conclusionem demonstrationis, scimus ex principiis; quæ sunt propositiones immediatæ: ergo non potest aliter se habere; sed quod non potest aliter se habere est necessarium: ergo conclusio demonstrationis est necessaria. Probatur prima consequentia: nam cætera per se patent. Scire, est rem per causam cognoscere: & quod illius est causa; & non potest aliter se habere: ergo non solùm scientia; sed id, quod scitur; nempe obiectum, circa quod versatur, non possunt aliter se habere; quod est esse necessaria: cùm necessarium sic definiatur; quod non potest aliter se habere.

Ex hoc infert; quòd demonstratio debeat componi, aut procedere ex propositionibus necessariis. Quod sic potest probari. Conclusio demonstrationis, quæ est scientia, est necessaria. & de rebus necessariis, & procedit ex præmissis; tanquam ex causis: ergo præmissæ, ex quibus componitur demonstratio; non solum veræ, sed necessariæ debent esse. Probatur consequentia. quia licèt ex præmissis falsis contingat colligi conclusionem veram, & ex non necessariis necessariam; tamen id fit, non tanquam ex causis; sed virtute dispositionis syllogisticæ: alioqui effectus esset nobilior sua causa; quod est impossibile.

a. *In secunda parte*. Proponit tres conditiones, quas habere debent propositiones; vt ita sint necessariæ, quòd ex eis cõponi possit demonstratio. *Quarum prima est*; vt sint de omni. Hoc est; vt prædicatum in eis dicatur de quolibet contento sub subiecto, & pro quolibet tempore. Defectu primi; hæc propositio non est de omni; Omnis homo disputat: quia plures sunt, de quibus non verificatur prædicatum. Defectu secundi, neque ista est de omni; Omnis homo vigilat: quia licèt prædicatum dicatur de quolibet contento sub subiecto; non tamen pro quolibet tempore: sed pro certo quodam, ac determinato. Hæc verò; Omnis homo est coloratus, est de omni: quia habet vtrumque; vt per se patet.

Secunda conditio est. Quod propositiones sint per se: ideò, vt eam explicet; diuidit per se in quatuor modos. *Primus modus*, per se est; quando Prædicatum pertinet ad essentiam subiecti: quia vel est definitio eius, vel pars definitionis: vnde istæ omnes propositiones, sunt in primo modo per se: Homo est animal Homo est rationalis: Homo est animal rationale.

Secundus modus est; quando ex opposito, Subiectum pertinet ad definitionem prædicati; vt Homo est admiratiuus: Homo est risibilis.

Tertius modus, non est prædicandi; sed essendi: & illud dicitur per se hoc modo; quod per se subsistit, & non inhæret alteri; tanquam accidens: & iste est modus proprius prædicamenti substantiæ.

Quartus modus est, per se causandi; quando prædicatur effectus de sua causa per se. Effectus per se dicitur; qui sequitur ex propria virtute causæ; & non aliunde: hoc est non casu, aut fortuna: quia effectus casuales, & fortuiti; qui nõ sequuntur ex virtute causæ: sed ex quodam concursu casuali, aut per accidens; non dicuntur effectus per se, sed per accidens: vnde propositio hæc; Fodiens terram inuenit thesuarum; nõ est per se. At verò per se sunt istæ, in hoc quarto modo. Iugulatus interijt. AEdificator ædificat. Ex his igitur quatuor modis per se; duo priores sunt per se prædicandi; ter-

di; tertius per se essendi: quartus per se causandi: & vt propositiones sint aptę ad demonstrationem, necesse est sint per se in primo; secundo, aut quarto modo.

5. *Tertia conditio est* seu terminus; vt vniuersaliter prædicetur quod sic definit Aristot. *Vniuersale autem dico; quod vtique & de omni sit, & per se, & secundum quod ipsum.* Quæ definitio triplicem conditionem continet; quam habere debet propositio, vt in ea prædicatum dicatur vniuersaliter de subiecto. *Prima est*; quod dicatur de omni: & defectu huius conditionis, in hac, non dicitur prædicatum vniuersaliter, Homo vigilat: quia non dicitur de omni. *Defectu secundæ conditionis*; neque in hac dicitur vniuersaliter prædicatum de subiecto; Homo est coloratus: quia nec dicitur per se. Defectu quoque tertiæ, nō dicitur in hac vniuersaliter; Homo est sensibilis: quia sensibile nō conuenit homini secundùm quod ipsum. hoc est; in quantum homo est; sed, in quantum est animal. Conuenire enim prædicatum subiecto, secundùm quod ipsum, idem videtur esse; ac conuenire illi, in quantum tale est: hoc est, non secundum rationem communem; sed secundum propriam.

QVÆSTIO I.

An demonstratio debeat procedere ex necessarijs?

4. TRia proponam argum. quibus videtur probari; non omnem demonstrationem procedere ex necessarijs. *Primum sit*. Hæc est vera demonstratio propter quid: Quotiescunq; terra interponitur inter solem, & lunam, sequitur eclipsis: sed dum duo hæc astra, ad talem punctum perueniunt, interponitur terra inter vtrumque: ergo eclipsis sequitur. Minor verò non est necessaria; sed contingens, Quia; quòd ad talem punctum perueniant, vel non; accidentale omnino est naturæ eorum; cum possit eis adesse, & abesse præter corruptionem: ergo non omnis demonstratio constat ex propositionibus necessariis.

Secundum. Quia hæc etiam est vera, & propria demonstratio: Omne album est disgregatiuum visus: sed corpus habens albedinem, est album: ergo est disgregatiuum visus. Et tamen minor non est necessaria; sed contingens: quia contingens est; quòd corpus habeat albedinem, & quòd sit album: vnde neque etiā conclusio necessaria est: quia sicut non est necessarium, corpus esse album; ita neque est necesse, quòd cum sit album; sit etiam disgregatiuum visus: ergo nō omnis demōstratio procedit ex necessarijs.

Tertium. Quia necessarium est; quod non potest aliter se habere: sed in Philosophia naturali, & morali, dantur multę propositiones demonstratiuę, multæ etiam conclusiones demonstratæ; quæ possunt aliter se habere: & aliquando aliter se habent: vt quòd futuræ sint pluuiæ in hyeme, & calores vigebunt æstate: ergo non omnes demonstrationes procedere debent ex necessariis.

Sententia tamen Arist. Vniuersaliter vera est, & tenenda; quod non posit vlla demōstratio procedere, ex propositionibus contingentibus, aut non necessarijs: Quod hac ratione, deducta ex doctrina eius, euidenter probatur. Cōclusio cuiuslibet demōstrationis, est scientia: sed scientia habetur per causam necessariam; vt constat ex definitione eius: quæ talis est. *Scire, est rem per causam cognoscere: & quod illius est causa: & quod non potest aliter se habere; quin ea posita sequatur effectus*: ergo debet procedere ex necessariis. Probatur consequentia, quia præmissæ ex quibus procedit, sunt causa per se, & necessaria conclusionis: ergo debēt esse necessariæ. 5.

Ad primum arg. Diuersis modis respõdetur. Nam Venetus ca. præsenti respondet; non demonstrari lunam eclipsari actu, sed potentia, vel aptitudine: hoc est, non demonstrari, quòd eclipsetur; sed quòd sit eclipsabilis. Et licèt actu eclipsari non sit necessariũ; esse tamen eclipsabilem necessarium est; & pari ratione, licèt non sit necessarium, quòd ad tale punctum ipsa, & Sol perueniant; tamen quòd peruenire possint, necessarium est. Vnde propositiones illius demonstrationis ità sumptæ, necessariæ sunt. Hæc tamen solutio falsa est; propter duo. *Primum.* quia Astrologi non solùm demonstrant lunam esse eclipsabilem; sed tali die, tali hora, & tali puncto eclipsandam esse: ergo secundum actum accipi debent propositiones illius demonstrationis. *Secundum.* quia causa per se, & effectus per se, non solum secundum aptitudinem; sed etiam secundùm actum constituũt propositionem per se in quarto modo: ergo secundum actum constituunt propositionem necessariam. Probatur consequentia, quia omnis propositio per se est necessaria apud Aristotelem, & apud omnes.

6. *Ideo est secunda solutio aliorum modernorum.* Quòd demonstratio illa non procedit de hac luna, & de hoc sole, vt singularibus: sed secundum rationem communem, & specificam, aut genericam eorum: quam constat multis possibilibus esse communem: nam plures possunt soles, plures etiam lunæ à Deo fieri. Licet ergo contingens sit, quòd Sol iste, & hæc Luna, ad tale punctum perueniant; tamẽ quòd Soli, & Lunæ; vt sic conueniat, non est contingens, sed necessarium. Sed hæc etiam solutio, aut nihil dicit; aut non est minus falsa quàm præcedens. Quod ita probo. quia vel ad tale punctum peruenire, & eclipsari, accipiuntur secundum actum, vel secundum potentiam: secundum actum; eo ipso, quòd sunt prædicata accidentalia, & contigentia, respectu horum indiuiduorum; euidenter probatur esse accidentalia respectu speciei: nam si albedo contingenter inest Petro; euidenter sequitur, contingenter inesse homini, & animali: ergo si prædicata illa contingenter insunt isti soli, & huic lunæ: contingenter etiam conuenire debent soli, & lunæ, sub ratione communi, aut specifica acceptis. Et præterea effectus per se, non solum in communi: sed etiam in singulari prædicatur per se; & necessariò de sua causa etiam in singulari, & actu accepta; vt ostendunt propositiones istæ: Iugulatus interijt. Ædificator ædificat.

Nostra igitur sententia duo asserit. Primum. Demonstrationem illam, per se primò procedere de sole, & luna, secundum rationem communem: vel certè de communi ipsa ratione, & specifica. Nihilominus etiam de hoc sole & hac luna per applicationẽ. Quemadmodum passio demonstrata de specie, applicari potest ad hoc, vel illud indiuiduum: vt si de homine demonstramus; quòd sit risibilis, eandem demonstrationem possumus applicare Petro, sumpto pro minori extremitate; ac dicere: Omne animal rationale est risibile: Petrus est animal rationale: ergo Petrus est risibilis. Ita ergo; quòd ad tale punctum perueniant sol, & luna, & hæc eclipsetur per interpositionem terræ, de ratione eorum communi demonstratur primò; at per applicationem, de his singularibus.

Secundo dicimus. Non secundùm potentiam; sed secundùm actum demonstrari eclipsim, per actualem interpositionem terræ: & nihilominus vtramque propositionem esse per se. Non quidem in primo, aut secundo modo; sed in quarto; & 7.

to; &

to: & ideo ſicut ſunt per ſe, perſeitate cauſalitatis; ſic etiam sũt neceſſariæ, neceſſitate cauſalitatis. Nam prædicatum, duobus modis poteſt comparari ad ſubiectum, vel prædicari de illo, atque ei conuenire; aut ſecundum rationem eſſendi, vel inhærendi; aut ſecundum rationem cauſandi. Et ſecundum primam rationem, ſumuntur in propoſitionibus primi, & ſecundi modi per ſe. Iuxta ſecundam verò, in propoſitionibus quarti modi. Quia primus, & ſecundus modus, ſunt modi per ſe prædicandi; tertius per ſe eſſendi; & quartus, per ſe cauſandi; vt docuit Ariſt. Vnde intelligitur; quòd ſi propoſitiones quarti modi accipiantur in ratione prædicãdi; nulla ferè erit per ſe, ſed omnes erunt per accidens: vt patet in his; Iugulatus interiit: AEdificator ædificat. Actu enim ædificare, accidit planè ædificatori, & de illo prędicatur prædicatione quinti prædicabilis; vt cõſtat: ſed in ratione cauſandi; per ſe ſunt: quia effectus per ſe; etiam ſecundum actum, per ſe prædicatur de ſua cauſa, actu cauſante, perſeitate cauſandi.

8. *Ad formam igitur argu.* Diſtinguenda eſt minor. Quia ſolem, & lunam ad talẽ punctum peruenire; vt interpoſitio terræ ſequatur, per ſe eis conuenit perſeitate cauſandi: & eodem modo, per ſe ſequitur ex interpoſitione eclipſis: nam impoſſibile eſt rem aliter ſe habere; quin ex motu horum aſtrorum ſequatur, quòd ad talem punctum non perueniant, & vbi peruenerint quod non eueniat eclipſis lunæ. Si ergo in ratione cauſandi ſũmantur; neceſſariæ ſunt propoſitiones: & ita ſumuntur hic. Si verò in ratione eſſendi, vel prædicandi, non ſunt neceſſariæ; ſed accidentales, & contingentes. Verum non accipiuntur hoc modo. *Pro ſolutione aliorum argumentorum notandum eſt.* Propoſitionem neceſſariam eſſe; quæ enuntiat rem neceſſariam: hoc eſt; quæ non poteſt aliter ſe habere. Sed rem eſſe neceſſariam, duobus modis cõtingit: *Simpliciter, vel ex ſuppoſitione. Neceſſariũ ſimpliciter eſt illud*; quod ex propria natura tale eſt; vt non poſſit non eſſe: vt quòd homo ſit animal, vel rationalis. *Neceſſarium verò ex ſuppoſitione*, quod ex propria natura poteſt non eſſe, aut nõ eſſe tale: vt corpus diſgregare viſum; nõ eſt neceſſarium ſecundum naturam corporis, ſed contingens: ex ſuppoſitione verò; quòd ſit album, neceſſarium eſt. *Præterea neceſſarium ſimpliciter, adhuc eſt triplex. Primum.* quod nullo modo poteſt non eſſe; ſed implicat contradictionem, quòd non ſit: vt hominem eſſe animal, vel rationale. *Secundum.* quod non poteſt non eſſe, per virtutem naturalẽ cauſarũ; bene tamẽ poteſt per ſupernaturalem Dei: vt quòd ignis ſit calidus; vel homo ſit riſibilis. Nam per potentiam ſupernaturalem Dei, ſeparari poteſt calor ab igne, & riſibilitas ab homine. *Tertium.* quod non poteſt non eſſe, per virtutem naturalem cauſarum, vt plurimum; quamuis rarò poſſit per eandem virtutem non eſſe. Et ſecundum hos quatuor modos neceſſarij; diſtin- 9.
guẽdi ſunt quatuor alij modi, propoſitionũ neceſſariarum: dicendumq́; , demõſtrationem debere procedere ex neceſſariis propoſitionibus, vno, vel alio modo: ſed perfectior erit, ſi procedat ex propoſitionibus neceſſariis ſimpliciter; quam ſi ſolùm procedat ex propoſitionibus neceſſariis ex ſuppoſitione: & perfectiſſima, ſi procedat ex neceſſariis ſimpliciter; iuxta primum modum: minus perfecta, ſi iuxta ſecundum: imperfectiſſima verò; ſi iuxta tertium. Et ideo demonſtrationes Philoſophiæ naturalis, & moralis; ex quibus plures conſtant propoſitionibus; quæ ſolùm, vt

plurimùm veræ sunt; imperfectissimæ censentur: & scientiæ ipsæ, infimum locum certitudinis inter omnes tenent.

Ex his ergo solutum est secundum, & tertium arg.. Nam licèt demonstrationes illę, non procedant ex necessariis simpliciter; tamen procedunt ex talibus ex suppositione, vt ea quæ adducitur in secundo argumento. vel si ex necessariis simpliciter; non tamen semper euenientibus; sed vt plurimum tantùm. Sufficit autem aliquo modorum istorum, procedere ex necessariis. Et quod sufficiat procedere ex necessariis, vt plurimum euenientibus, docuit expresse Arist. cap. 24.
10. huius primi libri; & recipiunt id omnes. Quia omnes recipiunt vtramque Philosophiam pro vera scientia: & meritò; quia necessarium reputatur; quod vt plurimùm euenit, necessitate naturali, aut morali: ergo obiectum scientiæ esse potest. Nec est periculum errandi, in tali modo demonstrandi: quia non demonstratur effectum semper euenire; sed vt subsstat virtuti, aut modo operandi causarum: hoc autem deficere non potest: ideo nec erroris periculo se exponit, ita procedens. Quod verò sufficiat propositiones esse necessarias, ex suppositione; probatur. Quia sic acceptæ, non possunt aliter se habere: quare cùm in tali processu demonstrandi sic accipiantur; conclusionem euidenter inferunt: quæ vt subsstat præmissis; non potest aliter se habere: & ideo scientifica est; atque necessaria.

QVÆSTIO II.

An demonstratio debeat constare ex propositionibus de omni, per se, & vniuersaliter?

11. TRia propono argumenta aduersos hos tres terminos; vt eorum occasione explicentur singuli. **Primum erit**, aduersus primum terminum de omni. Quod propositiones singulàres, necessariæ, atque per se, possunt demonstrationem componere; & tamen nō sunt de omni: ergo non omnes propositiones demonstratiuæ debent esse de omni. Maior satis est per se manifesta; cum in Philosophia demonstretur de Deo; quòd sit, & quòd sit vnus: nec solum à posteriori, vel demonstratione, Quia; sed etiam demonstratione Propter quid, demonstrare possumus de eo, quòd sit æternus; quia est immutabilis. Et de Christo Domino demonstrantur plura in Theologia; suppositis principiis fidei: quæ omnia non possunt; nisi per propositiones singulares demonstrari. Nam cum Deus, & Christus sint termini singulàres; non possunt ex eis fieri, nisi propositiones singulares. Minor verò, quòd tales propositiones non sint de omni; euidens est: cùm repugnet propositionem esse de omni; & non esse vniuersalem: quomodo enim in propositione singulari conuenire potest prædicatum, cuilibet contento sub subiecto, & pro quolibet tempore; cùm nihil sub subiectò singulari contineatur.

Secundum arg. Contra primum & secundum modum per se, hac ratione. Primus modus per se est; quando prædicatum est definitio, aut pars definitionis subiecti: ergo hæc propositio; Risibile est homo, & similes, erunt in secundo modo per se; quod est falsum: quia indirectæ sunt; & ex quibus demonstrationes, saltem propter quid, non possunt componi. Præterea, secūdus modus per se est; quādo subiectum pertinet ad definitionem prędicati: sed omnia accidentia definiuntur per subiectum aliquo modo; cùm habeant intrinsecum ordinem aptitudinalis inhærentiæ ad illud; qui non potest

potest explicari; nisi posito eodem subiecto in definitione accidentium: ergo omnia accidētia prædicabuntur de subiectus, in secūdo modo per se. Et ita, hæc propositio; corpus est album, & similes, erunt in secundo modo: cùm album definiatur per corpus; quod tamen patet esse falsum. Quia omnes sunt accidentales, & contingentes; ex quibus demonstrationem componi repugnat: ergo secundus modus per se, falsus est, & ad demonstrationem ineptus.

Tertium arg. est contra modum vniuersaliter; quem sic exponit Arist. Vniuersaliter dicitur prædicatum de subiecto, si ei conueniat secundum quod ipsū: hoc est secundum rationem propriam, vel vt tale est: quod patet nō habere; nisi conuertatur cum eo: ergo nulla propositio superioris prædicati, quales sunt istæ; Homo est animal, Homo est corpus, erunt vniuersales: sed constat esse has in primo modo per se; & ex eis posse demōstrationem Propter quid componi: ergo modus vniuersaliter diminutus est, non comprehendens omnes propositiones; ex quibus perfectissima demonstratio potest procedere.

12. *Circa ordinem horum trium terminorum*, D. Th. cap præsenti, & cum eo Sotus, & iam ferè omnes moderni, asserunt; ita se habere, tanquam prędicata superiora, & inferiora: ita vt *Vniuersaliter* sit inferior cęteris; & post ipsum sequatur *Per se*: tandem *De omni*. Itaq. se habent hoc modo; sicut Homo, Animal, & Viuens. Nā quidquid dicitur vniuersaliter, est per se, & de omni: & quidquid est per se; est etiam de omni: non tamen quidquid est de omni, est per se. nec omne per se est vniuersaliter. Quod colligitur ex Arist. definiente Vniuersaliter; quod sit de omni, & per se: & quòd conueniat prædicatum subiecto, secundum quod ipsum, vel vt tale est: quibus apertè satis significat; Per se, aliquid addere supra, Vniuersaliter: sicut Vniuersaliter, aliquid addit supra Per se, & De omni: quod non potest esse verum; nisi tanquam quid superius, & inferius se habeant, modo explicato. *Et hæc est vera sententia, & tenenda.*

Licèt contrarium teneat Toletus; quātum ad modum Per se, & De omni: affirmans plures propositiones esse per se; quæ non sunt de omni: vt hominem esse grammaticum, est in secundo modo, per se, & non est, de omni: cum non conueniat omni homini actu habere grammaticam. Nam de aptitudine, euidens est cōuenire omnibus. & curuitas etiam conuenit naso, Per se; non tamen omni. Falsum est enim; quod propositiones istæ sint per se. Nam neque grammatica proximè ac per se definitur per hominem; sicut nec reliquæ scientiæ, aut artes: neque curuitas definitur per nasum adæquatè & per se: cū cōstet aliis etiā subiectis cōuenire eā posse, pręter nasum, & hominē: vnde ad quintū prędicabile pertinēt similes propositiones; tāquā purè accidētales.

13. *Circa terminum, De omni, Notandum est*; cum D. Tho. lect. 9. horum Commentar. Themistio cap. 9. suæ Paraphrasis, & Soto, cap. præsenti. *Quòd dici de omni, duplex est; Prioristicum, & Posterioristicum.* *Priorist.* vocatur in eo sensu; quo adducitur ab Arist. in lib. priorū, & à Summulistis in 4. lib. Summularum. & significatio eius est: quòd nihil sit sumere sub Subiecto; de quo non dicatur Prædicatū: non quidem secundum veritatē propositionis; sed secundum modum enunciandi. Nam ad formam syllogisticā impertinens est; quòd propositiones sint veræ, vel falsæ. & solum per se requiritur forma, aut modus enunciandi vniuersalis: ex

 quo

quo habetur; vt si prædicatum dicitur de subiecto distributo; necesse sit dici de quolibet assumpto sub eo: cum pro omnibus distribuator. *Dici verò de omni Posterioristicum*, vocatur in eo sensu; quo adducitur ab Arist. in hoc opere; nempe in ordine ad demonstrationem: quæ cũ ex veris propositionibus constare debeat; necesse est; vt Prædicatum de omni, dicatur de quolibet contento sub Subiecto: non solum secundum modum enũciandi; sed etiam secundum veritatem propositionis. *Et in eodem sensu accipiendum est, Dici de Nullo*: de quo non fecit mentionem Arist. in hoc cap. quia facilè intelligi potest; idem esse in propositionibus negatiuis, prædicatum negari de omni subiecto, ac in affirmatiuis dici. Vnde negatiuæ omnes propositiones; in quibus prædicatũ negatur de omni subiecto, & quolibet contento sub eo, & pro quolibet tempore; etiam sunt de omni modo negatiuo.

14. *Circa terminum Per se. Notanda est ratio*; propter quam, in quatuor modos diuiditur ac Aristot. ita vt nec sint plures, nec pauciores: & est hæc. Res de qua aliquid demonstramus, quatuor tantum potest habere considerationes. *Primam*, vt est in se, & per se. *Secundam*, In ordine ad prædicata essentialia *Tertiam*, In ordine ad proprias passiones. *Quartam*, In ordine ad propriam operationem; cuius est causa per se. *Et prima* consideratio, constituit tertium modum: qui nõ est prædicandi; sed essendi. *Secunda* consideratio, constituit primum: & *Tertia* constituit secundum: qui sunt modi prędicandi: *Quarta verò*; constituit quartum: qui nec est modus essendi, nec prædicandi; sed per se causandi. De termino verò *Vniuersaliter*, dicemus quęstione sequẽti.

Huius suppositis Sententia Arist est? quam sequuntur omnes expositores *Quod omnis demonstratio Propter quid, debet cõstare propositionibus, de omni, & per se: sed nõ omnis debet constare propositionibus; quæ sint vniuersaliter: sed solum perfectissima inter has*: illa inquam; quæ procedit ex causa adæquata cõuertibili cum effectu. & *vtrumq; probari potest efficaciter. Primum quidem hoc arg*. Omnis demonstratio debet procedere ex necessarijs; vt asseruit, & probauit Arist in principio huius cap. sed omnis propositio necessaria; debet esse aliquo modo de omni, atque etiam per se: ergo omnis demonstratio debet constare propositionibus de omni, & per se. Quòd verò non omnis demonstratio Propter quid, procedere debeat ex propositionibus; in quibus prædicatum dicatur vniuersaliter de subiecto; in sequentibus erit manifestum.

Circa solutionẽ primi arg. Distinguenda sunt diuersa singularia: nã quædam sunt; in quibus indiuidualis differentia nõ distinguitur à specifica: vt plures tenent de angelis: vel certè à prædicatis essentialibus; vt in Deo: in quo sicut esse, & essẽtia, nõ distinguũtur, eadẽ ratione, nec distinguuntur prædicata essentialia ab indiuidualibus. Alia sunt singularia, in quibus certè est distingui indiuidualẽ differẽtiã aliquo modo, à specifica; cùm indiuidua multiplicentur sub eadẽ specie: Sic autẽ & in angelis etiã apud alios distinguitur: & in his indiuiduis in quibus non distinguitur; dantur propositiones singulares, quæ sint per se, & ex quibus demonstratio cõponi potest: & istæ æquiualẽt vniuersalibus, quia essentiales sunt. & si plura darentur indiuidua illius essentiæ; essent de prædicato cõmuni. Vnde virtute salrẽ sunt de omni: & hoc sufficit; vt verum sit, omnẽ propositionem demõstratiuam esse de omni. In indiuiduis verò, in quibus differentia indiuidualis distinguitur à specifica; nulla potest dari pro- 15.

ri propositio; ex qua possit fieri demonstratio propter quid: quia de his indiuiduis, sub ratione talium indiuiduórum acceptis; vt de Petro: vt Petrus est; non potest dari demonstratio, nec scientia propter quid: vt expresse docet Arist. 7. lib. Meta. cap. 24. & pluribus aliis locis. Et D. Th. quæ. 9. de potentia, art. 2. ad 1. & 1. p. qu. 29. art. 1. ad 5. negat singularia posse definiri, & proinde esse obiectum scientię: quia definitio est medium demonstrationis, & scientiæ. Vnde sequitur; nec in his dari propositionem, quæ propriè sit, per se, neque de omni: sed dum aliquid demonstratur de eis, demonstratione propter quid; solùm demonstrantur passiones communes speciei, per essentiam quoque communem: & hoc est de illis demonstrari; in quantum participant naturam speciei; non ratione differentiæ indiuidualis: & est quasi applicatio scientiæ de specie, ad illa. Et hoc modo demonstrantur in Theologia de Christo, passiones hominis: & etiam diuina attributa, & proprietates, inquantum habet vtramque naturam, Diuinam & Humanam; quasi per applicationem scientiæ de Deo, & homine; illi personæ, illique indiuiduo, habenti vtramque naturam. Et hoc est verum, ostendunt demonstrationes ipsæ: quod certè, non est dari scientiam, vel demonstrationē, propter quid, de singulari naturæ corruptibilis; vt tali: sed vt habente naturā specificam, vel etiam simul diuinam: de qua vera scientia esse potest; vt explicatum est.

16. *De his tamen indiuiduis potest dari scientia à posteriori*; quę vocatur sciētia, Quia, atque etiam demonstratio, Quia: ex effectibus per experientiam cognitis procedens: & ideo tam sciētia ipsa, quàm demōstratio. *Experimentalis* vocatur. Qualis de Petro daretur; etiam si de homine nullam scientiam à priori haberemus: quia per experientiam cognoscimus Petrum, & Ioannem esse capaces disciplinæ: & consequenter, per eandem experientiam; quòd homo, sit capax disciplinæ; quòd admiratiuis, atque risibilis. talem ergo demonstrationem possumus constituere de Petro: Omne illud; quod assequitur notitiam alicuius rei, est capax disciplinæ: Petrus consequitur notitiam huius, aut illius rei: ergo est capax disciplinæ. & etiā Quidquid admiratur, est admiratiuum: Petrus admiratur: ergo est admiratiuus. Et pariter probare possumus; quod sit risibilis, & rationalis. Sed demonstrationes istæ nimis sunt imperfectæ, vt cap. 10. ostendit. Arist. Quare non est necessarium constare eas propositionibus per se, aut de omni; sed satis est, constare propositionibus vt cumque necessarijs. Quia hos tres terminos; de omni, per se, & vniuersaliter, solùm adduxit. Arist. pro demonstrationibus perfectis; quæ vocantur propter quid. Et ex his constat solutum esse primum arg.

Circa propositiones indirectas; de quibus procedit prima pars 2. argum. diuersæ sunt opiniones Prima, Caiet. cap. præsenti; qui dicit, esse per se, in secundo modo, cum conueniat eis definitio: nam prædicatum est de definitione subiecti; vt in hac: Risibile est homo: aut Rationale est homo. 17.
Alij verò, negant omnino, vllam propositionem indirectam esse, per se, aut ex ea posse fieri demonstrationem, propter quid. *Et hoc mihi videtur probabilius*: Quia propositiones indirectæ, carent forma & modo naturali propositionum: in quibus prædicatum habet modum formæ; subiectum verò modum materiæ. In indirectis verò, oppositum videmus; cùm illud habeat locum prædicati: quòd verè subiectum est: & ideo sunt quasi propositiones contra naturam: ergo non conuenit

uenit illis ratio, per se, vel de omni: qui modi, cùm pro demonstrationibus, Propter quid, traditi sint ab Arist. non conueniunt; nisi propositionibus naturalibus, & habentibus veram formam propositionum: ex quibus demonstratio, propter quid, fieri potest. Nihilominus quandam habent similitudinem cum propositionibus, per se, & de omni.

Ad formam igitur arg. Neganda est cõsequentia. quia definitiones horum modorum, præsupponunt ratione directam propositionum: vnde sensus eorum est; primus modus, per se est; quando prædicatum pertinet ad definitionem subiecti, directæ propositiones: & secundus; quando subiectũ directæ propositionis, pertinet ad definitionem prædicati.

Ad aliam partem eiusdem arg. Neganda est consequentia; quòd omne accidens prædicetur de subiecto, in secundo modo per se: quia modi, per se, præsupponunt propositionem necessariam; sicut diximus modo, præsupponere propositionem directam. Vnde sensus definitionis secundi modi, per se, est; Secundus modus, per se, est, quãdo subiectum pertinet ad definitionem prædicati, in propositione necessaria. Ita sentiunt communiter expositores, c. præsenti; præsertim Sotus, & Caie. & colligitur ex Arist. qui priusquam definiuisset modos per se; probauit demonstrationem procedere ex necessariis: & explicatis primo & secundo modo, per se, subdit; Cætera omnia esse accidentia; quasi præsupponens, hos modos non reperiri; nisi in proposi-
18. tionibus necessariis. Cap. etiam 6. huius libri, docet expresse; quòd, ea quæ conueniunt, per se, his modis; necessariò conueniunt. *Falsum est ergo*, & superius à nobis refutatum; quod Toletus; asserit; quasdam propositiones accidentales, esse in secundo modo per se.

Ad formam igitur argu. Concesso antecedente, neganda est consequentia; quòd accidens prædicetur de subiecto, in secũdo modo: nõ enim satis est, quòd ad definitionem accidentis pertineat subiectum; vt prædicetur per se, de illo; sed requiritur, quod necessariò ei conueniat, & non contingenter, vel purè accidentaliter.

Ad tertium arg. Concedimus; non omnem demonstrationem, propter quid constare propositionibus, in quibus prædicatum dicatur de subiecto vniuersaliter: sed solùm perfectissimam; quæ procedit ex causis adæquatis, & conuertibilibus, cum effectibus: vt in sequentibus constabit.

QVÆSTIO III.

Quidnam significetur per terminum vniuersaliter; & an conueniat propositionibus superiorum de inferioribus; vel solùm his quæ fiunt in terminis conuertibilibus?

Circa primũ, quod quærit titulus quæstionis, *Notandum est* Vniuersale duobus modis sumi. 19. *Primo.* vt est modus subiecti; ratione cuius constituitur propositio vniuersalis: Vt omnis homo est animal. *Secundò.* Vt est modus prædicati, constituentis propositionem de prædicato communi, aut vniuersali. Certum est autem, non sumi hoc loco ab Arist. vt est modus subiecti; sed prædicati: cùm accipiatur comparatione subiecti. sed adhuc, vt est modus prędicati, dupliciter sumitur. *Communi quidem ratione*, pro quolibet prædicato multis communi; in qua acceptione sumitur à Porphyrio in prædicabilibus: & definitur ab Arist. quòd sit vnum in multis, 1. lib. de interpretatione. Sed in arte posterioristica, specialiùs accipitur; non pro quolibet prædicato multis communi; sed solùm pro eo, quod conuenit subiecto, *secundũ*

quod

Quod ipsum vel primò. Quale est prædicatum huius propositionis; Homo est rationalis: & in hac acceptione, sumitur ab Aristotele cap. præsenti, atque in titulo quæstionis.

Quo supposito quærit secundò: An conueniat propositionibus de prædicato communi, pertinente ad essentiam rei? Ita vt omnes propositiones; in quibus prædicatur genus proximum de specie; sint vniuersaliter: vel solum illæ; in quibus prædicatum conuenit, per se subiecto, & cum eo conuertitur.

20. *Prima opinio asserit.* Idem esse vniuersaliter conuenire prædicatum subiecto; quod conuenire ei, per se primò, atque immediatè: & ideo prædicationes generis, tales esse. Ita Ferr. 2. lib. contra gẽtes, c. 15. & Sotus c. præsenti, qu. vnica. Probãt testimonio Ar. c. præsẽti; vbi sic ait. *Per se autem, & secundũ quod ipsum, idem: vt per se, linea inest punctum, & rectum.* Sed propositio, in qua prædicatur genus proximum de specie, est per se: ergo erit etiam secundum quod ipsum. Et secundum quod ipsum, est idem, quod vniuersaliter: vt idemmet Arist. docet explicans: quid sit vniuersaliter: ergo erit etiã vniuersaliter. Et idem asserit D.Tho. 2. lib. contra gentes, c. 15. vbi prędicatum, quod ita conuenit per se alicui; vt non conueniat ei per aliquã causam; sed immediatè, & per se: docet conuenire secundum quod ipsum: & ideò vniuersaliter. Sic autem conuenire animal homini, patet: ergo sentit D.Thom. conuenire vniuersaliter.

Probant deinde ratione. Quia idem est, prædicatum conuenire subiecto vniuersaliter; ac ei conuenire primò, vel secundum quod ipsum: nempe, vt tale est, aut non per aliud: sed tota definitio conuenit speciei; vt tali; & non per aliud medium; sed immediatè: quod est conuenire ei primò: ergo conuenit ei vniuersaliter: & ex consequenti, quælibet pars definitionis vniuersaliter conueniet: at altera est genus; ergo. &c.

21. *Secunda opinio, est expressa D. Tho asserentis: illud solum prædicatum conuenire vniuersaliter, quod non excedit subiectum; sed per se ei conuenit, & cũ eo conuertitur.* Verba eius sunt. *Impossibile est, aliquod vnum duobus conuenire, & vtrique secundum quod ipsum: quod enim de aliquo secũdum quod ipsum dicitur, ipsum nõ excedit: sicut habere tres angelos æquales duobus rectis, non excedit triangulum; de quo prædicatur; sed est idem conuertibiliter, &c.* Ita etiam Albertus Magnus, 1. lib. Posteriorum, tractatu 2. cap. 12. venetus, Caietanus, Toletus; & moderni omnes. *Et hæc est vera sententia, & tenenda.*

22. *Probatur testimonio Arist.* qui explicans terminum, Vniuersaliter, docuit expresse; aliquid addere vniuersaliter, supra duos alios terminos; nempe de omni, & per se: ergo sentit non sufficere quod sit prædicatum, per se, in primo, aut secundo modo; vt dicatur vniuersaliter. Asserit præterea, addere supra terminum, de omni, & per se; quod conueniat subiecto, secundum quod ipsum, vel vt tale est: sed genus proximum, non conuenit speciei; vt talis est; cùm sit commune cæteris speciebus: ergo non conueniet ei secundum quod ipsum, nec vniuersaliter.

Probatur etiam ratione. Quia prædicatum conuenire subiecto, secundum quod ipsum; est conuenire ei, vt tale est, quod expressè docet Arist. & concedunt aduersarii: sed animal non conuenit homini; vt talis est: ergo neque secundũ quod ipum. Probatur minor. Homo, vt talis est distinguitur ab equo, & leone, ac cæteris speciebus, At per genus animalis non distinguitur ab eis; sed potius cum eis conuenit: ergo animal nõ prædi-

catur de homine; vt talis est, atque adeò, nec secundum quod ipsum, nec vniuersaliter.

23 *Secundò*. Nihil conuenit alicui, secundum quod ipsum, vel vt tale est, nisi quod est sibi proprium, & nō commune alijs: nam quod commune est, potius cōuenit illi, vt communicat cum eis. Gratia exempli. quod conuenit homini; vt talis est, nempe; vt est; homo, conuenit illi vt est tale animal; & non vt habet naturam sensitiuam communem cæteris animalibus: sed vt est animal; non est tale animal: ergo animal non conuenit ei vt tale, nec secundum quod ipsum, vel vniuersaliter. *Itaq. nostra sententia duo asserit. Primum est quod vt prædicatum conueniat subiecto vniuersaliter; non requiritur, nec sufficit quod conueniat ei essentialiter, aut in primo modo per se, vel etiam immediatè.* Nam bene potest his modis conuenire; & non conuenire vniuersaliter: & ex opposito, benè potest conuenire in secundo modo; & non essentialiter, nec immediatè; & conuenire vniuersaliter. Vt substantia conuenit homini, essentialiter. & in primo modo per se: & animal etiam immediatè: & tamen neutrum cōuenit ei vniuersaliter: & capacitas disciplinæ vel admiratio; non conueniunt homini his modis, nihilominus ei conueniunt vniuersaliter.

Secundo asserit. Illud prædicatum conuenire subiecto vniuersaliter; quod conuenit ei primo, & secundum quod ipsum, vel vt tale est: & hoc modo conuenire; est esse adęquatam rationem eius, vel secundum adæquatā rationem ei conuenire: & eius ratione, quibuscunque aliis, quibus attribuatur. Gratia exempli. Sensibile non conuenit homine ratione sui: quia non cōuenit ei, vt homo est; sed, vt est animal, nec conuenit ei secundum adæquatam rationem: sed secundum inadæquatam: neq; animal conuenit homini vt homo est; cùm sit ei commune cum alijs animalibus: nec est adæquata ratio eius. Et vt vno verbo hoc explicetur. Illud solum prædicatum conuenit vniuersaliter subiecto: quod conuenit illi per se, & cum eo conuertitur: tales autem sunt propositiones; in quibus prædicatur tota definitio de definito; vel etiam differentia: tales etiam in quibus prædicatur propria passio, de sua specie, vel genere; à quo proximè, & adæquatè procedit. Et quotiescunque aliquid conuenit alicui, dum reduplicatione dicitur conuenire ei vniuersaliter, aut secundum quod ipsum.

Ad testimonium Arist Respondetur primò. Quod dum dicit vniuersaliter idem esse; quod per se: non est sensus, quod cum eo conuertatur; sed quod sit idem, cum eo, secūdum rem: sicut prędicatum inferius cum superiori. Vel secundo, idē esse vniuersaliter, asserit; quod per se cōuertibiliter: quod enim non intelligat esse idem simpliciter; patet ex eo; quod statim docet: nempè; addere supra vtrumque terminum, de omni & per se; quod sit secundum quod ipsum.

Ad arg. Concessa maiori, & minori; negatur consequentia: quòd quælibet pars definitionis, per se sumpta; prædicetur vniuersaliter de definito: quia non conuenit ei vtraque vt tale est: sed sola differentia.

CAPVT DECIMVM.

TEXTVS ARIST.

Quod verò differt, & propter quid scire; primum quidem in eadem scientia; & in hac dupliciter

Breuis expositio textus.

Inten-

I*Ntentum Arist.* in hoc decimo cap. est distinguere demonstrationem, Quia, & demonstrationē, Propter quid; & rationem vtriusque explicare. *Diuiditur caput in duas partes. In prima.* Docet differre demonstrationem, Quia, à demonstratione Propter quid, in eadē scientia. *In secunda.* Differre in diuersis scientijs.

Differunt inquit, scire, Quia, & scire, Propter quid: & consequenter demonstrationes ipsæ, in eadem scientia, *duobus modis: Nam demonstratio, Propter quid*, procedit à causa proxima & adæquata: *Demonstratio Quia*, à causa remota, & inadęquata: quia non infert positiuè effectum; sed solum per modum negationis. Et ponit duplex exemplum.
1. *primum*, in hac demonstratione; Quidquid respirat, est animal: paries non est animal: ergo paries non respirat. in qua patet, esse animal, non esse causam proximam respirandi; sed habere pulmonem: nec etiam esse adæquatam, quia multa sunt animalia; quæ non respirant: quia pulmone carent. Exemplum secūdum, adducit, ex dicto cuiusdam Philosophi; qui cùm Scytha esset, & Athenis videret mulieres saltantes: rogatus; an in Scythia essent similes saltatrices, respondit; non esse vites. Causam remotam, & inadæquatam reddens; ex qua talis demonstratio constitui potest: Vbi non sunt vites, non sunt saltatrices: sed in Scythia non sunt vites: ergo non sunt saltatrices. Proxima verò causa esset, negatio vini: quod cum sit causa lætitiæ, ex qua saltatio prouenit; negatio eius, causa esset negationis saltandi. Et quia demonstrationes istæ, procedūt per negationem; asserit Arist. fieri semper in secunda figura: quia medium quoque in eis, debet esse prædicatum. *Secundo differunt.* Quia in eadem scientia demonstratio, Propter quid, semper procedit à causa: & cum causa sit prior effectu; dicitur demonstratio à priori: sed demonstratio, quia, procedit ab effectu qui cum sit posterior, dicitur demōstratio à posteriori. Duo alia exēpla demonstrationis, Quia, adducit Arist. Primum in stellis; quæ sunt in duplici differentia: nam aliæ sunt fixæ; vt illæ quæ sunt in octauo cœlo: quod firmamentum appellatur; aliæ verò, quæ sunt in corporibus cœlestibus inferioribus. Et istæ dicuntur Planetæ. Illæ igitur quia longe distant à nobis, videntur habere motum quendam tremoris: & ideo vidētur micare vel scintillare; cum tamen nullum talem motum habeant: sed propter imperfectionem visus, putamus stellas illum habere. Planetæ vero, non apparent cum tali motu, quia minus distant à nobis. Ex hoc igitur effectu, talis demonstratio, Quia, constitui potest. Stellæ non scintillantes sunt prope nos: Planetæ non scintillant: ergo sunt prope nos. Aliud exemplum adducit in Luna: de qua probare possumus; quod sit circularis, aut rotunda, ex hoc effectu: quia augmentum lucis modo circulari suscipit. Erit autē talis probatio; Quidquid circulariter illuminatur, rotundum est: sed Luna illuminatur circulariter à Sole: ergo est rotunda.

Sed distinguit duplicem effectū: Adæquatū, qui cōuertitur cū causa: & *Inadæquatū*, qui non conuertitur cū ea: & inquit; quòd si effectus sit adęquatus, ex demonstratione, quia, procedente ab eo, potest fieri demonstratio, propter quid: & ex opposito; ex demonstratione, propter quid, demonstratio, quia: vt patet in rationalitate, & risibilitate. Nam illā possumus probare, per hanc; & erit demonstratio, quia: & rursus hanc per illam; & erit demonstratio, propter quid. Si verò effectus sit inadæquatus, poterit ex eo

 fieri

fieri demonstratio, quia; per quam probemus causam: non tamen demõstratio propter quid; per quam ex causa probemus effectum. Et ratio huius differentiæ est; quia effectus adæquatus, conuertitur cum sua causa: sed inadæquatus nó cõuertitur; & ideo in illo potest vtraq; demonstratio fieri: in hoc verò, solum demonstratio, Quia. Nam causa inadæquata, non necessariò infert effectum. Vt si dicamus; Quidquid mouetur motu progressiuo, est animal: Homo mouetur motu progressiuo: ergo est animal. non licebit demonstrationem, propter quid, à causâ procedentem constituere: quia non est verum dicere, Quidquid est animal, mouetur motu progressiuo: nam quædam sunt animalia; quibus talis motus non conuenit.

2. *In secunda parte docet Arist.* Differre demonstrationem, propter quid, à demonstratione, quia; in diuersis scientijs: sed diuersas esse sciẽtias, duobus modis contingit: vel subordinatas; ita vt vna collocetur sub altera: & tales sunt Geometria, & Perspectiua: illa agit de linea; & hęc, de linea visuali: & ideo illa vocatur subalternans; hęc verò subalternata. Et eodem modo Arithmetica, agens de Numero, dicitur subalternans: Musica verò; agẽs de Numero sonoro, ei subalternata. Aliæ sunt diuersæ scientiæ non subalternatæ; vt Geometria, & Medicina. Asserit ergo Arist. differre demõstrationem, quia, & propter quid, in scientijs subalternatis: quia demonstratio propter quid, pertinet ad scientiã subalternantẽ: quæ cùm sit superior; reddit causam principiorum scientiæ subalternatæ, & ea probat à priori: demonstratio verò, quia, pertinet ad scientiam subalternatam, procedentem ab effectu.

Differunt etiam in diuersis scientijs non subalternatis. Quia aliquando contingit; quòd aliqua propositio in vna scientia sit euidens: quæ tamen non reddit causam eius; sed ad aliam scientiam pertinet reddere talem causam, per demonstrationem, Propter quid: & ideo ad illã scientiam pertinet, demonstrare talem propositionem per demonstrationem, Quia: ad hanc verò, per demonstrationem, Propter quid. Vt, in Medicina, aut Chirurgia, euidens est hæc propositio: Vulnus circulare difficiliùs sanatur; quàm oblongum. Eius tamen causam, non reddit hæc scientia; sed Geometria: quia latera circuli magis distant: & ideo difficiliùs coniunguntur. Distinguuntur ergo in his scientijs diuersis, demonstratio, Quia, & Propter quid.

QVAESTIO I.

An demonstratio procedens à causa remota sit, quia, vel propter quid?

CAusa remota duplex est. *Adæquata, & Inadæquata. Adæquata*, quæ conuertitur cum effectu: vt rationalitas, est causa remota risibilitatis, conuertibilis cum ea. Causa remota inadæquata est; quæ non conuertitur cum effectu: vt natura sensitiua, est causa remota respirationis: quæ non cõuertitur cum effectu; cum constet, non omne animal respirare. Et de causa remota adæquata; certum est, non constituere demonstrationem, quia: sed propter quid. Quæstio igitur procedit, de causa remota inadæquata. *An demonstratio ab ea procedens, sit demonstratio, Quia; vel Propter quid?* 3.

Et quòd non sit demonstratio, quia, sed propter quid probatur testimonio Arist. c. 2. 4.
huius lib. vbi agens de demonstratione, propter quid; asserit, procedere ex primis; vel ex his quæ reducuntur ad prima & cum principia sint causa conclusionis; idem est, ac si dicat, procedere ex causa proxima, aut remota; quæ ad proximam reduci possit: sed causa remota, etiam inadæquata, potest reduci ad proximam.

ximam; cùm respectu illius dicatur remota: ergo demonstratio ex ea procedens erit, propter quid.

Probatur etiam ratione: Primò. Quia demonstratio propter quid, est demõstratio à priori: demonstratio verò, quia, à posteriori; non alia ratione; nisi, quia illa procedit à causa, quæ prior est effectu; & hæc ab effectu, qui posterior est causa: sed causa remota vera causa est, & prior effectu: ergo demonstratio ab ea procedens, à priori est, & causam conclusionis reddit: ideo est demonstratio, propter quid.

Secundò. Omnis demonstratio procedens ab effectu proximo, vel remoto; adæquato, vel inadæquato, est demonstratio, quia: ergo omnis demonstratio procedens à causa proxima; vel remota, adæquata, vel inadæquata, erit demonstratio propter quid. Probatur consequentia, quia sicut se habet effectus ad demonstrationem, quia; ita se habet causa ad demonstrationem propter quid.

Pro solutione huius quæst. Notandum est;
4. causam remotam, & inadæquatam; de qua quæritur, duplicem esse; *Superiorem, & inferiorem. Superior est;* ex qua quidem procedit effectus, mediante proxima: non tamen ab omni ea procedit; sed ab aliqua. Vt esse animal, est causa remota, & inadæquata respirationis; quia ab ea procedit respiratio, media proxima: quæ est habere pulmonem, & sanguinẽ calidum: sed non ab omni animali procedit, cùm sint multa, quæ his carent: & ideo natura sensitiua in eis, non est causa respirationis. *Alia est causa remota & inadæquata Inferior;* à qua quidem semper procedit effectus, & ab omni ea; sed non à sola: cum possit etiam ab alia procedere: vt patet in exemplo saltationis, adducto ab Arist. cuius causa remota, & inadæquata; sunt vites & vinum: non tamen ab his solum procedit, sed ab alijs etiam causis lætitiæ: quæ proxima causa saltationis est.

Hæc est autem differentia inter has duas causas; Quòd inferior infert effectum. Bene enim sequitur, ex vitibus, & vino, saltatio aliqua; sed non infertur ab illo: cùm non sequatur; si saltatio aliqua est, vinum esse, & vites. nam ex causa alia prouenire potest saltus; etiamsi neutrũ horum sit. Negatio tamen effectus, bene infert negationem causæ. Vnde bene respondit Anacharsis Philosophus ille Scytha; dum rogatus, cur in Scythia non essent saltatrices, & tibicines; Respondit; ideo nõn esse; quia non sunt vites: causam reddens inadæquatam, per modum negationis.

Secundo. Notandum est. Quòd dũ Arist. 5.
asserit; demonstrationem procedentem à causa remota: non solùm de adæquata non loquitur; sed nec de inadæquata inferiori. & ideo de sola inadæquata superiori quod colligitur euidenter, ex verbis eius: nam postquam propriam sententiam proposuit; & eam exemplis comprobauit: hæc verba subiunxit. *Assimilantur autem tales causæ his; quæ secundum excessum dicuntur.* Id est prædicatis superioribus; quæ inferiora dicuntur excedere: ergo de solis causis superioribus loquitur. Ex quibus solùm potest inferri effectus, per modum negationis.

Notandum item est tertio; quod adhuc 6.
non infertur effectus ex his, per modum negationis; tanquam ex causis formaliter: sed sicut, ex negatione prædicati superioris, infertur negatio inferioris: & ex negatione generis, negatio differentiæ: atque ex opposito; ex negatione differentiæ, negatio generis; absque vlla causalitate propria. Quod probari potest efficaciter, his exemplis; Quidquid est homo, est viuens: sed Paries non est

viuens: ergo Paries nõ est homo. Quidquid est rationale, est animal: Lapis non est animal: ergo non est rationalis. Sed in his non infertur, tanquam ex causis; sed tanquam ex puris negationibus superioris prædicati: ergo nec in illis causis remotis infertur ratione alicuius causalitatis; sed solùm ratione negationis superioris prædicati. Probatur consequentia, quia sicut probamus de pariete; quòd non respiret: quia non est animal: probare æquè possumus; non esse rationalem: quia non est animal; hoc modo; Quidquid est rationale, est animal: Paries non est animal: ergo non est rationalis. Imò quod non respiret, ex sola negatione risibilitatis, dicentes; Quidquid est risibile, respirat: Paries nõ est risibilis: ergo non respirat. Vbi nulla interuenit ratio causalitatis: sed ex sola negatione generis, sequitur negatio differentiæ. Aut ex negatione proprietatis, negatio eiusdẽ respirationis. Vnde sequitur; quod sicut per demonstrationes procedentes ab effectibus, non redditur causa conclusionis, nec propter quid eius; sed solùm probatur; quòd hoc, vel illud sit: vt quod homo sit rationalis, per risibilitatem: & ideo appellantur ab Arist. demonstrationes: Quod hoc est. Ita per negationem causæ remotæ superioris, solùm probatur; quòd in aliquo non sit effectus eius: non posito propter quid, talis negationis, & absque vlla causalitate. Sicut ex negatione vnius prędicati, probatur negatio alterius, etiam absque causalitate. Quare ratio causæ, in his, solùm reperitur materialiter: & ideo valde similes sunt demonstrationes istæ, procedentes à causa remota, & inadęquata, per negationem, demonstrationibus, Quia; vel, Quod hoc est. Et propterea Arist. eas reduxit potiùs, ad demonstrationes, quia; quã ad demonstrationes, propter quid.

Duo igitur asserit nostra sententia. Primum. Omnem demonstrationem procedentem à causa; vt causa est; siue sit proxima vel remota, siue sit adæquata, vel inadæqua, ta esse propter quid, seu Διότι Quod euidenter probant testimonium Arist. & rationes adductæ pro hac parte.

7. *Secundum. Demonstrationes procedentes à causa remota inadæquata, & superiori per negationem; de quibus solùm loquitur Arist. cap. præsenti, meritò fuisse ab eo cõnumeratas inter demonstrationes, Quia, siue* ὅτι *potius quam inter demonstrationes, propter quid.* Cuius ea est ratio; quia non procedunt ex negatione talis causæ, per modum causalitatis, sed solum per modum negationis superioris prædicati: sicut in simili forma, probantur negationes quorundã prædicatorũ, per negationes aliorum: imò etiam negatio eiusdẽ effectus causæ remotæ; per negationem alterius, absq; vlla causalitate: ergo negatio causæ, solum concurrit materialiter. Quare per tales demonstrationes, non dicitur, propter quid; sed solũ probatur, quòd negatio effectus talis causæ conueniat alicui: sicut probatur ex effectu, & per demonstrationem, quia; quòd homo sit animal, vel rationale. Quare argumenta non sunt soluenda; cùm efficaciter probent, quod intendunt.

QVAESTIO II.

An diuisio demonstrationis in demonstrationem quia, & propter quid, sit generis in species; vel analogi in analogata?

8. PRæsupponit tit. quæstio: tanquam certum; hanc diuisionem esse sufficientem: quod admittunt omnes: Et potest probari hac ratione. Illa diuisio est sufficiens; cuius membra continent omnia; quæ sub diuiso comprehenduntur: Sed membra huius diuisionis, comprehen-

prehendunt quamcunque demonstrationem: ergo continent, quidquid continetur sub demonstratione in communi, quę est diuisum eiusdem diuisionis. Probatur minor. nam præter demonstrationem procedentem à causa, & ab effectu, enumeratur ab Arist. in sequentibus demonstratio ad impossibile: per quã probatur, vnum esse alterum; vel non esse, deducendo ad impossibile. Ab alijs etiã additur demonstratio à signo: per quam ex signo nobis euidẽter noto, probamus rem ita se habere: vt Lunam eclipsari, quia videmus lumen amittere: sed vtraque hæc demonstratio compreheditur, sub demonstratione, ὅτι vel διότι, atque etiam alia quæcumque excogitabilis: vt bene docet Sotus, & Toletus, ca. præsenti: ergo hæc diuisio, comprehendit omnes demonstrationes. Probo iterum minorem. Quia demõstrationes ad impossibile, semper procedunt per viã causæ, aut effectus: & ideo reducuntur ad demonstrationem, quia vel propter quid: vt ostendunt duæ sequentes. Si homo non esset risibilis, non esset rationalis? sed consequens est impossibile: ergo & antecedens. Cuius sensus est; si homo nõ esset risibilis; nõ esset rationalis: sed verum est esse rationalem; ergo verum est esse risibilem. Et hæc alia: Si homo non esset rationalis; non esset admiratiuus: sed consequens est impossibile: ergo antecedens. Illa enim procedit à causa; hęc

9. verò ab effectu; vt patet. Demonstratio verò à signo, semper procedit ab effectu: quia signum nobis notum per experientiam, semper est effectus, vt exemplũ eclipsis lunæ adductum manifestat. Duo autem membra huius diuisionis; nempe demonstratio; quia, & propter quid, cõmunia sunt : sub quibus comprehenduntur diuersę demonstrationes procedentes à causis, vel ab effectibus. Vnde malè Caiet. dixit: aliud membrum demonstrationis, propter quid, esse distinguendum: nam quodcunque illud sit, comprehenditur sub vno membro huius diuisionis; tanquam species sub genere. *Supposito; quod diuisio sufficiens sit, quærimus; An sit vniuoca?* ita vt demonstratio diuidatur, in hæc duo membra; tanquam genus in suas species. *Vel an sit analoga?* ita vt tanquam analogum potius, in sua analogata.

Et prima opinio asserit. Analogam esse diuisionem; & non vniuocam. Ita Themistius, in sua paraphrasi super 1. lib. posteriorum cap. 7. Venetus cap. præsenti. *Et probatur* testimonio Arist. qui definiens, demonstrationem ca. 2. huius libri, solam demonstrationem, propter quid, duplici definitione explicauit: quæ definitio non potest vllo modo conuenire demõstrationi, quia. Imò ipsemet Arist. eodem cap. quasi cum conditione asseruit, de demonstratione, quia, loquens *Si autem alius modus sciendi; dicemus postea.* Ad hoc nimirum decimum cap. referens secundum communem sententiam expositorum. Ex quo infertur; demonstrationem nõ esse vniuocam, nec genus ad vtramque. Nam si vniuoca esset; vt communis vtrique definienda esset; & non pro vna eius specie tantùm: cùm ergo sola demonstratio, propter quid, definita sit: hanc solam demonstrationem simpliciter sentit Arist. Demonstrationem verò; quia non nisi secundum quid, & per attributionem ad illam; tanquam ad principale analogatum Cuius signum est etiam; quod Arist. nunquam eam definiuit. satis esse putans definisse præcipuam; ex cuius similitudine, & attributione, facilè intelligitur alia.

Tandẽ ratione probatur. *Primò.* Quia demonstratio est instrumentũ acquirendi scientiam: sed scientia acquisita per

 demon-

demonſtrationem, quia; non poteſt eſſe talis ſimpliciter; ſed ſolùm ſecundum quid, ergo nec demonſtratio, quia, erit demonſtratio ſimpliciter; ſed ſecũdum quid. Probatur minor ex duobus. *Ex primo quidem*, quia non ſcimus ſimpliciter aliquid; cuius naturam, & eſſentiam ignoramus: ſed habita demonſtratione, quia; ignoramus naturam, & eſſentiam rei: & ſolum cognoſcimus eam eſſe talem, ex aliquo effectu extrinſeco, ex quo procedit demonſtratio, quia: vt dũ demonſtramus hominem eſſe rationalem, ex effectu ridẽdi, quem experimur: ergo non poteſt eſſe demonſtratio ſimpliciter. *Ex ſecundo verò*: Quia de primis principiis, non habetur ſcientia ſimpliciter; cum ex terminis ſint nota: ſed nullum eſt principium, quantumuis immediatum; quod non poſſit probari aliquo modo, per demonſtrationem, quia: ergo hæc non generat ſcientiam ſimpliciter ſed quandam aliam notitiam concluſionis, ſcientia inferiorẽ: & ideo non erit ſimpliciter demõſtratio, ſed ſecũdũ quid.

Secundo. Si demonſtratio genus eſt ad
11. demonſtrationem, quia, & propter quid: ergo ſcientia erit etiam genus, ad eam, quę generatur per vtramque; diſtinguenturque ſpecie; tã ſcientia actualis, quia, & propter quid: quæ ſunt aſſenſus vtriuſque demonſtrationis; quàm habitualis, genita per vtrumque aſſenſum. Sed conſequens eſt falſum: ergo etiam antecedens. Probatur minor, quia vtraque demonſtratio habetur ſæpe de eodem obiecto, vt de homine, aut quouis alio: ſed ſciẽtiæ diſtinguuntur ſpecie, per obiecta: ergo nec ſciẽtię actuales, nec habituales genitæ per has demonſtrationes poſſunt diſtingui ſpecie. Atque adeò nec demõſtrationes ipſæ, ſed ſolum vt quædam analogata demonſtrationis in communi quæ in eas diuiditur.

Secunda opinio, tenet. *Demonſtrationem diuiſam eſſe ab Ariſt. in demonſtrationem quia, & propter quid, tanquam vniuocum quid, & verum genus in ſuas ſpecies*. Ita videntur ſentire Ammonius ſuper 1. lib. de Anima, textũ 21. & 34. Et Flandria ibidem, q. 29. art. 3. ſed expreſsè Sotus, & Toletus, cap. præſenti, & omnes moderni, interpretes. *Et videtur mihi vera, & tenenda*. Prob. *primo*: Quia demonſtratio, Quia, procedit ex principiis certis, & euidentibus, & per conſequentiam euidentem in modo, & figura conſtitutam: ergo eſt ſyllogiſmus neceſſarius, & euidens, ſpecie diſtinctus à probabili, & ſophiſtico. Quod eſt, eſſe ſpeciem ſyllogiſmi demonſtratiui diſtinctam ab ea, quam cõſtituit demonſtratio, propter quid: vtraque ergo ſpecie ſyllogiſmi demonſtratiui, abſtrahi poteſt ratio cõmunis ſyllogiſmi demonſtratiui vniuoca, atque generica, ſub qua diſtinguentur ſpecie. 12.

Quod prob. ſecundo. Ex principiis vtriuſque, & aſſenſibus concluſionum, per vtramque genitis. Nam demonſtrationes, diſtinguuntur per principia, ex quibus procedunt, & per aſſenſus concluſionum, quos generant: cùm principia ſint rationes formales aſſentiendi concluſionibus: & concluſiones, effectus proprij principiorum, ac demonſtrationũ: ſed principia demonſtrationis, quia, & propter quid, diſtinguuntur eſſentialiter: Quia hæc continent cauſam concluſionis. & reddunt propter quid eius: illa verò effectum: & ideò ſolùm probant concluſionem à poſteriori. Et etiam aſſenſus concluſionum diſtinguuntur eſſentialiter, per eadem principia diuerſa, tanquam per diuerſas rationes aſſentiendi; quæ ſunt quaſi obiecta formalia earum: ergo vtraq; parte diſtinguuntur ſpecie demonſtratio, quia, & propter

propter quid: ideoque demonstratio in cõmuni diuidetur in eas; tanquã genus.

Vt autem explicetur testimonium Arist. & soluatur primũ arg. Notandũ est. Quòd licèt genus ex parte sua æqualiter participetur ab speciebus; nihilominus ex parte differẽtiarum inæqualis perfectionis: per quas descendit ad illas, constituit easdem species inæquales in perfectione: vt constat in genere animalis. Ita ergo demonstratio in cõmuni, abstracta ab vtraque æqualiter participatur ab eis ex parte sua; sed differentiæ, vtriusque diuersæ sunt perfectionis: quia longè perfectius est reddere causam conclusionis: & ideò, propter quid eius; quam solùm eam probare ex effectu. Ideo demonstratio, propter quid, longè perfectior species demonstrationis est; quàm demonstratio, quia: non ratione generis; sed ratione differẽtiæ perfectissimæ: sicut homo inter species animalis. Et sicut hæc maior perfectio speciei humanæ, non tollit rationẽ vniuocam animalis: eodem modo, nec maior perfectio demonstrationis, propter quid, tollit rationem vniuocam, aut genericam respectu vtriusque demonstrationis.

Arist. ergo, solùm definiuit præcipuam speciem demõstrationis in 2. c. quia illa est potissimũ instrumẽtum artis demonstratoriæ, ad generandam scientiam; explicaturus aliã speciem imperfectã, cap. præsenti: quod & fecit; dicẽs talem esse, vt procedat ab effectu: non reddens propter quid cõclusionis; sed ostendens ita esse. Negamus igitur Arist. sentire, quod sola demonstratio, propter quid, sit demonstratio simpliciter: demõstratio verò, quia; tantum secũdum quid: quamuis sentiat, perfectissimam speciem demõstrationis esse illam; hanc verò imperfectissimam, ratione differentiarum.

Ad primum arg. Neganda est minor; quod assensus demonstrationis, Quia; nõ sit sciẽtia simpliciter. Et dũ primò dicitur; per illã nos non cognoscere naturam, & essentiam rei. Respondeo; essentiam rei, non cognosci per demõstrationem etiam propter quid; sed cognitam præsupponi, per habitum principiorum; cum definitio sit principium ex se indemonstrabile; & non cognoscibile, per scientiam propter quid, in suo genere: sed ex sola notitia terminorum. Vnde nec est defectus demonstrationis, quia; quòd per eam non cognoscatur essentia rei: sed officium vtriusque demonstrationis est; tradere cognitionẽ obiecti, ex aliqua eius proprietate: quod facit demonstratio propter quid; probãs à priori, & ex causa proprietates subiecti. Officiũ verò demonstrationis, quia, ex proprietate ipsa; per experientiam cognita tradit cognitionem eiusdem subiecti: nullam causam reddens; sed solum probãs, quod talis sit naturæ, ex illa proprietate. Negandum igitur est; quod sciẽtia genita per demonstrationem, quia; non sit simpliciter talis: quamuis concedamus esse valde imperfectam. *Quòd verò secundo dicitur*, de principijs non haberi scientiam. *Distinguendum est*; quia perfecta scientia, & à priori, non potest de illis haberi: quia per se nota sunt; & à priori indemonstrabilia. Esse autem per se nota, non tollit, quin à posteriori possint demonstrari, per demonstrationem, quia; per quam habebitur scientia de illis. Imperfecta quidem; tamen vniuocè 14. talis, cum scientia à priori, & propter quid, quare & demonstrationes ipsæ, vniuocam, atque genericam habebunt conuenientiam.

Secundum arg. duo petit. Primum; An assensus demonstrationis quia, & propter quid; qui dicuntur scientiæ actuales, distinguantur specie. *Secundum*; An per

assensus generentur habitus scientiæ, specie distincti. *Circa primum est prima sententia Soti*, q. 1. huius cap. qui licèt teneat demonstrationes ipsas distingui specie; negat tamē assensus specie distingui. sed vult esse eiusdem speciei. Quod probat hoc arg. Principia demōstrationis, sunt causa æquiuoca cōclusionis; cùm distinguantur specie ab ea: sicut sol est causa æquiuoca caloris; sed idē effectus secundum speciem, potest procedere à causis æquiuocis diuersæ speciei; vt idem calor à sole, & igne: ergo idem assensus cōclusionis poterit procedere, à diuersis principijs, diuersisq; demonstrationibus secundum speciem. Licèt ergo demonstrationes sint specie distinctæ, nō sequitur, quòd assensus conclusionis vtriusq; specie distinguantur. Quod videtur sibi necessariò concedendum, de eclipsi lunæ; demonstrata per demōstrationem, propter quid, ex causa; & per demonstrationem, quia, ex effectu: non enim habemus ex eo assensus specie diuersos; sed eundem secundum speciem: & solum accidentali quadam, atque extrinseca ratione distinctum; vt per vnam & aliam demonstrationem procedit.

Hæc tamen sententia falsa est. Quod ita probo. Assensus cōclusionis sumit suam speciē ex principijs, à quibus procedit; tanquam ex medio formali assentiendi;
15. vt concedunt omnes, & probat euidens ratio. Nam assensus huius conclusionis terra est rotunda, genitus ex principijs philosophicis; hoc est motus physici: & ex principijs mathematicis; distinguitur specie: etiā si sit eiusdem propositionis, & ab eodē intellectu habeatur: sed media assentiendi conclusioni demonstrationis, quia, & propter quid; (quæ sunt principia continentia causam eius, vel ab effectu eam probantia) constat distingui specie: sicut de demonstrationibus, quia, & propter quid probatum est: ergo assensus conclusionum vtriusque demonstrationis, etiam si de eadem re habeatur specie, distinctus erit: quia per diuersa media formalia habetur.

Nostra igitur sententia est. Assensus vtriusque demonstrationis, specie distingui. Quod euidenter probatur; supposita distinctione specifica demonstrationum; quam admittit Sotus. Nā repugnat per diuersa media assentiendi; quæ sunt 16.
obiecta formalia eorundem assensuum, non generari diuersos assensus secundum speciem.

Nec arg. Soti probat oppositum. Sed minor distinguēda est; nempe, quod à causis æquiuocis specie diuersis, possit procedere idem effectus secundum speciē: nā si inadæquatæ sint, potest: si verò sint adæquatæ, repugnat. Et ratio huius distinction is est: quia à causis inadæquatis indifferenter procedit idem effectus: à causis verò adæquatis determinatè, & necessariò. Quia causa adæquata, cōuertitur cū suo effectu: ideo repugnat, eundē effectum secundum speciem procedere à causis adæquatis, diuersæ speciei. Ignis verò & sol, causæ sunt æquiuocæ caloris, diuersæ speciei; sed inadæquatæ: & ideo potest calor, ab vtralibet indifferenter procedere, & ab vtraq; calor idē secundum speciē: at assensus cōclusionis, procedit à demōstratione, & principijs eius; tanquam à causa adæquata: & ideo repugnat; quod idem assensus secūdum speciem procedat ab vtraque; supposita distinctione specifica earum à nobis probata, & ab eodem Soto concessa.

Secundum, quod petebat idem arg. est. An per has demonstrationes, non solum generentur assensus diuersi, qui vocātur diuersæ scientiæ actuales: sed etiā diuersi habitus, qui vocātur absolutè diuersæ scientiæ. Circa quòd *Est prima opinio multorum*

rum; ex his qui nobiscum tenent, diuersos esse assensus vtriusque demonstrationis asserentium, non generare diuersum habitum scientiæ secundum speciem: si tales demonstrationes circa eandem rem versentur: vt circa hominem, vel circa ens naturale; quod est obiectũ naturalis philosophiæ. Sed assensum vtriusque demonstrationis, esse in adæquatum, respectu eiusdem habitus: & solum differre ab alio; quasi specie partiali;& inadæquata. ideo posse procedere ab eodem habitu scientiæ, secundum speciem. Quia habitus solum distinguũtur specie, per actus adæquatos;sicut etiam per adæquata obiecta:& non per inadæquatos?

17. *Probant testimonio Arist.* qui cap. præsenti docet demonstrationem, quia, & propter quid, differre in eadem scientia atque in diuersis. Quod non potest esse verum; nisi pertineant aliquando ad eãdem scientiam: sed eadem scientia est, idem habitus: ergo nec verũ esse potest; nisi pertineant ad eũdem habitum. Quare non potest defendi in doctrina Arist. quòd per demonstrationem, quia, & propter quid circa eandem rem; generũtur diuersi habitus scientiæ: alioqui de eodem homine habebit quis plures sciẽtias: & de eodẽ ente naturali, plures philosophias; si per demõstrationes, quia, & propter quid, naturã & proprietates eorũ cognoscat. quod inauditũ est in scholis.

Probant deinde ratione. Quia sicut potẽtia habet maiorem extensionem; quam habitus;& ideo potest eadem secundum speciem;intra latitudinẽ sui obiecti habere plures habitus specie distinctos; qui sint quasi inadæquati respectu illius; eodem modo habitus, habet maiorem extensionem;quàm actus;cùm videamus eundem habitum scientiæ plures atque diuersas habere demonstrationes: & ideo plures assensus diuersos; qui sunt plures actus: etiam si solùm procedat à causa, vel solùm ab effectu: ergo poterit habere plures actus, vel assensus quorum quidam procedant à causa, per demonstrationem, propter quid; alij verò ab effectu, per demonstrationem, quia. Et sicut demonstrationes; ita assensus 18.
erũt inadæquati, respectu eiusdem habitus. Non est ergo necessarium, plures multiplicare habitus, circa idem obiectum; propter demonstrationes, quia, & propter quid,& assensus earum specie distinctos: sed idem habitus poterit se extendere ad illos;tanquam ad diuersos; sed inadæquatos.

Nostra sententia est. Per has demonstrationes, non solùm generari diuersos assensus secundum speciem; sed etiam diuersos habitus scientiæ. Quod ex distinctione specifica assensuum, vel actuum, (quam admittit opposita scientia) *sic probo.* Habitus generantur ex actibus, & ab eisdem sumunt vnitatem,& distinctionem specificam;sed assensus conclusionum vtriusque demonstrationis; qui sunt proprij actus,ex quibus generantur habitus, distinguuntur specie: ergo generant habitus distinctos. Et si dicas; Esse partiales actus, & inadæquatos. Ex hoc inprimis sequitur euidenter; generare habitus distinctos specie partiali: vnde iam teneris concedere,circa idem obiectum plures habitus, & plures scientias partiales: quod falsum probauimus in quæst. proœmialibus. *Idẽ præterea probo.* Quod non solùm assensus distinguantur specie partiali; sed etiam totali. Quia ea quæ distinguuntur partialiter; debent esse partes alicuius totius: ergo si assensus distinguuntur partialiter, & inadęquatè; cùm distingui debeant per rationem formalem obiectiuam, dabitur aliqua ratio obiectiua totalis, atque communis, cuius

sint partes: sed haec est impossibilis: ergo impossibile est quòd distinguantur specie partiali. Probatur minor. quia principia sunt ratio obiectiua assensuū; sicut sunt ratio assentiēdi conclusionibus: sed principia quae continent causam; & quae continēt effectum; sunt quasi opposita, & omnino diuersa: nec dantur alia superiora, vel inferiora; quorum sint partes ergo non possunt distingui specie partiali, sed totali debent distingui: & ex consequenti non possunt generare habitus specie partiali distinctos; sed totali.

19. *Sed vt testimoniū Arist. explicemus & arg. soluere possimus, Notandum est.* Vtrumque genus demonstrationis, quia, & propter quid, versari aliquando circa eandem rem; aliquando circa diuersas. Res autem circa quam versatur scientia; solum est obiectum materiale: formale verò sunt principia, per quae demonstrantur passiones de illo, Vnde licèt versentur aliquando circa idem obiectum materiale; semper habent diuersa obiecta formalia. Neque hoc illam continet repugnantiam; cum circa idem obiectum materiale, versari etiam possint scientia, & opinio; per diuersa media, aut principia: quae sunt rationes assentiendi, & quasi obiecta formalia. Non est ergo nouum, circa eandem rem ponere diuersos habitus scientiae cùm plus differant scientia, & opinio: & tamen sint aliquando etiam de eadem re. Isti autem diuersi habitus geniti per demostrationem, quia & propter quid circa eandem rem, sub nomine eiusdem scientiae comprehenduntur propter identitatem obiecti materialis, & abstractionis à materia. Et hoc est, quod voluit Aristot. significare dum dixit. Scire, quia, & propter quid; & ex consequenti demostrationes differre in eadem scientia & in diuersis: per eandē scietiam vtrumq; habitum intelligēs; qui intra latitudinem eiusdē obiecti materialis, & eodē modo abstrahētis à materia, continētur: per scientias verò diuersas, eas etiam intelligit quae versantur circa res diuersas, & diuerso modo abstrahentes à materia: vt exempla eius ostendunt. Itaque non est sensus eius, quod scire quia, & propter quid, differant intra eundem habitum; sed intra cognitionem scientificam eiusdem rei; circa quam versari solent, & quam nomine eiusdem scientiae intelligit. Et eadem ratione, sub nomine eiusdem Philosophiae, intelligitur vterq; habitus: quia Philosophiam naturalē vocamus, in cōmuni modo loquendi, cognitionem scientificam entis naturalis: siue per plures assensus, vel habitus distinguatur scire quia, & scire propter quid; siue non.

20. *Ad arg. verò, Concedimus primum*; quod in antecedenti assumitur: nempe maiorē habere extensionem potētiam; quam habitum: *sed negamus secundum*: quod habitus maiorē habeat extensionē; quā actus, vel assensus. Et huius ratio est; quia habitus proximè specificatur ab actu, secūdū rationem formalem; qua per illū attingit obiectū, & cum haec sit limitata, non habet maiorē extēsionem habitus, quàm actus. Potentia verò vniuersalior est: & sub vniuersaliori ratione attingit obiectum: & ideo per actus, & habitus diuersae speciei id fit. Vnde sequitur non esse superfluum multiplicare habitus, vbi actus distinguuntur specie; sed omnino necessarium; vt iam probauimus.

TRACTATVS DE

Subalternatione scientiarum.

Quid nomine scientiae subalternantis, & subalternatae intelligatur?

21. IN secunda par. cap. docuit Arist. Scire quia, & propter quid: & consequenter, de-

ter, demonstrationes differre in diuersis scientijs, non subordinatis; sed totaliter diuersis, & quasi disparatis. Atque etiam idem fieri in diuersis scientijs subordinatis tamen, quas vocat subalternatas in eodem sensu, quo propositiones docuit, 2. lib. de Interpretatione, quandam habere oppositionem quasi Subalternam: quando fiunt ex eodem prædicato, & subiecto; sed vna collocatur sub altera; vna est vniuersalis, & particularis altera. Tales igitur asserit esse quasdã scientias; quarum vna versatur circa rem aliquam vniuersalem; alia verò circa rẽ particularem, sub ea contentam, vt Geometria; quæ versatur circa lineam, & perspectiua, circa lineam visualem. sic Arithmetica circa numerum; Musica verò circa numerum sonorum. *Et vniuersalem vocat Subalternantẽ: particularem verò Subalternatam aut illam continentem, & hanc contentam.* De natura igitur, & ratione harum scientiarum, agendum nobis est; de qua agunt omnes interpretes Ari. ca, præsenti; vt differentiam demonstrationis, quia, & propter quid, in eis designatam intelligamus. Nam quæ sint scientiæ totaliter diuersæ, & quomodo in eis differant; satis notum est.

Expositis nominibus subalternãtis & subalternatæ scientiæ; quatuor de illis explicanda sunt. Primum Quidnam sit, vnam scientiam esse subalternatam alteri? *Secundum.* An talis subalternatio sit possibilis? *Tertium.* Quonam modo dependeat sciẽtia subalternata à subalternante; & an sine illa esse possit, & veram habere rationem sciẽtiæ? *Quartum.* An subalternata intra proprios limites demonstret, propter quid, suarum conclusionum.

Quidnam sit subalternatio scientiarum?

11. Circa conditiones requisitas, & sufficientes ad subalternationẽ scientiarũ diuerso modo loquũtur authores: nam quidam plures: alij vero pauciores assignant: quidam easdem; alij diuersas. Inter omnes verò, optimè eas videtur enumerasse Caie. in tracta. de Subalternatione scientiarum; vbi ad quatuor, aut quinque præcipuas reduxit omnes *Prima est.* Quod subiectum vnius, contineatur sub subiecto alterius. Cuius defectu Medicina non subalternatur Geometriæ nam corpus sanabile, non continetur sub linea, sed disparata sunt. *Secunda.* Quòd subiectum inferioris, includat subiectũ superioris; & addat supra illud aliquam differentiam accidentalem. Cuius defectu scientiæ de specie, non subalternantur scientiæ de genere. Nam licèt species sit sub genere; non addit tamen supra genus conditionem accidentalem sed essentialem differentiam: vnde fere semper eadem est scientia de vtroque. *Tertia conditio est.* Quod differentia, quã addit, nõ sit propria passio eiusdem subiecti. Quia licèt passio sit differẽtia quodammodo accidentalis; non est tamen purè accidentalis: & ideo non pertinet ad distinctam scientiam; ac subiectum, sed ad eandem, in qua demonstratur de illo. *Quarta conditio est.* Quòd principia scientiæ inferioris, probentur à priori, & per causam à scientia superiori. Principia autem, quæ assumit scientia subalternata ad probandum suas cõclusiones; sunt in duplici differentia: quædam enim sumit ex subiecto scientiæ subalternantis, alia vero ex materia alterius scientiæ; ad quam per se pertinet conditio accidentalis, quam addit obiectum eius supra obiectũ scientiæ subalternantis. Et illa omnia, & sola, debet 12.
probare à priori scientia subalternãs; nõ alia. Quia cùm ad materiam alterius scientiæ pertineant; non possunt ab illa probari. Exempli gratia. Perspectiua, as-

sumit vnum principium, quasi geometricum ex materia lineæ, quæ obiectum geometriæ est; & aliud phisophicum, ex materia visualis: nam visuale ad philosophiam naturalem pertinet. Geometria igitur, cui subalternatur; solùm probare debet illa, quæ ex eius materia, aut obiecto deriuantur: non, quæ pertinēt ad philosophiam naturalem. Ex his conditionibus vna, vel altera reperietur aliquo modo in diuersis scientiis non subalternatis: sed omnes simul in solis subalternatis reperiri possunt. & ideo omnes simul sunt requisitæ, & sufficientes ad veram, & propriam subalternationem. Ita, vt solum illę sciētiæ, & omnes in quibus reperiuntur, veræ & propriæ sint subalternatæ. Et sic est explicatum, quid sit subalternatio scientiarum.

An subalternatio scientiarum explicata, sit possibilis; vel sola imaginatione excogitata?

14. TRia arg. *proponemus*; quæ videntur probare subalternationem scientiarum non esse possibilem. *& est primum tale*. Quia si obiectum scientiæ subalternatæ, addit conditionem accidentalē, supra obiectum scientiæ subalternātis; sequitur subalternatam non esse vnam scientiam per se. Probatur consequentia, quia scientia sumit suam vnitatem per se ab obiecto: sed obiectum eius non est vnum per se; sed per accidens; cùm constet ex duplici ente in actu; vt ostendit linea visualis, aut numerus sonorus: ergo nec ipsa erit vna scientia per se; sed per accidens. *Secūdum*, Scientia subalternans, & subalternata, debent esse distinctæ specie: sed non possunt distingui specie: si vera est eadem conditio: ergo nec erit possibilis subalternatio. Probatur minor. quia scientiæ distinguuntur specie per obiecta: sed obiectum sciētiæ subalternatæ, solum distinguitur accidentaliter ab obiecto scientiæ subalternātis: cùm solum addat supra ipsum differentiam accidentalem; vt linea visualis, solum distinguitur accidentaliter à linea: ergo scientia ipsa subalternata, solummodo distinguetur accidentaliter à scientia subalternante. Quod etiam videtur probari, ex vltima conditione subalternationis; quòd subalternans debeat probare à priori principia sciētiæ subalternatæ: nam si hoc verum est; principia subalternatæ, erunt conclusiones subalternantis: sed conclusiones pertinent ad eandem scientiam; in qua probantur à priori: ergo eandem scientiam efficiet subalternata cum subalternante.

Tertium. Si subalternata addit in suo subiecto conditionem accidentalem, supra obiectum subalternantis; sequitur obiectum eius habere duplicem partem: vna erit obiectum subalternantis; alia verò accidentalis conditio, addita supra illud, & pertinens quidem ad aliam scientiam, quo supposito, non erit maior ratio; quare dicatur magis subalternata vni, quàm alteri: & ideo nec vni, nec alteri subalternata erit; sed subalternatio ipsa impossibilis reputabitur. Gratia exempli. Obiectum perspectiuæ, quod est linea visualis, includit duplicē partem: nempe lineam pertinentem ad Geometriam, & conditionem accidentalem visualis pertinētem ad Philosophiam naturalem: ideo non erit maior ratio; ob quam vni earum magis, quam alteri subalternetur. & ita non erit alicui earum subalternata.

His tamen non obstantibus, omnes tenent cum Arist. possibilem esse subalternationem scientiarum: & quasdam esse scientias subalternatas aliis; in quibus quatuor istæ conditiones concurrunt; vt perspectiua subalternatur geometriæ, & musica arithmeticæ. 15.

Sed

Sed circa solutionem primi arg. est prima opinio Sonc. 4. Met. q. 9. asserentis; Scientiam subalternatam, esse vnum per se; atque distinctam à subalternante: quia differentia, quam obiectum eius addit, supra obiectum subalternantis; non est accidens commune, sed propria passio eiusdem obiecti subalternantis: vt visuale, inquit; non est accidens commune lineæ, sed propria passio eius: quia linea est quantitas: & quantitas est per se visibilis: vt docet Arist. 2. lib. de Anima: ergo linea est per se visibilis; ita vt visibilitas sit propria eius passio; ex subiecto autẽ, & propria passione, fit vnũ per se; & non per accidẽs: sicut fit ex subiecto, & accidẽti cõmuni; vt ex corpore, & albedine.

Hac tamen sententia falsa est: & vt talis refutatur à Caiet. cap. præsenti. Pro-
16. batur euidenter; quia duo quæ asserit, sunt apertè falsa. *Primum*: quòd visuale sit propria passio lineæ: vt est obiectum geometriæ. Nam geometria est scientia mathematica, abstrahens à materia sensibili: ergo agit de linea; vt abstrahit à materia sensibili: sed visuale est conditio per se sensibilis; cùm dicat respectum ad visum: ergo euidens est non conuenire lineæ; vt est obiectum geometriæ: quare falsum erit; quòd conditio, quam addit perspectiua supra geometriam, sit propria passio obiecti geometriæ. Imo etiam si concederemus, esse propriam passionem eius; falsum est *Secundum*, quod asserit, efficere vnum per se cum linea: quia propria passio verum accidens est, & extra essentiam subiecti: ergo si accidens commune non potest facere vnum per se cum subiecto; nec poterit accidens proprium efficere vnum per se cum eo. Quia non minus risibile, constabit duplici ente in actu; nempe subiecto, & accidente; quàm album. Et tandem, Si conditio addita obiecto scientiæ subalternatæ, si propria passio obiecti subalternantis; ad eandem scientiam pertinebit cũ eo. Probatur cõsequẽtia. quia propria passio obiecti alicuius scientiæ, probatur de illo in eadẽ scientia, cuius est obiectũ.

Nostra igitur sententia inprimis asserit, Conditionem quam addit obiectum scientia subalternatæ, non esse propriam passionem obiecti subalternantis: sed accidens commune. Obiectum tamen includens talem conditionem; vt lineam visualem dupliciter sumi posse. *Vno modo, prout includit vtrumque per modum aggregationis.* Et hoc modo euidens est; quòd sit vnum per accidens: & non possit esse obiectum scientiæ. Quia vt sic sumptum; non habet vnam naturam, vel essentiam; sed duplicem essentiam: nec vnam definitionem, nec determinatas passiones, quę de eo probari possint. *Alio modo sumitur prout includit vnum cum ordine ad aliud*: vel vt determinatum per illud; aliud verò vt determinans. & ita est vnum per se; non entitate; sed ordine. quæ vnitas sufficit vt definiri possit, & per se considerari ab vna scientia; & vt determinatæ passiones de eo probari possint in ea. Et hoc modo consideratur obiectum scientię subalternatæ, ab eadem: quare vt vnum per se, ex quo habebit illa quod sit vna scientia per se. Et ideo ex hac parte, non erit impossibilis subalternatio scientiarum. 17.

Secundum argumentum soluitur alia distinctione. Nam conditio; quam addit obiectum scientiæ subalternatæ; duobus modis sumi potest. vel, *vt est accidens obiecti* subalternantis, ei inhærens: vel, *vt per se consideratur*, à tali scientia. *& primo modo*, solum accidentaliter illud determinat; vel contrahit; sicut quodlibet aliud accidens subiectum, cui inhæret. *Secundo verò modo*, contrahit illud per se; ad considerationem talis sci-

lis scientiæ, quia linea per se considera- tur à perspectiua; vt visualis. Itaque, licèt visuale sit accidens lineæ; vt sumitur secundum propriam entitatem, vel essentiam: tamen vt ad obiectum perspectiuæ pertinet; per se coniungitur cum visuali; quia per se consideratur à tali scientia, in ordine ad visuale: vel vt per talem conditionem determinatur. Vnde quamuis linea, quæ est obiectum geometriæ secundum entitatem: solum distinguatur à linea visuali; quæ est obiectum perspectiuæ, etiam secundum entitatem sumptæ acccidaliter: nihilominus si vtraque sumatur; vt per se consideratur à sua scientia; per se, & essentialiter distinguuntur: vel vt vno verbo dicatur; solùm distinguuntur accidentaliter in esse rei: in esse verò obiecti essentialiter; & per se: & ideo possunt distinguere scientias specie.

Ad formam ergo secundi arg. Distinguen-
29. da est minor secundi syllogismi; quòd obiectum scientiæ subalternatæ, solùm distinguatur accidentaliter ab obiecto subalternantis: nam in esse rei accidentaliter solum distinguitur: sed in esse obiecti scibilis, per talem scientiam, essentialiter. Et ideo scientia subalternata non accidentaliter; sed essentialiter distinguitur à subalternante.

Pro solutione tertij Notandum est. Quòd ex duobus, quæ includit obiectum subalternatæ scientiæ; nempe, obiectum subalternantis, & accidentalem conditionem super additam; primum ac præcipuum est obiectum: conditio verò, quasi limitatio eius est; per quam determinatur: & imperfectior quidem; quia materialis, atque sensibilis: obiectũ verò subalternantis; vt magis à materia abstractum, perfectius est. Et ex hoc sequitur ratione eius; eandem scientiam esse subordinatam superiori, & vocari subalternatam; & non ratione conditionis: quod ex alia conditione colligitur euidenter: quia principia subalternatæ scientiæ, superior probat à priori; potius, quàm illa scientia, ad quam conditio pertinet. Et ideo potiùs illi subalternatur; quam huic. Gratia exempli, Obiectum perspectiuæ includit lineam & conditionem visualis: ex quibus linea est primum, & principale, ratione cuius subordinatur geometriæ. est etiam magis abstracta à materia. & quia demonstrare, propter quid conclusionum, potius pertinet ad illam scientiã, quæ magis abstrahit à materia sensibili: cùm scientiæ respicientes materiam sensibilem, ab effectu potius demonstrare soleant: hinc est, quod perspectiua potius subalternatur geometriæ; quã philosophiæ naturali. Hoc est enim principium perspectiuæ; *Visio facta secundum lineam rectam, est perfectissima:* quod licèt præsupponat aliud, per se notum in philosophia, nempe agens naturales fortius agit in proximum, quam in remotum: tamen à priori demonstratur à geometria: quia linea recta est perfectissima, & breuissima. 30.

Ad formam igitur arg. Neganda est cõsequentia; quòd non sit maior ratio, propter quam scientia inferior magis dicatur subalternata vni, quam alteri scientiæ: quia cum obiectum superioris scientiæ sit primum, quod includit, & ratione cuius subordinatur scientiæ superiori, agenti de illo, ad quam etiam pertinet probare à priori principia eiusdem scientiæ inferioris: potius quam ad aliam scientiam, ad quam conditio pertinet: ideo potius illi, quàm huic subalternatur.

An subalternata scientia existens sine subalternante, sit vera scientia, vel potius opinio?

Præ-

PRæsupponit titulus *quæstionis tanquam certum*; quòd scientia subalternata, possit esse separata à scientia subalternante,& omninò sine ea esse: quod constat experientia; cùm plures cognoscamus musicos, ignorantes Arithmeticam. Quærit autẽ hoc supposito; *An musica in his sit vera scientia, an solum opinio*;

33. *Et prima sententia tenet*; Non esse scientiam; sed opinionem: ita soncinas 4. Meta.quæ.9.quem sequuntur plures moderni: quorum hæc est ratio. Quia vt docuit Aristot.2. cap.huius libri; vt aliquis habeat scientiam alicuius conclusionis, necesse est, quòd principia sint ei certa, ita, vt ex terminis ea cognoscat: vel si demonstrabilia sint; sciat ea reducere ad prima indemonstrabilia: & qui hoc non scit, (inquit Arist.) non habet demonstrationem; nec scientiam conclusionis: atqui principia scientiæ subalternatæ non sunt immediata; sed demonstrabilia, per scientiam subalternantem: quã cũ non habeat musicus, nescit ea reducere ad immediata; sed solùm ea credit propter testimonium Arithmeticorũ: ergo non habet scientiam conclusionum eius, sed opinionem.

Secunda opinio est aliorum. Quod vera sit scientia, quamuis imperfecta. Et ratio horum est opposita: quia si non esset scientia, sed opinio, maximè hoc esset propterea, quia is qui eã habet sine subalternante, non habet certitudinem principiorum: sed fides humana potest esse certa, propter frequentia testimonia; vt patet in hac propositione, Roma est: cui, licèt multi assentiantur, solùm propter testimonium eorum, qui eam viderunt, tot tamen testimonia multiplicantur, vt certum efficiant assensum eorum; cuius signum est; quia nemo est qui dubitet de veritate eius.

32. *Pro explicatione nostræ sententiæ, Notãdũ est. Duobus modis posse contingere, quod scientia subalternata sit sine subalternante. Primò*. Ita, vt principia eius solùm sint accepta per testimonium habẽtium scientiam subalternantem. *Secundo*, Ita, vt etiam sint ab eo, qui habet eam sine subalternante; nota, per experientiam euidẽtem multorum singularium, ex quibus colligitur euidenter, experimentum vniuersale principiorum.

Hoc supposito. Tria asserit nostra sententia. Primum est. siue subalternata scientia, sine subalternãte existens, sit vera scientia, siue non, certũ est, non esse actu, & formaliter scientiam subalternatam: prout sic habetur, sed solùm materialiter. Quod sic probo. Scientia dicitur subalternata, quia subordinatur subalternanti, à qua principia eius accipiunt certitudinem, & euidentiam requisitam ad veram scientiam: sed scientia inferior existens, sine superiori, vt sic existens, non subordinatur actu superiori scientiæ, nec ab ea participat euidentiam suorum principiorum: ergo non est actu, & formaliter scientia subalternata: sed solùm materialiter, & quasi in potentia: in quantum cum ea coniungi potest: in eo, qui vtramque habeat.

Secundum, quod asserit, est. *Quòd scientia subalternata, sine subalternante, erit vera scientia (licèt imperfecta) si ei, qui eã habuerit, nota sint principia per experientiam*. 34.
Probatur hoc. Quia tunc erunt certa, atque euidentia principia; ex quibus per demonstrationem à posteriori colligitur euidenter conclusio: quæ ex consequenti, erit certa, & euidens, & per consequens, verè scientifica.

Tertio dicimus. Quòd si principia eius, solum cognoscãtur per testimoniũ eorum, qui habent subalternantem scientiam, non erit vera scientia, sed opinio. Et hoc probat efficaciter arg. primæ opinionis. Quam in

hoc sensu verã esse existimamus. *Arg. verò secunda opinionis nihil probat.* Quia testimonium humanum, per se loquendo, nõ potest generare assensum certum; cum non repugnet ei subesse falsum. Quòd verò per frequentiam testimoniorum, sublatum sit actuale dubium, per accidens est: quia hoc non obstante, assensus
34. illius propositionis; Roma est, ab intrinseco est incertus: & cui potest subesse falsum. Et eo igitur, non potest per se colligi certa conclusio; nisi ratione quadam materiali, & accidentali. Per se autem est incerta: quod repugnat scientiæ. Quemadmodum dicimus; Conclusionẽ non esse per se, & formaliter certam, nec scientificam: quæ colligitur per aliquam consequentiam solùm necessariam in his, aut illis terminis: quod est, esse necessariam solum materialiter; formaliter verò, & per se incertam; cùm in simili forma, possit dari antecedens verum, & consequens falsum.

An scientia subalternata, intra proprios limites, demonstret propter quid; vel solum quia?

IAM hoc intelligitur de scientia subalternata; non sine subalternante, sed illi actu cõiuncta in eo, qui habet vtramque: & tunc habet statum scientiæ subalternatæ; de qua quærimus; *An intra proprios limites*; hoc est, in quantum solùm se extendit, vsque ad principia à se indemonstrabilia: sed quæ possunt demõstrari à priori, & verè demonstrantur à subalternante; cui quasi continuàtur: an inquam, intra hos limites, *veras habeat demonstrationes, propter quid*; per quas demonstret à priori suas conclusiones, ex propriis principiis: vel solùm dicatur demonstrare ea; quasi per demonstrationes, quia, exempli gratia. Hæc est conclusio perspectiuæ scientiæ. *Res ad maiorem distantiam visa, minor apparet; quam ipsamet existat in se.* Perspectiua eam demonstrat per hanc, Res à longè visa, minori, aut acutiori angulo mouet potentiam: & ideo apparet minor. Sed illius secundæ propositionis, per quam probat primam, nescit reddere causam: eam verò reddit geometria: quia angulus, eo est acutior, quo magis protrahitur: esse verò acutiorem est esse minorẽ. Et ideò res visa ad maiorem distantiam, minori 35.
angulo mouet potentiam. Quærimus ergo; An demonstratio illa, per quam perspectiua probat, quòd res à longè visa minor apparet; quia minori angulo mouet potentiam, (hoc est enim intra proprios limites demonstrare suas conclusiones) sit demonstratio propter quid; & à priori: vel solùm demonstratio, quia.

Prima opinio est Soti, & Veneti cap. præsenti, Asserentium; verè demonstrare, propter quid, intra latitudinem propriam: quam tamen sine limitatione, videtur tenuisse Albertus Magnus tracta.2. de vsu principiorum, cap. 7. Vbi negare omnino videtur; quod propria principia subalternatæ scientiæ, demonstrentur à scientia subalternante. Quia cùm subalternans abstrahat à materia sensibili; & principia subalternatæ respiciant materiam sensibilem; non potest se extendere, aut descendere ad illa demõstranda. Quòd si verum est; non solùm intra proprios limites demõstrabit, propter quid, suarum conclusionum, scientia subalternata; sed omnino. Nam si principia eius non demonstrantur à subalternante, neque ab alia, erunt prorsus indemonstrabilia: ex quibus perinde demonstrabit subalternata proprias conclusiones; atque quælibet alia scientia etiam subalternans.

Probatur hæc sententia. Primò. Quia scientia subalternata, licet non reddat causam

causam primam suæ conclusionis, nec demonstret illam; vsque ad principium primum; reddit tamen causam proxi-
36. mam eius. ergo eam demonstrat à priori, per causam proximam: vt patet in exemplo designato. Et certè si sola scientia subalternans demonstraret à priori, conclusiones scientiæ subalternatæ; solus Arithm. diceretur musicus: & solus geometra, perspectiuus. Quod patet esse falsum. Probatur consequentia. quia sciens, & scientia, denominationem accipiunt à conclusionibus, quas demonstrant: cùm in eis consistat, vera, & propria ratio scientiæ: ergo sicut dicitur philosophus; qui scit demonstrare conclusiones philosophiæ: ita dicetur perspectiuus; qui scit demonstrare conclusiones perspectiuæ: præsertim si à nullo alio demonstrentur; sed ab eo solo.

Secundò. Quia si scientia subalternata non demonstrat à priori suas conclusiones; maximè id facit, quia nō reddit causam earum, vsque ad primam; sed solum reddit proximam, relinquens primam reddendam à subalternante: sed hoc est impossibile: ergo non est negandum; quod demonstret à priori suas conclusiones. Probatur minor: quia si hoc ita esset; sequeretur subalternantē demōstrare à priori principia subalternatæ: & ideò principia subalternatæ esse cōclusiones subalternātis. Quod repugnat fieri propter duo. *Primum* Quia subalternans abstrahit à materia sensibili; principia verò subalternatæ, respiciunt materiam sensibilem: ergo repugnat, quod hæc illis coniugantur, in eadem demonstratione coniungi autem necessarium est; si sunt cōclusiones per illa demonstratæ. *Secundùm*. Quia si principia inferioris essent cōclusiones superioris; non essent distinctæ scientiæ, superior, & inferior; sed eādem efficerent. Probatur consequentia Nam conclusiones ad eam scientiam pertinēt in qua demonstrantur: sed principia inferioris, sunt conclusiones demonstratæ à superiori: ergo ad hanc pertinebunt, & non efficient scientiam subalternatam distinctam.

Secunda opinio. Negat subalternatam, aut simpliciter demonstrare proprias cōclusiones à priori; aut etiam intra proprios limites: sed solum auxilio superioris, & vt continuatur cum illa, veras demonstrationes efficere posse. *Hæc est communis; quam tenent* D. Tho. in Comment. huius cap. Soncinas 4. Meta. q. 9. Caiet. tract. de subalternatione sciētiarum circa finem, Louanienses, & Tolet. in expositione huius cap. *Et videtur nobis in doctrina Aristot. necessaria; & in ratione vera*.

Probatur primum. Quia Arist. c. præsenti in principio, docet expresè; differre demōstrationē quia, & propter quid, in diuersis scientiis subalternatis: quia demonstratio, propter quid, pertinet ad scientiam subalternantem: demonstratio verò, quià; ad subalternatam. Quæ differentia, non potest esse vera; si scientia subalternata demonstrat proprias cōnclusiones demonstratione, propter quid; etiā intra proprios limites: vel etiam reddēs causam proximam earum; licèt non primam. Nam si hoc verum est; ad eam pertinebit demonstratio propter quid; & non quia. Præterea loquens Arist. de vtraque scientia in particulari, & vocās subalternantem Mathematicam, & subalternatam sensibilem; quia illa abstrahit à materia sensibili; hæc verò respicit illam; expresè docet: subalternatam solùm demonstrare, quia: ad subalternantem verò pertinere demonstrationem, propter quid; his verbis. *Hic enim, ipsum quidem sensitiuorum est scire; ipsum verò, propter quid Mathematicorum*

Secundum verò; quod vera sit nostra sententia, *probatur hoc arg.* Vt aliquis habeat scientiam alicuius conclusionis, & veram demonstrationem eius; necesse est, quod præmissis assentiatur ex sola notitia terminorum: vel si demonstrabiles sint; eas sciat reducere vsque ad principia omnino indemonstrabilia: alioqui si sic eas reducere nesciat; non habebit veram demonstrationem conclusionis, nec veram scientiam eius. Sed principia propria sciētiæ subalternatæ; per quæ demonstrat suas conclusiones, non sunt immediata; sed demonstrabilia; cùm possint demonstrari à scientia subalternante: ergo non fiet vera demonstratio alicuius conclusionis ex eis; nisi ab eo, qui sciat ea reducere vsque ad prima omnino indemonstrabilia, per veras demonstrationes. Atqui subalternata scientia, intra proprios limites, nescit ea sic reducere, vt patet; à solaque subalternante reduci possunt: ergo subalternata intra proprios limites, non potest veram demonstrationem, propter quid, suarum conclusionum efficere; nisi auxilio scientiæ subalternantis; aut in quantum cum ea continuatur.

39. *Sed vt explicemus*, quonam modo fiat continuatio hæc; quo etiam modo demonstrentur à subalternante. *Notandum est.* Quòd in quacunque demonstratione, necessarium est mediū coniungi cum extremitatibus in præmissis; vt ratione talis coniunctionis, extremitates ipsæ coniungantur in conclusione: & hoc est fundamentum totius artis demōstratiuæ. Vt ostenditur in hac demonstratione: Omne animal rationale est risibile: Omnis homo est animal rationale: ergo Omnis homo est risibilis. In qua animal rationale; quod est medium, coniungitur in præmissis cum homine; qui est maior extremitas, & cum risibilitate; quæ est minor: & virtute huius coniunctionis, coniunguntur homo, & risibile in conclusione.

Secun. notandum. Medium in demonstratione propter quid, continere causam conclusionis. Vnde sequitur non posse scientiam subalternantem demōstrare à priori principiū scientiæ subalternatæ; per mediū sibi proprium nudè acceptum: hoc est, in propria abstractione à materia sensibili consideratū; sed necesse est; 40. vt tale mediū cōiūgatur extremitatibus, ex quibus constat principium eiusdem subalternatæ scientiæ demonstrandum, tanquam conclusio. alioqui non erit medium. Sed extremitates eius respiciunt materiam sensibilem: ergo necesse est medium scientiæ subalternantis; quasi descendere ad materiam sensibilem, ad eamque determinari; vt per talem coniunctionem cum extremitatibus in præmissis, efficiat; vt coniungātur extremitates ipsæ in conclusione: & ita conclusio ipsa: quæ principium est subalternatæ scientiæ, à priori demostretur. Et talis coniunctio medij cum extremitatibus; ex quibus constat principium scientiæ subalternatæ demonstrandum, est continuatio inferioris scientiæ cum superiori: in qua continuatione, consistit formalis ratio subalternationis.

Quæ omnia hoc exemplo fiunt manifesta Principium scientiæ subalternatæ; nēpe perspectiuæ: quod ipsa, nec scit, nec potest demonstrare intra proprios limites; est hoc. Res à longè videtur, sub minori, vel acutiori angulo. Demōstratur autē sic, à scientia subalternante; nēpe à geometria. Res quæ videtur sub angulo magis protracto; videtur sub angulo minori, (nam angulus magis protractus acutior est; & ideo minor:) sed res visa à longè, videtur per angulum magis protractum, aut longiorem; vt est manifestum.

festum: ergo videtur sub angulo minori.

Ecce medium geometricum; nempe angulũ magis protractum, esse minorem; quod non posset demonstrare principium illud perspectiuæ; nisi coniungeretur cum extremitatibus, ex quibus cõponitur, videlicet cũ re à longè visa, & cũ minori angulo: & nisi ita coniunctũ efficeret cum eis vtramque præmissam eiusdem demonstrationis; per quam demonstraretur idem principium, tanquam conclusio composita, ex eisdem extremitatibus.

Et Ecce continuatam scientiam subalternatam, cum subalternante, in eadem demonstratione; per tales coniũctiones. Continuatiuum autem, est medium sciẽtiæ subalternantis; vt coniunctum in præmissis cum extremitatibus, ex quibus componitur principium scientiæ subalternatæ, per illud demonstratum.

Et continuatio hæc, non tollit distinctionem vtriusque scientiæ, vt statim probabitur.

42. *Ex his intelligitur, primò*; quomodo sit possibile; quod scientia subalternans, probet per demonstrationem à priori, principia scientiæ subalternantæ; etiam si abstrahat à materia sensibili; & principia probanda eam respiciant. Id enim facit, per vnionem proprij medij, cum extremitatibus principij probandi; cum quibus coniũgitur in præmissis & per cõiunctionẽ, quasi descendit, & contrahitur per eas, ad materiam sensibilẽ: & per talẽ contractionem cõtinuatur cum ea.

43. *Iam ergo soluuntur facilè arg.* oppositæ opinionis. *Nam ad primum.* Concedimus antecedens; quòd subalternata scientia reddat causam proximam suæ conclusionis: sed negamus consequentiam; quòd demonstret eas intra proprios limites. Nam ad veram demonstrationem, non sufficit reddere causam proximam; sed requiritur reddere omnes causas, vsque ad primam: alioqui non habebit certum assensum præmissarum; cùm nesciat eas reducere vsque ad principia per se nota, & indemonstrabilia: & ideo nec habebit veram scientiam conclusionis, nec veram demonstrationem eius.

Ad aliud verò, quod additur in eodem argu. nempe; solum Arithmeticum esse musicum, & solum geometram, perspectiuum: si hi soli demonstrare dicuntur à priori conclusiones musicæ, & perspectiuæ, negandum est. quia principia alicuius scientiæ; per quæ demonstrantur conclusiones eius, non pertinent ad habitum talis scientiæ; sed ad alium distinctum, qui dicitur habitus principiorum: & ideo nec suscipiunt denominationem scientiæ: nec ea habent denominationem scientijs. Principia autem scientiæ subalternatæ; quæ demonstrantur à scientia subalternante; comparantur ad principia eius, per quæ demonstrantur; tanquam conclusiones eorum: & ideo non pertinent ad eam; sed ad alium habitum inferiorem, qui est scientia subalternata. Quare nec geometra denominatur perspectiuus, nec Arithmeticus denominatur musicus; sicut nec conclusiones musicæ, dicuntur geometria. 44. quamuis verùm sit, nõ denominari musicum verè scientem; nisi simul sit Arithmeticus: nec scientem perspectiuum; nisi simul sit geometra.

Ad secundum, Concedimus primam, & secundam consequentiam; quòd principia subalternatæ, sunt conclusiones subalternantis, negamus tamen; quòd non possint eis coniungi in eadem demonstratione. Nam licèt principia subalternantis, abstrahant à materia sensibili; determinari tamen possunt, & quasi contrahi, per principia subalternatæ; ad conficiendam eandem demonstra-

tionem: vt explicatam est. Per hanc autem vnionem participiorum vnius, cum principiis alterius vt conclusionibus eorum, non tollitur distinctio vtriusque scientiæ: sicut per vnionem principiorũ cuiuslibet scientiæ, cum conclusionibus eiusdem, in eisdem demonstrationibus; non tolliter distinctio habitus scientiæ ab habitu principiorum. Præsertim, cum semper scientia subalternata, & subalternans, habeant diuersa obiecta, & diuerso modo à materia abstrahentia; ex quibus distinctio habituum aperrè colligitur. *Et si aliquis quærat*; Quid ergo, aut quomodo dicendum est, demonstrare scientiam subalternatam, intra proprios limites, aut quomodo loquendum? Respondeo. si intra proprios limites, accipiatur præcise; nullam demonstrationem propter quid, habere posse, neque etiam; quia, neque aliquam posse demõstrare conclusionem. Vnde neque esse scientiam, hoc modo sumptam. quia sub hac præcisione accepta; nescit demonstrare propria principia verè demonstrabilia: ergo nõ habebit certum assensum eorum: & ideo nec poterit certam conclusionem, aut scientificam colligere. Demõstratione verò, quia, certum est eam non habere, sub ratione formali scientiæ subalternatæ: quia vt talis est, non procedit ab effectu; sed à causa. Solum igitur demonstrat suas cõclusiones; demonstratione propter quid, auxilio subalternantis; vt continuatur cum ea, quare solum hoc modo est vera scientia subalternata.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

TEXTVS ARIST.

Scibile autem, & scientia differunt ab opinabili, & opinione; quoniam scientia quidem vniuersalis.

Breuis expositio textus.

INtentum Aristot. in hoc cap. est distinguere scientiam ab opinione; postquam scientias distinxit inter sese, in his capitibus intermediis, à decimo vsque ad hoc vigesimum sextum. *Diuiditur autem in duas partes. In prima.* Asserit, & probat scientiam, & scibile, distingui ab opinione, & opinabili. *In secunda.* Duo proponit dubia in contrarium, & soluit.

Conclusio Arist. est hæc. Scientia, & scibile, ex vna parte, differunt ab opinione, & opinabili, ex altera. Quam probat hac ratione. Scientia versatur circa vniuersale, & necessarium: ergo scibile est vniuersale, & necessarium: opinio verò circa contingẽs, & sæpe particulare, aut etiam singulare: ergo opinabile est contingens, & particulare: ergo diuersa est scientia ab opinione: & scibile ab opinabili *Antecedens probat*, *ex* parte scientiæ, quia vt cap. 2. dictum est, Scientia est de his, quæ non possunt aliter se habere: ergo de necessariis. quia necessarium est; quod non potest aliter se habere. Præterea. Scientia est de his; quæ sunt de omni, per se, & vniuersaliter; aut secundum quod ipsum: ergo est de vniuersalibus. Probat deinde idem antecedens, de opinione; & opinabili. Nam quædam ait vera sunt, in existimatione; quæ in re possunt esse vera, aut falsa: de quibus non est scientia: neque intellectus; qui est notitia principiorum: ergo de his erit opinio. & cum possint aliter se habere; quod est esse cõtingentia: erit de contingenti: & ideo opinabile erit contingẽs. Probatur antecedens. Quòd de his, quæ possunt aliter se habere: non sit scientia, neque intellectus; quia scientia, est de his; quæ non possunt aliter se habere: intellectus verò, quasi scientia quædam immediata est: & sic definiri potest; *Intellectus est certa cognitio*

cognitio immediata propoſitionis : quod eſt,eſſe certam cognitionem,ex ſola ſignificatione terminorum habita,ſed certa cognitio ex terminis habita, non poteſt eſſe de re contingēti ; niſi tantum de neceſſaria : ergo repugnat, quòd intellectus, & ſcientia ſint de re contingenti. Conſequentiam verò, quod de re cōtingenti ſit opinio, probat : quia ſi certa cognitio dari nō poteſt, de re contingēti, dabitur incerta, & fallibili, hoc eſt talis ; quæ licèt vera eſſe exiſtimetur ; tamen non repugnet ei ſubeſſe falſum.

Vnde infert, ſic eſſe definiendam opinionem: *Opinio eſt acceptio, vel exiſtimatio, ſeu aſſenſus immediatæ propoſitionis & non neceſſariæ.* Et per primam particulam, *Immediatæ propoſitionis*, diſtinguitur opinio à ſcientia ; quæ eſt cognitio propoſitionis mediatæ : & conuenit cum intellectu. Per ſecundam verò, nempè, *Non neceſſariæ* ; diſtinguitur ab vtroque videlicet intellectu, & ſcientia: quia vtrumque eſt de neceſſarijs ; vt probatum eſt.

3. Sed hæc definitio opinionis, non traditur ab Ariſt. de omni opinione ; ſed ſolum de immediata. Datur enim mediata opinio ; quæ ex immediata colligitur, per euidentem, aut probabilē conſequentiam ; vel ex propoſitione euidēti, per conſequentiam non neceſſariam ; vt Ariſt. docet in hoc eodem cap. Sed ſolùm voluit immediatam definire, vt cùm notum ſit dari opinionem mediatam ; definitiòne ipſo oſtenderet, dari etiam opiniones immediatas ; quibus aſſentitur intellectus probabiliter, ex ſola notitia terminorum : ſicut dantur propoſitiones neceſſariæ ; quibus ex ſola notitia terminorum aſſentitur, aſſenſu certo, ac neceſſario.

Sed contra differentiam probatam, inter ſcibile, & ſcientiam ; & opinabile, & opinionem, *proponit duo dubia in ſecunda parte capitis Primum eſt* ; ad probandum : quòd non differat ſcibile, & opinabile : quia ſæpè contingit ; vt quod vnus ſcit, alter opinetur : ergo idem erit ſcibile, & opinabile. Reſpondet ; quòd de eadem re ſimplici, aut incomplexa, poſſunt eſſe ſcientia, & opinio ; vt de homine. Non tamen de eadem re complexa ; vt de propoſitione. Nam de homine, poteſt eſſe ſcientia, & opinio ; ſed non de propoſitione, vt de hac ; *Quod diameter ſit commenſurabilis, aut æqualis coſtæ* opinio fortè eſſe poterit ; non ſcientia.

Secundum dubium eſt. Quia ſicut ſcientia procedit ex immediatis principiis, ad mediatam concluſionem ; ita opinio poteſt procedere, ex propoſitione immediata probabili, ad mediatam ; quam de ea colligit. Præterea, Sicut demonſtratio, ſi procedat à cauſa ; erit propter quid : & ſi ab effectu ; erit quia : eadem ratione opinio ; ſi procedat ab immediata, continente cauſam concluſionis ; dicetur, propter quid : ſi verò ab ea ; quæ continet effectum, dicetur, quia : ergo conueniunt in his duobus, ſcientia, & opinio : quare non diſtinguentur. Reſpondet. Verum eſſe antecedens : ſed negandam eſſe conſequentiam. quia diuerſus eſt modus procedendi vtriuſque. Nam ſcientia procedit per medium neceſſarium ; hoc eſt, ex neceſſariis principiis ; & per neceſſariam conſequentiam : opinio verò, per medium contingens ; hoc eſt, vel ex principiis non neceſſariis, vel per conſequentiam non neceſſariam, ſed probabilem ; & hoc eſt, diſtingui eſſentialiter, per diuerſa media aſſentiendi. Vnde ſequitur, ſcientiæ non poſſe ſubeſſe falſum opinionem verò falſam eſſe poſſe. 4.

TRACTATVS I.

De habitu principiorum.

5. DE *tribus agit Arist.* cap. præsenti. *De Intellectu.* qui est notitia principiorum. *De Scientia*; quæ est notitia conclusionum: quæ demonstrantur ex principiis. Et *de opinione*; quam ab his differre docet. *De quibus eodem ordine agendum nobis est, & de singulis singulos tractatus instituimus*: in quibus ea; quæ necessaria sunt ad intelligendam eorum naturam, & rationem, breuissimè explicamus. Vt sic melius possimus intelligere, differentiam; quam inter ea posuit Arist. *Et primo de habitu principiorum quatuor explicabuntur. Primum an sit?* hoc est; an præter potentiam intellectiuam, & species intelligibiles, per quas principia; hoc est, propositiones immediatas apprehendimus, ponendus sit habitus; per quem facilè possit intellectus iudicare de veritate eorũ, eisdemq; assẽsum præstare. *Secũdũ Quid sit habitus iste? Tertium. An sit naturalis*; Ita, vt illum receperit anima, simul cũ potentia intellectiua; dũ creata fuit à Deo: vel an acquisitus per proprios actus. *Quartũ. An sit vnus secundum speciem pro principijs omnium scientiarum; vel diuersus pro diuersis principijs.*

An præter intellectum, & species intelligibiles, detur habitus principiorum?

6. PRimò *præsupponendum est*, tanquam certum in doctrina Ari. & in schola Peripatetica; *Quòd in intellectu, & voluntate, dantur habitus virtutum moralium & intellectualium.*

Secundo præsupponendum est. Hos habitus ponendos esse in intellectu, distinctos à speciebus intelligibilibus. Quod eorum, & illarum officium efficaciter, probat. Nam officium speciei intelligibilis, solum est vnire obiectum intelligendum, cum potentia intellectiua; ex qua vnione sequitur apprehensio eius; quæ est prima operatio (intellectus) vel, vnio ipsa est apprehensio. Vnde sequitur; species intelligibiles, solum ad apprehendendum obiecta proximè deseruire. Sed cum post apprehensionem, sequatur iudicium de veritate, aut falsitate propositionem: in quo principaliter consistit secunda operatio intellectus: & in quo potest esse aliqua indifferentia; aut etiam difficultas, ad iudicandum; additur alius habitus ab Arist. & omnibus: (solis exceptis nominalibus) qui species ipsas intelligibiles, dicunt esse habitus: & ideo, nihil aliud præter illas ad iudicandum ponunt.

His suppositis. Primũ dubium est; An præter species intelligibiles; per quas principia apprehendimus; necessarius sit habitus principiorum, ad iudicandũ de veritate eorũ: quod est eis assentire. *Et est prima opinio*, Durã. in 3. d. 33. q. 1. ad finem. & Soti. 1. li. de Iustitia, & iure q. 4. art. 2. qui licet habitus scientiarum, in intellectu ponant; præter species intelligibiles, ad assẽsum cõclusionum: nihilominus ad assentiendum principijs; nullum habitũ esse ponẽdum asserunt: sed sufficere aiunt lumẽ naturale; quod est potentia ipsa intellectiua.

7. *Probant hoc arg.* Ad operationes naturales; in quibus nulla est indifferentia, vel libertas, non ponuntur habitus: vt in potentia visiua: imò nec in voluntate, respectu vltimi finis, in quem naturaliter tendit, per amorem: sed intellectus, naturaliter assentitur principiis: cum sint veritates immediatæ, ac necessariæ: ita vt eis propositis, non possit non assentire: ita enim se habet ad illa; sicut voluntas ad vltimum finem; vel visus ad colores: ergo nullo indiget habitu, ad eis assentiendem.

Opposita sententia tenet, prçter intellectum, & species intelligibiles; ponendũ esse habitum, ad assentiẽdũ primis principijs indemõstrabilibus. *Hæc est expressa apud*

sic apud Ari.6.lib.Ethic.c.3. vbi inter virtutes intellectuales; quæ sunt habitus superadditi potentijs enumerat intellectū; qui est habitus principiorum. Et D. T. in Commētarijs eiusdem loci, declarat: nō de intellectu pro potētia; sed pro habitu superaddito potentiæ, loqui Ar. his verbis *Accipitur autem hic intellectus non pro ipsa intellectiua potentia; seu pro habitu quodā; quo homo ex virtute luminis intellectus agētis, naturaliter cognoscit principia indemonstrabilia.* Et 1.2.q.94. ar. 1. inquit, *Principia indemonstrabilia in speculatiuis, non sunt ipse habitus principiorum; sed sunt principia, quorū est habitus.* quam sententiam sequuntur, Henricus quodlib. 5.q.18 Caie.1.2.q.51.art. 1. & ibidem. Conradus, Ferr.1.lib.contra gentes, cap. 94. Medina 1.2.q. 49. art. 2. & moderni omnes. *Et videtur nobis vera, & tenenda.*

8. *Probatur primò.* Necessitas ponendi habitum in potentia: circa aliquod obiectum, est indifferentia eius, ad benè, vel malè operandum, circa illud: vt cum vtroque modo possit operari, determinetur ad benè operandum, per habitum. Nam habitus, vt vidimus apud Aristo. in prædicamento qualitatis, est dispositio subiecti; per quā benè vel male se habet, in ordine ad propriam naturam, vel operationem: sed intellectus circa prima principia, potest benè vel malè, operari: cum possit errare circa illa: ergo indiget habitu ad bene operandum: & ideo necesse est eum ponere.

Secundo. Quia si intellectus non indiget habitu ad assentiendum principijs; quia sunt euidentia, & naturaliter eum mouent: sequitur nec indigere habitu, ad assentiendum conclusionibus. Probatur consequentia. quia habito assensu principiorum, euidentem veritatem continet conclusio in eis contenta, & etiam naturaliter mouet intellectum: sed opposita opinio ponit habitum pro conclusionibus: ergo necessariò debet eum ponere circa principia.

Et ad argumentum eius. Distinguenda est minor; quod intellectus naturaliter assentiatur primis principijs. Nam quantum ad specificationem, verum est: quia supposita debita apprehensione eorum; si iudicium ferat certa illa, non potest esse iudicium dissensus; sed assensus debet esse: quantum verò attinet ad exercitium, libertatem habet circa illa, dependenter à voluntate: & ideo potest assensum suspēdere; vt superiùs probauimus; quam libertatem non habent sensus, nec voluntas circa bonum in communi: ideò non sunt capaces habitus. 9.

Quidnam sit habitus principiorum?

NAtura & essentia habitus, ex proprio actu, & obiecto, circa quod natus est operari intelligenda est. Nam ab his sumunt speciem potentiæ, & habitus; vt docet Arist. lib. 2. de Anima, c. 4. Explicare igitur oportet; *Quodnam sit proprium obiectum huius habitus: & quem habeat actum circa illud. Obiectum*, proprium habitus; est euidens, & immediata veritas: siue vniuersalis sit illa; siue particularis. *Proprius modus* tendendi in obiectum; à quo formalis, & vltima ratio habitus desumitur; est per immediatam comparationem ad ipsam veritatem euidentem quam sine vllo medio respicit. Vnde, sicut alij habitus intellectus, constituuntur, & distinguuntur specie, per tale, vel tale medium assentiendi: vt scientia, per medium demonstratiuum; opinio per medium probabile; & fides per testimonium ita habitus principiorum; qui dicitur intellectus, talis est in propria specie, & à cæteris habitibus distinguitur, quia per se immediatè comparatur ad euidentiam veritatis. *Vnde proprius actus eius est*, sine vllo medio ei assentire 10.

assentire; sicut actus scientiæ, assentire per medium demonstratiuum. Definitio igitur eius talis erit; *Habitus principiorum, est virtus intellectualis: per quam potentia intellectiua, determinatur ad assensum principiorum per se euidentem, & facilè eundem eliciendum.* In quo autem consistat hæc facilitas; dicemus inferiùs.

An habitus principiorum sit naturalis: vel acquisitus ab intellectu, per proprios actus.

11. HAbito iam quòd habitus intellectus sit, & quid sit: sequitur tertium explicandum; *Quonam modo generetur, aut fiat in nobis.* Videlicet; an eum accipiat anima simul cum propria natura, & intellectu; dum creatur à Deo: vel sicut in ipsa creatione, accipit intellectum sine vlla specie intelligibili; sed tanquam tabulam rasam; in qua nihil depictum est; vt asserit Arist. eodem modo eum accipiat, sine vllo habitu principiorum. Nā & cæteris habitibus scientiarum, & virtutum, certum est; nullum habere intellectum à principio tales habitus: & ita sicut eos acquirit successu temporis, per proprios actus: pari ratione acquirat habitum principiorum. Nam si cum intellectu eū accipiat anima; naturalis dicetur: hoc est, à natura inditus, si verò per actus eum acquirat: non naturalis, sed acquisitus dicetur; sicut cæteri.

12. *Prima opinio affirmat.* Esse naturalem, & non acquisitum. Ita Conradus 1. 2. q. 94. artic. 1. & Bannes 1. p. q. 1. artic. 6. notabili 3. & videtur expressa apud D: Thom. 2. q 49. art. 1. ad 3. vbi sic ait. *Puer non potest vti habitu intellectus principiorum; vel etiam lege naturali, quæ ei habitualiter inest; propter defectum ætatis.* Quibus verbis, habitum principiorum ponit in puero; nondum habente vsum rationis: & addit, non posse eovti propter defectum ætatis: ergo sentit inesse ei à natura; & non esse acquisitum per actus. & in 2. d. 24. q. 2. art. 3. ad 3. Vocat eum naturalem his verbis. *Habitus naturalis nunquam amittitur; sicut patet de habitu principiorum.*

Et ratione probatur. Quia habitus acquisiti, sunt facilitates quædam: & ideo ponuntur, ad vincendam difficultatem; quam habet potentia ad operandum, circa tale obiectum: sed intellectus nullam habet difficultatem, in assentiendo primis principiis; præsertim vniuersalissimis vt his. Quodlibet est, vel non est. Totum est maius sua parte. ergo neque aliquam acquirit facilitatem in assensu frequēti eorum: imò neque ea indiget. Probatur consequentia. Quia facilitas difficultati opponitur; & ad eam superandā ordinatur. vnde sequitur; vel non esse ponendum talem habitum; vel esse naturalem, & non acquisitum. Et talem eum appellat communis modus loquendi, fundatus fortè in nomine ipso: quia intellectus vocatur: sicut potentia ipsa, in qua recipitur; quia naturalis est ei.

Secunda opinio est, Cai. 1. 2. q. 51. art. 1. d. 1. Vbi negat esse acquisitum: sic autem esse naturalem docet; vt eum non accipiat anima à principio, cum ipso intellectu: sed sicut intellectus nullam accipit speciem intelligibilem; dum creatur anima, & infunditur corpori: ita nullum accipit habitum: sed acquisitis speciebus primorum principiorum, per abstractionem intellectus agentis; statim ait, profluere naturaliter habitum principiorum, ac ipsa natura intellectus passibilis; cui tribuitur: vt statim per ipsum assentiatur eisdem principiis, apprehensis per species. Et hoc modo, ait, vocandum esse naturalem. 13.

Tertia sententia asserit; Habitum principi-

cū natura, neque ab eadem natura intellectus fluere, eo ipso; quod habet species principiorum; per quas ea apprehendit: *Sed esse acquisitum per actus ipsos; quibus intellectus assentitur principijs.* Sicut habitus scientiæ, & virtutum, acquiruntur per proprios actus: ita Ferrar. 1. contra gentes, ca. 78. *Et est communis modernorum: & videtur nobis vera, & tenenda. Probatur primo*, expresso testimonio Arist. cap. vlt. huius 1. lib. vbi explicans modum; quo habitus iste generatur in nobis, ita ait; *Neque itaque insunt, determinat habitus, neque ab alijs habitibus fiunt notioribus;*
14. *sed assensu.* Quibus verbis, docet non inesse nobis à natura: neque ex aliis notioribus notitiis fieri; sicut habitus scientiæ; sed per assensum immediatum veritatis per se notæ. Quod est acquiri per proprios actus.

Probatur deinde ratione. Quia natura non concedit rebus; nisi ea, quæ necessaria sunt ad essendum, & operandum simpliciter: quæ verò ad melius, vel facilius operandum seruiunt, acquirenda eis relinquit propria industria, & labore; tribuens principia, quibus possint operari, & operando ea acquirere: & hac de causa non concessit hominibus habitus virtutum: quia non requiruntur ad operandum simpliciter bona opera; sed ad melius, hoc est, cum facilitate, & promptitudine operandum. At habitus principiorum, non est necessarius ad essentiendum simpliciter, primis principiis: sed solum ad assentiendum cum facilitate: ergo non est nobis à natura datus; sed propria industria, & labore acquisitus. Probatur minor. quia assensus principiorum, nō excedit facultatem intellectus: sed is informatus per species intelligibiles; per quas apprehendit terminos; ex quibus principia fiunt; dum cognoscit significationem eorum, potest ipse propria virtute iudicare de veritate eorum: quod est eis assentire: ergo ad essentiendum simpliciter, non indiget habitu. Probatur antecedens. quia principia sunt veritates quædam naturales, per se euidentes: ergo sunt proportionatæ lumine naturali, eiusdem intellectus: quare per propriam virtutem potest circa eas operari, per assensum.

15. *Sed vt hæc nostra sententia melius intelligatur: & vt testimonia D. Tho. iuxta mentem eius explicentur; Notandum est.* Quòd licèt habitus principiorum, non sit nobis à natura datus; maximum tamen habet principium in natura ipsa: ratione cuius naturalis etiam aliquo modo dici potest. Quod non habent alij habitus. Vt enim superius dicebamus; propria ratio huius habitus sumitur, per immediatam comparationem, ad ipsam veritatem per se euidentem: quam nec respicit, neque attingit per aliquod medium; sed solum indiget notitia terminorum; quam item habet per species terminorum; ex quibus principia ipsa componuntur. Istæ autem species, producuntur ab intellectu agente, & imprimuntur intellectui passibili; medijs speciebus sensibilibus obiectorum: quæ vocantur phantasmata. Operatio porrò sensuum, & eiusdem intellectus agentis; per quam efficiuntur species, naturalis est, & sine habitu efficitur. Informatus autem intellectus patiens per has species principiorū, & intellecta per eas significatione terminorum; sine vlla arte, vel industria; sine vllo medio, vel discursu, assentitur principijs: & per talem assensum generatur habitus principiorum: qui postea intenditur, & perficitur, per frequentem repetitionem eiusdem assensus. Et ideo, tā ex parte specierum, naturaliter productarum; quam ex parte assensus principiorum, dicitur habitus iste naturalis:

quãuis liber sit assensus; & ex cõsequẽti, liberè producatur habitus per eum. Et tandem, quia assensus principiorum, & habitus ipse, producuntur sine medio, sine discursu, sine arte; solùm per naturale lumen eiusdem intellectus: ideo non est nomen aliud ei inditum; sed nomine eiusdem intellectus significatur: dum dicimus, esse intellectum prin-
16. cipiorum. Hæc autem nõ habent alij habitus intellectuales; vt habitus scientiæ. Is enim præter operationem intellectus agentis præter species conclusionis, quas imprimit intellectui patienti; prærequirit artem; per quam disponantur principia: prærequirit assensum eorum; tanquam medium formale; quo intellectus assentitur cõclusioni: & per talem assensum generatur. Et ideo neque habitus scientiæ, neque alij similes dicuntur naturales.

Ex quibus intelligitur, Vtrumque habere habitum principiorum: & quòd naturalis sit; & quòd sit acquisitus per proprios actus: nõ tamẽ sicùt acquirũtur cæteri habitus; sed sine vllo medio, sine vlla arte, vel industria; per solam virtutem naturalem vtriusque intellectus agẽtis, & patientis, ac sensuum; quorum naturales operationes præsupponuntur. Et in hoc sensu loquitur D. Thom. dum vocat naturalem hunc habitum: vel dum dicit à natura haberi: non negans per hos modos loquendi; quòd sit acquisitus per proprios actus. quia vterq; sensus verus est, & neuter contra dicit alteri. Hunc autem esse sensum eius, colligitur euidenter ex proprio loco, vbi ex professo agit D. Th. de hoc habitu inquirens, an sit naturalis: nempe 1. 2. q. 51. art. 1. asseritque esse naturalem secundum inchoationẽ; quod non habent ceteri habitus: & nihilominus esse acquisitũ, per operationem intellectus agentis, & sensuum, præsupposità assensui intellectus passibilis, per quem proximè acquiritur. In quo etiã sensu, dixit Ari. ex sensibus, & non à natura haberi hunc habitum.

In eodem etiam sensu, intelligitur aliud testimonium D. Tho. de puero; quem dicit habere hunc habitũ: sed non vti eo propter defectum ætatis. Intelligit autẽ eum habere secundum inchoationem: quia hoc modo est naturalis: quem tamẽ non habet formaliter; quousque per primum assensum principiorum in eo generetur; & persequentes perficiatur. 17.

Circa solutionem primi argum, Afferunt moderni quidam; Non esse ponendum habitum pro assensu principiorum vniuersalissimorum, quæ vocantur dignitates: quia cùm sint nobis notissima; absq; vlla difficultate eis assentimus: & ideo per frequentem assensum eorum, non acquirimus habitum. Sed solùm esse ponendum; pro principiis particularibus scientiarum, quibus non facilè assentitur intellectus; cùm non sint adeò nobis nota: ideo facilitate acquisita pro ijs indigemus; quæ vocatur habitus. *Et hac sententia videtur mihi satis probabilis: quamuis etiam sit probabile, quod in assentiendo his principijs, nonnihil difficultatis habeat intellectus: licèt minus longè; quàm in assentiendo principijs particularibus.* & hoc satis est; vt indigeat habitu ad assentiendum; & vt nouam acquirat facilitatem per frequentem repetitionem assensuum.

Et ex hac doctrina respondetur ad argum. 18.
Concessa maiore, sed minori negata; quòd intellectus nullam habeat difficultatem in assensu primorum principiorũ: & ideò nec vllam acquirat facilitatem, per repetitionem assensus. Nã experiẽtia docet oppositum: & quod aliquam habeat intellectus difficultatem; quam per exercitationem vincit: & ex consequenti,

cti, quod nouam acquirat facilitatem.

Quid autem sit hac facilitas; aut in quo consistat; diuersis modis explicatur ab auctoribus. Quibus omissis; dicendum est. *Facilitatem, non esse aliud, quam modum quendam, per quem potentia efficitur expedita, atque prompta ad operandum; aptaque, vt cum delectatione operetur.* quod non habet ex se, vel à natura: & hunc modum tribuit ei habitus, tanto perfectiorem; quanto magis intenditur, atque perficitur per repetitionem actuum.

An habitus principiorum sit idem secundum speciem, pro omnibus principijs; vel diuersus pro diuersis.

DE *distinctione specifica huius habitus nihil inuenitur apud auctores.* Ideo sola ratione agendum nobis est. Videtur autem vnum esse ponendum pro omnibus; quod sic probo. Habitus distinguuntur per diuersos actus; vt sæpè diximus: sed habitus principiorum habet actum eiusdem speciei, circa omnia principia: ergo est idem secūdum speciem pro om-
19 nibus. Probatur minor. quia actus huius habitus, est assensus principiorum: & assensus sunt eiusdem, vel diuersæ speciei, per eandem, vel diuersam rationem assentiendi: quæ est quasi formale obiectum eorum: sed eadem est ratio formalis assentiendi semper primis principijs. ergo omnes assensus sunt eiusdem speciei; & ideo idem quoque erit habitus, secundum speciem. Probatur minor. quia semper assentitur intellectus primis principiis, sine medio; habita solum significatione terminorum: ergo semper eodem modo.

Nostra tamen sententia duabus conclusionibus explicatur, hoc modo. Prima est. Habitus principiorum practicorum, & speculatiuorum specie distinguuntur: quam tenet D. Tho. 1. p. qu. 79. art. 12. Et probat euidens ratio. Quia actus, & habitus distinguuntur specie, per diuersa obiecta: sed veritas practica; quam continent principia practica, & circa quam versatur habitus; tanquam circa propriū obiectum, est diuersa specie à veritate speculatiua: cùm illa ex propria natura ordinetur ad operandum; hæc verò non: ergo distinguuntur habitus isti specie. Principia practica sunt hæc; & similia. Bonum est prosequendum, & Malum fugiendum. Virtus est amplectenda, & Vitium est repudiandum. Quæ per se patet, ordinari ad operandum. Speculatiua sunt. Totum est maius sua parte. Homo est animal rationale: & similia; de quibus manifestum est, nullum ordinem dicere ad operandum.

Secunda conclusio. Habitus etiam princi- 20
piorum speculatiuorum, distinguuntur specie; secundum quod in diuersis materijs inueniuntur: hoc modo; vt habitus principiorum vnius scientiæ, distinguatur specie ab habitu principiorū alterius. Et si pro principiis vniuersalissimis; ponendus est habitus; pro diuersis etiam ponendus est habitus distinctus specie. Ita, vt alius sit habitus, per quem assentimur huic principio: Quolibet est, vel non est; ab eo, per quem assentimur illi; Totum est maius sua parte. *Hanc conclusionem sic probo.* Habitus distinguuntur per diuersos actus; & actus sunt diuersi per diuersa obiecta: sed assensus principiorum vnius scientiæ, specie distinguitur ab assensu principiorum alterius, & assensus vnius principij vniuersalissimi, distinguitur etiam specie, ab assensu alterius: ergo habitus etiam erunt distincti specie. Probatur minor. quia diuersa principia, continent diuersam veritatem quam respiciunt assensus, tanquam proprium obiectum: vt diuersam veritatem specie continet, hoc principium; Homo est animal rationale;

tionale; ab illo. Natura est principium motus, & quietis; eius in quo est, ergo efficiunt assensus specie distinctos in intellectu, & diuersi assensus, efficient habitus etiam diuersos. Et idem exemplum adduci potest, in diuersis principijs vniuersalissimis.

11. *Et si dicas*: Distingui specie assensus; sed tamen pertinere ad eundem habitum: quia sunt actus inadæquati, respectu illius; ad omnia principia, & ad omnes assensus eorum se extendentis. *In contrarium est*; quod si distinguuntur specie; licèt inadæquata; necesse est eos generare habitus partiales specie distinctos. Quia quælibet causa, producit effectum secundum suam speciem; (licèt inadæquatũ) ergo à causis specie distinctis, (licèt inadæquatis) necesse est effectus specie diuersos (licèt inadæquatos) procedere. Quare iam dabuntur diuersi habitus; saltẽ partiales, specie distincti. Verùm probatur debere distingui specie totali: quia habitus principiorum, non habet tantam extensionem, ac intellectus; vt possit idem se extendere ad omnes veritates: nec habet maiorem extensionem, quam habitus scientiæ, cui proportionatur, ac necessariò præsupponitur: sed habitus scientiæ, distinguitur specie per diuersa obiecta formalia: ergo habitus principiorum, qui eis correspondent, debent etiam distingui specie, per diuersas veritates principiorum, circa quas versantur, tanquam circa propria obiecta.

Ad arg. oppositæ opinionis. Neganda est minor: quod habitus principiorum habeat assensum eiusdem speciei, circa omnia principia: nam licèt omnibus assentiatur, intellecta significatione terminorum sine medio; modus tamen iste assentiendi, & ratio formalis generica est: sicut etiam est generica in scientijs, assentire conclusionibus, per medium demonstratiuum. Sicut ergo in scientiis, specie distincta est ratio assentiendi; secundum distinctam rationem principiorum, per quæ assentitur intellectus conclusionibus, huius, aut illius scientiæ: & sicut per hanc distinctam rationem specificam, distinguuntur habitus scientiæ specie; ita in assensu principiorum, distincta est ratio assentiendi specifica; secundum distinctionem specificam diuersarũ veritatũ, quas diuersa principia continent. Nam ratio assentiendi principijs, ipsamet veritas principiorũ per semetipsam est: & non per aliud medium; diuersa igitur veritas immediata cũ sit; diuersa etiam ratio assentiendi erit, & diuersum assensum secundum speciem efficiet: & diuersi assensus secundum speciem, diuersos habitus principiorum generabunt.

TRACTATVS II.

De habitu scientiæ.

CIrca habitum scientiæ explicanda sunt; *An sit? & Quid sit? & An sit de singularibus, & contingentibus, atque entibus per accidens?*

An præter habitum principiorum, ponendus sit pro conclusionibus alter habitus distinctus: qui appelletur scientia?

PRima opinio est, quorundam modernorum; qui cùm pro vniuersalissimis principijs non ponat habitum principiorum, sed solùm pro particularibus huius, aut illius scientiæ: asserunt nihilominus talem habitum principiorum, postquam assensum eorum habet, habita notitia terminorum extendere se ad assensus omnium conclusionum eiusdem scientiæ: & ita præter habitum principiorum; non esse ponendum habitum scientiæ, ab eo distinctum. 12.

Probant

Probant testimonium Arist. 6. lib. Ethic. cap. 1. vbi enumerans habitus intellectuales, de sapientia, quæ est habitus vnus Intellectus, asserit, esse sciētiam, & intellectum, simul eorum; quæ honorabilissima sunt: ergo sentit eundem habitum, sufficere pro principiis, & conclusionibus: quare non est necessarium multiplicare alterum.

24. *Probant deinde ratione.* Quia assensus, quorum vnus dependet ab altero; non possunt generare distinctos habitus: quia diuersi habitus independentes esse debent, sed assensus conclusionum, præsupponit assensum principiorum, à quo intrinsecam habet dependentiam, vt ex se patet: ergo non generat distinctum habitum ab eo, sed idemmet habitus; qui principiorum est, se extendit ad conclusiones. Maiorem probant, exemplo vniuersaliorum scientiarum; vt Dialecticæ, atque Philosophiæ; quæ licet diuersas habent conclusiones: non ideo tamen ponuntur in eis, pro singulis singuli, ac diuersi habitus; sed vnus, qui se extendat ad omnes; propter intrinsecam dependentiam vnius conclusionis ab alia: cui præsupponitur necessariò, vel quam præsupponit: quod nos asseruimus; atque probauimus q. 3. Procemiali; ergo cùm magis intrinsecam dependentiam habeant conclusiones eiusdem scientiæ, à principiis eiusdem, quam possint habere inter sese conclusiones ipsæ, sequitur nō esse ponēdum habitum distinctū pro cōclusionibus, ab habitu principiorū: sed hunc se extendere ad omnes.

Hæc tamen sententia manifestè contraria est eidem Arist. in eodem loco: cap. 6. vbi expresse docet: Non solum habitum principiorum, qui dicitur intellectus, esse distinctum ab habitu scientiæ, & alijs: sed neque posse cum aliquo eorum coincidere: his verbis; *Intellectus neque est scientia, nec ars, nec prudentia; Scientia: quia ipsum scibile demonstrabile est: ars, & prudentia, quia in his versantur, quæ sese aliter habere possunt. At nec sapientia est: est enim sapientis de quibusdam demonstrationem habere. Quod si ea quibus verum dicimus, & nunquam falsum, in his quæ possunt, aut non possunt aliter se habere: & hæc sunt, scientia, prudentia, sapientia, intellectus: horum autem trium habituum; nullus esse potest: (atque tres dico, prudentiam, scientiam, sapientiam) restat intellectum esse principiorum.*

Est etiam contra rationem. Quod sic probo. Habitus distinguuntur per actus, qui in intellectualibus sunt ipsi assensus: sed assensus principiorum eiusdem sciētiæ, & conclusionum eius distinguuntur specie: ergo ad habitus specie distinctos, quos generabunt, pertinere debent. Probatur minor. quia assensus distinguuntur specie, per diuersas rationes formales assentiendi: sed assensus conclusionū habet diuersam rationem, ab assensu principiorum: vt ex se est manifestum, cùm assentiatur intellectus principiis sine medio, propter ipsam veritatē per se euidentem: conclusionibus vero, propter principia in demstōratione disposita: ergo assensus ipsi distinguētur specie. *Et si dicas*, distingui specie, tanquam actus inadæquatos eiusdē habitus. *Contra hoc est:* quòd si inadæquati sunt assensus, dabitur aliqua ratio assentiendi vniuersalior vtroque, sub qua comprehendantur: & quæ adæquata sit habitui, qui ponitur pro vtroque. Sed talis ratio est impossibilis: ergo impossibile est eundem esse habitum. Probo iterum minorem. quia talis ratio communis vtrique assensui, esset assensus necessarij; aut euidentis, abstrahentis ab vtroque: quæ non potest esse vna, nisi vnitate generica, comprehendēte sub se diuersos assensus se- 25.

cundum speciem. Præterea. Etiam si inadæquatos esse daremus assensus principiorum, & conclusionum: cum sint specie distincti; necesse est, distinctos habitus; saltem partiales, & inadæquatos generare: & ita distinctus iam erit ponendus habitus, pro conclusionibus; specie saltem partiali.

Testimonium Arist. pro opposita sententia exposuit egregiè D. T. non solum in Commentarijs eiusdem, sed etiam 1. 2. qu. 57. art. 1. ad 2. vbi ait. Sapientiam propriè sumptam; de qua ibi loquitur Arist. esse quendam habitum, verè quidem scientificum; sed vniuersalissimum; qui circa conclusiones etiam vniuersalissimas sibi proprias versatur: & simul de principiis, & conclusionibus scientiarum particularium, quodammodo iudicat; tanquam de inferioribus. Quia considerat altissimas causas; ad quas reducuntur inferiores, & à quibus dependent: atque etiam vniuersalissimas rationes entis; vt essentiam, totũ, partem, ac similes: à quibus particulares conclusiones, omnium scientiarum dependent; & quas aliquando demonstrat per rationes vniuersales extrinsecas, vel ducentes ad impossibile. Et propter has excellentias quodammodo se habet ad alias scientias; tãquam intellectus, qui est habitus principiorum, & simul est etiam habitus sciẽtiæ, respectu suarum conclusionum, non tamen
26. est idem habitus, cum eo; qui ponitur pro principijs eius, sed diuersus. Et eiusmodi vniuersalis scientia, non est alia, præter Metaphysicam; cui prædictæ excellentiæ conueniunt.

Ad arg. eiusdem sententiæ Respondetur, Maiorẽ esse falsam absolutè, quòd probant scientia subalternans, & subalternata. Nam obiectũ huius, continetur sub obiecto alterius: & conclusiones eius habent intrinsecam dependentiam, à conclusionibus alterius; per quas probãtur, quasi per principia, & nihilominus sunt habitus, & scientiæ specie distincti: apud Ar. & omnes. Et multò melius distinguũtur, habitus scientiæ, & principiorum, licèt assensus cõclusionũ, habeat intrinsecã dependentiam, ab assensu principiorum: cùm habeãt rationes formales diuersas, vt probatũ est. In scientiis verò vniuersalioribus, alia est ratio: quia conclusiones, non solùm se præsupponunt, & intrinsecã habent dependentiam à principiis eodem modo se præsuppònentibus, ac dependentibus: sed omnes etiam cònclusiones, habent eandem rationem formalem assentiendi, per medium demonstratiuum; & nihilominus etiam in his scientijs, distinctus ponitur habitus, pro principiis, & conclusionibus, apud Arist. & omnes.

An euidentia pertineat ad essentiam scientiæ.

HOC *est secundum explicãdum de scientia, pertinens ad essentiam eius. An videlicet euidentia sit ei essentialis?* Et quia 27.
prædicata essentialia cuiuscunque rei, ex eius definitione constãt, necesse est, definitionem scientiæ afferre, eamque explicare; vt ex eius explicatione constare possit; an inter prædicata essentialia eius numerari debeat euidentia: quia si numeranda non sit; nec essentialis ei censebitur.

Arist. 2. cap. huius libri definiuit scientiam in concreto, dicens. Scire, est rem per causam cognoscere; & quod illius est causa: & quod impossibile est aliter se habere: quam definitionem; si ad scientiam in abstracto applicemus, sub forma quidditatiuæ definitionis; hoc modo assignari potest. *Scientia est cognitio vera, & certa rei necessariæ, per propriam causam.* In qua *Cognitio*, habet rationem generis, quia in ea cõuenit scientia

entia cum cæteris actibus intellectus. Potest autem cognitio sumi, pro actuali, vel habituali, vel pro vtraque: & sic definietur vtraque scientia, actualis, & habitualis. *Actualis, est assensus conclusionis. Habitualis verò, habitus per eam genitus.* In communi autem modo loquendi, pro habituali potius sumitur. *Reliqua verò particulæ ponuntur pro differentia*; vt per eas distinguatur à cæteris habitibus intellectus. Nā *Vera*, dicitur cognitio, vt distinguatur ab errore. *Certa*; vt distinguatur ab opinione, & cæteris cognitionibus; quibus non repugnat subesse falsum. per *Rem necessariam*, separatur à prudentia, & arte; quæ versantur circa contingentia. Particula denique *per causam* distinguit scientiam ab habitu principiorum, qui non procedit per medium; sed immediatè assentitur veritati, habita notitia terminorum. Distinguitur etiam à scientia, quæ habetur à posteri-
28. ori, & per effectum: quam non comprehendit Arist. sub hac definitione, sed solam scientiam perfectam, quæ vocatur propter quid. Possumus autem definitionem vtrique communem, & quasi genericam designare, comprehendentem vtramq; mutata solùm vltima particula *per causam*, & posita eius loco, particula: *per demonstrationem*: & erit hæc. *Scientia est cognitio vera, rei necessariæ, per demonstrationem.*

Sed an completæ sint istæ definitiones; vel desit eis particula, euidens, saltē subintelligenda: *de hoc est præsens quæstio.* Quæ vt melius intelligatur, explicādi, ac distinguendi sunt isti tres termini. *Certitudo, Necessitas, & Euidentia. Certitudo.* est firma adhæsio intellectus alicui obiecto, absque dubitatione, vel formidine. Ita eam definiunt Scholastici Doctores, in 3. d. 26. præsertim D. Tho. quæ. 2. art. 4. Bonau. qu. 4. Duran. in 4. d. 37. q. 8. Cæterū firma adhæsio intellectus duplex est: *Apparens, & Vera. Apparens est*, quando intellectus, ex aliqua ratione probabili, atque ex efficaci applicatione volūtatis, tenaciter inhæret alicui obiecto: & de hac apparenti adhæsione, intelligitur illud axioma, positum ab Ar. 7. lib. Ethi. 29.
cap. 3. Ita firmiter adhærent nonnulli suis opinionibus falsis, aut erroribus, sicut alij adhærent scientijs. De hac verò firma adhæsione, non intelligitur definitio: *sed de Vera*, qua intellectus propter veritatem ipsam rei, aut solidam, ac firmam rationem, seu infallibilem auctoritatem, adhæret alicui obiecto. Certitudo autem sic explicata, habet illos tres gradus, quos superius explicuimus.

Necessitas verò. in ordine ad propositionem sumpta; de qua nunc loquimur, est determinatio intellectus ad veritatē: & propositio necessaria erit quæ, ita est vera, vt repugnet esse falsam. quod explicuit Arist. illo verbo, impossibile aliter se habere. Habet autem necessitas eosdem gradus: quos certitudo.

Euidentia denique, addit supra firmam adhæsionem manifestationem veritatis sub claritate alicuius luminis: ita vt euidens dicatur obiectum, quasi clarum, ac perspicuū, seu manifestū. *Hanc euidentiā seu claritatem habent principia ex se.* scientia verò participatam à principiis. Et de certitudine, ac necessitate, nemo potest dubitare; quin sint essentiales scientiæ, cùm vtraq; sit expresse posita in definitione Arist. De sola igitur euidentia, cum non sit expressa, quæstio esse potest: *An sit ei essentialis?* & ideo in definitione sub intelligenda, aut declaranda.

Et Prima opinio, negat essentialem esse. ita Massius cap. præsenti, q. 3. conclusione 1. & 2. *Probat primò*. Quia scientia subalternatata, est vera scientia; & tamē non est euidens: ergo euidentia, non

est de ratione scientiæ. Minorem probat. quia potest contingere; quòd sit sine subalternante, & solùm habeat principia accepta, per testimonium eius; qui habet subalternãtem: & tunc patet non esse euidẽtem. Et etiãsi cum subalternante sit; intra tamen proprios limites, nescit re-
30. ducere sua principia vsq; ad prima, & indemonstrabilia: ergo non habet euidẽtiam eorum, & ex consequenti neque conclusionum; quæ ex eis deducit. Nihilominus vtroque modo vera scientia est; cùm sit de re necessaria, per euidentem consequentiam.

Secundò probat. Quia Theologia; quæ deducitur ex principiis diuinæ fidei, per veras demonstrationes, non est euidens: cùm ex principiis obscuris fidei, non possit colligi euidens conclusio: & tamen est vera scientia; vt est manifestum: ergo euidentia non pertinet ad essentiam scientiæ.

Hæc tamen sententia duo asserit falsa. Primum. Quòd scientia subalternata, existẽs sine subalternante, & habẽs principia solum accepta per testimonium eius, qui habet subalternantem, sit vera scientia. Nam si principia solum habentur, per testimonium illius; assensus eorum solum erit fides humana; cui potest subesse falsum: ergo nõ possunt esse causa conclusionis certæ, aut scientificæ alioqui effectus esset perfectior, quàm propria causa.

31. *Secundum*, quòd asserit, est; Scientiam subalternatam, etiam dum cũ subalternante existit, in eodem homine; esse scientiam intra proprios limites; sed non esse euidentẽ: quia nescit reducere suas conclusiones, vsque ad principia indemonstrabilia. Hæc autem duo, manifestã continent repugnantiam: quia si nescit reducere principia: ergo non erit scientia. Probatur euidenter consequentia; ex his verbis Aristotelis, quæ habentur cap. 2. huius libri. *Non scit; qui demonstrationem horum non habet, &c.* Hoc est, præmissarum; ex quibus constat demonstratio: quas si non scit reducere; non erunt sibi certæ: ergo nec certam conclusionem ex eis deducere vllo modo poterit.

Subalternata igitur scientia, simul cum subalternante existens; duobus modis consideratur. Primo. Intra proprios limites precisè, hoc est, non considerando continuationem; aut vnionem; quam habet cum subalternante: & hoc modo, nec est scientia: vt probauimus capite 10. nec est euidens, sed erit opinio quædam. *Secundo* consideratur, vt continuata, vel vnita cum subalternante: in qua continuatione consistit formaliter subalternatio: & ideo solum, vt sic sumpta, est formaliter subalternata: & hoc modo vera scientia est, & euidens: quia per talem continuationem auxilio subalternantis, reducit sua principia, vsque ad prima indemonstrabilia.

Et si dicas. Ipsam non reducere sua 32.
principia: sed subalternantem. *Respondeo*; Subalternantem reducere, vt sibi continuatur subalternata: & nõ alio modo: & hoc idem est, ac subalternatam reducere, vt continuatur cùm subalternãte. Ita enim fit, vt qui habet vtramque, habeat euidentiam principiorum subalternatæ, ratione continuationis: & ideo subalternata sit in eo vera scientia, & euidens.

Vt igitur nostram sententiam explicemus, Notandum est Scientiam duobus modis sumi posse. Primo. In quantum per lumen naturale intellectus haberi potest: & hanc tantum definiuit Aristoteles, quia hanc tantum potuit cognoscere. *Secundo modo*, potest considerari vniuersalius, prout solum dicit assensum conclusionis, habitum per demonstrationem

onem ex præmissis, siue per lumen naturale; siue per aliud quodcunque cognitis: quarum tamen certum habeat assensum, siue per reductionem ad prima indemonstrabilia, siue alio modo.

33. *Qua distinctione supposita; duabus conclusionibus continetur nostra sententia. Prima est. Ad essentiam scientiæ primo modo consideratæ, pertinet euidentia. Probatur.* Quia, si quis demonstrat conclusionem, per causam, vel effectum, cognitum per lumen naturale intellectus; necesse est, habeat euidentiam præmissarum: cùm sibi sint manifestæ sub claritate luminis naturalis: & consequentia, etiam eodē modo est sibi euidens: ergo conclusio ex eis deducta, etiam est euidens. Probatur consequentia: quia ex causa per se, omni ex parte euidenti, euidens quoque effectus debet sequi: sed ex tali assensu conclusionis euidenti, generatur habitus scientiæ: ergo erit etiam euidens essentialiter. Quamuis autem euidentia, sit prædicatum essentiale scientiæ, eam tamen non expressit Aristot. in definitione: quia satis manifestum erat, in verbis eiusdem definitionis hanc contineri. Si autem quis velit eam exprimere, sic dicet. Scientia est, cognitio vera, certa, & euidens, rei necessariæ per causam. Et si velit definire omnem scientiam, quia, & propter quid sic dicet. Scientia est cognitio vera, certa, & euidens, rei necessariæ, per demonstrationem.

Secunda conclusio. Ad essentiam scientiæ sub vniuersaliori illa acceptione sumptæ; non pertinent euidentia: sed ita potest definiri. Scientia est cognitio rei certa; per demonstrationē. *Probatur hæc.* Quia Theologia; quæ habetur ex principijs diuinæ fidei, est cognitio rei certa; per veram demonstrationem: ergo aliquo modo est scientia. Probatur consequentia. quia non est opinio; nec fides humana, cùm sit certa: nec est fides diuina; quia fides nō innititur demonstrationi, nec alteri argumentationi; sed solùm testimonio diuino: conclusio verò Theologica, non innititur immediatè testimonio; sed demōstrationi: licèt altera præmissarum, vel vtraque innitatur testimonio diuino, & sit assensus fidei: Sed nec eadem conclusio Theologica; pertinet ad intellectum: qui est habitus principiorum: cùm sit deducta per demonstrationem: ergo pertinet ad habitum scientiæ. Probo iterum consequentiam. quia nec datur, nec dari potest alius habitus; ad quem possit pertinere. Si ergo Theologia est scientia, 34. licèt imperfecta: quia non est euidens: aliquo modo conuenire debet, cum scientia primo modo accepta, & ideo aliqua ratio scientiæ communis vtrique, abstrahi potest; ad cuius essentiam non pertineat euidentia. Et hæc est: quæ sub hac ratione communi considerata, definita à nobis est.

An scientia sit de singularibus, de contingentibus, & entibus per accidens?

De his tribus separatim breuissimè dicemus. quid tenendum sit, Et primò de singularibus, Distinguendum est: nam quædam sunt singularia, quæ simul sunt species, vel eminenter; ac perfectissimè continent perfectionem specificam: vt Deus, & Angeli: & vt plures tenent, in Angelis, non distinguitur differentia specifica ab indiuiduali. Et de his singularibus: certum est apud omnes, perfectissimam scientiam haberi posse. Alia sunt singularia, in quibus distinguitur differentia indiuidualis ab specifica, & extra rationem illius est: vt sunt corruptibilia: & fortè etiam Angeli id habent: nam valdè probabile est, multiplicare eos posse, sub eadem specie: &

de his potest esse dubium; *An possint esse obiecta scientiæ? vel, An scientia solùm possit esse de vniuersalibus?*

35. *Deinde distinguenda est scientia. quia tribus modis sumi potest. Primo*, pro certa, & euidenti cognitione rei per discursum habita; aut sine illo, per simplicem intuitum: & de scientia hoc modo sumpta, certum est; quòd versetur circa singularia quæcunque. Nam Deus, & Angeli, per notitiam intuitiuam, sine discursu, perfectissimè cognoscunt singularia omnia: & talis eorum notitia intuitiua, perfectissimam habet rationem scientiæ. Nos quoque de Deo, & Angelis possumus habere scientiam: & mediis sensibus, habemus intuitiuam cognitionem singularium sensibilium: quæ secundum hanc acceptionem, vocari potest scientia. *Secundo modo*, sumitur scientia, pro sola discursiua, habita per euidentem consequentiam; siue vera sit demonstratio, siue non. *Tertio*, sumitur pro discursiua, habita tamen per veram demonstrationem. Dubium igitur procedit de scientia his duobus modis sumpta. *An de singularibus corruptibilibus haberi possit?*

Sed adhuc duobus modis considerantur singularia hæc. *Primò*; Vt participant naturam specificam, in qua conueniunt: nempe, humanam, vel aliam. *Secundò*; Vt sunt distincta per proprias differentias indiuiduales: & hoc est considerare ea; vt singularia sunt formaliter, & reduplicatiuè. *Et si primo modo considerentur; certum est, etiam de illis posse esse aliquo modo scientiam.* Nam cùm de specie possit esse, per se primo, & immediatè scientia; erit etiam de singularibus per participationem, & applicationem eiusdem scientiæ de specie, ad illa: quia, si de homine probatur, per demonstrationem; quòd sit risibilis, etiam potest probari de Petro, aut Ioanne, applicando eandem demonstrationem ad illum, probandoque per eam; quòd sit risibilis.
36 Et hoc modo in scientia Theologica, demonstrantur aliqua de Christo Domino, vt homine: ex principiis fidei, & propositionibus simul euidentibus. vt quòd sit risibilis; quia est homo, per hanc demonstrationem ei applicatam: Omnis homo est risibilis, Christus est homo: ergo Christus est risibilis.

Tota ergo difficultas est de eisdem singularibus; vt singularia sunt, & distincta, per proprias differentias indiuiduales; *An de illis possit esse scientia discursiua, secundo, aut tertio modo sumpta? Et quidam dicunt esse posse; alij verò omnino repugnare id, aiunt.*

Interim nostra sententia duabus conclusionibus explicatur. Prima est. Sciētia discursiua, per veram demonstrationem habita; non potest esse vllo modo, de singularibus sic acceptis. Probatur euidenter quia vera demōstratio, est verus syllogismus, dispositus in modo, & figura, & procedens ex principijs vniuersalibus indemonstrabilibus: cuius medium, est vera definitio, composita ex genere, & differentia: sed hæc non potest ex terminis singularibus fieri: ergo nec potest de singularibus haberi. 37
Nam dispositio in modo, & figura, non potest reperiri in terminis singularibus, sed solus syllogismus expositorius: qui nimis impropriè syllogismus est; per quandam similitudinem ad eum; qui fit in terminis vniuersalibus.

Secundò. Quia de singulari, vt singulare est, non potest probari; nisi proprietas singularis, sibi soli conueniens: sed per principia vniuersalia, non potest probari; nisi vniuersalis, aut communis proprietas: cùm æqualiter conueniat omnibus singularibus, hoc est, non magis vni; quàm alteri: ergo

talis

talis scientia, non potest esse vllo modo de singularibus; vt singularia sunt. Et cùm scientia discursiua, de hac solùm dicatur propriè, & simpliciter; etiam est dicendum simpliciter; quod de singularibus non possit esse scientia discursiua. Ideo Arist. pluribus suæ doctrinæ locis, expresse negat, & absque vlla distinctione; quod scientia possit esse de singularibus, & communis modus loquendi, totius Scholæ ita sentit.

38. *Secunda conclusio. Naturaliter loquendo; non potest dari scientia de singularibus, vt singularia sunt; etiam per euidentem consequentiam; quæ non sit demonstratio.* Probatur hac ratione. Dari scientiam de aliquo; est probare aliquam proprietatem de illo, per euidentem consequentiam: sed de singulari, vt tali, non possumus naturaliter probare aliquam proprietatem; per euidentem consequentiam: ergo nec habere veram scientiam de illo. Minorem probo. quia proprietas singularis; vt singularis est ea, quæ sequitur ex propria differentia indiuiduali: vel ex eo; vt per eam constituto: sed nullam differentiam indiuidualem determinatam, certo cognoscimus; neque vllam talem proprietatem: nec potest à nobis certo cognosci naturaliter; vt omnibus est manifestum: ergo nec possumus eam probare de singulari ipso per euidentem consequentiam: neque hoc modo habere scientiam adhuc impropriam, de illo.

An de ente per accidens, possit dari scientia?

ENS *per accidens vocatur illud*; quod componitur ex pluribus entibus in actu: vt album, aut musicum: de quo dubitamus; *An possit dari scientia per veram demonstrationem habita? Et quidam distinguunt, duplex ens per accidens; Vnum,*

39. quod resultat ex duobus entibus in actu casu, aut fortuito concurrentibus: vt musicum, aut ædificator; vel etiam inuẽtio thesauri. Et de hoc negant scientiam dari posse; quia non solùm secundum esse, est ens per accidens; sed neque per se cadere potest, sub consideratione intellectus: sed sicut casu coniunguntur ea; ex quibus constat: ita per accidens omnino se habent ad consideratione intellectus. Aliud est ens per accidens; quod resultat ex duobus naturaliter concurrentibus, & vnitis; vt Album; Quantum; &c. & de hoc dicunt posse esse scientiam: quia licèt sit ens per accidens secundum esse; tamen per se potest considerari ab intellectu, per se definiri; & per se possunt demonstrari passiones de illo. Nam album definimus; quod sit disgregatiuum visus: & quantum: quod sit corpus habens partes extensas.

Nostra tamẽ sententia est. Quòd de nullo ente per accidens; vt ens per accidens est, possit dari scientia: & de ente per accidens, resultante ex duobus, casu, aut rarò concurrentibus, ita sentit expresse Arist. 6. lib. Meta. textu 5. 6. & 7. Verùm vt de alio etiam quocunque id probemus; *Notandum est, duobus modis posse considerari. Primò.* Vt componitur ex duobus entibus in actu, per modum aggregationis, hoc est nullo ordine in eis considerato: talis est cumulus, tale album, & musicum: vt solùm in eis consideramus, vnum aggregatum ex multis actualibus. *Secundò.* Considerari potest; vt duobus constat ordinatis: nempe, vno vt determinabili; alio vt determinante. *Et primo modo consideratum, dicitur vnum per accidens omnibus modis.* Quare de illo non potest esse scientia. *Prob. hoc.* Quia nec habet vllo modo vnam naturam; nec vnam rationem: quare non potest vna definitione explicari, nec habere determinatas passiones: quæ de illo demon- 40.

strari possit. Ideo doctrina Aristot. loco citato, ad omne ens per accidens se extendit. *Si verò consideretur secundo modo:* licèt sit vnum per accideus entitate; est tamen vnum per se ordine: & ideo potest definiri vna definitione, quo pacto definitur album, & quantum, illis definitionibus; quas adduximus. Potest etiam habere determinatas passiones; quæ de illo probentur. *Et de numero sonoro, hoc modo sumpto, ac de linea visuali, tanquam de proprijs obiectis, agunt musica & perspectiua, vt vidimus cap.* 10. quæ sunt veræ scientiæ.

An de casualibus & fortuitis detur scientia?

C*Asuale vocatur illud*; quod ex duobus casu concurrentibus constat: vt quòd æstiuum tempus, frigidum sit, ac pluuiosum. *Fortuitum verò*: quod fit ex duobus, à fortuna (vt dicitur) concurrentibus: vt inuentio thesauri, cum effossione terræ. *Hæc autē duobus modis considerari possunt. Primo in communi*; vt dicuntur casualia, aut fortuita. *Alio modo in particulari*; vt est hoc vel illud. Et de eis primo modo consideratis, potest esse scientia: quia ratio casualis, aut fortuiti in communi considerati; per se vna est; & per se considerabilis. Ideo Aristot. de casu, & fortuna, sic consideratis, agit 2. lib. Physicorum. Sed de eisdem consideratis in particulari, nulla scientia dari potest. quia nullam rationem habent per se considerabilem; sed prorsus contingentia sunt, & per accidens. Quare nec definiri per se possunt, nec vllam habere passionem, de se demonstrabilem.

TRACTATVS III. de opinione, & fide humana.

Quidnam sit opinio, & quid fides humana?

T*Ria sunt explicanda*, de opinione, & fide humana. *Primum. Quid vtraque sit? Secundum. Quomodo distinguatur? Tertium. An opinio; & consequenter fides humana possit esse simul cum scientia?* Opinionē sic definire possumus: *Opinio est; Assensus alicuius propositionis, non necessariæ; per medium probabile, aut sine illo. In Assensu*, conuenit cum scientia, & alijs notitijs intellectualibus: & per eandem particulam, censetur exclusa à ratione opinionis, quæcunque cogitatio, aut existimatio, seu suspicio, vel dubium; per quod intellectus non determinatur ad aliquam partem contradictionis, nec assentitur ei: sed vel leuiter cogitat; vel quasi hæret, aut pendet inter vtramque partem. Assensus enim, determinationem eius dicit ad vnam partem, vel alteram; quam veram reputat, vel saltem probabilem. Dicitur autē *Probabilis*; vt distinguatur à scientia, & intellectu, qui sunt assensus euidentes. A fide autem humana distinguitur; per illas particulas; *Per medium probabile: aut sine illo*: quia fides humana non habetur per medium probabile; nec sine illo: sed per testimonium fide digni. 424.

Per medium etiam probabile, aut sine illo; dicitur; vt intelligamus duplicem esse opinionem. *Vnam*, quæ habetur sine medio; per solum simplicem intuitum ipsius veritatis probabilis; quam sic definiuit Aristoteles, cap. præsenti, dicens, *Opinio est acceptio immediatæ propositionis, & non necessariæ. Alia est*, quæ habetur per medium probabile. Nam, vel colligi-

Igitur ex immediata opinione; per consequentiam euidentem, aut probabilem: vel ex propositione euidenti; per consequentiam tantùm probabilem: & vtroq; modo dicitur haberi per medium probabile. Quia vel ex parte propositionis; ex qua colligitur, solum est probabile: vel ex parte consequentiæ. Itaque sicut assensus certus, & euidens, duplex est; nempe, aut per se euidens: quem intellectus habet cognita significatione terminorum: & dicitur *Intellectus*. aut euidēs per medium demonstratiuum: & dicitur *Scientia*. Eodem modo, duplex est assensus probabilis; *Vnus*, qui habetur sine medio, cognita significatione terminorum: vt dum intellectus, cognita significatione terminorum huius propositionis; omnis mater diligit filiū suum; statim nulla expectata ratione, assentitur ei probabiliter. & potest vocari, *Intellectus opinionis*. *Alter, assensus probabilis est; qui habetur per medium probabile*; vt expositum est. Et ita duplex est opinio; distincta absque dubio specie; per diuersum modum assentiendi, ex sola notitia terminorum; vel per medium: & vtramque comprehendit definitio assignata.

43. *Fides autem humana*, sic potest definiri. *Fides humana est assensus probabilis, propter testimonium fide digni habitus*. Ita vt per *Assensum probabilem*, conueniat cum opinione; & distinguatur à cæteris notitijs, aut assensibus intellectus: sicut de opinione diximus. *per Testimonium verò*, ab opinione; & hæc de primo.

An formido sit de intrinseca ratione opinionis, & humanæ fidei?

HOC etiam pertinet ad explicationē quidditatis opinionis, & humanę fidei. *Quod vt intelligatur; explicandum inprimis est: Quidnam per formidinem significetur*. Et nihil aliud est, quàm timor, ne falsa sit pars; cui assentitur intellectus, aut vera opposita. Opinio enim, vt diximus, est assensus probabilis, cui non repugnat subesse falsum: quod est esse assensum quendam debilem; de cuius veritate meritò timetur, aut timeri potest: quia sic ei adhæret intellectus; vt fundamentum propter quod ei adhæret: quod est veritas ipsa per se probabilis; aut ratio per quam deducit conclusionem ex præmissis, non sit omnino solida, nec firma; sed quæ ex propria natura deficere potest, & aliter se habere. *Dubium igitur est; An timor iste*, quam vocant formidinem; *pertineat ad essentiam opinionis, vel humanæ fidei?*

Prima sententia. Distinguit duplicem opinionem, *Perfectam, & Imperfectam*. *Perfectam* opinionem vocat eam; quæ innititur testimonio fide digni. *Imperfectam verò*: quæ innititur rationibus probabilibus. Et ad essentiam illius asserit; nullo modo pertinere formidinem: quia non solùm dicit assensum determinatū vnius partis; sed firmum, ac certum: non propter firmitatem testimonij; sed propter efficacem determinationem voluntatis; ratione cuius intellectus firmiter adhæret eidem parti: nec solùm firmiter, sed etiam tenaciter: vt superius ex Arist. adduximus. *Imperfecta verò* opinio, formidinem habet essentialiter annexam; sine quā, nec reperitur, nec reperiri vllo modo potest. Ita Durand. in 1. q. prologi. Masius cap. præsenti; qui, ita ait tenere Capreolum, & Caiet. quos ipse citat: & quod amplius est, D. Thom. pluribus suæ doctrinæ locis, præsertim 1. 2. q. 67. art 3. vbi ita ait. *De ratione opinionis est, quod accipiatur vnum, cum formidine alterius oppositi, &c.* 44.

Probat etiam ratione. Nam qui opinatur, iudicat opinionem; quam ipse sequitur, posse esse falsam: ergo ex propria

ratione opinandi, timet, ne falsa sit: quare timor iste, aut formido, intrinseca est opinioni.

Pro solutione huius quaest. *Distinguenda est duplex formido. Nam alia est actualis;* quae est actualis timor. *Alia Virtualis*, seu radicalis; quae non consistit in aliquo actuali timore, aut dubitatione: sed in eo solùm; quòd est talem esse assensum opinionis, ex parte obiecti, aut medij assentiendi; cui non repugnat subesse falsum. Et ex hac radice, nascitur aliquando actualis timor, aut formido; ne opposita pars vera sit; aut falsa illa, cui intellectus assentitur: & ideo dicitur virtualis, aut radicalis formido.

45. *Hac supposita distinctione.* Nostra sententia est; *Virtualem, aut radicalem formidinem, ad essentiam opinionis, aut humanae fidei pertinere: Actualem verò, omnino esse ei accidentalem: ita vt saepe reperiatur sine illa.* Haec est communis sententia ferè omnium expositorum, Arist. cap. praesenti. Et probatur expressa testimonio Aristotelis 7. libro Ethicorum cap. 3. vbi de opinione ita loquitur. *Nam si vera opinio, & non scientia sit; ex qua continenter agunt homines, nihil ad rationem, id refert: cum nonnulli ex his qui opinantur, non ambigant; sed certò se scire existiment.*

Et probatur euidenti experientia. Quia plures sunt opiniones, non solùm in Dialectica; sed etiam in Philosophia, & Theologia, communi ferè totius scholae consensu approbatae, & efficacibus argumentis confirmatae: quas sequimur, absque vllo timore, vel formidine actuali. Et aliquando videmus, aliquos ex principijs euidentibus, deducere aliquam conclusionem, per syllogismum; quem putant euidentem; verè tamen non nisi probabilem. & tales, certam, esse existimant talem conclusionem; licèt vera sit in eis solùm opinio: ergo repugnat simul habere timorem; ne sit falsa, aut vera opposita: quare euidens est, actualem formidinem; non esse intrinsecam opinioni; cùm saepe inueniatur sine illa. Virtualis tamen, aut radicalis formido, his etiam opinionibus intrinseca est: cùm ex parte medij assentiendi, non repugnet eis subesse falsum.

Testimoniũ autem D. Th. de hac virtuali formidine, intelligitur; non de actuali.

Ad arg. verò. Concesso antecedente cũ consequentia; distinguendum est consequens. Nam si de actuali timore, aut formidine intelligatur; falsum est. Si verò 46.
de virtuali, aut radicali; verum: & ideo, hanc solam esse opinioni intrinsecam probat arg. non illam.

An opinio possit esse simul cum scientia, de eadem propositione; & in eodem intellectu?

Certum est opinionem simul esse posse cum scientia, de eadem re. Quia de linea, habet scientiã geometra, & opinionem Dialecticus, aut Metaphysicus; *An distinguatur realiter à substantia.* Nec solùm est certum, quod in diuersis hominibus, aut intellectibus, simul esse possint de eadem re; sed etiam in eodem intellectu. Nam idem geometra, habet scientiam de linea; & potest simul habere opinionem, de distinctione eius à substantia. Ideò, non quaerit titulus quaest. An de eadem re simplici, possunt esse simul in eodem intellectu; sed, *An de eadem propositione? De qua, certum est etiam,* 47.
in diuersis intellectibus; posse esse scientiam, & opinionem. Nam fieri potest, vt aliquis habeat assensum alicuius conclusionis, per veram demonstrationem; quã alter deducat ex eisdẽ, vel alijs principijs, per syllogismũ probabilẽ: & ideo solum habeat opinionem. *Difficultas* igitur

tur est; An idem homo de eadem propositione, posit simul habere scientiam, & opinionem.

Sed adhuc de scientia, & opinione est distinguendum: quia quatuor modis excogitari potest, quòd simul sint. Primò; Secundùm habitus; ita vt idem homo simul habeat habitum scientiæ, & opinionis, de eadem conclusione. Secundo; Ita vt simul habeat assensus vtriusque. Tertio; Vt simul habeat habitum scientiæ; & assensum opinionis. Quarto; Vt simul habeat habitum opinionis; & assensum scientiæ. & secundùm omnes comparationes, videtur procedere quemadmodum præsens.

Circa quam est prima opinio negans, Scoti in 3. d. 24. quæ. vnica §. contra hæc primo, Caiet. & Soti cap. præsenti, & Masij ibidem, quæst. 5. Probant testimonio Aristot. in hoc cap. vbi eandem ferè quæst. proposuit; an idem obiectum, possit esse scitum, & opinatum, ab eodem. Cui respondit; non posse. Probauitque hac ratione: Scibile est, quod non potest aliter se habere: opinabile verò; quòd potest aliter se habere; vt opinabile est. Sed repugnat, eandem rem posse aliter se habere; & non posse aliter se habere: cùm sint contradictoria: ergo repugnabit; quod aliquid simul sit scibile, & opinabile; aut scitum, & opinatum. Atqui
48. hæc sunt propria obiecta scientiæ, & opinionis: ergo etiam repugnabit vtramque esse simul, in eodem intellectu, de eadem propositione; ex mente Aristotelis.

Probant deinde ratione Primò, de actibus, vel assensibus. Deinde, de habitibus. De actibus quidem; Quia impossibile est, eundem hominem, iudicare simul; quod res eadem potest aliter se habere: & non potest aliter se habere: cùm hæc sint iudicia contradictoria. Sed assensus scientiæ, est iudicium actuale de conclusione: quod non potest aliter se habere: & assensus opinionis, est iudicium de eadem; quod potest aliter se habere: ergo actualem repugnantiam continent: quare non poterunt esse simul in eodem intellectu. Et quod amplius est; assensus isti repugnant, tanquam euidens, & ineuidés: quia de intrinseca ratione vnius, est euidentia; alter verò ex propria natura ineuidens est: cùm sit contingens; aut ex parte principij, ex quo deducitur, aut ex parte medij probabilis, per quod deducitur. Sed euidens, & ineuidens, opponuntur priuatiuè; sicut lumen, & tenebræ: quia euidentia est manifestatio obiecti, sub claritate luminis: ergo repugnat esse simul; in eodem intellectu: sicut repugnat simul esse lucem, & tenebras: in eadem parte aëris.

De habitibus verò, probant secundò. Quia 49. actus, & habitus, versantur circa idem obiectum, & per idem medium: & habitus, est inclinatio ad actum, circa tale obiectum, & per tale medium: ergo eandem prorsus repugnantiam habent cum actibus. quare nec simul esse poterunt.

Secunda opinio est, Durand. in 1. q. prologi. num. 20. Vbi distingnit opinionem: quia duobus modis, inquit, haberi potest. Primò, ex præmissis probabilibus, aut euidentibus, per medium probabile: & vt tale cognitum ab opinante. Secundo, ex præmissis necessariis, atque euidentibus, & per medium; verè quidem probabile: sed euidens reputatum ab opinante. Et si primo modo habeatur; repugnat simul esse cum scientia: tam secundùm, actum: quàm secundum habitum: vt asserit prima opinio; cum qua conuenit in hoc Si verò habeatur secūdo modo, simul esse possunt: tam secundùm actus, quàm secundùm habitus: in quo eidem opinioni contradicit.

Idco probat hoc secundum tali arg. Tota

repugnantia assensus opinionis, & scientiæ, prouenit ex eo; quod per vnum iudicatur, conclusionem non posse aliter se habere; per aliud verò, posse aliter se habere: sed dum opinio habetur, per medium euidens existimatum, & ex præmissis euidentibus, iudicatur, conclusionem non posse aliter se habere: sicut per assensum scientiæ: ergo nulla restat in eis repugnantia, vel oppositio; propter quam simul esse non possint. Quin imo conformantur omnino; quia per vtrumque iudicatur cóclusio necessaria: & ideo, quod non possit aliter se habere. Duæ autem causæ conformes, bene possunt ad eundẽ effectum concurrere: etsi assensus hoc modo non repugnant; euidens erit non repugnare habitus: qui propter assensus tantum repugnare possunt.

50. *Tertia opinio est*, quorundam modernorum, omnino opposita his duabus. Quia affirmat; scientiam, & opinionem simul esse posse, circa eandem propositionem, in eodem intellectu; tam secundùm actus, quàm secundum habitus: & siue opinio habeatur per medium probabile; vt tale reputatum ab opinante; siue reputatũ necessarium. Solum de propositione, de qua est vterque assensus; distinguit hoc modo: nam duobus modis considerari potest. *Primò*; Vt propositio quædam est; circa quam versatur vterque habitus, vel assensus. *Secundò*; Vt est conclusio demonstrationis, vel syllogismi probabilis. *& prima consideratio*, inquit, quasi materialis est: *Secunda*, quasi formalis. Quia vna, & eadem est propositio; circa quam versantur: sed illa eadem, est conclusio vtriusque syllogismi; qui cùm distinguantur specie, propositio eadem, est quasi duplex conclusio formaliter, atque specie distincta: vnde fit, de eadem quidem propositione, esse vtrumque assensum, & habitum. Sed non de eadem conclusione; sed de diuersis formaliter. Et hanc dicunt esse sententiam Alexandri Alensis, 3.p.q.79. Memb. 5. D.bona.in 3.d.24.q.2.art.3. Durand.q.1. prologi, & in 3.d.31.q.4. Altisiodorensis li.3.Summæ.tit.3.quæst.4 &.5. Rich.in 3.d. 25.q.1. & VVillalpandei ca. præsenti, atque etiam D.Thom.1.2.q 67.ar.3. vbi concedit eandem propositionem posse cognosci, per diuersa media: euidens, & probabile: tanquam per medium perfectum, & imperfectum; quæ non omnino repugnant. quod repetit 3.p.q.9.art.3. ad 2. vbi P. Franciscus Suarius eandem sententiam sequitur.

51. *Probant primò* Quia tota repugnantia ob quam simul esse non possunt assensus opinionis & scientiæ, de eadem propositione est, quia repugnat, quod simul iudicetur, posse aliter se habere, & non posse: cùm duo hæc iudicia sint contradictoria: hoc autem ita esset; si per idem medium vtrumq; esset iudicandum. Sed cùm id fiat, per diuersa media; nullam contineret repugnantiam, aut contradictionem: quia intellectum iudicare; propositionem non posse aliter se habere; vt est conclusio demonstrationis: & posse aliter se habere; vt est conclusio probabilis syllogismi, nullo modo repugnat: nec opponuntur contradictoriè, duo hæc iudicia, comparata ad diuersa media. Quod præsertim verum est; cùm actualis formido, non sit opinioni intrinseca: nec sit necessarium opinantem actu iudicare, quòd possit aliter se habere conclusio. Imò possit iudicate contrarium, vt notauit Durand.

Secundo. Quia simul cum demonstratione, adduci potest, & solet, probabilis ratio ad probandam eandem conclusionem: sicut cum fide diuina, ad credendum eandem veritatem: ergò assentitur simul intellectus; propter vtrumque medium: & ideo

& ideò vtrumque habebit suum effectũ; qui est assensus probabilis, & scientificus, simulque erunt; alioqui frustra adduceretur vtrumque medium.

51. *Nostra sententia, quasi media est; & vnica conclusione explicatur. Scientia, & opinio secundùm habitus, possunt simul esse in eodem intellectu, de eadem propositione; non tamen secundùm assensus vel actus. Per primam partem*, Excluditur prima opinio; & ex parte secunda. *Per secundam verò partem*. Excluditur etiam ex parte secunda; & etiam ex parte tertia. Cæterùm nostram sententiam tenent authores illi; quos proiecitat vltima opinio: vt constabit eos legenti: videbit namque (nisi ego fallor) de solis habitibus concedere; quòd simul esse possint; non de assensibus. Et hic est sensus D. Tho. præsertim in vltimo loco; si verba eius attentè considerentur.

Vt autem eam simul explicemus, & probemus. Notandum est. Scientiam, & opinionem, dum affirmant veritatem eiusdem propositionis; non esse oppositas contradictoriè, nec priuatiuè; imò, neque vllo genere oppositionis. Quia contradictoriè non possunt opponi ea; quorum vtrumque affirmat: sed nec iudicia vtriusque necesse est contradictoriè opponi: ita vt per iudicium scientiæ, dicatur propositionem non posse aliter se habere; per iudicium verò opinatiuum, posse aliter se habere. Nam vt benè probant secunda, & tertia sententia; necessarium non est; vt tale iudicium reperiatur in opinante: sed sæpè non reperitur, & aliquando reperitur contrarium. Porrò, nec opponuntur priuatiuè: quia assensus opinionis, non caret euidentia, nec ea propriè priuatur; sed quandam negationem eius dicit: sicut quælibet species, dicit negationem alterius: & tamen non propterea dicũtur priuatiuè, aut contradictoriè opponi; sed disparatæ esse. Et ita se habent scientia, & opinio. At nec omnino disparatæ aut diuersæ sunt; sed valde similes: cùm 52.
in eundem finem ordinentur; qui est firmare veritatem in intellectu. Nisi quòd scientia id omnino efficit; opinio verò aliqua ex parte, non plenè, aut perfectè. Ideo solum distinguuntur; tanquam perfectum, & imperfectum: vt egregiè D. Thom. ait in vltimo loco. quia scientia, est quasi forma perfecta; opinio verò quasi dispositio ad illam: & has rationes perfecti & imperfecti, habet ex propria natura, & essentia. Sed perfectum, & imperfectum, duobus modis repugnant, vel respectu duorum. *Primo quidem*, Respectu eiusdem formæ: quia repugnat eandem formam esse; ex propria natura habitum, & dispositionem: & ita repugnat eandem qualitatem, vel habitum; simul esse scientiam, & opinionem. *Secundo*, Repugnat in ordine ad idem subiectum: quia impossibile est; quòd idem corpus simul sit perfectè, & imperfectè calidum: aut eadem pars aëris perfectè, & imperfectè illuminata. Et hanc repugnantiam absque dubio habent scientia, & opinio, respectu eiusdem subiecti, circa eandem propositionem. Quia opinio, non omnino, vel non plenè determinat intellectum, ad veritatem eius; nec firmum, aut stabilem efficit: sed determinat quidẽ infirmo quodam, ac debili modo, & quasi indeterminatum aliqua ex parte relinquit: & hoc habet opinio quæcunque ex sua natura, & essentia; quomodocunque habeatur; etiam per medium probabile, reputatũ necessarium. Scientia verò, plenè, atque perfectè, & omnino determinat intellectum, ad veritatem propositionis demonstratæ, omnino etiam firmum, ac stabilem reddit.

Vt u   Ex

54. *Ex quibus vtraq; pars nostræ sententiæ efficaciter probari potest. Primo quidem.* Quòd scientia, & opinio simul esse non possint secundum actus, vel assensus; contra secundam & tertiam opinionem; hoc argumento. Impossibile est, aliquid simul esse plenè, atque omnino determinatum; & non plene, atque omnino determinatum circa eandem rem; cùm cōtradictoriè hæc opponantur. Sed per assensum scientificum, plenè atque omnino determinatur intellectus, ad veritatem propositionis demonstratæ; firmusque & stabilis in ea redditur: & per assensum opinionis; nec omnino determinatur, nec firmus, & stabilis efficitur: ergo repugnat simul esse hæc duo in intellectu, circa eandem veritatem; *At dices pro tertia opinione.* Concludere argum. hoc, respectu eiusdem medij; non vero ratione diuersorum repugnare; quod vtroque modo simul se habeat. Igitur probatur efficaciter; quod etiam per diuersa media repugnet: quia simul esse conuictum intellectum; & non esse conuictum, circa eandem veritatem: vndecunque id proueniat, siue per idem, aut diuersum medium, planè repugnat; cum sint esse simul, & non esse respectu eiusdem: ergo non tollit difficultatem argumenti; quòd id fiat per diuersa media. Et si per diuersa media id fieri potest; sequitur assensum scientificum, & erroneum simul esse posse, circa eandem propositionem: ita, vt simul iudicet intellectus, veram esse, & falsam: veram quidem per demonstrationē; falsam verò per syllogismum probabilē. Tunc enim cessabit oppositio: quia solùm esse dicitur respectu eiusdem; non verò respectu diuersorum mediorum: quæ tamen absurda sunt.

De habitibus verò; facile probare potest: quia non dicunt actualem determinationem intellectus, ad veritatem; sed quasi potentialem, & habitualem. Non repugnat autem, intellectum esse imperfectè determinatum actu; & posse plenè determinari: licèt plena determinatio actualis; repugnet non plenè. Vnde diuersis temporibus, esse in eodem intellectu plenam, & non plenā determinationem, nullam continet repugnantiam. At eodem tempore id fieri, maximè repugnat.

55. *Ad arg. Scoti;* quo probabat repugnantiam habituum. Neganda est consequentia; quia licèt actus, & habitus versentur circa idem obiectum, & habeantur per idem medium; longè tamen diuersas rationes habent: quia habitus est, tāquā inclinatio, & quasi potentia ad actū; actus verò per actualē attingētiam fit obiecti. Sed non repugnat aliquem habere simul, inclinationes ad actus repugnantes; quos potest exercere diuersis tēporibus: licèt repugnet simul exercere vtrumque. Vnde licèt repugnet actus, aut assensus opinionis, & scientiæ esse simul non repugnat tamen simul esse habitus.

56. *Ad argumen. Durandi.* Concessa maiore, & minore; neganda est consequentia. Quia repugnantia assensuum opinionis, & scientiæ, non consistit in oppositione iudiciorum: de quibus bene probatur; non esse necessarium; quòd simul habeantur. Sed in eo, quod ratio opinionis essentialiter, est imperfecta, non omnino determinans intellectum ad veritatem, neque eum firmans in ea: ratio verò scientiæ essentialiter perfecta est circa idem; cum plenè atque omnino determinet intellectum, eumque in eadem veritate firmet. Firmum autem esse intellectum, & stabilem in eadem veritate: & infirmum simul, ac debilem repugnat: & pariter, simul esse omnino determinatum; & indeterminatum. Et hoc sequitur

quitur

quitur; siue per idem, siue per diuersum medium id fiat: & ideo repugnat simul esse opinionem, & scientiam, circa eandem propositionem, in eodem intellectu. Itaque licèt actualis formido, non sit opinioni intrinseca: & licèt non possit haberi per medium verè probabile, sed existimatum necessarium; quæ concedenda sunt. Nihilominus, ex propria ratione intrinseca, habet assensus opinionis; non omnino determinare intellectum, nec firmare eundem veritate. Et ideo non potest esse simul cum assensu scientiæ, plenè eum determinante ac firmante: sed adueniente hoc, & cum eo plena determinatione intellectus; cessat ille: quia cessat omnis indeterminatio; & aliqua pertinet ad eius essentiam: & ideo cessante omni; cessat aliqua: & ex consequenti, cessat assensus; aliqua ex parte indeterminatus, atque infirmus: sicut cessat debilitas membrorum, adueniente robore: & cessat ægritudo, adueniente sanitate. Et ex his constat soluta esse argumenta vltimæ opinionis. Et hæc de opere posterioris resolutionis adnotasse sufficiat.

Finis huius operis.

SELECTA QVAEDAM EX LIBRIS TOPICORVM ARISTOT. QVIBVS LIBERALIVM ARTIVM STVDIOSI, florentissimæ huius Academiæ Complutensis, satisfacere possint consuetis Magistrorum interrogationibus, in examine; pro Baccalaureatus gradu subeundo.

De fine, ac diuisione horum librorum.

F*Inis, quem in his octo libris Topicorum intendit Aristoteles*, est; methodum tradere probabiliter disputandi, de quocunque themate; seu problemate oblato. Et quia vniuersale, ac præcipuum instrumentum topicæ disputationis, est ratiocinatio Dialectica; quam vocamus Topicum syllogismum; duo agit, in toto opere; vt vniuersalem eius diuisionem proponamus. *Primò.* Explicat naturam syllogismi dialectici: & partes; ex quibus componitur. *Secundo.* Quia syllogismus iste topicus; hoc est localis dicitur: locos omnes; ex quibus argumentorum probabilium copiam deducere possimus copiosè tradit, & explicat, vt ita instructus dialecticus; quamcunque disputationem, de rebus probabilibus instituere possit. Nos igitur breui quadam summa, tradere cupientes; ea, quæ necessaria sunt ad artem topicam intelligendam, & liberalium artium studiosos instruendos; vt satisfacere possint consuetis interrogationibus subeundi examinis. *Duo alia eodem ordine præstabimus.*

bimus. Primum. Quidnam dialecticus ſyllogiſmus ſit, explicabimus: quæ, & quot ſint partes; ex quibus componi debeat: tam ſimplices; qualia ſunt prædicata topica: quam etiam compoſitæ; vt problema dialecticum, & dialectica propoſitio: de quibus Ariſtoteles agit; per octo priora capita primi lib. *Deinde loca*, ex quibus eruenda ſunt probabilia argumenta, ſummatim colligimus, enumerabimus, atque explicabimus.

Quodnam ſit obiectum huius operis, & ordo eius, cum cæteris partibus dialecticæ explicatur.

2 EX his facilè poteſt intelligi; *Quodnam ſit obiectum huius operis.* Nam ſic omnia, quæ in eo tractantur; vel ſunt partes ſyllogiſmi dialectici; vel loci, ex quibus argumentorum probabilium copia deduci poſſit; quæ etiam ad compoſitionem eiuſdem ſyllogiſmi ordinantur: Scopus totius operis; cuius naturam, & proprietates intendit Ariſtoteles in eo explicare; idem ſyllogiſmus erit: & ex conſequenti, ſubiectum, ſeu obiectum eius proprium. Nam præcipuæ conditiones obiecti iſtæ ſunt, *Ordinem etiam*, quem Libri Topicorum ſeruent, inter cæteras partes Logicæ; & locum eis inter cæteras debitum, non erit difficile intelligere, ſequuntur enim proximè, libros de poſteriori reſolutione, nuper à nobis explanatos. Cuius ea eſt ratio. Quia inter ſpecies ſyllogiſmorum; poſt demonſtrationem in poſteriorum libris explicatã, dignior eſt ſyllogiſmus Dialecticus cæteris: ideo tractatus iſte de eo; tanquam de proprio obiecto agens, ſtatim poſt eoſdem libros debet collocari.

Quid ſit prædicatum dialecticum?

3 SImplicia, ex quibus proximè componuntur problema, ac propoſitio dialectica; & remotè dialecticus ſyllgiſgiſmus, ſunt *Prædicata Topica, ſeu Dialectica* (quod idem eſt:) de quibus agit Ariſtoteles ca. 4. primi libri; vbi ea enumerat, & ſingula proprijs definitionibus explicat. *Prædicatum Topicum*, ſic poſſumus in genere definire: *eſt præcipua pars; ex qua componitur problema, propoſitio dialectica.* *Præcipuam partem*, illud vocamus, ad diſtinctionem ſubiecti; ex quo eadem propoſitio dialectica componitur. Nam copulam propoſitionis, non tam partem nunc. vocare volumus; quàm nexum vtriuſque partis, quo copulatæ propoſitionem componunt.

Quotuplex ſit prædicatum dialecticum?

VIdentur ex vna parte prædicata dialectica eſſe quinque; propter hoc argum. Quia prædicatũ diſtinguitur à prædicabili; tanquam actus à potentia: ſed actus, & potentia, eodem modo numerari debent: quia potentia ſumit vnitatem, ac diſtinctionem ab actu: ergo tot erunt prædicata, quod prædicabilia. Conſtat autem ex Porphyrio, prædicabilia eſſe quinque: ergo quinque etiam debent eſſe prædicata. 4

Ex alia verò parte videntur eſſe decem, propter ſecundum argum. Quia prædicamentum non eſt aliud; quam prædicatorum ſeries, & ordinatio: ergo idem erit numerus prædicatorum, & prædicamentorum. Conſtat autem decem eſſe prædicamenta, ex Ariſto. ergo ponenda ſunt decem prædicata.

His tamen non obſtantibus, Noſtra ſententia eſt; *Quatuor tantùm eſſe prædicata Topica:* Vt Ariſtoteles expreſsè docet; 1. lib. cap. 4. quæ ſunt; *Definitio, Genus, Proprium, & Accidens*, ita, vt nec plura addenda ſint; neque aliquod ex his auferendum. Tota autem difficultas huius 5

rei,

rei, consistit in assignanda ratione, propter quam Aristo. quatuor hæc prædicata posuit. *Pro cuius explicatione. Notandum est.* Finem huius artis topicæ, vt diximus, esse methodum tradere, probabiliter disputandi de quacunque re proposita. Disputatio autem tribus partibus constat, ita ordinatis; *Primo, Quæstione,* seu interrogatione, quam titulum disputationis solemus vocare, sic dicentes. Vtrum cœlum sit incorruptibile; vel non? aut quid simile. Deinde Locis, ex quibus eruenda sunt argumenta probabilia, quibus medijs dubiam reddamus quæstionem: & *tertio loco. Argumentis ipsis*, quæ sunt syllogismi dialectici, ex propositionibus dialecticis compositi. Propositio autem dialectica, (vt postmodum dicetur) est altera pars problematis. Problemata verò, & ex consequenti propositiones dialecticæ, ex prædicatis fiunt: quia non est aliud problema, quam quæstio, vel interrogatio; An aliquod prædicatum conueniat tali subiecto? vt dum dicimus. *An cœlum sit incorruptibile, vel non?* idem est; ac si quæramus. An hoc prædicatum incorruptibile, conueniat cœlo, vel non? Vnde sequitur: prædicatum topicum non esse aliud: quam id quod de re aliqua quæri potest. *Tot igitur erunt prædicata, quot quæstiones possunt de re aliqua fieri:* & tot etiam quæstiones, quot prædicata. Et cùm quæstio idem sit, ac problema: idem erit numerus prædicatorum, ac problematum. Et tandem cùm propositio, & problema, forma tantùm interrogationis differant, quia problema est interrogatio vtriusq; partis cõtradictionis: vt si dicas; Vtrum cœlum sit incorruptibile, vel non: problema efficis. Propositio vero, interrogatio alterius partis tantũ; vt putasne cœlum est incorruptibile: tot sunt propositiones dialecticæ; quod problemata. Ergo ita intelligitur, prædicatũ dialecticũ esse primũ; ex quo numerus problematum desumi debet. Deinde ex numero problematum; numerus propositionum dialecticarum. Et ita, ex ordine ad problemata; & propositiones constituendas, desumitur numerus prędicatorum. Et discursus iste deducitur ex 4. cap. 1. lib.

6. *Quo supposito hac ratione probatur ab Arist. quatuor tantùm esse prædicata.* Prædicatum est id; quod de re aliqua quæri potest, ad disputationem dialecticam instituendam: sed quatuor tantùm quæri possunt; ergo quatuor tantùm sunt prædicata. Minorẽ probat. Nã vel quærimus de aliquo definitionem; vt intelligamus naturam eius: vel genus, vt intelligamus, in quonam prædicamento sit: vel proprietates, aut communia accidentia: Et nihil aliud quæri potest; quod ad hæc nõ reducatur: ergo quatuor sunt prædicata: ita, vt nec plura, nec pauciora. *Et hæc sunt, definitio, genus, proprium, & accidens*; quæ suis definitionibus sic explicat ca. 4. 1. li *Definitio, est oratio, quid erat esse significans. Orationem*, esse dicit: quia non est propositio; cùm nec verum contineat, nec falsum, vt animal rationale. Vocat etiam definitionem terminum, sumpta metaphora ex terminis agrorum. Nam ad quemlibet, solum, & totũ pertinet illud, quod intra terminos eius clauditur: ita vt nihil eius extra sit; sed totum, quod habet, intra terminos comprehendatur. Sic definitio continet quidquid pertinet ad essentiam rei: ita vt nihil eius sit extra, nec aliquid sit eius, quod intra illam non comprehendatur: & ideo vocatur ab Aristot. terminus. Genus verò, inquit, est; *Quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid*: Vt animal: Proprium; *Quod non indicat, quid est esse rei soli autem inest, & conuersum prædicatur*

dicatur: Vt risibile; respectu hominis. Accidens est; *Quod nec est definitio, nec genus, nec proprium; inest autē rei.* aut etiam; *Accidens est, quod inesse, & non inesse eidem potest*: vt albedo respectu parietis.

7. *Si autem dixeris.* Vltra has quatuor quæst. aut interrogationes, seu problemata; quæ generalia esse videntur; plura possunt specialia quæri de re: vt; an sit homo: an sit leo: an sit substantia & innumera alia: ergo plura quam quatuor; imò innumera prædicata debent concedi. Et præterea; generalia prædicata adhuc sunt plura: quia sicut quærimus de genere alicuius rei: vt, vtrum Animal sit genus hominis necne: ita possumus quærere de eius differentia; nempe, an Rationale sit differentia hominis: atque etiam de specie; vt an Homo sit species Petri, aut Ioannis: vel etiam an sit species animalis: ergo duo alia prædicata generalia sunt addenda, nempe, Species, & Differentia.

Circa primam partem arg. de interrogationibus specialibus, asserit Rodolphus Agricola, lib. 1. de Inuentione dialectica, cap. 3. errasse Aristotel. in assignando numero prædicatorum: quia sicut plura sunt genera problematū particularium, ita plura debent constitui

8. prędicata; quàm quatuor. Sed plus mihi videtur errasse hic author reprehendendo Aristotelem: quia vera solutio ex doctrina eiusdem Aristot. 1. lib. Topicorum cap. 4. & lib. 5. cap. vltimo. sub finem colligenda est. *Quibus locis duo asserit. Primum*; Quòd cùm problemata ordinentur ad disputationem dialecticam; cuius finis est determinatio eiusdem problematis, circa quod disputatur: ita vt praiactis probabilibus argumētis pro vtraque parte, tandem decernatur: vtra earum sit probabilior: hinc sequitur, omnia problemata, quæ eisdem argumentis, & eodem modo determinantur ad idem genus problematis pertinere: & omnia prædicata eorundem sub aliquo ex quatuor designatis comprehendi. Et ideo in hoc primo loco asserit; differentiam, si generalis sit; hoc est, si de pluribus speciebus prædicetur sicut genus; cum genere esse connumerandam, & non esse addendum pro ea aliud prædicatum. *Secundum est*, quod secundo loco docet; quæstionē accidētis finiri, aut determinari, ex eo solū; quod quis probet conuenire subiecto. Ex qua doctrina deducimus nos, omnia problemata specialia: quæcunq; illa sint reduci ad problemata accidentis. Et omnia prędicata eorundem, ad prædicatum accidētis. Et ratio huius deductionis est: quia in omni problemate speciali quęritur. An hoc prædicatum conueniat tali subiecto; vel ei insit, necne; quod patet habere modum interrogationis, aut problematis accidentis: quo solum quærimus; An accidens conueniat, vel insit subiecto? Et eisdem prorsus argumentis finiuntur, 9.
aut determinantur: quia si inquiras, an animal conueniat homini, necne; vel An homo conueniat Petro, necne; sufficiēter, determinatur, & disputatio eius finita erit: si probemus vtcumque ei inesse: quamuis nec probetur esse de essentia eius; aut cum eo conuerti: nec alio modo speciali ei conuenire. Ergo ad formam problematis accidentalis reducuntur: & prędicata eorum, sub prędicato accidentis comprehenduntur; nec opus est alia multiplicare.

Ex eadem doctrina, Respondere possumus, ad aliam partem eiusdem argumenti de specie, & differentia. Quòd si differentia sit subalterna; ad prædicatum generis reducitur: si verò infima; ad prædicatum definitionis. Species verò, ad prædicatum generis. Et ratio omnium

hium est. quia iisdem argumentis definitur quæstio generis, & differentiæ subalternæ; cùm vtrumque prædicetur, de pluribus differentibus specie, in Quid. Eisdem namque argumentis probamus; Animal esse genus hominis, & Sensibile, differentiam subalternam eius: atque etiam, Hominem esse speciem Petri, & Ioannis. Quia sicut genus prædicatur, in Quid de speciebus; ita species, de indiuiduis. Iisdem etiam probamus; Animal rationale esse definitionem hominis; & Rationale, esse differentiam atomam eius. Quod verò ad speciem attinet, satis etiam probabiliter respondent, Albertus Magnus, tra. 2. Topicorum, ca. 8. in fine, & Sotus quæst. 5. vniuersalium ad primum; Non esse inter prædicata enumerandam: quia prædicata sumuntur per respectum ad subiectum commune; quod non respicit species; sed singularia. Et ratio huius est. quia prædicata; vt dicebamus, ex propria ratione ordinantur ad constituenda problemata, & propositiones dialecticas: & vtrumque horum ad constituendum syllogismum dialecticum: qui non constituitur per se ex propositionibus singularibus; sed constantibus subiecto communi: in quibus solis reperiri potest forma syllogistica, ex modo, & figura constans; vt per se est manifestum.

11 *Ad primum argum. de prædicabilibus.* Distinguendum est antecedens. Nā prædicatum vniuersaliter sumptum, distinguitur à prædicabili, sicut actus à potentia: & ideo eodem modo numeratur; ac prædicabile. Verùm prædicatum sumptum specialiter, pro topico; non respicit prædicabile; vt potentiam; sed solùm pro actuali sumitur: & modo quidem speciali, à generali prædicato distincto: hoc est, in ordine ad quæstionem, seu problema instituendum. Vnde alio etiam modo diuerso prædicata numerantur; diuersumque sortiuntur numerum à prædicabilibus; atque etiam à prædicamentis: quæ sunt ordinationis prædicatorum; vt sub ratione generali considerantur: non vt speciali, & topica; ad specialem etiam finem iam explicatum ordinata. Quare non sequitur ex eo, quod prædicamenta sint decem, tot debere esse prædicata topica. *Et hæc est solutio secundi argumenti.*

Quid sit, & quotuplex problema dialecticum.

Aristoteles 1. libro, cap. 3 definit problema dialecticum, dicens; *Esse interrogationem, seu quæstionem vtriusq; partis contradictionis*: vt si dicas, *Vtrum animal greßibile bipes, sit definitio hominis, necne? Quatuor autem sunt genera problematum* vt cap. 3. & 4. asserit idem Aristoteles; sicut quatuor sunt prædicata. *Vt problema Definitionis*; quale est illud, ex definitione hominis assignatum. *Problema generis*; vt si dicas. *Vtrum animal sit genus hominis; necne? Problema proprij* vt dum dicimus; *Vtrum risibile sit propriū hominis, necne?* & tandem, *Problema Accidentis, vt vtrum albedo, sit accidens parietis, necne?* Cap. etiam 9. eiusdem lib. Diuidit problema dialecticum, vniuersaliter Aristot. dicens; *Aliud esse Practicum.* Quod pertinet ad electionem, vel fugam vel aliquid de prosequendo, aut fugiendo. Hoc enim, inquit, ad praxim, aut operationem ordinatur: & ideo dicitur practicum, Tale est hoc; *Vtrum voluptas sit eligenda vel non? Aliud vero est Speculatiuum.* Quod nihil de prosequendo, aut fugiendo continet; nec ad operationem ordinatur; sed solùm ad cognitionem veritatis: vt si dicas; *Vtrum cælum sit incorruptibile, vel non? Alia etiam*

diuisione, potest diuidi problema; secundùm materias diuersarum scientiarum, in quibus reperitur: qua ratione dicimus; *Aliud esse problema Physicum*; vt, *An*
13 *principium motus, & quietus eius, in quo est, sit definitio naturæ, nec ne? Aliud Metaphysicum*; vt si dixeris. *Vtrum ens sit vniuocum respectu substantiæ, & accidentis, nec ne?* Veruntamen formalis consideratio omnium problematum secundùm quam reducuntur ad quatuor illa, ex diuersis prædicatis desumpta; dialectici propria est: quia ad solum dialecticam pertinet, docere omnes, quonammodo disputatio sit instituenda, & quibus instrumentis in ea vtendum, ad consequendam notitiam veritatis, de qua disputatur.

Quidnam sit propositio dialectica; & quotuplex: & quomodo distinguatur à problemate?

TRia hæc tradit *Aristoteles*, lib. 1. cap. 3. in fine: sic in primis definiens
14. propositionem dialecticam; quod sit, quasi propositio alterius partis contradictionis: vt si dicas; *Putasne animal rationale, esse definitionem hominis?* Differre autem à problemate ait; non re; sed modo: quia *Propositio*, vt vocabuli etymologia ostendit, proponit alteri aliquid: vt eidem rei propositæ respondeat, explicans, quidnam de illa iudicet, vel sentiat. *Problema verò*, Modum habet quæst. & vtramque partem, per modum quæstionis agitandæ proponit: vt si dicas: *Vtrum animal rationale sit definitio hominis, necne?* Itaque propositio dialectica, interrogat per modum simplicis propositionis: non per modum quæstionis: & assumit vnam tantùm partem: cum problema vtramque, & per modum quæstionis interroget. Id duobus modis solet proferri; vel formaliter vtramque partem interrogando: vt in assignato fit exemplo: vel formaliter vnam, & virtualiter alteram: vt si solùm dixeris; *Vtrum animal rationale, sit definitio hominis?* Et hoc modo proferuntur problemata, in communi vsu scholarum, quoties quæstio aliqua disputanda proponitur: quod breuitatis studio, absque dubio fit; eo quod iam ab omnibus intelligitur, altera etiam pars interrogata: ex modo ipso problematicæ interrogationis.

Vbi aduertere debemus; quòd Aristoteles 1. lib. priorum, ca. 1. non distinxit propositionem dialecticam à problemate: imò neque à propositione probabili: cùm dixerit esse interrogationem contradictionis: quod problemati proprium est. & rursus, propositionem dialecticā, percūctanti esse interrogationem contradictionis: ratiocinanti verò, esse sumptionem apparentis, & probabilis. Ideò remisit distinctionem horum trium, ad cap. 3. lib. 1. topico. quem citauit dicens: vt in topicis dictum est. Ibi siquidem proprius erat locus distinguēdi hæc: eo modo, quò à nobis distincta sunt. *Propositio dialectica quadruplex est*, sicut de problemate dicimus; *Definitionis est hæc*; Putasne Animal rationale est definitio hominis? *Proprij*. Putasne Risibile est propria passio hominis? *Generis*; Putasne Animal est genus hominis? *Accidentis*; Putasne albedo est accidens hominis?

Sed valde notandum est in hac parte; Propositionem sub hac generali ratione sumptam: solùm significare enunciationem; vt proponitur in syllogismo ad inferendam conclusionem. Quæ si proponatur primo loco, dicitur Propositio simpliciter, aut Propositio, seu præmissa maior, vel Prima pars antecedentis. Si secundo loco, dicitur Assumptio: quia sub propositione maiori: sub qua continetur, assumitur: dicitur etiam, Minor propositio, aut Præmissa minor; ac

Secunda, vel posterior pars antecedentis. Et si in syllogismo demonstratiuo proponatur; dicitur Principium: si in syllogismo dialectico; Propositio probabilis: & Propositio apparens, si in syllogismo sophistico. Propositio verò dialectica; præter enunciationem, addit modum propositionis; quasi per modū dubitantis: & problema, modum interrogantis, vt explicatum est.

Ex quibus intelligitur, tam propositionem dialecticam; quam problema atque etiam propositionē probabilem, deseruire ad disputationē instituendam: sed diuersa ratione: nam problema dialecticum, deseruit per modum quæstionis propositæ ad disputandum: & ideo primum locum tenet, & quasi caput totius disputationis vocatur. Propositio verò dialectica, deseruit; quasi pro interrogatione ad respondētem facta, vt per eam respondens proferat aliam: qua media; quid de re proposita sentiat, explicet: & ex data responsione, possit interrogans occasionem sumere, disputandi in vnam
17. per alteram partem propositæ quæstionis. Propositio verò probabilis, deseruit iam ad constituendum syllogismum, quo possit intentum probari, & quæst. terminari, aut definiri. Itaque problema & propositio dialectica, sub proprijs rationibus formalibus, ad instituēdam disputationem pertinent; non tamen ad syllogismum dialecticum: nisi solum antecedenter, & quasi præsuppositiuè. Sola autem propositio probabilis, pertinet ad eandem disputationem, tanquam pars syllogismi dialectici. Vbi aduertere debemus; quòd Arist. hoc loco distinguit propositionem à problemate, dicens; problema vtramque partem interrogare.

Quid sit; & quotuplex propositio probabilis.

Probabile definit Arist. lib. 1. cap. 1. 18.
his verbis. *Probabilia autem sunt; quæ videntur omnibus aut plurimis, aut sapientibus: & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus, & probatis.* Quod intelligitur: aut propter rem ipsam, quæ ex se apparet vera: vel propter verisimilem aliquam rationem. Itaque probabile, non est idem; quod verum: nec etiam; quod necessarium, aut certum: sed quod apparet verum omnibus, aut pluribus, aut sapientibus. *Sunt enim propositiones in triplici differentia. Nam quædam sunt euidenter veræ*; & quarum veritas euidēter est cognita. *Aliæ euidenter falsæ*; & quarū etiam falsitas euidenter cognoscitur. *Aliæ verò medium tenent*: quia veræ sunt, aut falsæ; sed veritas, vel falsitas earū non est euidenter nota: quia causa earum, aut ignoratur; aut non plenè cognoscitur: & ideo pluribus apparēt veræ; alijs verò etiam contingit apparere falsas, quia verisimilis ratio, pro vtraque parte esse solet. Et istæ dicuntur probabiles. Patet igitur, quo pacto probabilis propositio distinguatur à propositione, Vera, Certa, Necessaria, & Falsa. Quia fieri potest, vt secundùm rem sit necessaria, veritatem habens necessariam: vel in re sit necessariò falsa, habens necessariam causam suæ falsitatis: & tamen probabilis videatur; propter verisimilitudinem, apparentiam veritatis; quam habet: vel propter verisimilem rationem; qua probari potest. Vt intelligatur, formalem rationem probabilis propositionis; non tam in re ipsa consistere; quàm in apparentia, vel apparenti ratione; respectu plurium, vel sapientum; vt docuit Aristoteles.

Vnde sequitur; quòd quamuis repugnet, duas contradictorias esse simul veras; non tamen repugnat esse simul probabiles: quia sæpe contingit; vt vtraque

habeat pro se viros doctos; quibus vera appareat: & etiam verisimiles rationes; quibus probetur. Verùm in ipsa re; necesse est altera m earum esse falsam. Non tamen est necessarium (vt aliqui decepti existimant) quòd si vna propositio est probabilis; eo ipso probabilis etiam sit eius contradictoria: cùm manifestũ sit, posse cótingere; quòd illa appareat viris doctis vera, & verisimiles rationes pro se habeat: hęc verò, nulli appareat vera; nec aliqua verisimilis ratio inuenta sit, per quam probetur.

Propositio probabilis duplex est. Quædam per se. Alia verò propter aliam; ex qua deducitur. *Per se probabilis*, illa dicitur; cuius probabilitas ex sola notitia terminorum, absque alia ratiocinatione, per quam probetur, euidens est: ita vt intellectus non possit non iudicare, esse probabilem. *Talis est hæc*; Omnis mater diligit filium: aut, omnis amicus diligendus est: & hanc propositionem per se probabilem, definiuit Arist. 1. lib. Posteriorum, dicens. *Opinio, est acceptio immediatæ propositionis, & non necessariæ.* Opinionis nomine, assensum talis pro-
20. positionis immediatæ intelligens: hoc est; quæ sine medio iudicatur probabilis, ex sola notitia terminorum. Et assensus huius propositionis: per se probabilis, vocari potest intellectus, intra genus probabilis propositionis: sicut intra genus euidentis, vocatur intellectus assensus propositionis necessariæ; qui sine medio habetur, sola significatione terminorum cognita. *Alia est Propositio, non per se probabilis*, sed quæ ex alia per se probabili colligitur, per euidentem, aut probabilem consequentiam: aut ex euidenti alia, per consequentiam solum probabilem. Et hæc est similis conclusioni sciẽtificæ, quam ex euidentibus præmissis; & per euidentem syllogismum colligimus. Nihilominus ex vtraque propositione probabili, potest fieri syllogismus dialecticus, vt per se est manifestum.

Quidnam sit syllogismus topicus, aut dialecticus.

EXplicatis singulis partibus, syllogismi dialectici: non erit difficilè definitionem eius intelligere: quam assignauit Arist. cap. 1 lib. 1. Topicorum, his verbis. *Dialecticus autem syllogismus est, qui ex probabilibus est collectus: id est, qui ex propositionibus probabilibus procedens; probabilem etiam conclusionẽ colligit.* Quæ sic intelligenda est, vt ex vtraq; præmissa probabili; vel saltem ex altera, procedere debeat; nam sæpe contingit; vt ex 21.
vna euidenti, & altera probabili efficiatur. *Talis est enim iste*: Omne animal diligit sibi simile: Omnis homo est animal: ergo, Omnis homo diligit sibi simile. Conuenit autẽ cum syllogismo demonstratiuo, in cômuni: & generica ratione dispositionis, in modo, & figura; distinguitur autem ab eo, specie; per modum concludẽdi: nam demonstratio côcludit per medium necessariũ: hoc est per causam, vel effectum necessarium: probabilis verò, per mediũ probabile: quia nec reddit causam, nec effectũ conclusionis necessarium, sed solum probabilẽ: hoc est, quæ talia apparent pluribus, aut sapientibus, vt explicatum est. Itaque non distinguuntur per solam materiam; vt probauimus in posterioribus; sed etiam per formam specialem, ex modo speciali concludendi desumptam: cùm in forma generica dispositionis syllogisticæ, conueniant. A syllogismo verò sophistico, distinguitur per formam veram, aut apparentem: atque etiam per probabiles, aut apparentes propositiones. Nam ex illis procedit dialecticus; sophisticus verò ex his. Sed diuersum

quid

quid est procedere, ex probabilibus; aut ex apparentibus: nam licèt probabilis propositio sit illa; quæ apparet vera, quamuis fortè vera non sit. non tamen cuicumque id apparet, sed tantum sapientibus: idque propter fundamentum verisimilis rationis: vel propter verisimilitudinem eiusdem veritatis. Apparētia verò, ex quibus procedit syllogismus sophisticus, nec respectu sapiētum dicuntur talia: nec etiam vera apparēt, cum fundamento rationis probabilis; aut cum verisimilitudine eiusdem veritatis, sed cuicumque, & sine his fundamentis. Vnde solam, & nudam habent apparentiam veritatis; & ideo deceptoriæ propriè dicuntur: & syllogismus ipse, ex sic apparentibus procedens, vocatur etiam deceptorius.

Enumeratio, atque explicatio locorum; ex quibus deducuntur arg. probabilia, pro disputatione ineunda.

22. HOc *solùm restabat explicandum*; ex his, quæ pertinet ad disputationem dialecticam instituendam: *nempe Locus*; ex quo desumenda sint probabilia argu. vel syllogismi. Explicatis namque & cognitis huiusmodi locis, facilè erit cuique argumenta probabilia inuenire, quibus in disputationibus vti possit. Et licèt vsus locorum, ad quamcumque scientiam pertineat; secundum applicationem ad propriam materiam: eorū tamen explicatio, ad solam spectat dialecticam; cuius propriū munus est, methodum præbere omnibus scientijs, ac disciplinis, ad disputationem instituendam.

23. *Locus autem*; ex quo eruuntur argumenta, diuiditur in *Intrinsecum*, & *Extrinsecum. Locus Intrinsecus*, vocatur ille; qui ad substantiam rei pertinet, vel substātiam eius comitatur. Quæ ad substantiam pertinent, sunt hæc, Definitio, Genus, Differentia, aut Pars aliqua rei, vt Materia, & Forma: vel Partes integrantes, vt Caput, Manus, aut Brachium. Quòd verò comitatur substantiam, aut est Totum: quod ideo comitari dicitur substantiam rei; quia includit partes: aut Descriptio ipsius rei: aut Proprium rei: aut Accidens: aut Subiectum illius. *Vnde loci intrinseci, tantum sunt nouem*; Definitio, Genus, Differentia, Partes, Totum, Descriptio, Proprium, Accidens, & Subiectum.

Locus extrinsecus, dicitur ille; qui non est in ipsa re, nec ab ea procedit, sed ex aliquo extrinseco desumitur. *Locus autem extrinsecus diuiditur, in Eū; qui habet aliquam affinitatē cum ipsa re: & in Eum, qui habet aliquam repugnantiam cum ea. Loci extrinseci habentes affinitatem*, sunt, Coniugata, Similia, Causæ extrinsecæ, nempe Efficiens, & Finalis: Effectus extrinsecus, Maius, Minus, Auctoritas Diuina, vel humana. *Loci verò extrinseci repugnantes*, sunt, Contraria, Disparata, & Dissimilia. Vnde loci extrinseci, vndecim sunt: quos si cum nouem intrinsecis coniungamus, inueniemus locos omnes, tam intrinsecos, quam extrinsecos, viginti tantum esse: quos singillatim, breuissimè tamen explicabimus: Vt ratio singulorum intelligatur, & vsus eorum reddatur facilis.

Locus primus à Definitione.

FRequēs *vsus est huius loci à Definitione*, in disputationibus; ex eo, quod essētiam definiti continet, & cum eo conuertitur. Vnde fit; vt plures propositiones vniuersales deduci possint ex ea; quæ vocantur Maximæ, & quasi capita sub quibus plures particulares desumūtur, ad instituendos syllogismos dialecticos. *Et si quæstio proposita*, circa quam disputatur, *sit Absoluta*; possumus assumere in argumentatione, definitionem 24.

mitatur partem; necessariò etiam debet comitari totum:&,*Quod repugnat parti, etiam repugnat toti.*Et hæc accipiuntur *ex parte subiecti* propositæ quæst. Aliæ verò possunt sumi, *ex parte prædicati* secundum proportionem.

Quintus locus à Toto.

27. TOtum duplex est. *Aliud vniuersale*; quod est vniuersale prędicatum respectu inferiorum; quæ sunt partes eius subiectiuæ: vt genus respectu specierũ: & terminus distributus signo vniuersali: vt omnis homo, respectu particularium; quæ sub eo continentur. Et ab hoc toto, ad eius partes, sumũtur omnia arg. quæ fiunt à superiori ad inferius negatiuè: & in summulis sunt manifesta. *Aliud est totum essentiale, aut integrale*; vt homo, equus, domus. Et ab hoc toto deduci possunt plures Maximæ, & ex eis confici plures syllogismi: vt, *Posito toto, necesse est poni omnes partes necessarias.* Vnde valet arg. à positione totius, ad positionem cuiuscunque partis necessariæ. & etiam, *Ablato toto, necesse est auferri aliquam partem necessariam.* Vnde valet argu. à negatione totius ad negationem alicuius partis necessariæ, sub distinctione: vt si deficit domus, aut non est fundamentum, aut non est tectum, aut non est aliqua alia pars necessaria.

Locus sextus à Descriptione.

28. D*Escriptio est definitio*, quam appellare solent descriptiuam: quia nõ explicat essentiam rei, nec per genus, & differentiam traditur; sed per propriam passionem: conuertibilem tamen cum re descripta: vt animal [illegible]um ad ridendum, cum homine: & [illegible]o omnes Maximæ; quæ ex definitione deducuntur, ex descriptione deduci possunt; & eodem modo applicari ad syllogismos cõstituendos. Et quod de descriptione dicitur; de definitione, quid nominis, intelligi debet: cùm conuertatur etiam cũ re, non tamen de etymologia nominis: quia sæpe contingit, diuersa esse; id à quo nomen imponitur, & illud quod significat: quare non potest argumentum firmum duci ab etymologia ad rem significatam.

Locus septimus à Proprio.

P*Roprium est, Quod non indicat, quid est esse rei: soli autem inest, & conuersim prædicatur*: vt definit Aristot. cap. 4. 1. lib. quasi dicat; propriam passionem, non pertinere ad quod quid est, seu rei essentiam; conuerti tamen cum ea, sicut definitio conuertitur cum definito. Et ideo iisdem fere modis, eadem ferè arg. deduci possunt à proprio, atq; à definitione: quia, *Cui cõuenit definitio; conuenit propria passio*: &, *Cui non conuenit propria passio, nec definitio conuenit.* Et sicut benè colligitur, Rem esse perfectiorem; quò perfectiorem definitionem habet: *Ita quò perfectiorẽ habet passionẽ*, cũ hæc procedat ab essentia, tãquam à propria causa.

Locus octauus ab Accidente. 29.

A*Ccidens est, quod adest & abest subiecto, præter corruptionem eius*: vt definit ibidem Aristot. Sed hæc definitio, solum videtur conuenire accidentibus verè inhærentibus; quæ ideo vocantur intrinseca: nihilominus etiam alia: quæ solũ videntur extrinsecam denominationem significare, sub nomine accidentis hoc loco debet intelligi: vt dextrum esse, vel sinistrum parietem: aut visum vel intellectum esse, quia in modo denominandi, similia sunt accidentibus intrinsecis. Ab accidente, deduci possunt plures Maximæ, & ab his plura arg. *Vt, Si accidentia prædicati, non conueniunt subiecto, nõ cohærebit prædicatum subiecto*: quo arg. vsus videtur beatus Petrus, Actor. 2. probans discipulos non fuisse ebrios: quia tempus illud tertiæ horæ diei, non

ei, non erat conueniens ebrietati, & ideo, nec discipulis; cùm eadē hora eis imponeretur ebrietas. Et benè probatur, Aliquem non occidisse alterum; si probatur eo tempore, quo occisus est, in eodem loco occisionis non fuisse; sed alibi.

Locus nonus à Subiecto.

DE *subiecto inhæsionis*, intelligitur locus iste, cui inhærent accidentia; non de subiecto prædicationis, cui potest prædicatum essentialiter cōuenire: & ideo merito numeratur inter locos intrinsecos. A subiecto possunt deduci Maximæ istæ; & similes. ***Cui repugnant accidētia, etiam repugnat subiectum***: vt si alicui repugnat intellectus, etiam anima, & si repugnant corporea accidentia; etiam repugnabit corpus. *Vbi subiectum est ibi debent esse accidentia*: & *Vbi non sunt accidentia, nec est subiectum*: & *Motis nobis mouentur omnia, quæ sunt in nobis*: id est accidentia. Et ex his, & aliis Maximis, multa possunt effici arg. à loco Subiecti, & isti sunt omnes loci intrinseci. Sequuntur extrinseci.

Locus decimus, & primus inter Extrinsecos à Coniugatis.

COniugata dicuntur voces, quæ sub diuersa terminatione, eandem formam
30. *significant atq; participant*: & propterea quasi idem iugum ducere videntur; vt Iustus, Iustitia, & Iustè: & omnes casus, per quos variatur, idem nomen: & verbum. Ad hæc reducuntur alia; quæ eandem formam significant; licèt diuersæ omnino sint voces: vt Iustus, & Studiosus: quæ ita se habent; quantum ad rem significatam, sicut iustitia, & iustus. Ex his deducūtur istæ Maximæ, & similes. *Quæ dicuntur de vno coniugatorum: suo etiam modo, & cum debita variatione, dicuntur de alio*: vt si Philosophus est sciens; Philosophia erit scientia: & *de quo dicitur vnum coniugatorum, dicitur etiam suo modo alterum*. Et ex his, ac similibus propositionibus possunt fieri multa, argumenta à coniugatis.

Locus 11. à Simili.

SI*milia sunt: quæ participant eandē formam*: vt omnia alba. Ad quæ reducuntur, quæ habent eandem proportionem: vt auriga, & dux; quia similem curam ei, quam habet auriga in suo curru; debet habere dux, in exercitu. Ad similia etiam reducuntur æqualia, & ab eis deducuntur Maximæ plures, pro argumētis instituendis, similes huic: *Cygnus disgregat visum, ergo etiam paries albus.* Sed semper debet fieri in his argumentum à ratione formali similitudinis; & non ab aliis materialibus, quæ habere possunt similia: non est enim bonum argu. si dicamus. *Cygnus est auis, ergo etiam paries albus est auis.*

Locus 12. à Causa. 31.

Q*Vadruplex est causa, Finalis, Efficiens, Materialis, & Formalis.* Verum locus iste, cum sit extrinsecus, solam Finalem, & Efficientem complectitur: nō materialem, & formalem; quæ cùm sint partes rei Intrinsecæ; potius ad locum partium pertinebunt. *Causa finalis est*, cuius gratia operatur efficiens, & producit effectum: & *causa efficiēs*, à qua effectus procedit. Maximæ, quæ ex eis deduci possunt, similes sunt his: *Posita causa, necessariò ponitur effectus*: quæ intelligitur de causa actuali, & sufficienti, & *Non posito effectu, non ponitur causa*: quæ simili modo intelligitur. Verum quæ ad naturam, & proprietatem harum, causarum pertinent in 2. lib. Physic. à nobis explicantur.

Locus 13. ab Effectu.

V*Alde similis est locus iste præcedenti*: quia eædem Maximæ, à causa, & effectu deducuntur: & idem est modus argu-

arguendi in eis vt, *à Positione effectus, ad positionem causæ*: v. g. Si dies est, sol est in nostro hemisphœrio. *Ablato effectu, aufertur causa*: vt, non est dies, ergo nec sol est in nostro hemisphœrio. Sed intelliguntur istæ, & aliæ similes; de causis necessariis, & sufficientibus.

Locus 14. à Maiori, & 15. à Minori.

32. SImiliores sunt duo isti loci, à maiori, & minori: & ideò de illis simul loquendum est. A maiori, sumitur hæc Maxima. *Quod potest efficere maius, potest efficere minus.* & à minori hæc. *Quod non potest efficere minus: nec potest efficere maius.* Sed vtraque debet intelligi, de maiori & minori, eiusdem conditionis. Nam si diuersæ rationis sint; non valebit argumentum. v. g. Angelus, potest intelligere; quod est maius: ergo potest ambulare; quod est minus, Quia diuersæ conditionis sunt: intelligere, & ambulare. Item, Non potest ambulare: ergo nec intelligere.

Locus 16. & 17. ab Authoritate Diuina & humana.

TEstimonium fide digni, cui fides innititur, valde extrinsecum est rebus testificatis vel creditis, vt ex se est manifestū. Vnde locus ab authoritate fide digni, maximè extrinsecus est. Sed si fit ab authoritate Diuina, infallibilem veritatem tribuit rei: quia cum Deus sit summa, & prima veritas, non potest falli: & cùm sit summa bonitas; fallere non potest, Vnde quæ DEVS testificatur, ea infallibilem veritatem habent: & tales sunt res nostræ fidei, quas propter Diuinam authoritatem credimus, & argumenta Theologica, ab hoc præcipuè loco deducuntur.

Ab humana verò authoritate aut testimonio, nō adeò firmū, argum deduci potest.
33. Sed valet plurimum, ad explicandas res diuinæ fidei. Nam licèt sacri Doctores, homines fuerint; tamen expositio sacræ Scripturæ: quam omnes, vel plures eorum adferunt (etiamsi dissentiat vnus, vel alter), maximam facit fidem: quia non est credendum, permisisse Deum eos in hac re decipi, ad quos pertinet scripturam exponere, & expositam aliis tradere. Valet etiam multum in rebus quæ dependent ex libera hominum voluntate: vt ad impositionem, & significationem nominum: quia nominibus vtendum est, vt plures vtuntur. Præterea in rebus, quæ per sensus euidenter cognoscuntur: atque etiam in his, quæ ad historiam pertinent: quæ inniti debent euidentiæ alicuius, vt plurimum, per sensus habitæ: ex qua ita contigisse, credunt alij. Sed non ita valet in his: quæ cognoscūtur per discursum, in quibus præcipuum locum ratio tenet. quāquam adhuc in his multum valeat communis consensus omnium. Semper ergo ducitur argu. probabile, ab authoritate humana: & quo plures sunt, qui aliquid testificantur, eò efficacius argum. deducitur. Negatiuè tamen, nō est ab authoritate humana arguendum, quasi probetur, rem non ita esse, quia à nemine narratur: quia non est necessarium scripta fuisse omnia.

Locus 8. & 10. ab Oppositis, & Repugnantibus seu Disparatis.

NOn multum differunt duo isti loci, *ab Oppositis & Repugnantibus, seu Disparatis*. quia eadem ferè arg. ab vtrisque deducuntur. *Oppositio quadruplex est*, vt in Postprędicamentis diximus. *Contraria*; quæ est inter Album, & Nigrum. Contradictoria: Inter album, & Non album. Priuatiua: Inter cæcum, & videns: & Relatiua, Inter Patrem & Filiū. Et in contradictoriæ oppositis; Maxima hæc, semper est vera: Quod *cui cōuenit vni non potest conuenire alteri. & Cui* 34

 non

non conuenit vnum: necessariò conuenit alterum: quia immediata est eorum oppositio. Et idem est in priuatiuè oppositis: nō quidem absolutè, sed circa subiectū aptum, vt, *Cui conuenit cæcitas, non potest simul conuenire visus*, nec: *Cui conuenit visus, potest simul conuenire cæcitas*. *Et si visus non conuenit; necesse est conuenire cæcitatem*: &, *Si non conuenit cæcitas, necesse est visum conuenire*. In contrariis verò, valet arg. ab affirmatione vnius, ad negationem alterius: vt, est album; ergo non est nigrum. Sed non valet à negatione vnius, ad negationem alterius: vt, non est album: ergo est nigrū. quia oppositio cōtraria, non est immediata. Et similia argumenta deduci possunt, à repugnantibus, aut disparatis, quorum exempla satis sunt manifesta.

Locus 10. à Dissimili.

Dissimilia appellantur, quæ diuersam habēt formam, aut naturam, vt albedo, & dulcedo: album, & nigrum: homo, & leo: ad quæ reducuntur ea, quę licet eandem formam habeant, non tamē in eodem gradu, sed diuerso: qualia sunt, calidum vt vnum, & calidum vt octo. Et ab vtrisque desumi possunt argumenta. Quia, *quæ vni conueniunt, non possunt conuenire alteri*. Sed semper sunt accipienda formaliter, hoc est, in quantum dissimilia in natura, vel gradu: & non secundum alias rationes materiales, in quibus, manifestum est, posse conuenire. Et hæc annotasse sufficiat, circa librum Topicorum.

PRO LIBRIS ELENCHORVM

Tractatus de syllogismo Sophistico.

DVO agit *Arist. in duobus libris Elenchorum*, vt vniuersali diuisione, totum hoc opus comprehendamus. *Explicat naturam syllogismi Sophistici, & partium eius, ex quibus componitur*: tanquam obiectum proprij. *Deinde locos omnes enumerat, ex quibus fallacia argumenta deducuntur*; aut occasionem sumunt: qui sunt fallaciæ tam in Dictione, quam extra Dictionem. Nos verò ea, quæ ad fallacias pertinent, ad summulas remittentes; in quibus copiosè explicantur; aliquid de natura syllogismi sophistici dicemus qua intellecta; quidquid in præsenti opere tradit de eo Aristoteles, aliqua saltem ratione percipi possit.

Quidnam sit syllogismus Sophisticus, & quotuplex: & an verus sit syllogismus, vel non?

SYllogismus Sophisticus, si etymologiam nominis sequamur, idē significat ac syllogismus sapientis; cùm sophist sapiens; vsu tamen philosophicæ scholæ factum est, vt iam non syllogismus sapiētis, sed decipientis, aut decipere volentis, per eum intelligatur. Quia per Sophistam; non iam verum sapiētem, sed eum, qui sapiens videri vult, omnes intelligunt. *Definitionem*, & *Diuisionem syllogismi sophistici tradit Arist.* 1. lib. top. cap. 1. Sed vt tria illa, quæ de eo considerari possunt, commodius explicentur, à diuisione incipiendum est.

Diuidit autem Arist. syllogismum sophisticum, in tria membra. & primum ita definit. *Litigiosus autem est syllogismus, ex his, quæ videntur probabilia, non sunt autem*. Secundum verò, his verbis; *Et qui ex probabilibus quidem: aut ex his, quæ videntur probabilia, est apparens*. Et paulò inferius; de vtroque in particulari loquens asserit. *Primum*, esse verum syllogismum; *Secundum*, non verū, sed apparentem.

rentem. *Postremum membrum*; vocat paralogismum: & ait eum esse, qui assumit propositiones proprias alicuius sciẽtiæ: quæ vt ab ea scientia assumũtur, necessariæ sunt: sed vt ab eo assumuntur, solum apparent necessariæ; & sunt falsæ. Et talis est syllogismus iste: Lineæ ductæ ab eodem puncto, in idem punctum, sunt æquales: Corda, & arcus ducuntur ab eodem puncto: ergo sunt æquales. Syllogismus iste constitutus est in materia geometriæ; sed maiorem propositionem sic accipit geometria: Omnes lineæ rectæ, ductæ ab eodem puncto, in idem punctum sunt æquales. Et sic vera est, ac necessaria: sed cùm accipiatur in illo syllogismo; sine illa voce; recta, apparet, quidem necessaria; quia apparet eadem: sed falsa est, & valde diuersa; vt constat & ideo procedit ex propositionibus illius scientiæ apparentibus necessarijs, non tamẽ verè necessariis, sed falsis.

3. *Ex his autem tribus syllogismis*, primus, qui dicitur *Litigiosus*, & tertius, qui dicitur *Paralogismus*, conueniunt in eo, quod vterque seruat formã syllogisticã, cùm in Figura, & Modo cõstituatur: vnde ex hac parte nõ peccat: sed differũt in his, ex quibus procedunt. Quia prior ille procedit ex his, quæ apparẽt probabilia; sed probabilia non sunt: paralogismus verò, ex necessarijs, ac proprijs alicuius scientię, sed quæ nec sunt necessaria, nec ad illam scientiam pertinent, sed sũt falsa. Secundus verò; qui etiam litigiosus vocatur, in vtroq; differt ab alijs duobus. Nam primo non seruat formam syllogismi; sed peccat in ea: & ideo; dixit de eo Ar. esse litigiosum syllogismum. Nec verò esse syllogismum: hoc est, non habere veram formam syllogismi; sed solum apparentem.

Et ex his intelligitur. Primum, & tertium, veram habere formã syllogismi: & ideo veros esse syllogismos. Nam procedere ex apparentibus, aut etiam ex falsis, nõ tollit veram formam syllogismi. *Secundum vero non esse verum syllogismum; sed apparentem*: & tales sunt omnes, qui regulas syllogismorũ non seruãt: sed vel ex medio æquiuoco procedunt; vel non distributo; vel ex negatiuis pręmissis: aut alios defectus patiuntur circa formam.

Secundo intelligitur. Hos tres syllogismos, essentialiter esse diuersos: quia vel differunt ratione formæ syllogisticæ: vel ex parte præmissarum. Ex parte quidem formæ, differt secundus à primo, & tertio: & cum differentia ex parte formæ, sit essentialis; euidens est, differre essentialiter ab eis. Tãdem primus, & tertius, licèt conueniant in forma syllogistica, & quasi generica; differunt tamen in forma speciali, ex modo concludendi desumpta. Nam primus procedit, & cõcludit ex his, quę solùm apparent probabilia. Tertius verò, ex his; quæ apparent necessaria. Ideo primus & tertius differũt tanquam verę species syllogismi. Secũdus verò; nõ differt ab eis, tanquam vera species. quia cùm non habeat veram formam syllogismi; nec vera species eius esse potest: sed solùm secũdũ apparentiã. Vnde duo illi, sunt syllogismi simpliciter; iste verò nõ, nisi secũdùm quid: quia solam habet apparentiam syllogismi; eo modo quo homo pictus, solam habet apparentiam hominis: differt ergo ab eis analogicè. 4.

Quocirca intelligitur tertio, Diuisionem syllogismi sophistici in hæc tria mẽbra; esse Analogi in Analogata. Verum respectu duorũ mẽbrorũ; nempe primi & tertij, esse generis in suas species. & ideo Ari. nõ definiuit omnes vna definitione, sed diuersis: simul diuidens syllogismũ sophisticum, in hæc tria membra: & singula definiens, propriis definitionibus.

Quarto intelligitur. Generalem diui-

ei, non erat conueniens ebrietati, & ideo, nec discipulis; cùm eadē hora eis imponeretur ebrietas. Et benè probatur, Aliquem non occidisse alterum; si probatur eo tempore, quo occisus est, in eodem loco occisionis non fuisse; sed alibi.

Locus nonus à Subiecto.

De *subiecto inhæsionis*, intelligitur locus iste, cui inhærent accidentia; non de subiecto prædicationis, cui potest prædicatum essentialiter cōuenire: & ideo merito numeratur inter locos intrinsecos. A subiecto possunt deduci Maximæ istæ; & similes. *Cui repugnant accidētia, etiam repugnat subiectum*: vt si alicui repugnat intellectus, etiam anima, & si repugnant corporea accidentia; etiam repugnabit corpus. *Vbi subiectum est ibi debent esse accidentia*: & *Vbi non sunt accidentia, nec est subiectum*: & *Motis nobis mouentur omnia, quæ sunt in nobis*: id est accidentia. Et ex his, & aliis Maximis, multa possunt effici arg. à loco Subiecti, & isti sunt omnes loci intrinseci. Sequuntur extrinseci.

Locus decimus, & primus inter Extrinsecos à Coniugatis.

COniugata *dicuntur voces, quæ sub diuersa terminatione, eandem formam*
30. *significant atq; participant*: & propterea quasi idem iugum ducere videntur; vt Iustus, Iustitia, & Iustè: & omnes casus, per quos variatur, idem nomen: & verbum. Ad hæc reducuntur alia; quæ eandem formam significant; licèt diuersæ omnino sint voces: vt Iustus, & Studiosus: quæ ita se habent; quantum ad rem significatam, sicut iustitia, & iustus. Ex his deducūtur istæ Maximæ, & similes. *Quæ dicuntur de vno coniugatorum: suo etiam modo, & cum debita variatione, dicuntur de alio*: vt si Philosophus est sciens; Philosophia erit scientia: & *de quo dicitur vnum coniugatorum, dicitur etiam suo modo alterum*. Et ex his, ac similibus propositionibus possunt fieri multa, argumenta à coniugatis.

Locus 11. à Simili.

SImilia *sunt: quæ participant eandē formam*: vt omnia alba. Ad quæ reducuntur, quæ habent eandem proportionem: vt auriga, & dux; quia similem curam ei, quam habet auriga in suo curru; debet habere dux, in exercitu. Ad similia etiam reducuntur æqualia, & ab eis deducuntur Maximæ plures, pro argumētis instituendis, similes huic: *Cygnus disgregat visum, ergo etiam paries albus*. Sed semper debet fieri in his argumentum à ratione formali similitudinis; & non ab aliis materialibus, quæ habere possunt similia: non est enim bonum argu. si dicamus. *Cygnus est auis, ergo etiam paries albus est auis.*

Locus 12. à Causa. 31.

QVadruplex *est causa, Finalis, Efficiens, Materialis, & Formalis.* Verum locus iste, cum sit extrinsecus, solam Finalem, & Efficientem complectitur: nō materialem, & formalem; quæ cùm sint partes rei Intrinsecæ; potius ad locum partium pertinebunt. *Causa finalis est*, cuius gratia operatur efficiens, & producit effectum: & *causa efficiēs*, à qua effectus procedit. Maximæ, quæ ex eis deduci possunt, similes sunt his: *Posita causa, necessariò ponitur effectus*: quæ intelligitur de causa actuali, & sufficienti, & *Non posito effectu, non ponitur causa*: quæ simili modo intelligitur. Verum quæ ad naturam, & proprietatem harum, causarum pertinent in 2. lib. Physic. à nobis explicantur.

Locus 13. ab Effectu.

VAlde *similis est locus iste præcedenti*: quia eædem Maximæ, à causa, & effectu deducuntur: & idem est modus argu-

arguendi in eis: vt, *à Positione effectus, ad positionem causæ*: v. g. Si dies est, sol est in nostro hemisphœrio. *Ablato effectu, aufertur causa*: vt, non est dies, ergo nec sol est in nostro hemisphœrio. Sed intelliguntur istæ, & aliæ similes; de causis necessariis, & sufficientibus.

Locus 14. à Maiori, & 15. à Minori.

32. SImiliores sunt duo isti loci, à maiori, & minori: & ideò de illis simul loquendum est. A maiori, sumitur hæc Maxima. *Quod potest efficere maius, potest efficere minus.* & à minori hæc. *Quod non potest efficere minus: nec potest efficere maius.* Sed vtraque debet intelligi, de maiori & minori, eiusdem conditionis. Nam si diuersæ rationis sint; non valebit argumentum. v. g. Angelus potest intelligere; quod est maius: ergo potest ambulare; quod est minus. Quia diuersæ conditionis sunt: intelligere, & ambulare. Item, Non potest ambulare: ergo nec intelligere.

Locus 16. & 17. ab Authoritate Diuina & humana.

T*Estimonium fide digni, cui fides innititur, valde extrinsecum est rebus testificatis vel creditis*, vt ex se est manifestū. Vnde locus ab authoritate fide digni, maximè extrinsecus est. Sed si fit ab authoritate Diuina, infallibilem veritatem tribuit rei: quia cum Deus sit summa, & prima veritas, non potest falli: & cùm sit summa bonitas; fallere non potest. Vnde quæ DEVS testificatur, ea infallibilem veritatem habent: & tales sunt res nostræ fidei, quas propter Diuinam authoritatem credimus, & argumenta Theologica, ab hoc præcipuè loco deducuntur.

Ab humana verò authoritate aut testimonio, nō adeò firmū, argum deduci potest.

33. Sed valet plurimum, ad explicandas res diuinæ fidei. Nam licèt sacri Doctores, homines fuerint; tamen expositio sacræ Scripturæ: quam omnes, vel plures eorum adferunt (etiamsi dissentiat vnus, vel alter), maximam facit fidem: quia non est credendum, permisisse Deum eos in hac re decipi, ad quos pertinet scripturam exponere, & expositam aliis tradere. Valet etiam multum in rebus quæ dependent ex libera hominum voluntate: vt ad impositionem, & significationem nominum: quia nominibus vtendum est, vt plures vtuntur. Præterea in rebus, quæ per sensus euidenter cognoscuntur: atque etiam in his, quæ ad historiam pertinent: quæ inniti debent euidentiæ alicuius, vt plurimum, per sensus habitæ: ex qua ita contigisse, credunt alij. Sed non ita valet in his: quæ cognoscūtur per discursum, in quibus præcipuum locum ratio tenet. quāquam adhuc in his multum valeat communis consensus omnium. Semper ergo ducitur argu. probabile, ab authoritate humana: & quo plures sunt, qui aliquid testificantur, eò efficacius argum. deducitur. Negatiuè tamen, nō est ab authoritate humana arguendum, quasi probetur, rem non ita esse, quia à nemine narratur: quia non est necessarium scripta fuisse omnia.

Locus 8. & 10. ab Oppositis, & Repugnantibus seu Disparatis.

N*On multum differunt duo isti loci, ab Oppositis & Repugnantibus, seu Disparatis.* quia eadem ferè arg. ab vtrisque deducuntur. *Oppositio quadruplex est*, vt in Postprędicamentis diximus. *Contraria*; quæ est inter Album, & Nigrum. 34
Contradictoria: Inter album, & Non album. Priuatiua: Inter cæcum, & videns: & Relatiua, Inter Patrem & Filiū. Et in contradictoriæ oppositis; Maxima hæc, semper est vera: Quod *cui cōuenit vni non potest conuenire alteri. & Cui*

rentem. *Postremum membrum*; vocat paralogismum: & ait eum esse, qui assumit propositiones proprias alicuius sciētiæ: quæ vt ab ea scientia assumūtur, necessariæ sunt: sed vt ab eo assumuntur, solum apparent necessariæ; & sunt falsæ. Et talis est syllogismus iste: Lineæ ductæ ab eodem puncto, in idem punctum, sunt æquales: Corda, & arcus ducuntur ab eodem puncto: ergo sunt æquales. Syllogismus iste constitutus est in materia geometriæ; sed maiorem propositionem sic accipit geometria: Omnes lineæ rectæ, ductæ ab eodem puncto, in idem punctum sunt æquales. Et sic vera est, ac necessaria: sed cùm accipiatur in illo syllogismo; sine illa voce; recta, apparet, quidem necessaria; quia apparet eadem: sed falsa est, & valde diuersa; vt constat & ideo procedit ex propositionibus illius scientiæ apparentibus necessarijs, non tamē verè necessariis, sed falsis.

3. *Ex his autem tribus syllogismis*, primus, qui dicitur *Litigiosus*, & tertius, qui dicitur *Paralogismus*, conueniunt in eo, quod vterque seruat formā syllogisticā, cùm in Figura, & Modo cōstituatur: vnde ex hac parte nō peccat: sed differūt in his, ex quibus procedunt. Quia prior ille procedit ex his, quæ apparēt probabilia; sed probabilia non sunt: paralogismus verò, ex necessarijs, ac proprijs alicuius scientię, sed quæ nec sunt necessaria, nec ad illam scientiam pertinent, sed sūt falsa. Secundus verò; qui etiam litigiosus vocatur, in vtroq; differt ab alijs duobus. Nam primo non seruat formam syllogismi; sed peccat in ea: & ideo; dixit de eo Ar. esse litigiosum syllogismum. Nec verò esse syllogismum: hoc est, non habere veram formam syllogismi; sed solum apparentem.

Et ex his intelligitur. Primum, & tertium, veram habere formā syllogismi: & ideo veros esse syllogismos. Nam procedere ex apparentibus, aut etiam ex falsis, nō tollit veram formam syllogismi. *Secundum vero non esse verum syllogismum; sed apparentem*: & tales sunt omnes, qui regulas syllogismorū non seruāt: sed vel ex medio æquiuoco procedunt; vel non distributo; vel ex negatiuis pręmissis: aut alios defectus patiuntur circa formam.

Secundo intelligitur. Hos tres syllogismos, essentialiter esse diuersos: quia vel differunt ratione formæ syllogisticæ: vel ex parte præmissarum. Ex parte quidem formæ, differt secundus à primo, & tertio: & cum differentia ex parte formæ, sit essentialis; euidens est, differre essentialiter ab eis. Tādem primus, & tertius, licèt conueniant in forma syllogistica, & quasi generica; differunt tamen in forma speciali, ex modo concludendi desumpta. Nam primus procedit, & cōcludit ex his, quę solùm apparent probabilia. Tertius verò, ex his; quæ apparent necessaria. Ideo primus & tertius differūt tanquam verę species syllogismi. Secūdus verò; nō differt ab eis, tanquam vera species. quia cùm non habeat veram formam syllogismi; nec vera species eius esse potest: sed solùm secūdū apparentiā. Vnde duo illi, sunt syllogismi simpliciter; iste verò nō, nisi secūdùm quid: quia solam habet apparentiam syllogismi; eo modo quo homo pictus, solam habet apparentiam hominis: differt ergo ab eis analogicè. 4.

Quocirca intelligitur tertio, Diuisionem syllogismi sophistici in hæc tria mēbra; esse Analogi in Analogata. Verum respectu duorū mēbrorū; nempe primi & tertij, esse generis in suas species. & ideo Ari. nō definiuit omnes vna definitione, sed diuersis: simul diuidens syllogismū sophisticum, in hæc tria membra: & singula definiens, propriis definitionibus.

Quarto intelligitur. Generalem diuisionem

sionem syllogismi; in Demonstratiuum, Dialecticum, & Sophisticum, esse diuisionem generis in suas species, si sophisticus solum sumatur pro eo; qui nō peccat in forma. quo pacto primum, & tertium solum comprehendit. Nam solùm hoc modo sumptus, vera species syllogismi est: subalterna tamē; cùm in duas alias species diuidatur. Tertius verò syllogismus, nō est species vera syllogismi, cùm forma careat: sed solū secundū apparētiam. Vnde si sophisticus sumatur, prout omnes tres cōprehēdit; eadē diuisio generalis ex parte eius, erit analoga: cū vnū membrum comprehendat, quòd non est syllogismus, nisi secundum quid.

6. *Præter hanc diuisionem syllogismi in tria illa membra*; quæ essentialis est, *diuiditur diuisione accidentali, in quo membra*, secūdū duos diuersos effectus, vel fines, quos per eum intēdere potest sophista. *Primus finis est*, ostentare scientiam, & aucupari gloriam: *& tunc dicitur syllogismus sophisticus tantū, vel litigiosus* quia sophista per eum, non tam intendit disputationē instituere quàm litem, aut litigium verbisque fallacibus litigare: vt videatur his fallacijs cōuincere respondentē, & ideo sapiens haberi, in opinione vulgi. *Secundus finis est*; periculum facere: vel experimentum sumere de scientia alterius: *& tunc dicitur syllogismus Tentatiuus.*

Deinde diuiditur etiam accidentaliter, in quinq. alia membra; secūdum quinque inconuenientia, ad quæ sophista intendit deducere respondentem. Et incōuenientia hæc, solent vocari metæ, vel termini: quasi ad illa; tanquam ad metam, scopum, vel finem suæ disputationis, alium deducere intendit. *Prima est meta Redargutionis*. Quando respondens cogitur, vi syllogismi apparētis negare, quod prius concesserat: vel concedere, quod negauerat. *Secunda est meta falsi*. Quando cogitur aliquid apertè falsum concedere; vt quod ipsemet non sit homo, illo syllogismo. Quod ego sum; tu non es: Ego sum homo: ergo Tu nō es homo. *Tertia est meta inopinabilis, seu Paradoxa*. Quando cogitur cōcedere rem aliquam, inopinabilem à sapientibus; vel opinione vulgi inauditam; quamuis fortè non sit falsa. *Quarta est meta Solœcismi*. Quando aliquam incongruam locutionem cōpellitur concedere. *Quinta dicitur meta, Nugationis*. Quando cogitur ad inutilem repetitionem eiusdem rei; aut ad aliam minus ornatam locutionem; per quam nugari videatur. Vt si cogatur dicere; nasum, esse nasum curuum, aut simum. *Et hæc de syllogismo sophistico annotasse sufficiat*; ex quibus cognoscemus naturā eius atque etiam quod species, & membra habeat: & quodnam ex membris eius, sint veri syllogismi, quodque non veri, sed solùm apparentes. Fallaciæ verò omnes; quæ sunt quasi loca, ex quibus varij syllogismi fallaces deduci possunt; satis sunt in Summulis explicatæ: & ideo, non putamus enumerationem, & explicationem singularum, in hac parte repetendam.

Hæc tandem quæ circa vniuersam Logicam Aristotelis annotauimus in nostris Commentationibus; dilucitam satis reor, ac breuem eam efficient: vt facile, & breui tempore possit liberalium Artiū studiosis, huius florentissimæ Academiæ suis Magistris in Gymnasijs explicari, & ab eis percipi. Faxit DEVS Opt. Max. vt labor hic noster in gratiam eorum assumptus in gloriam eius, sacratissimæque Deiparæ, ac B. Thomæ, in maximamque eorundem studiosorum vtilitatem (vti speramus) cedat.

FINIS TOTIVS LOGICAE.

INDEX

INDEX CAPITVM, DVBIORVM, ET QVÆSTIONVM, QVÆ IN vtraque parte Logicæ continentur.

PRIMA PARS.

QVAESTIONES PROOEMIALES.

sub no-

SECVNDA PARS.

Quæstiones, & dubia de interpretatione.

Quæstio

FINIS.

INDEX RERVM NOTABILIVM, QVÆ IN VTRAQVE PARTE DIALECTICAE CONTINENTVR.

Litera c. caput. Litera q. quæstionem. Litera n. numerum. Litera t. tractatum denotat.

Nume-

 tur

FINIS.